

WILD, Johann (O.F.M.)

Postillae sive conciones Reverendi  
Patris D. Ioannis Feri... In Euangelia &  
Epistolas, quae à die Paschae, ad  
Aduentum usque, dominicis diebus in  
Christi Ecclesia recitantur / iam primùm  
latinitati donatae, per M. Ioannem  
Guntherum... ; pars quarta. -- Lugduni :  
Apud Haeredes Iacobi Iuntae, 1561  
(Excudebat Hector Penet...)

777-1543 [i.e. 766] p., a8, b4, c-z8,  
A-Z8, 2a-2b8, 2c4 ; 8°

Según Palau, 87723 Ioannis Feri es  
seud. de Johann Wild. -- Impresor entre  
paréntesis tomado de colofón. -- Marca  
de imp. en port. -- Apostillas  
marginales. -- Capitales grab. xil.

1. Biblia. N.T. Evangelios-Sermones 2.  
Biblia. T.B. Ebanjelioak-Sermoiak I.  
Günther, Johann, trad. II. Título

R-6194 Enc. perg., deteriorada

# POSTILLAE

## SIVE CONCIONES

REVERENDI PATRIS D. IOANNIS

Feri, Ecclesiae Metropolitanæ Moguntiae concionatoris absolutissimi, in Euangelia & Epistolas, quæ à die Paschæ, ad Aduentum vsque, Dominicis diebus in Christi Ecclesia recitantur.

*Iam primum latinitati donata, per M.*  
IOANNEM GUNTHERVM.

Quibus in concionibus & Euangelicæ veritatis, & totius Christianæ religionis doctrina continetur.

PARS QVARTA.



LUGDUNI,

Apud Hæredes Iacobi Iuntæ.

M. D. LXI.

*Cum privilegio Casarea Maiestatis, & Gallorum Regis.*

*of the ... ..*

# HOMILIARVM

## I N D E X.

|  |      |
|--|------|
| <b>D</b> ominica IIII. post Pentecosten, Euang. Accedebant autem ad eum. Luc. 15. Epistola 1. Petr. 5. folio | 779  |
| Dominica v. post Pentec. Euang. Estote ergo misericordes. Luc. 6. Episto. Rom. 8.                            | 826  |
| Dominica vj. post Pent. Luc. 5. Epist. 1. Petr. 3.   | 871  |
| Dominica vij. post Pent. Euang. Matt. 5. Epist. Rom. 6.  | 925  |
| Dominica viij. post Pent. Euang. Marc. 8. Epist. Rom. 6.   | 977  |
| Dominica ix. post Pent. Euang. Cauete vobis à Pseudoprophetis. Matth. 7. Epist. Rom. 8.                      | 1028 |
| Dominica x. post Pentec. Euang. Homo quidam erat diues. Luc. 19. Epist. 1. Cor. 10. fol.                     | 1076 |
| Dominica xj. post Pent. Euang. Luc. 19. Epist. 1. Cor. 12.   | 1107 |
| Dominica xij. post Penteco. Euang. Dixit Iesus ad quosdam. Luc. 18. Epist. 1. Cor. 15. fol.                  | 1138 |
| Dominica xiiij. post Pent. Euangel. Egressus Iesus de finibus Tyri. Marc. 7. Epist. 2. Cor. 3. fol.          | 1177 |
| Dominica xiiij. post Pent. Euang. Luc. 10. Epist. Gal. 3.  | 1210 |
| Dominica xv. post Pent. Euang. Luc. 7. Epist. Gal. 5.  | 1245 |
| Dominica xvj. post Pent. Euang. Nemo potest duobus dominis. Matth. 6. Epist. Gal. 5. & 6. fol.               | 1278 |
| Dominica xvij. post Pent. Euang. Luc. 7. Epist. Ephe. 3.   | 1306 |
| Dominica xviiij. post Pentec. Euangel. Accidit vt introiret in dom. Luc. 14. Epist. Ephe. 4. fol.            | 1334 |
| Dominica xix. post Pent. Euang. Conuenerūt in vnum Pharisæi. Matth. 22. Epist. 1. Cor. 1. fol.               | 1361 |
| Dominica xx. post Pent. Euang. Et ingressus nauim. Mat. 9. Epist. Ephe. 4. fol.                              | 1386 |
| Dominica xxj. post Pent. Euang. Mat. 22. Epist. Ephe. 5.   | 1413 |
| Dominica xxij. Euang. Ioan. 4. Epist. Ephe. 6. fol.  | 1437 |
| Dominica xxiiij. Euang. Matth. 18. Epist. Philip. 1.   | 1462 |
| Dominica xxiiij. Euang. Matth. 22. Epist. Philip. 3.   | 1482 |
| Dominica xxv. Euang. Matth. 9. Epist. Colof. 1.  | 1502 |
| Dominica xxvj. post Pentecosten, Euangelium. Ioan. 6. Epistola, Hieremiz 23. folio                           | 1524 |



# DOMINICA QVART- TA POST PENTECO-

STEN, EVANGELIVM,

L V C. X V.

℞



**A**CCEDEBANT autem Matth. 4,  
Marc. 3.  
ad eum omnes publicani &  
peccatores, vt audirent il-  
lum: & murmurabant Pha-  
risæi & Scribæ, dicentes: Hic  
peccatores recipit, ac cibū

capit cum illis. Dicebat autem ad illos para-  
bolam hanc, dicens: Quis ex vobis est ho-  
mo, qui habet centum oves, & si perdiderit  
vnam ex illis, nōne relinquit nonaginta  
nouem in deserto, & vadit ad illam quæ pe-  
rierat, donec inueniat eam? Et cū inuen-  
rit eam, imponit in humeros suos gaudens:  
veniēnsque domum, conuocat amicos & vi-  
cinos, dicens illis: Gaudete mecum, quia in-  
ueni ouem meam quæ perierat. Dico vobis,  
quòd gaudium erit in cœlo super vno pecca-  
tore resipiscente magis, quàm super nona-

ginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia. Aut quæ mulier habens drachmas decem, si perdidit drachmam vnã, non accendit lucernam, & verrit domum, quærítque diligenter, donec inueniat? Et cùm inuenit, conuocat amicas & vicinas, dicens: Gaudete mecum, quia inueni drachmam quam perdideram. Ita dico vobis, gaudium erit coram Angelis Dei super vno peccatore resipiscente.

EADEM DOMINICA EPISTOLA SANCTI PETRI,

I. C. A. P. V.

*Iacob. 4.* **H**Umiliemini igitur sub potenti manu Dei, ut uos exaltat, cùm erit oportunum, omni cura uestra coniecta in illum. Nam illi cura est de uobis. Sobrii estote, uigilate: quoniam aduersarius uester diabolus tanquàm leo rugiens obambulat, quærens quem deuoret. Cui resistite solidi fide, scientes easdem afflictiones uestræ, quæ in mundo est fraternitati, consummari. Sed Deus omnis gratiæ, qui uocauit nos ad æternam suam gloriam per Christum Iesum, parumper afflictos, idem instauret uos, fulciat, roboret. stabiliat: ipsi gloria, imperium in secula seculorum.

PRIMVS SERMO IN GENERE dicit de Euangelio.



**D**IGNVM hodiernum Euangelium est, de quo prolixè dicatur, infigaturque animis Christianorum diligentissimè: tantùm nobis boni & consolatorij in duabus similitudinibus, de perdita oue, & perdita drachma proponitur, sed ita ta-

sed ita tamen, ut nemo facile videat, nisi qui quærat diligenter. Si quidem Deus sua mysteria ita proponere solet, ut indig- *Luc. 8.*  
 nis absconſa maneat, ne videant licet videntes, nec intelli-  
 gant licet audientes. Ediuersò autem suos petere iubet, & da- *Luc. 11.*  
 bitur illis: iubet eos quærare, & inuenient: iubet eos pulsare,  
 & aperietur illis. Proindè quædam in duabus hisce similitu-  
 dinibus contenta paucissimis indicabo, datures per hoc occa-  
 sionem bono cuique latius ea de re cogitandi & perquiren-  
 di. Tribus verbis audire vis summam istius Euangelij? Pri- *Summa huius*  
 mò pulchrum, iucundum & consolatorium argumentum *Euangelij.*  
 est diuinæ gratiæ & charitatis Christi. Secundò peculiare *I.*  
 solatium est omnibus miseris peccatoribus: interim tamen *II.*  
 condemnat omnes hypocritas. Tertiò confirmat doctri- *III.*  
 nam pœnitentiæ. Quartò docet, quanta diligentia & stu- *IIII.*  
 dio animæ salus quærenda sit. Et postremò quoque exem- *V.*  
 plum est diligentis curæ omnibus pastoribus, præfectis, &  
 antistitibus. Hæc Euangelij sententia est: hæc omnia in eo  
 comprehensa sunt. Et quis non videt, quàm prolixè quis  
 eiusmodi de rebus loqui possit? Imò quis tantùm bonæ rei  
 & utilis, in simplicibus istis parabolis & similitudinibus quæ-  
 sisset? Principiò, habemus in hoc Euangelio tam clara diui-  
 næ gratiæ indicia, ut nunquàm nobis sit desperandum, sem-  
 per verò prædicanda sit Dei gratia, & tota fiducia ad ipsius  
 misericordiam currendum, etiamsi aliud nihil de eiusmodi  
 donis Dei nobis constaret. Etenim triplicia opera & indicia  
 diuinæ gratiæ sunt in hoc Euangelio nobis commemorata, *Triplicia diuina gratiæ ar-*  
 tamque magna seu præclara, ut fidem propè superent, ni ea *gumenta.*  
 Christus ipse exhibuisset. Primum est, quòd peccatores ad *I.*  
 se vocat: secundum, quòd eos suscipit: tertium, quòd illos etià con- *II.*  
 tra Phariseos defendit & excusat. Et quid nobis miserrimis *III.*  
 peccatoribus magis consolatorium annuntiari posset? Imò *I*  
 quomodò nobis Deus suam gratiam & misericordiam ma- *Rom. 8.*  
 gis certiusue declarare potuisset, quàm in his ad eò tribus  
 rebus? Si filius Dei nos ad se vocat, si suscipit nos ac tuetur,  
 quis diabolus nobis nocebit? Si Deus nos iustificat, quis est  
 qui condemnet? Si Christus interpellat pro nobis, quis accu- *Luc. 15.*  
 sabit nos? Dicit quidem Lucas appropinquasse Christo pec-  
 catores, quod perindè est, ac si ipsi vltro venissent, & ex seip- *Ioan. 6.*  
 sis ad eum conuersi fuissent. Reuera autem fuit opus diuinæ  
 gratiæ. Nemo enim venit ad eum, nisi pater traxerit eum,

quemadmodum ipsemet dicit. Imò quomodo aliqui peccator ex se ipso conuerti posset, nisi eum Deus præueniret sua gratia? Siquidem homo est spiritus vadens & non rediens: seipsum in peccatum conijcere, verum liberare seipsum inde rursus non potest. Quapropter etiã haud dubie publicani isti & peccatores à Christo tracti fuerunt: in quod etiam innuunt sequentiã verba, vbi sanctus Lucas dicit: Erãt appropinquantes ei publicani & peccatores, vt audirent illum. Hic vides, quòd illos traxerit verbum Christi. Ni Christus prius prædicasset, & homines verbo Euangelij, hoc est prædicatione & annuntiatione gratiæ, ad se attraxisset, publicani & peccatores non faciliẽ eum accepissent. Hoc primum argumẽtum est diuinæ gratiæ, quòd peccatores sua gratia præuenit & vocat, aut etiã trahit, dum adhuc in peccatis sunt: imò certissimum signum diuinæ gratiæ est, quòd nondòm cessat nos verbo suo vocare & trahere. Non igitur vlli peccatori desperandum, quãdiu adhuc nos vocat Deus. Nisi enim misereri nostri vellet, haudquaquã nos vocaret & traheret suo verbo.

Secundum iudicium diuinæ gratiæ hoc in Euangelio est, quòd Christus etiam peccatores suscipit. Id quoque re vera gratiæ est. Qua enim re peccator id promereri potuisset? Imò quid mali & pœnæ peccator iam non promeruit? Nihilominus autem de Christo dicitur, eum suscipere peccatores. Et quamquã id Pharisei inuidia moti de illo dicebant, verissimũ tamen est, & verum manebit. Nec verbum illud ab ijs primũ profectum est. Omnes Prophetæ iam inde ab initio dixerunt de nostro Deo, quòd peccatores iterum suscipiat.

*Exod. 34.* Moyses primus est, qui Deo hunc titulum & nomen tribuit, quòd sit misericors & clemens, patiens & multæ miserationis. Propheta Ioël repetit omnia verba hæc, addens, præstabilem cum esse super malitia. In Hieremia testatur Deus ipse: *Vulgò,* inquit, dicitur: Si dimiserit vir vxorem suam, & recedens ab eo, duxerit virum alterum: nunquid reuertetur ad eam vltra? nunquid non polluta, & contaminata erit mulier illa? tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me, dicit Dominus, &c. Et post: Reuertere auersatrix Israël, & non auertam faciem meam à vobis, dicit Dominus. Et in sequenti capite: Si reuerteris Israël, ad me conuertere. Et per alium quendam Prophetam: Conuertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris: & non erit

Vocat Christi  
stus peccato-  
res:

*Luc. 15.*

*Exod. 34.*

*Ioël. 2.*

*Hier. 3.*

*Ibid.*

*Hier. 4.*

*Ezech. 18.*

non erit vobis in ruina iniquitas. Quia nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & viuat, &c. Ex his & similibus sententijs diuinæ scripturæ, vides Deum nostrum iam inde ab initio nomen habuisse, imò etiam habere voluisse, quòd peccatores iterum susciperet. Et hoc testatur tota sacra scriptura, tum etiam confitemur in nostræ fidei symbolo, in sancta Christiana ecclesia esse remissionem peccatorum. Quapropter mouere nos non debet, quòd Iudaici Pharisei Christo contumeliosè obijciebant & exprobrabant, eum suscipere peccatores. Christum huius non pudebat, sed id gloriæ sibi ducit. Tum quoque nobis omnium lætissimum est Euangelium seu bonum nuntium, & maximè cum consideramus, quomodò & qua ratione Christus peccatores susceperit. Porrò videmus in hoc Euangelio, quòd Christus facilè peccatores recipiebat: non opus erat multis precibus, nec erat opus multa largitione & donis, sed quicumque veniebat, hunc recipiebat absque omnibus præcedentibus meritis. Videmus in latrone qui iuxta Christum pendeat, *Luc. 23.* quòd Christus sine mora peccatores recipit, si conuertantur. *Peccatores conuersos libèter* Amen dico tibi, inquit, hodie mecum eris in paradiso. *suscipit Deus.* In filio prodigo videmus, quòd Christus peccatores lubens *Luc. 15.* suscipit. Māducemus & epulemur, inquit, quia hic filius meus mortuus erat & reuixit, perierat & inuentus est. In peccatrice, de qua Lucas dicit, videmus quòd Deus peccatores penitus etiam suscipit, si conuertantur, nullam iram & indignationem ergo eos fouens. Remittuntur tibi peccata (inquit) vade in pace, fides tua te saluam fecit. Eundem quoque in *Luc. 7.* modum dicit in Ezechiele: Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, omnium iniquitatum eius non recordabor. En, alterum hoc indicium est diuinæ gratiæ, quòd Christus etiam peccatores suscipit. *Luc. 15.* Peccatores, inquam, suscipit. nam si iustos tantum susciperet, mirum non esset. Lucas verò non vulgares nominat peccatores, sed publicanos, quorum impia facta omnibus nota sunt. Atque hoc nobis verum solatium præbet: imò quid nos alioqui, qui tot peccatis quotidie grauati sumus, solatij haberemus, si Christus iustos tantum susciperet? Atqui verò nullum melius, clarius & certius argumentum habere possumus gratiæ apud Deum semper inueniendæ, quàm hoc adèd verbum, Hic recipit peccatores. Quippè si Deus recipit pecca-

tores, proculdubio benignus & misericors Deus est, apud  
*Psal.* 129. quæ multa & magna misericordia sit necesse est. Et nisi Deus  
 peccatores in gratiam reciperet, omnibus nobis desperan-

*ibid.* dum foret; quemadmodum & sanctus David confitetur: Si  
 iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit?

3 Tertium diuinæ gratiæ indicium est in hoc Euangelio, quòd  
 Christus peccatores etiã defendit, non solum corã Phariseis,

*Rom.* 8. sed etiam coram Deo, quemadmodum Paulus in Epistola ad  
*1. Ioan.* 2. Romanos, nec non Ioannes in prima sua Epistola. Defen-

dit autem eos non tanquã peccatores, sed tanquã pœ-  
 nitentes, qua de re postea plura dicentur. Atque hinc, opi-  
 nor, videre quiuis possit, Euangelium istud veram & egre-  
 giam esse annuntiationem diuinæ gratiæ. Sed indicat etiam

*Charitas Christi.* præterea nobis charitatem Christi. Atque hoc alterum est, in  
 quo solatium nostrum consistit, Charitas Christi & eius me-  
 ritũ. Ea autẽ in hoc consistit, quod ipse nos, & non nos ipsum  
 perquisiimus: non nos eum elegimus, sed ipse nos elegit: ipse

*Ioan.* 15. nos prior dilexit, non nos illum. Ipse inuenit nos in vasto

*1. Ioan.* 4. deserto & solitudine, hoc est, in peccatis, in morte, & in con-

*Deut.* 32. demnatione. Magno labore nos humeris suis imposuit. hoc

*1. Pet.* 2. est, peccata nostra, mortem & condemnationem in cruce

portauit, imò pro summo suo gaudio duxit, nobis omnibus  
 modis suppetias tulit. In hoc cognouimus charitatem Dei

(inquit Ioannes) quoniam ille animam suam pro nobis po-

*1. Ioan.* 3. suit. Quis autem hic non gaudeat? Quis non lætus & alacris

ad eum currat? Scimus quippè, quòd in humana natura no-  
 bis similis est. Videmus illum mansuetum in suis gestibus, af-

fabilem in verbis, potètem in miraculis, magnum & diuitem

in misericordia & gratia. Ecquid volumus amplius? Si Deus

suscipit peccatores, si tantoperè nos diligit Christus, non est

quòd desperemus. Atque hoc alterum est, quòd in hoc Euan-

gelio nobis est indicatum. Aliæ consolationes, quas pecca-

tor plures ex hoc Euangelio habere potest, hæ sunt: Primò,

quòd Deus. Secundò, quòd Christus. Tertiò, quòd sancta

ecclesia. Quartò, quòd etiam sancti Angeli illius cupiunt sa-

lutem. Quòd Deus salutẽ nostram cupiat, ex eo intelligitur,

*Ezech.* 18. qd dicit: Nolo mortem peccatoris, sed vt cõuertatur & uiuat.

Quòd Christus salutem nostrã cupiat, ex eo colligitur, quòd

in Euangelio. Matth. cap. 11. clamat: Venite ad me omnes qui

laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos, &c. Quòd ec-

clesia sa-

clesia salutem nostrā cupiat, ex eo animaduerti potest, quòd nobis quotidie acclamat per diuum Paulū: Adeamus ad thronum gratiæ: vt misericordiā consequamur & gratiā inueniamus in auxilio opportuno. Deniq; quòd etiam sancti Angeli nostram salutē cupiant, ex eo cognosci potest, quòd etiam in cælis gaudeant, si conuertamur & pœnitentiam agamus: & quod in natiuitate & resurrectione saluatoris nostri, nobiscum & nostra gratia gauisi sint: vt habes Luc. 2. & Marc. 16. Hoc rursus solatium est ex isto Euangelio. Hoc trahebat miseris peccatores ad Christum: vt audirent verbum eius. Hoc reprehensione maiore digni sunt. Pharisei, quòd miseris peccatoribus tale solatium inuidebant. Ipsimet peccatores erant, attamen nullo misericordiæ affectu tangebantur erga peccatores. Peccatorum resipiscētia & conuersione gaudere debebant, si veri Pastores fuissent, atqui inuidebant illis ipsorum salutē. Ex charitate & gratia Christi, qua peccatores suscipiebat, ad meliorem mentē redire debebāt, iam deteriores fiebant. Quæ res indicio erat, nullam in illis verā esse iustitiā. Etenim vera iustitia (vt diuus Gregorius ait) habet compassionem, falsa autem indignationem. Tria in peccatore consideranda sunt. Primò natura, deinde peccatum, & tertio pœnitentia. Naturæ cōpatiendum est, peccatum odio habendum & puniendum, pœnitentia gaudendum. Isti verò hypocritæ neq; naturā neq; pœnitentiā considerabāt in peccatoribus, sed solum peccatum: nō meminerant illos homines esse: non videbant vt illi iam sese corrigērent, & vitam in melius commutarent, sed id solum, quod peccauerant, respiciebant. Ob hoc indignabantur, vbi compati potius, imò gaudere debuerant. En, quatuor hæc sunt, quæ in isto Euangelio considerari possunt. Gratia Dei, charitas Christi, peccatorū solatium, & hypocritarum pœna. Reliqua quoq; tria audiēda sunt, vt quod Euangelium istud non simpliciter de peccatoribus loquitur, sed de peccatoribus pœnitentiam agētibus. Hos recipit Christus, hos defendit contra hypocritas: super his gaudent Angeli in cælo. Hoc præcipue obseruandum in isto Euangelio. Christus id singulari cum diligētia exprimere voluit, & cōfirmare doctrinā pœnitentiæ. Nā pœnitentia sola est, per quam peccator in gratiam redit. Quod si tibi placet, quod Christus peccatores suscipit, placeat etiam tibi, quod pœnitentiam velit: imò scito, quòd neminem suscipere velit, nisi pœnitentiā

Heb. 4.

Luc. 15.

Gregorius.

Tria in peccatore consideranda.

Cuiusmodi peccatores recipias Christus.

Pœnitentia agenda.

agentem. Hoc vnum est, de quo plura postea. Alterum, quod circa hoc Euangelium considerandum est, quod bonus pastor Christus ouem perditam tam diligenter querit, neq; intermitit quicquam, quod ad id inseruire possit, nec desinit donec eam inueniat. Exemplum hoc est omnibus antistitibus, non solum spiritualibus pastoribus, sed omnibus etiam personis, penes quas aliqua potestas est, quin etiam cuius patrifamilias, ij tales pastores esse omnes debent, talem curam gerere pro illis debent, qui ipsis commissi sunt. **Ioan. 21.** *Stati hæc incumbit cura. Simon Ioannis (inquit Christus) amas me? pasce agnos meos. Quiuis etiam ob hoc summo pastori rationem reddere cogetur. Quinimò Deus è manibus ipsorum requireret sanguinem omnium eorum, qui per ipsorum negligentiam vereunt. Hoc considerare ij possunt, qui magna munia & officia ambiunt. Omnes gaudent dici patres & pastores, nemo tamè curam gerit ouium, &c. De hoc aliàs plura. Tertium, quod in hoc Euangelio adhuc obseruandum est, quod hæc mulier tam diligens est in quærenda drachma sua, aliarum rerum omnium oblita, hoc vnum agens, &c. Hoc iam nos docebit, quanta cum diligentia illud quærere debeamus apud Christum, quod in Adâ amisimus, nimirum similitudinem Dei. Quicquid enim temporale alioqui habemus nihil est ad istud: hoc nos exhilarare & tandem quietos nos reddere potest. Tum dicere possumus cum diuo Ioanne: **1. Ioan. 3.** *Charissimi, nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus. Tantum in genere & breuissimè de hoc Euangelio dictum sit, in sequentibus sermonibus hæc omnia fusius explicabuntur. Deus nobis omnibus suam aspiret gratiam, Amen.**

**S E C V N D V S S E R M O C O M M**  
*ponit istud Euangelium cum quibusdam uer-*  
*bis in Epistola Ioannis.*

**I** quidem hodiernum istud Euangelium succin-  
 ctè & paucis verbis, at germanè tamen & synce-  
 re exponendum foret, haud melius id & com-  
 modius facere me posse putarem, quàm verbis  
**Ioan. 1.** illis, quæ Ioannes in ipso statim Epistolæ suæ ini-  
 tio ponit & usurpat, ubi ait, se suosque cõdiscipulos seu Apo-  
 stolos, no-

stolos, nobis ideò tam exertè & verbis & scriptis indicasse annuntiasseque, quicquid boni & consolatorij de verbo vitæ, quod in principio erat, & nunc apparuit, hoc est, quicquid de Christo audiuerunt ac viderunt, vt & nos cum illis, imò cum Deo & Christo societatem & communionem habeamus: attamen cum hoc additamento, vt ex eiusmodi annuntiatione, non segniores, sed deuotiores: non in vitia propensiores, sed probiores efficiamur. Hoc, inquam, Ioannes insinuat. Et quid Lucas facit aliud in isto Euangelio? Sanè num corporeis ille oculis viderit, quod Christus tam benignus erga peccatores fuerit, non ita certò constat, nonnulli existimant fuisse eum vnum ex septuaginta duobus discipulis. Proindè videre & audire ipse potuisset, quod hic scribit: quanquàm initio Evangelij non obscure innuit, se ab alijs accepisse, quod literis mandauit. Sic enim inquit: Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem, quæ in nobis completæ sunt rerum: sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis, &c. Hæc verba id velle videntur, tanquàm Lucas Christo ipse non adfuerit. Sed vt res habet, videmus eum longè fidelissimè annuntiasse & in hoc Euangelio descripsisse, quæ ab alijs audiuerat & acceperat: & quidem non alia de causa, quàm vt spem nobis daret, nos etiam quamlibet miseris & peccatis inquinatos, cum Deo & Christo reconciliari posse, si facimus, quod alij homines pœnitentes ante nos fecerunt: Est tamen ea indubiè Euangelistæ mens, vt eiusmodi benignam & lætam annuntiationem, non ad malum, sed ad bonum vsurpemus. In hoc pulchrè S. Lucas concinit cum Ioanne: Imò propterea bono Christiano tria circa Euangelium istud consideranda sunt. Primò historia, deinde fructus, & tertio finis seu verus vsus. Historia indicat & dicit, quòd Christus peccatores susceperit, cum illis comederit, atque illos etiam coram Pharisæis defenderit, veruntamen non tanquam peccatores; sed tanquàm pœnitentes. Longè enim aliud est. Peccator peccans, & peccator pœnitens. Cû peccatoribus semper peccantibus, & in peccatis sese oblectantibus, neque illa coram Deo vnquàm agnoscentibus & desistentibus, nihil Christo rei. Siquidè primum verbum Euangelicæ illius doctrinæ est: Pœnitementi, quoniam appropinquauit regnum Dei. Ediuerso dicit sapiens: Altissimus odio habet peccatores. Di-

*Vt cum Christo redcamus in gratiam.*

*Peccator peccans.*

*Peccator pœnitens.*

*Marc. I.*

**Ezech. 18.** cit itém Christus ipse, se ad tales in extremo iudicio ductu-  
**Matth. 7.** rum: *Discedite à me qui operamini iniquitatem. Cum illis*  
 verò qui sua peccata confitentur, atque cum Deo redire in  
 gratiam avidè suspirant, Christus libenter agit. Hos benignè  
**Ioan. 7.** ad se vocat: *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Et iterum: Ve-*  
**Matth. 11.** *nite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego refi-*  
**Matth. 9.** *ciam vos. Hospœnites peccatores, verbis istis amabili-*  
**Matth. 9.** *bus alloquitur: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Et*  
**Luc. 7.** *rursum Luc. 7. Fides tua te saluam fecit, vade in pace. Item*  
**Luc. 19.** *Hodie salus domui huic facta est: venit enim filius ho-*  
**Luc. 23.** *minis quærere & saluum facere quod perierat. Et rursum*  
**Luc. 23.** *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. His*  
**Matth. 9.** *verbis Christus pœnites peccatores alloquitur. Si quis*  
**Matth. 9.** *hypocrita hoc illi malè interpretatur, ei commodè obuiare*  
**Matth. 9.** *novit, & osobturare. Euntes (inquit) vos hypocritæ disci-*  
**Matth. 9.** *te quid sit, Misericordiam volo, & non sacrificium. Et ite-*  
**Matth. 9.** *rum Ioan. 8. Qui sine peccato est vestrum, primus in adulte-*  
**Matth. 8.** *ram lapidem mittat. Et rursum Luc. 7. Simon, intraui in do-*  
**Matth. 8.** *domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti, hæc autem pec-*  
**Matth. 8.** *catis lacrymis rigavit pedes meos, & capillis suis terfit: pro-*  
**Matth. 8.** *pter quod remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit*  
**Matth. 8.** *multum. Et iterum: Vt quid cogitatis mala in cordibus ve-*  
**Matth. 8.** *stris? Quid est facilius, dicere, dimittuntur tibi peccata: an dice-*  
**Matth. 8.** *re, Surge & ambula? &c. His verbis novit Christus illis obuia-*  
**Matth. 8.** *re, quibus Christi erga peccatores clementia offendiculo est.*  
**Matth. 8.** *Atque hæc est historia istius Evangelij. Hunc in modum cum*  
**Matth. 8.** *peccatoribus egit Christus. Id autem Lucas non ideo scri-*  
**Matth. 8.** *pfit, vt sciamus tantum: sed vt omnes peccatores sibi ipsis so-*  
**Matth. 8.** *latium inde hauriant. Non enim simplicem historiam eam*  
**Matth. 8.** *existimare debemus, verum etiam Euangelium. Nam quid*  
**Matth. 8.** *nobis alioqui prodesset, quòd Christus erga illos peccatores*  
**Matth. 8.** *tam clementem sese exhibuit, nisi idem ab ipso sperare nos*  
**Matth. 8.** *possemus? Minimè sanè. Quod Christus in certis quibusdam*  
**Matth. 8.** *personis fecit, id non solum propter illas fecit, sed vt homi-*  
**Matth. 8.** *nes potentiam illius & bonam voluntatem ex eo cognosce-*  
**Matth. 8.** *rent, ipsique tanto alacrius ad eum currerent. Eam ipsam ob*  
**Matth. 8.** *causam Lucas quoque hanc historiam descripsit, ne dubita-*  
**Matth. 8.** *remus, Christum eius adhuc esse potentiae, gratiae & bonæ*  
**Matth. 8.** *voluntatis erga pœnites peccatores, cuius tum erat. Id*  
**Matth. 8.** *quod cum primis obseruandum. Nam hoc si neglexerimus,*  
**Matth. 8.** *cate-*

cætera omnia nihil nobis proderunt. Omnes peccauimus, & egemus gratia Dei, inquit Paulus. Hoc fundamentum est *Rom. 3.* & initium, ut nos peccatores agnoscamus, qui omni Dei gloria & gratia orbati sumus. Id Ioannes vehementius adhuc effert duobus verbis grauisissimis. Primum est, ubi inquit, Si *Ioan. II.* dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Alterum est, ubi ait, Si dixerimus quoniam non peccauimus, mendacem facimus eum, & *Ibidem.* verbum eius non est in nobis. Duæ sententiæ, graues illæ quidem & feræ, at verissimæ tamen. Nam primò quia verbum Dei certa est & infallibilis veritas, & illud verò verbum Dei in sacris literis comprehensum, omnes homines sub peccato & incredulitate concludit, merum mendacium & fraus sit *Rom. 3. & II.* oportet, si quis peccatorem se non agnoscat. Et maximè quum audimus Ioannem quoque sese inter peccatores numerare: Et Dauid dicit, omnes sanctos pro remissione peccatorum orare. Et Christus ipse suos Apostolos & fideles hunc in modum orare docuit: Pater, dimitte nobis debita nostra. *Matth. 7.* Hinc porrò sequitur, quòd qui peccatorem se non agnoscit, Deum faciat mendacem, quandoquidem aliter de seipso sentit, quàm Deus, qui omnium cogitationes perspectas habet, in sancto suo verbo enuntiat. His omnibus ostendit Ioannes, quòd qui ex animo peccatorem se agnoscit, & dolet, Deum colat: cæterùm qui seipsum pro peccatore nō agnoscere vult, Deum conuicietur, & blasphemet, & mendacij arguat, non credens illius verbo: id quod propterea haud dubiè fit, quòd peccator verè pœnitens, qui peccatum suum agnoscit, plorat, & confitetur, Deo multo sit acceptior, quàm hypocrita, qui de multis bonis operibus sese iactitat & extollit. Etenim qui peccatorem se ritè confitetur, confitetur simul se gratia Dei egere, & hoc Deum colere est. Verum qui sibi ipsi probitatis nomen falsò arrogat, & sine peccato se putat, dicere videtur, se Deo & gratia illius non opus habere: quòd utique cedit in iniuriam & contumeliam Dei. Quapropter, quia pro peccatoribus agnoscere nos omnes necesse habemus, ut modò ex Ioanne demonstratum, aperiamus hîc oculos, quandoquidem nobis hîc duo indicata sunt, in quibus omne nostrum solatium consistit, contra angorem & inquietudinem nostræ conscientiæ. Primum est misericordia Dei: secundum, *Christi chari* meritum Christi. Ex charitate & misericordia misit Deus *1. Ioan. 1.*

filium suum, ut perditam ouem quæreret. Christus igitur non solum multum operæ & laboris, sed etiam nobilem suam vitam & pretiosum sanguinem impendit, donec perditam ouem reduceret. Considera itaque, quanta gratia sit, quod Deus unigenitum suum filium misit ac dedit nobis peccatoribus hominibus ad salutem & redemptionem. Cogita quanta se charitas, quod filius Dei non solum pro nobis laborauit, sed etiam pro nobis mortuus est: atque ita nunquam desperandi occasionem habebis. Superbi Pharisei illi & hypocritæ pro re intolerabili ducebant, quod Christus peccatores suscipiebat. Nos verò iunctis manibus & flexis genibus gratias agimus, quod talem Deum, talem Christum habemus. Sed quid dârne clarius audire cupis de duabus hisce rebus, hoc est, de misericordia Dei & merito Christi? attende quid Ioannes iterum de vtraque hac re dicat: Si confiteamur peccata nostra, Deus fidelis est & iustus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Dicitum hoc est de misericordia Dei. De merito Christi sic inquit: Si in luce ambulamus, sicut & ipse est in luce, societatem habemus adinuicem, & sanguis Iesu Christi emundat nos ab omni peccato. In his duabus sententijs summam habes Dei misericordiam, simul & meritum Christi. Diuina misericordia est, quod remittuntur nobis peccata. Qua re indicat nobis Ioannes, quod Deus non solum natura bonus est misericors, aut etiam peccata libenter dimittit, ut Ioël dicit, sed etiam fidelis & iustus: atque idè etiam si peccata non dimitteret ex innata essentiali bonitate, dimitteret tamen ea ad tuendam veritatem suam, quandoquidem illud ab initio multis in locis scripturæ promittit. Ego sum (inquit) ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me. Et in Ezechiele: Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, omnium iniquitatum eius non recordabor. Ad meritum autem Christi pertinet, quod Ioannes dicit: Et sanguis Iesu Christi emundat nos ab omni peccato. Hic obserua, quod non quemlibet sanguinem nominat, sed sanguinem tantum Christi. Nullus enim alius sanguis id vnquam potuit, nec poterit vnquam. Specialiter autem addit, Sanguis Iesu Christi filij Dei emundat nos, quod videamus, vnde accidat, quod solus sanguis Christi nos à peccato emundet: nimirum quod non homo solum, sed etiam Dei filius est & Deus. Nam ut mundus iam

1. Ioan. 1.

Marc. 10.

Ioel. 2.

Isa. 43.

Ezech. 18.

1. Ioan. 1.

dus iam inde ab initio nihil maius & mirabilius vidit, quàm  
 passionem & mortem filij Dei: ita quoque non est certius re-  
 medium contra omnia peccata, quàm sacrosanctus sanguis  
 Christi. Ideo & Ioannes expressè dicit, sanguinem Chri-  
 sti non modò à quibusdam, sed ab omnibus peccatis nos  
 mundare. Id ipsum quoque confitetur Ioannes Baptista, vbi *Ioan. I.*  
 de Christo dicit: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.  
 Neque hic de quibusdam tantùm, sed de omnibus peccatis  
 loquitur. Id autem omne eò spectat, ne quis cum desperato  
 Cain dicat, Maior est iniquitas mea, quàm ut veniam me-  
 rear: maior est iniquitas mea, quàm ut ea sanguis Christi  
 emundet. Mea impuritas maior est, quàm ut sperare possim  
 societatem cum Deo aut Christo. Has omnes pusillanimes  
 cogitationes Ioannes vnico verbo tollit, vbi ait: Sanguis  
 Christi emundat nos ab omni peccato. Hic fons est, in quo  
 sordes omnes peccatorum abluere possumus: qui iam pri-  
 dem nobis paratus est ea ratione, qua Deus in propheta Za-  
 charia de eo locutus est. Omnia igitur, quæ in hodierno Euã *Zach. 13.*  
 gelio dicta sunt de misericordia Dei & merito Christi, eò *Misericordia*  
 diriguntur & dirigi debent, vti rursus Ioannes dicit, Filioli *Dei & merito*  
 mei, hæc scribo vobis, vt non peccetis. Vtique Christus pec- *Christi recte*  
 catores suscepit, veluti Lucas ait. Vtique adhuc eos susci- *vt sit vtendū.*  
 pit, & suscipiet usque ad consummationem sæculi, quotquot  
 conuersi fuerint. Sed videre oportet, ne eiusmodi rebus abu-  
 tamur. Quàm enim certò fœlicitas nostra est, si Dei miseri-  
 cordiam & meritum Christi rectè apprehendamus cõsidere-  
 mûsque: tam certò condemnatio nostra est, si ijs rebus abuta-  
 mur. Hoc diligenter perpendendū est. Nam carnalis homo,  
 quò illi magis Dei misericordia cõmédatur, hoc minus sibi  
 ipsi displicet, aut etiã timet in suis peccatis. Quapropter scito,  
 Deum cor suū non ideo tanto cum amore & misericordia er-  
 ga nos aperuisse, vt eo magis & insolentius peccemus. Nec  
 Christus propterea tantum sustinuit laborem, tantâq; passus  
 est, vt hoc vilioris peccatū pendamus. Et hoc æquè circa istud  
 Euangelium considerari oportet, atque aliæ res, de quibus  
 audiuimus, Id quod non temerè dico. Hic enim maximo la-  
 boramus defectu. Audimus gratulabundi, quòd Deus in gra-  
 tiam recipit peccatores, & quòd eos Christus quærit, ac vo-  
 cat. Sed quomodò vtimur tali annuntiatione & prædicatio-  
 ne? Ita videlicet, vt passim videre est: nempe vt si quis increpe-

*Abutimur  
 gratia Dei,  
 & merito  
 Christi.*

tur, & vt à peccatis desistat, moneatur, primum fit quod dicat: Ha, Deus misericors est, etiam peccatores recipit in gratiã. Si quis porrò ad bona opera aliquẽ exhortatur, hoc responsi datur: Quid ijs mihi opus est? Christus pro me laborauit, ex me ipso nihil possum: illius est quærere me, & ad verã caulam adducere & portare, &c. Vide hinc fit, vt nõ modò segnes & tardi fiamus ad bonum, sed semper in peccatis maneamus, imò tantò impudentiores & proniores fiamus ad omnia flagitia, facimúsq; ea re, vt nobis neq; misericordia Dei, neq; meritum Christi bono sit. Sed dicit Ioannes: Res tam lætæ & cõsolatoriæ nõ idcirco nobis scriptæ sunt, vt tanto plus & licentiùs peccemus. Similiter & diuus Paulus loquitur, hominum damnationem iustã esse, qui ex annunciatione diuinæ gratiæ dicere audebant, Faciamus mala, vt veniant bona. Deus nobis manum offert, de profundo cœni eripere nos cupiens, in quo fundus non est, hoc est, de profundis peccati & desperationis. Quòd si quantum in nobis est, facere noluerimus, sed in cœno vsq; hærere libuerit, abstrahet tandem & ipse manum suam. Faxit Deus, vt id probè consideremus, Amen.

*Cur nobis  
Christi gratia  
predicata  
sit.*

*I. Ioan. 2.*

*Rom. 3.*

*Psal. 68.*

### TERTIVS SERMO D primis uerbis huius Euangelij.



**Q**VI hodiernũ Euangelium probè considera-  
uerit, vibebit Sapiẽtem rectè benèq; ad Deum  
dixisse: Domine misereris omniũ, quia omnia  
potes, & dissimulas peccata hominũ propter  
pœnitentiam. Diligis enim omnia quę sunt, &  
nihil odisti eorum quę fecisti: parcis omnibus, quoniam tuæ  
sunt Domine, qui amas animas. Et quidẽ sacra scriptura sa-  
tis alioqui in alijs locis indicat, quàm Deus iam inde ab ini-  
tio omnibus tẽporibus benignum se declarauit erga bonos  
& iustos, vt videre est in sancto Abrahã, Isaac, & Iacob, Io-  
seph, Moyse, Dauid, &c. Aequè benignũ se exhibet Christus  
in hoc Euangelio, nec vllius tamẽ boni aut sancti in eo men-  
tio fit, sed Publicanorum tantum & peccatorũ, quos tamen  
ipso Christus non reijcit, sed suscipit illos, consolatur & ex-  
cusat: honori sibi ducit, quòd peccatores pœnitentes in gra-  
tiam recipit: dicit se propter peccatores in terras venisse,  
palãm

*Luc. 15.*

palàm confirmans, etiam angelos in cœlo gaudere, si respiciat peccator. Id autem omne argumento satis magno est, Deum omnium hominum misereri, & creaturarum suarum nullam odisse, quemadmodùm Sapiens dixit. Quamobrem *Sap. II.* si bonus es & iustus, iam habes Deum propitium. Nihil enim aliud diuidit inter hominem & Deum, quàm iniquitates, ex quibus *Isa. 59.* à nobis auertunt omnia bona. Si autem peccator es, Deum tibi *Hier. 5.* conciliare non difficilè fuerit. Quid igitur conquerimur? In Deum culpam damnationis nostræ reijcere nō possumus. Hoc vnum curādum est, ne eiusmodi bonitate Dei abutamur. Diligenter itaque considerandum, quos peccatores Christus *Quales peccatores Christum recipiat.* in gratiam recipiat, & quibus hominibus tāta bona polliceatur. Nō enim omnes peccatores veniā dignatur, alioqui Euangelium istud nostram confirmaret leuitatem. Protinus enim homo carnalis diceret: Si Deus peccatores quoque suscipit, quorsum attinet me virtuti operam nauare? Manebo peccator: quò plus pecco, hōc illustrior fiet Dei misericordia, si me susceperit. Lucas verò id pernegat: suscipit quidem Deus peccatores, sed eos tantùm, qui ipsi appropinquant. Porrò angeli quidem gaudent super peccatoribus, sed non super *Luc. 15.* ijs qui in peccatis manent, sed super pœnitentiam agentibus. Ad hæc duo verba cum primis aduertendum est, Appropinquantibus & pœnitentibus. Euangelium solùm loquitur de peccatoribus Christo appropinquantibus & agentibus pœnitentiam. Si peccator es, suscipiet quoque te Christus, & libens. Si verò non appropinques illi (siquidem peccator omnis longè à Deo & salute est) aut etiam si ore vel etiam corpore Deo appropinques, nec verò ad pœnitentiam & meliorem mētē redeas, scias nullam harū consolatoriarū promissionum istius Euangelij ad te pertinere. Id quod pro initio sermonis dicere visum est, quò quiuis in ipso statim principio intelligat, quorsum Euangelium istud respiciat, & ne quis sibi persuadeat pacem esse, ybi pax nulla est, quemadmodùm in Propheta habetur. Audiamus itaque prima istius *Ezech. 13.* Euangelij verba. Et primò summa istius Euangelij est, quòd Christus verbis simul & factis ostendere voluit causam sui aduentus & incarnationis, nimirum quòd propterea venerit, vt peccatores saluos faceret, & omnes homines ad agnitionem veritatis adduceret, si ipsi obtēperarent, nec sibi ipsis impedimento forēt. Hęc (inquā) summa est istius Euangelij: quapro-

pter infirmis & peccatoribus hominibus summum adfert solatium. Quid ergo ait Lucas? Erant appropinquantes Domino **Publicani** Publicani & peccatores, vt audirent illum. In hisce primis verbis duæ personæ indicatæ sunt, publicani & peccatores. Per Publicanos ferè intelliguntur telones. Erant autè non solum telones, sed eiusmodi homines, qui cum teloniũ, tum alia munia & officia certa pecunia redimebāt, & idcirco homines immodicis exactionibus grauabant, suum querentes cõpendium cum incõmodo & detrimento aliorum hominum: aliorum bonis sua bona accumulantes, attrahentes ad se sub pretextu permisi telonij aliorumq; officiorũ, quod modum excederet, & præter æquũ & honestũ esset. Talis erat Matthæus, priusquã **Matth. 9.** in discipulorum Christi albũ veniret: talis erat Zachæus, qui **Luc. 19.** vltro offerebat quadruplum se redditurum eorum quæ ab alijs hominibus iniquè extorserat. Id genus homines hoc loco per Publicanum intelliguntur. Rectè sic vocari possent ij, qui officia sua redimunt, quò crudelius pauperes deglubant. Per peccatores intelliguntur, qui quidem eiusmodi auaris & iniquis artibus non vtuntur, quibus alijs homines grauatur: sed tamen alioqui alijs tetræ & scandalosis criminibus onerati, & apud omnes infames sunt. Tales homines veniebāt appropinquantes Domino Iesu. Et quid facere melius poterant? Ad quem peccator tutius habere refugium potest, quã ad Christam, qui non vult mortem peccatoris, sed nihil in illo quarit aliud, quã vt conuertatur & viuat? Cum ægroto melius agi non potest, quàm vt medico sit proximus: alioqui facillè illi morbus exitium afferat. Sed vbi morbus grauior, quàm apud peccatorem? Ad istiusmodi autem morbum depellendum, Christus vnus medicus est. Is enim sustulit peccata mundi, & dolores **1. Pet. 3.** nostros portauit, & liuore eius sanati sumus. Vnde primũ istud **Isa. 53.** verbum solatium nobis & doctrinam præbet. In eo consolat **Iob 26.** tur nos, quòd is, coram quo etiam omnes angeli tremore corripuntur, imò ad cuius nutum etiam columnæ cœli contremiscunt, in tantum sese humiliauerit, & sublimi sua maiestate seueraque iustitia ita exinaniuerit, vt etiam publicani & peccatores ad eum accedere ausint. Præterea verbum istud hanc nobis dat doctrinam, vt & nos iuxta peccatorũ istorum exemplum ad Christum properemus. Sic enim docet **Isaias capit. 55.** Querite Dominum dũ inueniri potest (inquit) inuocate eum dum propè est. In eandem sententiam docet & **Iacobus capite quar-**

pite quarto: Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. *quod*  
 Quæ res magno iudicio est, quòd peccatum nos longè à Deo *scilicet*  
 abaucit: quem admodùm Dauid dicit: Longè à peccatoribus *Psal. 118.*  
 salus. Et Isaias: Iniquitates nostræ diuiserunt inter nos & Deum *Isa. 59.*  
 nostrum. Et Paulus ad gentes: Aliquando eratis longè, facti *Ephes. 1.*  
 estis propè in sanguine Christi. Est autem hoc non ita acci-  
 piendum, quasi corpore & externi loci ratione à Deo receda-  
 mus, vel ad Deum concedamus. Non, Deus vbique est, & loci *Hier. 23.*  
 ratione neque ad eum venire, neque ab eo recedere possumus.  
 Complect enim cælum & terram. Similitudine vel dissimili-  
 tudine res agitur. Qui Deo & diuinæ eius voluntati sese con-  
 format, is illi appropinquat: cæterum qui Deo & voluntati  
 eius reluctatur & resistit, longè ab eo se submouet. At quid *Isa. 55.*  
 Deo & præceptis eius aduersum magis: quàm peccator? Sicut  
 exaltantur cœli à terra (inquit Deus in Isaiâ) sic exaltatæ *Via Christi.*  
 sunt viæ meæ à uis uestris. Et res factæ hoc loquitur. Viæ per *Via peccato-*  
 quas ad nos Christus venit, sunt humilitas, amor, veritas: iusti-  
 tia, &c. Viæ peccatoris sunt superbia, auaritia, mendacia, inin- *Iacbo. 4.*  
 stitia, & omnia flagitiorum genera. Hoc profectò longè à  
 Deo recessisse est. Non itaque mirum, si nobis acclametur, vt  
 appropinquemus Deo per pœnitentiam, & conformatio-  
 nem uostræ voluntatis ad illius voluntatem: sicque futurum *Ioan. 7.*  
 esse, vt vicissim ipse nobis appropinquet per suam gratiam.  
 Quapropter qui ægrotus est, ad Christum festinet: is enim *Ioan. 4.*  
 verus animarum medicus est. Si quis sitit & æstu premitur,  
 ad Christum currat: is fons est aquæ viuæ, salientis in vitam *2. Cor. 2.*  
 æternam. Qui infirmus & debilis est, ad Christum veniat: is  
 enim virtus est Dei. Qui mortem fugit, Deo appropinquet:  
 is enim vita est, vt habet Ioannis videsimo capite. Qui te-  
 nebras viuat, ad Christum veniat: is enim vera lux mundi est,  
 quæ illuminat omnem hominem, Ioannis primo capite. Qui *Ioan. 6.*  
 famelicus est, ad Christum currat: is enim est viuus & substan-  
 tialis panis, per quem animæ nostræ ab æterna morte libe-  
 rantur. Sed videat quisque, ne fictè sed in veritate & toto cor-  
 de ad Christum accedat, ne ad illum quoque dicatur, quem *Isa. 28.*  
 admodùm olim Iulæis dicebatur, Populus iste ore suo & la-  
 bijs suis glorificat me, cor autem eius longè est à me. Porro  
 diuus Lucas initio dicit, publicanos & alios peccatores ad do-  
 minum venisse: causam addit, quid eos ad hoc mouerit. Pro-  
 pterea id fiebat, vt audirèt Christum. Vera hæc & Christiana

- causa est. Non enim omnes hac de causa adeunt Christum, vt  
*Matth. 26.* illum cupiant audire & ab eo discere. Appropinquabat & Iu-  
 das Christo, sed aliam ob causam, nimirum falso osculo prodi-  
 turus eum. Iudæi sæpè illi appropinquabant, sed tantummodo  
*Isa. 55.* vt caperèt eum aut in verbis illius, aut etiam corpore. Sed hoc  
 laude dignum est, si ad Christum veniamus, audituri ipsum,  
 idq; sit non sine ingenti fructu. Nam vt pluuia & nix non sine  
 fructu dilabuntur, sed perficiunt id, ob quod missa sunt, hunc  
 etant terram, & frugiferam reddunt: ita quoque verbum Dei  
 non sine fructu abir. Sed quid Lucas dicit amplius? Et murmu-  
 rabant Pharisæi. Hic vide, quid animus impius cogitet & lo-  
 quatur. Non solum ipsi non adibant Christum, sed adeuntes  
 quoque ipsum condemnabant, quin etiam ipsum Christum  
 eos suscipientem. Et vnde id, nisi ex falsa iniustitiæ præsum-  
 ptione, quod seipsum iustos & bonos censebant. Atque hinc vi-  
 des, quàm sit res pestifera & perniciofa, præsumptio & sui fi-  
 ducia. Quin eam ipsam ob causam passim nos conuincit scri-  
 ptura, nos esse peccatores, ne nimium nobis ipsis tribuamus.
- 1. Ioan. 1.* Vt cum Ioannes dicit: Si dixerimus quoniam peccatum non  
 habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.
- Iob 4.* Sic haberur in Iob: Ecce qui seruiunt ei, non sunt stabiles, &  
 in angelis suis reperit prauitatem. Et rursum: Quid est homo,  
*Iob 15.* vt immaculatus sit coram Deo? Ecce inter sanctos eius nemo  
 immutabilis, & cœli non sunt mundi in conspectu eius.  
 Quanto magis abominabilis & inutilis homo, qui bibit quasi  
 aquam iniquitatem? Quod si igitur ne ipsi quidem cœli mun-  
 di sunt in conspectu Dei, neque sancti sine defectu, quis igi-  
*Isa. 64.* tur iactabit se puro corde esse? Coram hominibus multi san-  
 ctimonie opinionem habent, sed coram Deo omnes pecca-  
 tores sumus, & omnis nostra iustitia per se est quasi pan-  
 nus menstruata coram illo. Sic & Paulus in seipso depre-  
 hendebat legem peccati legi mentis suæ repugnantem. Vnde  
*Rom. 7.* & dicebat ac conquerebatur: Infœlix ego homo, quis me li-  
 berabit de morte corporis huius? Iob à Deo testimonium  
 probitatis, innocentie & pietatis habebat, attamen in ver-  
*Iob 39.* bis suis reprehensibilis inueniebatur, idq; faterur ipsemet. San-  
*Psal. 142.* ctus Dauid deprecatur, ne Deus in iudicium secum eat, quin-  
 imò dicit. *Psal. 129.* si Deus obseruare velit iniquitates, non su-  
*Psal. 50.* stinere posse vllum hominem. Quid igitur stultius, quàm ho-  
 miné in peccatis conceptum & natum, quiq; nil nisi terra &  
 cinis est,

De murmur  
 pharisæorum:-

cinis est, imò nihil aliud quàm caro est, magnificè de se ipso  
entire, & sibi ipsi placere? Contra hos homines dicit spiritus *Ioan. 3.*  
Dei Apoc. 3. Dicitis, quòd diues sum, & locupletatus, & nullius  
egeo, & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæ-  
cus, & nudus. Docet igitur nos murmur istud Phariseorum,  
ne quis suæ probitati fidat. Secundò, ne quem peccatorem cõ-  
temnamus. Quis enim scit, si cõuertatur & viuat? Si hodiè pec-  
cator est, fieri potest, vt cras surgat & pœnitentiam agat.  
Tu quis es qui iudicas alienum seruum? Domino suo stat aut *Rom. 14.*  
cadit. E diuerso nec tu certus es ipse, nũ in bono in finè vsque  
sis perseueraturus. Considera te ipsum, ne & tu teteris, inquit  
Paulus ad Gal. 3. cap. Hic peccatores recipit (aiunt Pharisei)  
& manducant cum illis. Reprehendunt in Christo, quòd in illo  
probare omnium maximè debuerant. Enimuerò nihil esse  
nobis consolatoris magis potest, quàm quòd Christus etiam  
peccatores recipit: imò vnica nostra spes & fiducia est, quòd  
Christus nullum peccatorem quantumuis improbum ex-  
cludit & repulit, nec quemquàm qui se ad ipsum conuerte-  
bat gratiamq; petebat sine gratia & misericordia à se dimisit.  
Omne quòd dat mihi pater (inquit) ad me veniet: & eum qui *Ioan. 6.*  
venit ad me non eijciam foras: quia descendi de cœlo non vt  
faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me.  
Hæc est enim volũtas eius qui misit me Patris, vt omne quòd  
dedit mihi non perdam ex eo, sed resuscitem illud in nouissi-  
mo die, &c. Et vt hæc verbis prolocutus est, ita opere etiam  
adimpleuit, seq; per id declarauit tanquàm verum medicum  
animarum, & certam salutem peccatorum. Hoc experti sunt  
Matthæus, Zachæus, Magdalena, Petrus, Paulus, Lacro, & alij  
innumeri, quos post eorum pœnitentiam & conuersionem te-  
neriùs dilexit, quàm pleròsque alios. Ita quoque in hoc Euan-  
gelio fecit, cum nobis ad solatium, non obstante Phariseo-  
rum murmuratione, publicanos aliòsque peccatores suscipie-  
bat, cum illis manducans & bibens, eos excusans & lo- gè Pha-  
risæis præferens, necnon multis similitudinibus ostendens, se  
peccatores libenter recepturum in gratiam, seq; ea gratia in  
terras venisse. Quapropter nullã desperadi causam habemus. *Isa. 21.*  
Si quæritis (inquit Deus) quærite: conuertimini & venite.  
Et in Ose. Tollite vobiscum verba (confessionis) & conuertimini *Ose. 14.*  
ad Dominum, & dicite ei: Omnè aufer iniquitatẽ, & acci-  
pe bonum: & reddemus vitulos labiorum nostrorum. Quare *Psal. 94.*

si hodiè audieritis vocè eius, nolite obdurare corda vestra, &c.  
Deus det nobis suam gratiam, Amen.

## Q V A R T V S S E R M O

de similitudine de perdita oue.



**P**RINCIPIVM hodierni Euangelij indicat, quòd Christus tempore peregrinationis suæ hic in terris, etiam publicanis & peccatoribus valdè familiarem & humanū se præbuerit. Est autem hoc opus, quod non solùm Iudaicos Phariseos offendit, verum etiam in hodiernum multos Christianos offendit, quamquàm alio modo. illi Pharisei existimabant talent, qualis Christus erat, magnificentius de seipso sentire debere, quàm vt cum eiusmodi hominibus cōmercium haberet.

*Misericordia Christi quibus offendiculo sit.* Apud nos iuueniuntur homines, qui pro summo gaudio ducunt, & rem triumpho dignam, quā audiunt Christum etiam cum peccatoribus consuetudinem habuisse, minimèque refugisse illos propter peccata: putant se iam dānari amplius non posse, quantumuis turpiter & incompositè viuant. Vtrobique

**Luc. 19.** verbū hoc vsurpatur, Hic peccatores recipit. Quomodò hunc Messiam dicam (inquit Iudaicus Phariseus) qui cum tam leuibus hominibus cōmercium habet? Hic peccatores recipit, & manducat cum illis. Contrā inquit leuis Christianus: Quorsum attinet curare me, quomodò viam & probus sim? Christus tamen etiam peccatores recipit. Vide, hoc pacto non solùm Iudaici Pharisei in hoc Christi opus impegerunt, sed etiam multi Christiani. Verùm enimuerò si Euāgelium istud penitiùs introspicimus, vtrinque illis sat responsum videbimus. Phariseis satis responsum est duabus similitudinibus, de perdita oue & perdita drachma: ceterùm si hoc responso contenti non sunt, proprios suos Prophetas consulant, num Messias quoque cum peccatoribus consuetudinem fuerit habiturus necne. Imò nōne Isaias expressis de illo verbis dicit, eum calamum quassatum non contriturum, & lignum fumigans non extincturum? Et iterum: Sicut pastor gr. gem suum pascet, in brachio suo cōgregabit agnos, & in sinu suo leuabit, foetas ipse portabit. Nonne Ezechiel de Messia dixit ipsum effusurum super populum suum aquam mundam, & emundaturum eos ab omnibus inquinamentis? Nonne Deus in

Hiere-

Hieremia promisit, tempore scæderis noui, quod per Messiam Hier. 31. pacturus esset, propitiaturû se omnibus iniquitatibus nostris? Nõne Micheas dixit Messiam deponiturum iniquitates nostras, & proiecturum in profundum maris peccata nostra? Mich. 7. Nõne Dauid dixit, Messiam populum humilem saluum facturum, & oculos superborum humiliaturum? Nõne Zacharias capite decimotertio dixit, In die illa fore fontẽ parentem domui Dauid, in ablutionem peccatoris? Et quid multis opus est? Nihil Prophetæ tam dilucidè annuntiarunt de Christo seu Messia, quàm quòd peccatores ad gratiã promoturus esset. At verò Pharisei noluerunt Christum propterea pro Messia agnoscere & recipere, quòd etiam peccatores ad pœnitentiã vocabat recipiebãtque. Adeò scitè suam ipsi intelligebãt scripturam: quinimò adeò illos excæcauerat philantia, qua placebant oppidò sibi ipsis, atque inuidia aduersus Christum, vt illum respuerent eam ob causam, ob quam illum maxime pro vero Messia agnouisse & recepisse debebant. Leuibus ac dissolutis Christianis, qui sua crimina hoc vilioris æstimant, & tanto minus ab ijs desistunt, quandoquidem audiunt, quòd se Christus etiam erga peccatores tam humanum exhibuerit, commodè quoque responsum est in hoc Euangelio. Etenim primò causa expressa est, quamobrem peccatores ad Christum recurrerint, nimiram vt audirent illum. Atque hæc causa erat, quamobrem illos Christus recipiebat. Secundò, indicat Euangelium hoc perspicuè, Christo non omnes peccatores placere, sed pœnitentes solùm. Dico vobis, inquit, quòd gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiã agente. Quid igitur leuis Christianus ex hoc Euangelio sibi promittere potest? An non ingens discrimen est inter peccatorẽ semper peccantem, & peccatorem, qui peccare desinit, & pœnitentiã agit? Atqui audis, quòd Christus solùm loquitur de peccatoribus pœnitentiã agentibus, verbùmque suũ audiẽtibus. Cùm his libenter negotium habet. Dum enim ad eum sese conuertunt, & pœnitentiã agunt, nõ amplius vocandi sunt peccatores. Quod si igitur lubet à peccatis desistere, & Christum audire, est quod de hoc Euangelio meritò gratuleris. Enimuerò Christus est, qui tales suscipit, cõsque non solùm coram mundo, sed etiam coram Dei iudicio defendere vult ac potest. Et quidem omnibus illis pariter & per omnia sufficit, aut, vt Paulus dicit ad Roman. decimo capitul. diues est in

*In eos, qui  
Christi misericordia ad peccandum abutuntur.*

omnes qui inuocant illum. Si quis ægrotū se sentit, Christus medicus est: si intelligis te peccatis grauātū, Christus recōciliatio nostra est & iustiti 1.1. Ioan. 2. Si auxilio eges, virtus est & fortitudo Dei est. 1. Cor. 1. si metuis mortem, vita est. Ioan. 11. Si fugis tenebras, Christus lux est. Ioan. 8. Si sitis, Christus est fons aquæ viuæ. Ioan. 4. Si esuris, Christus est panis vitæ, Ioan. 6. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos, inquit Matth. 11. Tollite iugum meum super vos, &c. Hunc in modum recipit Christus peccatores. Quòd si is es, qui hoc cupias & quæras, est quòd gaudeas, quum audis, quòd Christus peccatores recipit. Sin verò vsque in peccatis manes, & proteruis, scito Christum eiusmodi peccatores non recipere, sed in extremo iudicio ad illos dicit: Discedite à me qui operamini iniquitatem. Matth. 7. Hoc pacto in isto Euāgelio non solum Iudaicis Pharisæis blasphemum os obturatum est, sed etiam leuibus Christianis via prærepta, vt vitæ suæ licentiā in hoc Euāgelio non sint excusaturi. Sed verba quæ admodum Christus Pharisæis responderit, accuratius vestigabimus. Quis ex vobis inquit, homo qui habet centum oves, etsi perdiderit vnā ex illis, nõne dimittit nonagintanouem in deserto, & vadit ad illam quæ perierat, donec inueniat eam? &c. Hæc prima similitudo est, qua Christus Pharisæis respondet. Alijs in locis similibus Christus vsus est parabolis. Vt cum Pharisæi aduersum eum murmurabant, quòd homini ægrotò manū suam aridam restituerat die Sabbati. Item quòd hydropicum sanauerat. Dicebat tum ad illos: Cuius vestrum asinus aut bos in puteum cadet, & non continuo extrahet illum die sabbati? Et cum murmurabant, quòd mulierē inclinātam, quæ omnino nõ poterat sursum respicere, die sabbati erigebat, dicebat ad eos: Hypocritæ, vnusquisq; vestrum sabbato nõ soluit bouem suum aut asinū à præsepio & ducit ad aquam? Hanc autē filiam Abrahæ, quam alligauit Satanas, ecce decem & octo annis, non oportuit solui à vinculo isto die sabbati; Sententia eius parabolæ est: Si homines tantum diligentix adhibent, & tantam curam gerunt pro brutis animantibus, quanto magis opera danda, vt animæ hominum non pereant? Hoc loco parabolæ de perdita oue & fidei pastore, sensus est: Si pastor tanto amore prosequitur suas oves, quas tamen non creauit, quòd illi plus curæ est vna perdita & errabunda, quam nonagintanouem in-

columes, maioriq; afficitur gaudio propter vnam ouem ite-  
 rum inuentā, quā propter totum gregē: quid igitur miri, si  
 Deus, qui natura bonus est, sollicitus est, ne qua earū pereat, *Dei erga ani-*  
 quas secundum imaginē suam creauit: imò quārū gratia etiā *mas amor.*  
 filium suum in mortē dedit, aut si quā deuiarit, protinus ad  
 gregem & in caulam reducatur, priusquā eam lupo cōpre-  
 hendat? Hæc sententia est huius similitudinis. Sic eam Chri-  
 stus ipse exponit in Matthæo, cap. 18. Similem in modum di-  
 cit: Nō est voluntas patris, vt pereat vnus de pusillis istis. Idē  
 hoc & in alijs locis scriptura dicit. In Ezechiele 18. capitu. ait  
 Deus: Quare moriemini domus Israël? Quia nolo mortem  
 morientis, sed vt conuertatur & viuat. & in secūdo libro Re-  
 gum, capite decimoquarto: Non vult Deus perire animā, sed  
 retrahat, cogitans ne penitus pereat qui abiectus est. Et Sa-  
 piens: Deus mortē non fecit, nec lætatur in perditione viuor-  
 um. Et Paulus: Deus omnes homines vult saluos fieri, & ad  
 agnitionē veritatis venire. Idq; Deus omnibus temporibus re *1. Tim. 2.*  
 ipsa declarauit, se vindictæ minimè cupidum esse. Quoties  
 monebat Pharaonem, priusquā eum penitus deleret? Quo-  
 ties monebat Israëlitas, priusquā eos in manus hostium tra-  
 deret? Ita cū mundum diluuiō punire vellet, prius illis centū *Gen. 6.*  
 & viginti annos agendi pœnitentiam dabat, in quibus iram  
 Dei auertere potuissent. Imò nec Sodomitas perdebat, do-  
 nec videbat & experiebatur, q̄ in sua malitia persistebāt per-  
 seuerabantq;. Quid autē omnes hæ sententiæ & exempla sibi  
 volunt aliud, quā q̄ Christus circa hanc similitudinem dicit  
 in Matthæo: Sic nō est voluntas patrē meum, qui in cœ- *Matth. 18.*  
 lis est, vt pereat vnus de pusillis istis. Sed obserua, quā pul-  
 chrè nobis Christus hac similitudine indicauerit: qui aliquan-  
 do fuerimus, & quid nobiscū fecerit Deus. Perdita ouis signi-  
 ficat humanū genus, quod in primo Adam perditū erat, lon-  
 gè à via salutis aberrās. Erraui (inquit Dauid Psal. 118. in per-  
 sona generis humani) sicut ouis. Et Isaias adhuc clarius: Om-  
 nes nos quasi oues errauimus. Tum scriptura alijs quoq; in *Isa. 53.*  
 locis plurimis oues nos nominat, vt cū Dauid dicit Psal. 104.  
 Nos populus pascuæ eius, & oues manus eius. Et in Ezechie-  
 le cap. 34. non semel, sed sæpius Deus oues nos appellat. Et  
 Christus: Oues meæ vocē meam audiūt. Sancti Angeli man *Ioan. 10.*  
 serūt in sua perfectione, sed homo cecidit per peccatū. Tales  
 natura omnes sumus. Nihil calamitosius & desolarius oue

- erronea. Nihil homine peccatore miserabilius. Hęc nostram miseriam Christus nobis ostendere vult per ouem perditam, quò nos melius cognoscamus, diligentiusq; & fortius bono pastori Christo adhærescamus. Deindè verò videmus in hac similitudine summum quoque amorem, bonitatem & misericordiam Dei. Siquidem profectò certissimum signum est diuinæ bonitatis, amoris & misericordiæ, q̄ post tantâ inobedientiam hominis, post tam magna peccata & scelera, cū peccatum iam omnes occupauerat, & homo meritò summā pœnam debebat, imò penitus deleri, tanto illum afficit beneficio: filium suum vnigenitum pro inimicis suis, qui se alienauerant ab ipso, qui illum oderant, eiq; omnibus modis resistebant, in mortem dedit, per quam mortem etiam effecit vt simus reconciliati: nobisq; regnū cœlorum, vitam æternam, & varia cœlestia, diuināq; bona promisit, quæ nullus homo vnquam vel vidit vel audiuit, &c. Quid autem huic beneficio simile excogitari potest? Ideòq; Deus ipse dicit: Sicut exaltantur cœli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à vijs vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris. Et Dauid: Secundū altitudinem cœli à terra, corroborauit misericordiam suam super timentes se. Quantum distat ortus ab occidente, longè fecit à nobis iniquitates nostras. Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est dominus timentibus se: quoniam ipse cognouit figmentum nostrum. De hoc amore & cura Dei in nos, loquitur etiam Dauid alio in loco: Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi. Auxilium meum à domino, qui fecit cœlum & terram. Non det in commotionem pedē tuum: neq; dormitet qui custodit te. Ecce nō dormitabit, neq; dormiet qui custodit Israël. Dñs custodit te, Dominus protectio tua super manum dexterā tuam. Per diē sol nō vret te: neque luna per noctem. Dominus custodit te ab omni malo: custodiat animam tuam dominus. Dominus custodiat introitum tuum & exitum tuum, ex hoc nunc & vsque in sæculum. Hinc vides eundem Dauidem rectè dixisse, vbi inquit, 1. Cor. 6. Miserationes eius esse super omnia opera eius. Tertiò quoq; indicat nobis hęc parabola, quanti redempti simus, non corruptibilibus auro vel argēto: sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi. Magno labore nos quæsiuit fidus pastor prædicādo, docendo & clamādo. Plus adhuc negotij habuit, donec nos in verā caulam & ad alias oues red uxit. Imò suis hume-

humeris nos imposuit, hoc est, omnem nostram condemna-  
 tionem & miseriam, peccata nostra, atq; etiam pœnam eorū *1. Pet. 2,*  
 in se suscepit & portauit in cruce, vt Petrus dicit, & Isaias  
 multò ante compluribus & elegantibus verbis annuntiauit:  
 Attritus est, inquit, propter scelera nostra: omnes errauimus, *Isa. 53,*  
 vnusquisque in viam suam declinauit: & posuit Dominus in  
 eo iniquitatem omnium nostrū: sicut ovis ad occisionem  
 ductus est, & quasi agnus coram tondente se obmutuit, & nō  
 aperuit os suum. Summa, reduxit nos in ouile suum ad con-  
 gregationem sanctorum Angelorum, imò ad montem & ci-  
 uitatem Dei in cœlo x̄dificatam, ad cœlestem Hierosoly-  
 mam, ad ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in cœ- *Hebr. 12,*  
 lis, & iudicem omnium Deum, & spiritus iustorum perfectō-  
 rum, & testamenti noui mediatorem Iesum, hoc est, ad seip-  
 sum, & sanguinis asperisionem melius loquētem quā Abel.  
 Hinc discamus, quomodò etiam nos vicissim erga hunc bo-  
 num pastorem gerere debeamus. Diligamus eum, quoniam *1. Ioan. 4,*  
 prior dilexit nos, & animam suam seu vitam pro nobis dedit.  
 Discamus illi etiam alijs in rebus fidere, quemadmodum illū  
 tam benignum & fidum experti sumus in summa necessitate.  
 Nam si tum nos non deseruit, sed tam fideliter quæsiuit, ne-  
 que nunc nos deseret. Si pro nobis impendit vitam, quomo- *Rom. 12,*  
 do nobis aliud quippiam denegaret? Discamus porrò, quā  
 ex nobis ipsis nihil simus ac possimus. Nam vt ovis seipsam  
 neque à lupis, neq; ab alijs periculis tueri potest, sed opus ha-  
 bet pastore, ita indubiè nos quoque miseri atque egeni su-  
 mus sine Deo. Quare apud nostrum fidum pastorem mā-  
 neamus, eūque fideliter sequamur. Tertio, discamus ex  
 hoc exemplo Christi, vt etiam nos alios homines à peccatis  
 abstrahamus, ad bonum ducamus, & deindè etiam ad salu-  
 tem ipsorum perducamus. Mandauit enim Deus vnique  
 de proximo suo. Discamus specialiter ex hac similitudine, vt  
 miseris peccatoribus compati possimus, præsertim ijs qui à  
 peccatis resipiscunt, quemadmodum Paulus docet: Suscipite *Eccle. 17,*  
 inuicem, sicut & Christus suscepit vos in honorem Dei. Et  
 iterum: Si præoccupatus fuerit homo in delicto aliquo, hu- *Rom. 15,*  
 iusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum ne  
 & tu tenteris. Alter alterius onera portate, & sic adimple- *Gal. 6,*  
 bitis legem Christi. Et rursum: Corripite inquietos, con-  
 solamini puëllanimes, suscipite infirmos, patientes estote *1. Thoss. 4,*

ad omnes, &c. Ante omnia autem omnes pastores, animarum curatores, Episcopi, Parochi, Concionatores ex hac similitudine dicere debent, quid officium ipsorum requirat. De hoc legere possunt Ezechielem 34. cap. & Ioannem 10. Deus det nobis omnibus suam gratiam, ut hoc exemplum bene consideretur, non solum à iam dictis pastoribus & animarum curatoribus, sed etiam ab omnibus ijs, qui pro alijs hominibus curam gerunt. Omnes enim eiusmodi esse pastores debent curare & laborare, ne pereant qui illis commisi sunt: alioqui enim Deus sanguinem ipsorum de manibus eorum postulat, &c.

Ezech. 33.

*Quintus Sermo de ultimis uerbis hodierni Euangelij.*

*Christianos  
præcipue in se-  
clatur diabo-  
lus.*



Rom. 9.

Deut. 4.

**T**RITVM est vulgi ore prouerbium, idq; verissimum sanè, quò quisque ditior est, hòc plures illi esse inimicos, qui diuitias ei inuideant, & diripere conentur. Pauper, cuius nota paupertas, diuite multò securior est. Quia enim nihil habet, nihil potest amittere. Quod ipsum in rebus quoq; spiritualibus vsui venit. Non est populus sub sole, cui diabolus magis insidiatur, quàm in nobis Christianis. Neque mirum. Nusquam enim plura bona & diuitias videt, quàm apud nos Christianos. Quicquid mundi externi & temporale habet, nihil est ad id quod nos Christiani habemus. Iudæi olim veris bonis locupletes fuère: nam illorù erat adoptio Dei, gloria, testamentum, legislatio, obsequium, & promissa. Quapropter & Moyses de illis dicit: Hæc est vestra sapientia, & intellectus coram populis, ut audientes vniuersi præcepta hæc, dicant: En populus sapiens & intelligens, gens magna. Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquâtes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. At nunc verò hac in parte ad summam paupertatem redacti sunt, posteaquàm Dei gratiam per Christum illis oblatam aspernati sunt. Ethnici multo adhuc pauperiores sunt, ut qui in hodiernum vsque diem post sepes in peccatis iacent & animi cæcitate. Nos verò ex singulari gratia in domum Dei vocati sumus, & admissi, illius mensæ accumbimus, omnium bonorù eius participes facti sumus. Hoc malè habet diabolus. Proindè omnem adhibet operam, quomodò talibus bonis nos aut omninò priuet, aut ea ad minus perdat & inutilia nobis reddat.

Quod ut

Quod vt verum intelligatur, Euangelium istud egregium nobis proponit exemplum & argumentū. An non ingentia bona sunt & diuitiæ non æstimandæ, hominē Christianum lætè & cōfidenter dicere posse: Credō in S. Christiana Ecclesia esse remissionē peccatorū? Hic autē articulus mirificè conuincitur ex hodierno Euangelio. Primò ex eo, q̄ Christus filius Dei & vnicus seruator mundi, peccatorū curā habet, ad se vocat eos, humaniter illos alloquitur, edit & bibit cū illis. *Luc. 25.*

Secūdò ex eo, q̄ seipsum pastori comparat, qui tanta cura & amore suas oues prosequitur, vt nullā ex ijs perire sinat, licet multas adhuc seruet & habeat: imò nō dubitat vel vnica ouē errantē sequi, & alias nonagintanouem in deserto relinquere neq; quærendi finē facere, donec perditam ouem iterū inueniat, & ad alium gregē reducat. Tertiò ex eo quod dicit, esse etiā gaudium in cœlo super vno peccatore pœnitentiā agente. Hæ sunt diuitiæ Christiani, q̄ benignum seruatorem habeat Christū, & per illum etiam clementē Deum. Si quis peccauerit (ait Ioannes) aduocatū habemus apud patrē, Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Nunc verò vide, quomodò diabolus eximiū hunc thesaurum nobis eripere laboret, & consolatoriū Euangeliū perdere nobis & infrugiferū reddere, vt iam plerisque perditū est penitus & inutile factū. Duo nobis Euangelium istud proponit. Primò, q̄ Deus misericors est: secundò, q̄ nos Christus magno labore quæsiuit, sunt res dux pretiosæ, misericordia Dei, & meritum Christi. Hæc autem vtraque nobis perdit diabolus. Ex misericordia Dei ad impœnitentiam nobis adducit: persuadet nobis peccata non ita grauiā esse, Deum nō tantopere ea curare. Ex merito Christi adducit nos ad negligentiam & omissionē boni: persuadet nobis, nihil opus esse nostro labore, Christum omnia ipsummet & solū expediuisse. Hinc fit, q̄ quando hoc tempore peccatorē carpinus & detremus à peccatis, respondeat: Deus misericors est, nullum reijcit peccatorem. Tum Christus ipse ad peccatores & propter peccatores venit. Quum verò pigrum ad bona opera & pia exercitia hortamur, illicò dicit: Christus pro me laborauit & passus est: imò omnia pro me executus est, &c. Hac refit, vt aut in peccatis maneamus, aut ad omne bonum segnes & tardi fiamus: denique perdimus nobis prorsum Dei misericordiam & meritum Christi. *Misericordia & merito Christi abutimur.* *O vanam persuasionem.*

*Christi meri-  
tū quibus ni-  
hil proficit.*

*Ioan. 13.*

sericors est, nullam tamen tibi affert utilitatem, nisi à peccatis desistas. Et quantūcūque etiam Christus pro nobis fecit ac passus est, haud tamen tibi prodest, nisi bonis rebus studeas: Scriptum est: Exēplum dedi vobis: vt quē ad modum ego feci vobis, ita & vos faciatis. Quare vide, ne diabolus duplicia hęc bona tibi perdat & inutilia faciat, Dei misericordiā & meritū Christi. Etenim non oriatur ille: atq; nisi etiā misericordia & meritum Christi subsidio nobis veniant, ve nobis in æternū: Faciamus igitur: vt his duobus rectē vtamur. Cū gaudio quidem audire debemus, quòd Christus peccatores susceperit; sed propterea in peccatis manere nō debemus. Cū gaudio audire debemus, quòd Christus, cū perditī eramus, laborauit: sed ob id feriari & otuari nō debemus. Proin reliquā partem hodierni Euangelij ad finem vsque audiamus. Parabolam de perdita oue & fido pastore proximē audiuius. Hos taxae Pharisæorum iniusta murmuratio, carpentium in Christoy quod ipsi, idq; in rebus vilioribus faciebāt. Nullus eorū erat, qui, cū ouē brutum animans perdidisset, non horsum illorsum cucurrisset & quæsiuisset, &c. & Christus filius Dei mundi seruator, animas, quæ secū dum imaginē Dei creatę essent,

*Gen. 1.*

perire fineret? Si Adæ filijs tātę curę sunt temporalia, si quid eorum perditum est, vt ita anxie iterum quęrat: nōne maiore diligentia & labore illud quæreretur, quod omnibus temporalibus bonis longē præstantius est? Hęc erat sententiā illius

*Cōgratulan-  
tium peccatori  
pœnitentiam  
agenti.*

parabolę. Qua re docet nos Christus, ne murmuremus contra peccatores, qui sese pœnitentię dedunt, sed vnā cū illis gaudeamus. Nam si tantum gaudium affert, cū ouis, quod animal rationis expers est, rursus inuenitur: quid nobis Christianis gaudij adferet, cum homo, rationalis creatura & secundum imaginem Dei creata, per pœnitentiam ab æterno interitu vindicatur, & ad æternam suam salutem redit? Eadem al-

*Luc. 15.*

terius parabolę sententiā est de perdita drachina. Quę mulier (inquit Christus) habens drachmas decem, si perdidit drachmam vnā, nōne accēdit lucernam, & euerrit domū, & quęrit diligēter, donec inueniat, &c. Perindē est ac si dicat Christus: Si quęrit mulier tanta diligentia amissum nummum, tantōq; afficitur gaudio, cū illum iterū inuenit: quāto iustius est: vt ego filius Dei, summo studio perditas creaturas Dei quęram & reducam? Quemadmodum nemo contra mulierē murmurabat, quòd perditam drachmam tā diligēter quæ-

ter quærebat: ita haud æquum erat cōtra me murmurari, sed coli & honorari potius debebam, qui perditos peccatores requiro, & in rectam viam reduco. Atque hoc pacto videmus, *Mulier.* quòd is ipse, qui per fidū pastore intelligitur, intelligatur quo *Christus.* que per mulierem, nimirum Christus Dñs noster, æterna virtus & sapientia Dei. Hæc illa mulier est, quæ tam fideliter pro perdita drachma, hoc est, pro homine Dei nomine & imagine insignito laboravit. Lucerna, quam hæc mulier (æterna sapientia Dei) accendit, est corpus Christi. Ellychnium sancta *Lucerna.* illius anima est: Oleum, est plenitudo omnis gratiæ: Lux, est *Ellychnium.* sancta eius diuinitas, quæ admodum Isaias ciuitati Hierosoly *Oleum.* mitanæ denuntiauit: Egre dietur, inquit: vt splendor iustus *Lumen.* eius, & saluator eius vt lāpas accendetur. Hoc lumine, hoc est, per Christum verum Deum & hominem, æterna diuina sapientia perditam drachmam humanum genus quæsiuit, atq; etiam inuenit. Quamquàm hoc lumen etiam de prædicatione Euangelij non incommodè intelligi possit. Hoc lumen nobis æterna sapientia accendit in eum finem: vt perditæ, erroneæ animæ rursum inuenirentur, & in veram viam reducerentur. Hoc lumine quoque mulier ista totam domum perquisiuit, hoc est, totum mundum prædicatione Euangelij impleuit. Tali medio diuini verbi quærit sapientia Dei in hodiernum diem futuros beatos. Non latuit hoc etiam Dauid, *Psal. 128.* quòd verbum Dei lucerna est pedibus nostris. Petrus ad *1. Pet. 1.* huc clarius hac de re loquitur: Habemus firmiorem Propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris. Quidam per hanc mulierem, *Mulier sancta Ecclesia.* tanta sedulitate quærentem drachmam, intelligunt sanctam Christianam Ecclesiam, idq; non immerito: siquidem à sponso suo Christo, tanquam à fido pastore exemplum capit: habet porrò & spiritum eius. Itaque non cessat errantes *Ioan. 14.* suos perditos filios quærare: ad quam rem triplici vtitur lumine, nimirum seria admonitione, deuotis precationibus, & pijs exemplis. Et quàm tristatur quum filij eius errant, *Lumē triplex Ecclesia.* tam lætatur quum ad Deum conuertuntur. Hoc quiuis fatebitur, qui diligenter considerat, quid per annum in catholica Ecclesia canatur, legatur, fiatque. Hoc certè incitamentum esse nobis debebat ad pœnitentiam, quando ad pœnitentiam *Incitamentum* ardimus, quòd nos Christus non solum fideliter quæsiuit, & *tiam.*

tantò sumptu ex interitu nostro redemit: sed etiã optima mulier, mater nostra vnicè chara, adhuc quotidie pro nobis curã gerit. Summus illi dolor est, quum in proprium nostrum exitium ruimus: contrã verò summum illi gaudium est, cum in recto itinere ambulamus. Hęc sanè magna satis incitamenta nobis essent, inquam. Verùm Christus hoc nõ contentus, addit etiam Angelos in cœlo gaudere, si conuertatur peccator, & pœnitentiã agat. Hoc primò nobis speciale præstat solatiũ, cum audimus & diligẽter consideramus, q̄ omnes Angeli & electi nostrã salutẽ & conuersionem cupiunt, & nobis cõgratulantur, si cum Deo simus coniuncti & cõgregati. Imò hoc vnum verbum nos quã celerrimè ad pœnitentiã adducere debebat, quippè cum minimè nos deceat, vt dormiamus, omnibus creaturis, Angelis & sanctis, imò Deo ipso & Christo pro nobis curãtib; & nostra salute gaudentibus. Huc pertinet, quòd etsi Christus in hoc vltimo verbo Euangelij, solum de sanctis Angelis dicit, quòd hi cum pœnitente gaudeãt: at-

*Luc. 15.* tamen antea indefinitè dixit, plus esse gaudij in cœlo super vno peccatore pœnitentiã agente, quàm super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentiã. Et sunt hęc duo

*Angeli cur  
gaudeant pœ  
nitentiã pec  
catoru.* quidẽ verissima. Sancti Angeli gaudent pœnitentiã & conuersione peccatoris, primò propterea, quòd eorum officium & ministerium, quod ex mandato Dei erga nos homines exhibent, in pœnitente non frustra est. Secundò, quòd numerus

*Hebr. 1.* eorum per huiusmodi pœnitentes impletur. Etenim quoad usque in peccatis iacent, in castris diaboli sunt: cæterum si ad pœnitentiã cõuertuntur, sub vexillum confugiunt Christi. Hoc verò sanctis Angelis adfert gaudium, quòd diabolo regnum eius minuitur, Deo verò regnum eius adaugetur: & q̄ etiam ex humano genere quotidie noui veniunt, qui cum illis Dei bonitatem & misericordiam laudent ac prædicent. Et

*Sancta Tri  
mitas letatur  
nostra pœni  
tentia.* quid ego solos Angelos sanctos cõmemorem? Tota beatissima Trinitas gaudet nostra conuersione & pœnitentiã. Deus pater gaudet, q̄ per eiusmodi pœnitentiã & conuersionem peccatorũ, quotidie novos adipiscatur filios. Deus filius gaudet pœnitentiã & conuersione peccatorum: hinc quippè cognoscit fructum sacrosanctæ suæ passionis, & quòd non fru-

*Rom. 8.* strã sit passus. Secundò, simul videt imaginẽ suã & similitudinẽ, quæ in peccatore obscurata erat, restitui ac reparari. Et terciò multos per hęc fratres adipiscitur, inter quos primogenitus ipse

tus ipse est. Deus spiritus sanctus gaudet quoque conuer-  
sione & pœnitentiâ peccatoris. Per hâc enî, rursum acquirit suum 1. Cor. 3.  
templum, in quo habitet: rursum acquirit mēbrum suū, quod  
uiuificet: & postremò quoq; rursum acquirit per eiusmodi cō-  
uersionē peccatoris suum vas, quod gratia sua impleat. Vide,  
ideircò dicit Christus nō simpliciter, quòd sancti Angeli no-  
stra pœnitentiâ & cōuersione gaudeât, sed dicit etiâ in gene-  
re, esse quoq; ppter pœnitentem peccatorē gaudium in cœlo.  
Quapropter vide ó miserrime peccator, ne tua puicacia Deū  
honore suo & laude defraudes. Vide ne Christus frustra pro  
te sit mortuus: vide ne etiam sanctos Angelos réque ipsum  
tua salute spolies. Quia itaque in hoc Euangelio Dei grâtiâ  
& misericordiâ tam clarè videmus, semper cauere debemus,  
ne ingrati inueniamur, & oblatam gratiâ repellamus, eâue  
abutamur. Ignoras, ait, Apostolus, quoniam benignitas Dei Rom. 2.  
te ad pœnitentiâ adducit? Quò autem magis nunc miseri-  
cordiâ suam declarat, hóc seuerius quoque postea suam iu-  
stitiâ ostendet, si ingrati simus. Sed vnum adhuc docet postre-  
mum hoc verbum, nimirū quomodo Deus, Christus, sancti  
Angeli, sacrosancta Trinitas, omnesque sancti nostra salute  
gaudent, vt similiter & nos faciamus, & erga proximum no-  
strum: Illius salute gaudeamus, & illius duritiē deploremus.  
Scriptum est enim: Diliges proximū tuum sicut teipsum. Di- Matth. 22.  
cit item Paulus: Multi vnum corpus sumus in Christo capite 1. Cor. 10. &  
nostro. Deus nobis omnibus suam aspiret gratiâ, Amen. 12.

S E X T V S S E R M O C O M P O N I T  
*Euangelium cum Epistola & Ecclesie oratione.*

**D**ICTVM modò Euangelium desumptum est  
ex 15. capite Lucae Euangelistæ: quod vniuer-  
sum caput valdè consolatorium est, præcipuè  
pro nobis miseris peccatoribus, quibus quoti-  
diè peccatis nostris occupatis, gratia & venia ro-  
ganda est. Enimuerò in eo ipso capite habetur quoque conso-  
latoria parabola de filio prodigo, quæ hodiernū Euāgelium  
continenter sequitur: quò omnes videant, omnia hæc coniu-  
cta esse oportere, Christūque pœnitentibus peccatoribus  
perfectum solatium dare voluisse. Idq; non iniusta de causa, Luc. 15.  
nō propterea solū, quòd Publicani ipsimet ad eum veniebant  
cupiētes illum audire, sed etiâ quòd Pharisei suo murmure id

- conabatur impedire, seu ad minus, in suspicionem adducere. Atq; illis merito sanè attulisse gaudium debebat, quòd peccatores glomeratim sese cõuertebant, quinimò summa diligentia eam rem promouisse debebant, quãdoquidem pastores & erant, & sese profitebantur. At inuidebant pauperibus solatium, quòd ex Christo capiebant: imò in peiorem Christo interpretabantur partem, quòd verbis illos lenioribus & consolatorijs alloqueretur. Idq; non hac vice tantũ, sed multum & sæpè declarabant eiusmodi cor suum immitte erga miseros peccatores. Vt cum Christus Matthæum ex telonio vocaret, obijciebant id sanctis Apostolis, q̃ præceptor ipsorum cum
- Luc. 19.* Publicanis, telonibus & peccatoribus māducaret. Cum Zachæus Christum in domum suã reciperet, similiter murmura
- Ioan. 8.* bāt, q̃ ad peccatorẽ diuertisset. Imò vt illum p̃ omnia ob peccatores suspectum facerent, adulteram q̃nq; ad eum adduxerūt, tētaturi num eiusmodi hoĩbus etiã misericors esse vellet. Christus verò vbique locorum illis sic obuiare poterat: vt nil
- Matth. 9.* nisi probrum inde reportarēt. Siquidem cum in conuersione Matthæi murmurarent, hoc illis responsi dabat: Hypocritæ, euntes discite quid est, misericordiam volo, & non sacrificiũ: id nimirum hoc ipso significare volens, Deo gratissimum esse sacrificium, si in peccatores pœnitentes misericordia declaretur: atq; adeò subindicare volens, frustrã ipsos sua facere sacrificia, quando pœnitentes peccatores tam nulla prosequerentur charitate & condolentia. Tale respõsum dabat & Michæas. c. 6. interrogatus à Iudæis, quid facere eos oporteret: vt Deo gratũ sacrificium offerrent. Indicabo tibi ô homo, inquit, qd sit bonum, & quid Dñs requirat à te: vtiq; facere iudicium, & diligere misericordiã, & sollicitum ambulare cum Deo tuo. Hoc docet Christus immisericordes Phariseos.
- Ioan. 8.* In Ioãne cum illũ cum adultera tētaret, maior illis adhuc inurebatur nota ignominix. Qui sine peccato est vestrũ, inquit, primus in illã lapidẽ mittat. His verbis ppriã eorũ cõscientiã illis ostendit: imò peccata eorũ propria ita ob oculos statuit: vt aliorum hominũ peccatorum obliti, rubore suffusi, omnes tẽplo excederent. Hunc in modum respondere illis Christus
- Ezech. 35.* semper posset. Ezechiel eiusmodi elingues pastores non modò confundebat, sed etiam penitens condemnabat. Væ pastoribus, inquit, Israël, qui pascebant semetipsos, gregem autem meum non pascebant. Quod infirmum est non consolidant, quod con-

quod contractum est, non obligant, & quod abiectum est non  
 reducunt. Vide, hoc Christo isto in loco causam dabat tam co- *Luc. 15.*  
 piose de peccatoribus & poenitentia dicendi, contra superbos  
 immisericordesque Phariseos. Tres illis proponebat simili-  
 tudines, quæ omnes peccatori Dei gratiã denuntiabant: primã  
 de oue perditã, secundã de drachma perditã, tertiam de fi-  
 lio prodigo. In prima parabola clarè indicatũ est, quid Chri-  
 stus peccatorum causa fecerit ac perpeßus sit. In secunda vi-  
 demus, quid Christus in hodiernũ adhuc faciat apud nos pec-  
 catores in sancta Christiana Ecclesia. In tertia videmus, quã  
 Deus seipsum clementem erga peccatores exhibeat, & quid  
 ipsos etiã ad suam salutẽ facere oporteat. Omnia cõsolatione  
 plena sunt. Atque hæ tres parabolæ recto ordine sese mutuo  
 consequuntur, docentes nos, in iustificatione peccatoris quid  
 agat. Christus suis functus est partibus: addit & Ecclesia suas  
 partes, peccator suam quoque adiungat operam necesse est.  
 Christus incipit, Ecclesia prosequitur, peccator ad finẽ per-  
 ducit. Primo, & ante omnia meritum Christi præcedat ne-  
 cesse est, vt sine quo omnis nostra actio quãlibet in specie bo-  
 na, nihil est. Nemo enim venit ad patrem, nisi per Christum:  
 is vnicus mediator est inter Deũ & nos, vt Paulus dicit. Atq;  
 idcirco etiã similitudo de bono pastore meritò prior loco  
 stat. Nam si ianua est ad salutẽ, meritò de seipso primum locu-  
 tus est. Deinde verò, quia etiã Ecclesia tanquam spõsa Chri-  
 sti, iustificationẽ Christi adiunat, cum administratione diui-  
 ni verbi & Christianorum Sacramentorum, meritò parabola  
 de sollicita muliere, sequitur parabolam de bono pastore. *Ecclesia.*  
 At athen nondũ hæc omnia quæ Christus fecit, & Ecclesia  
 adhuc facit, sufficiunt nisi peccator suas quoque addat par-  
 tes: cum filio prodigo in seipsum descendat, suam miserã de-  
 ploret, à peccatis resurgat, ad Deum patrem suũ currat, pec-  
 cata sua humiliter confiteatur, & suppliciter veniam & remis-  
 sionem petat. Hoc peccatorem in iustificatione sui facere ne-  
 cesse est. Qui enim creauit illum sine ipso, non iustificabit il-  
 lum sine ipso. Vide, propterea Christus quoque tertiam simi-  
 litudinẽ de filio prodigo appetit. Summa, Christus propter  
 peccatores venit: è tartarei lupi faucibus nos eripuit: magno  
 nos labore, & sumptibus ad ouile! reduxit: imò mortẽ & sup-  
 plicium pro nobis passus est: sacrosancto sanguine suo nos re-  
 demit: pro nostris peccatis in ligno crucis dependit, & nos in

*Christus.*  
*Ioan. 14.*  
*1. Tim. 2.*

*Ecclesia.*

*Peccatori in*  
*sui iustifica-*  
*tiõẽ quid agẽ*  
*dum.*

*Augustinus.*

- Ezech. 18.** seipso ad cœlum reuexit. Quæ sanè omnia argumenta sunt, quòd non mortem & interitù, sed salutem & vitam peccatoris cupiat. Et maximè, quia nondum cessat, sed etiam post suã ascensionem suæ sponsæ sanctæ Ecclesiæ spiritum infudit ac dedit. ne desisteret à quærendo perditam drachmã triplici lumine, quotidianæ doctrinæ, deuotarum orationum, & saluti-ferorum exemplorum. Hoc triplici lumine mulier ista quotidie adhuc occupata est, quærès ac videns, ne nobilis moneta, cui Deus suum proprium nomen & imaginem impressit, vlla pereat. Animæ nostræ secundum imaginè & similitudinè Dei creatæ sunt. Tum Deus ipse est is, qui filio prodigo obuiam venit, si cõuertatur, eúmque amplexatur, pristinæ eum dignitati restituens, omnis iræ & indignationis oblitus, non recordaturus amplius iniquitatù illius. En, hæc omnia indicat Christus in isto capite: gloriæ sibi id verti vult, quod peccatores recipit, ostendens quòd Deus ipse neminem repellat: dicens, gaudere etiam angelos in cœlo, si conuertatur peccator: simul indicans quid nos quoque facere oporteat. Conuertimini ad me (inquit) & cõuertar ad vos. Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis, inquit Iacobus. Accedite ad eum & illuminamini (inquit David Psal. 33.) & facies vestræ nõ confundentur. Surge qui dormis, ait Apostolus ad Ephes. 4. & exurge à mortuis: & illuminabit te Christus. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos, inquit Christus. Quapropter etiam annotatum est in principio istius Euangelij, quod publicani & peccatores ad Dominum Iesum ibant. Nec alios qui ad ipsum nolent accedere, recepit Christus. Erãt & Pharisæi peccatores: quia verò nõ adiungebãt se Christo, sed oderãt illum, non erat illis seruator. Cum filio prodigo dicendum est: Surgam, & ibo ad patrè meũ, & dicam ei: Pater peccaui in cœlum & coram te: iam nõ sum dignus vocari filius tuus, &c. Sic in gratiã redit. Circa hoc Euangelium, in quo Christus, vt modò dictũ est, se per omnia humanũ declarat erga miseros peccatores, tum factis tũ gestis, tum exẽplis, tum similitudinibus. Circa tale Euangelium (inquã) in quo tam læta nuntiantur, quòdque nobis peccatoribus tam multiplicem subministrat consolationẽ, Petrus hodierna in Epistola eiusmodi admonitionẽ fecit: Humiliamini sub potèri manu Dei, vt vos exaltet in tẽpore visitationis, &c. Hæc hodierna fuit Epistola: quæ docet, quomodo multiplica-

gratiæ Dei, quæ nobis in hoc Euangelio denuntiatur, occurrere, eaque uti debeamus. In Christo nihil desideratur. Quod illi Pharisei contumeliosè exprobrabant, id laudi sibi duci vult, nimirum quod peccatores recipit, cumque illis mäducat. propter tales enim homines venerat. Non est opus valentibus medicus (inquit) sed malè habentibus: nec veni vocare *Matth. 9.* iustos, sed peccatores. Et iterum: Venit filius hominis quærere & saluum facere quod perierat. Sed appropinquare nos illi oportet, ut superius demonstratum est. De Christo scriptum est, quod peccatores & publicanos receperit: sed præmittitur, quod appropinquauerint illi. Hoc illi faciebant, & facile illis factu erat, dum Christus visibilis inter eos ageret. In nobis appropinquatio ad Christum aliter fieri oportet, quandoquidem Christus non amplius hoc modo, hoc est, visibiliter nobiscum degit. Petrus duobus id verbis indicat. alterum est humiliari, alterum credere. Sunt duo ad eò verba, quæ etiã Christus in Marco coniungit: Pœnitementi, & credite Euangelio. *Luc. 19.* Utitur quidem Petrus prioris Epistolæ cap. 5. alijs verbis, sed sententia est eadem, humiliamini sub potenti manu Dei, & c. omnem sollicitudinẽ vestram proijcientes in eum: quoniam ipsi cura est de vobis. Hoc est nostrum appropinquare: Qui sese humiliat in pœnitentia, & credit veritati, Deo appropinquat. Et iuxta est dominus ijs qui tribulato corde, & humiles spiritu saluabit. Ad eundẽ modum loquitur & in Isaia cap. 66. Ad quem respiciam, nisi ad cõtritum spiritu? & c. Et Petrus: *1. Pet. 5.* Deus superbis resistit, humilibus autẽ dat gratiã. Sic prope est, ut habes Psal. 144. inuocantibus eum in veritate, & in vera fide ac fiducia. Sine fide enim impossibile est placere Deo. *Heb. 11.* Quisquis igitur ad Deum appropinquare vult, is humiliet se & credat, aut, ut Petrus ait, curã suam proijciat in eum. Sed hoc cinẽ sufficit? Nequaquam. Non satis est hoc Petro. Neque nos videre tantummodo oportet, quomodo Dei gratiã consequamur, sed etiã quomodo eã conseruemus. Rursum Petrus *1. Pet. 5.* duo verba ponit. Alterum est aduigilare: Sobrii estote (inquit) & vigilate: quia aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiẽs circuit, quærẽs quem deuoret. Alterum est, crescere & augeri. Deus (inquit) qui vocauit vos in æternam suã gloriã in Christo Iesu, modicum passus ipse perficiet, confirmabit, solidabitque. Requiritur & hæc duo simul. Hostem habemus, qui nobis omnẽ gratiam, & dona Dei inuidet. Cõtrã Deum

habemus, qui omnia largiter dare potest ac dat. Hosti resistere, Deo adhærere debemus. Atque hoc est gratia Dei verè vti, cum non modò quæritur, sed in ea quoque manetur. Hac in parte Epistola ista cum hodierno Euangelio cõcinit. Super his verò duobus Ecclesia hodie hunc in modum orat: PROTECTOR IN TE SPERANTIVM DEVS, sine quo nihil est validũ, nihil sanctũ: multiplica super nos misericordiam tuã, vt te rectore, te duce sic transeamus per bona temporalia, vt nõ amittamus æterna. Sic nos docet hodie Ecclesia orare: estque ea oratio verè Christiana. Etenim hinc primum Deo debitum deferimus honorem, deinde id petimus quod nobis maximè necessarium est ad æternam salutẽ. Quis igitur honos ille est quem Deo tribuimus? Quòd sit protector omnium in se sperantium, & quòd sine ipso nihil validũ, nihil sanctum esse possit. Secundò, quòd ex nobis ipsis persistere aut perseuerare nõ possimus in bono. Tertiò, quòd hæc duo certò apud Deum inuenimus, quatenus in vera fide ac fiducia apud illum quæserimus. Hinc sibi honorẽ poscit Deus circa istud Euangelium: & qui illi hoc honoris, ita vt oportet, deferre potest, eum indubiè recipit, quantumuis profunde in peccatis iacentem. Hoc audiuius in Euangelio: quinimò vnica erat causa, quamobrem Publicani & peccatores ad Christum currebant: videbãt peccata sua & imbecillitatem. Credebant Christum vtrobique auxiliari posse. Atque hæc etiam causa erat, quãobrem illos Christus tam clemèter recipiebat. Ita & nos fateri ac dicere debemus: PROTECTOR in te sperantium Deus, sine quo nihil est validũ, nihil sanctũ. Hæc confessio præcedat necesse est, mox verò subsequi oratio debet: Multiplica super nos misericordiã tuam: ea nanque cum primis habemus opus, nec simplici quidẽ, sed multiplici misericordia, vt nedum à peccatis, quæ multa sunt, repurgemur, sed etiã in bono confirmemur ac conseruemur. At quid verò opus habemus multiplici misericordia? Vt Deo rectore & duce, sic trãseamus per temporalia cõmoda & incõmoda, ne amittamus æterna. Ille nimirũ scopus est, ad quem cuncta referre debemus, nempe vt non amittamus æterna. At hoc opus habemus multiplici gratia Dei, imò vt nos ipse regat & ducat. Nã alioqui facilè tẽporalibus adhærescimus, iisq; delinuti impedimur, & amittemus æterna. Quapropter apud Deũ queramus oportet. At nũc vide, an non etiã hæc oratio cum ho-

*Opus habemus multiplici misericordia Dei.*

cum hodierno Euangelio quadret. Quàm nos facillè Christus in gratiam reciperet, si tanto feruore & instantia gratiã & misericordiam peteremus. Faxit Deus, vt id omne cõsideremus, & opere compleamus, Amen.

SEPTIMVS SERMO, DE VER-  
bo, *Hic peccatores recipit.*



**M** VLTVM & quotidie prædicatur in Christianitate de Euangelio, nec quicquam est, de quo nunc sermo frequentior est & disputatio: attamen vehemèter dubito, num omnes intelligãt, quid sit Euãgeliũ & vocetur. Verùm id qui paucissimis, & tamè clare cupit scire, is obseruet historiam modò auditam, imò vnicũ verbũ quod Pharisæi dicebãt: *Hic peccatores recipit.* *Luc. 15.* Vide, hoc est Euangelium nostrũ, lætũ nostrũ nũtium in nouo testamento nobis annuntiatũ, nimirum q̃ filium Dei nostri nõ puduit, aut sese à nobis nõ alienauit, sed nostrarũ rerũ curã gerens, nullum peccatorẽ contempsit: imò per sanctos suos Apostolos omnibus hominibus gratiã & remissionẽ peccatorũ obtulit. Iudaici quidẽ Pharisæi pro re iniqua ducebant, q̃ Messias peccatores reciperet. Sed Deo gratia, q̃ talẽ Messiam habemus, qui peccatores recipiat, hoc est, qui cõ- *Hebr. 4.* pati nobis possit. Et quidem tali opus habemus. Nobile itaq; & preciosum esse nobis verbum debet, q̃ Christus etiã à suis inimicis hoc nomẽ & testimonium habeat, q̃ peccatores recipiat. Non erat quidẽ syncerus eorum animus, veruntamen cõtra suã ipsorũ conscientiam veritatẽ profiteri cogebantur. Imò quẽadmodũ Pilatus aliq; Ethnici Christo in passione *Ioan. 19.* ipsius summos tribuebat titulos, nimirum, Ecce homo, Ecce *Matth. 27.* rex vester, Ecce filius Dei, Verè filius Dei erat iste: Ita quoq; Iudæi Christo ad perpetuum honorem hanc laudẽ deferre coacti sunt, q̃ peccatores recipit. Et summus indubiè illius honor est, summaq; nostra utilitas, quòd peccatores recipit. Quapropter quòd omnibus appareat, quantum nobis solatij vnicũ istud verbũ adferat, si rem recta via perpendamus, amplius quiddã de eo dicẽdũ arbitror, quid in se habeat. Cæterum meliorem illi adhibere interpretationem non possum, quàm quemadmodũ Ioannes dicit in prima sua Epistola: *1. Ioan. 2.* *Filioli mei, hæc scribo vobis, vt non peccetis. Sed et si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem, Iesum Christum*

iustū & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autē tantū, sed etiam pro totius mūdi. En, hæc est vera interpretatio istius verbi, Hic peccatores recipit: Imò hæc omnia in verbo isto cōprehēsa sunt. Hac etenim ratiōe Christus peccatores recipit, vt sit illorū aduocatus corā Deo quin etiā propitiatio pro peccatis illorū. Quis verò nō videt, quātum nobis solatiij in verbis Ioānis denūcietur? Quinimò hoc verū Euangeliū est, & lætū nuntiū diuinæ gratiæ, & summa Christianæ doctrinæ. Et qui hæc verba rectè cōsiderat & intelligit, nūquam desperabit. Cōtrā verò quisquis ea nō credit, aut nō intelligit, nondū profectò scit quid sit Christus, etiam si totū Euangeliū & omnes Epistolas Pauli memoria teneat. Obserua itaq; primò, quòd Ioānes hisce verbis omnibus hominibus gratiam & remissionē peccatorū per Christum denunciat, modò tamen conuertantur: id quod laud paruum solatiū fuerit ijs, qui peccata sua verè sentiūt. Secundò, attēde, quòd Ioānes peccatores ita cōtra desperationem munit, vt tamē eos non super arenā, sed super petrā ædificare doceat. Non enim dicit, Si quis peccauerit, Deū gratiam roget, aut Deum pro illo orabo, &c. Siquidem illud adhuc minus certū quiddam esset. Ioannes verò indicat certum & infallibile medium, nimirum Christum. Quē ita nobis describit, vt dubitare nemo possit, quin sit certa firmāq; petra, super quam ædificare nos tutò possumus ac debemus. Quot enim diabolus laqueos habet & trēdit quib' nos ad desperationē inducat, tot vicissim nobis cōsolationes præbet istud verbū. Atqui videmus nō omnes homines vniusmodi causam pusillanimitatis habere. Alij p̄ptera pusillanimes fiūt, quod existimant non ad se pertinere, sed solū ad sanctos amicos Dei, si quid boni in Euangelio audiunt. Alij dubitant num verum sit, quod sancta scriptura de remissione peccatorum dicit & indicat. Alij credunt quidem verum esse, sed nesciūt per quem id accidat & fiat. Alij sciunt ex scripturis, Christo datam esse potestatem remittendi peccata, cæterū dubitant, num id Christus solus possit. Alij credunt Christum posse & velle peccata dimittere, verū dubitant, num id Deus confirmare velit, quod Christus nobiscum agit. Vide, tot laqueos habet diabolus, quibus homines ad pusillanimitatem & desperationē impellit. Cæterū Ioannes hoc vno verbo, omnes eiusmodi laqueos rumpit ac dissoluit, &c.

*Remissio peccatorū & gratia quib' an nunciatur.*

*Pusillanimitatis causa diuersa.*

*Luc. 5.*

Primò namq; non quasi dubitandi ratione hîc agit Ioannes. Non dicit: Si peccauerimus, fortassis existeret quispiam, qui nos cum Deo in gratiam reponat. Id enim minimè sufficeret. nam conscientia perterrita non potest pace & tranquillitate perfrui, quandiu res in dubio versatur. Scire namq; vult non opinione duci, nunquam aliàs quiete potitura. Itaq; certò hîc Ioannes loquitur. Indicat iam habere nos certum aduocatum apud Patrem: tanquã dicere velit, nihil opus esse vt eum expectemus, quemadmodum in Testamento veteri: neq; etiam necesse esse, vt trans mare quæratur, aut multo ære redimatur, quò se nobis aduocatũ præbere velit: sed habere nos iam illum, & quidem voluntarium prorsus atq; paratũ, atq; etiam sine præcedentibus meritis nostris. Secundò quoque personam huius tam necessarij aduocati exprimit, dicens: Iesum Christum aduocatum habemus, &c. eodem ferè loquendi modo vsus, quo Petrus, vbi ait: Certissimè sciat omnis domus Israël, quia & Dominum eum & Christum fecit Deus hunc Iesum, quem vos crucifixistis. Itémque alio loco: Hic est lapis, qui reprobatus est à vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli: & non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Atq; rursus alibi: ipse est, qui cõstitutus est à Deo iudex viuorum & mortuorum. Tertiò nominat Ioannes hunc nostrum aduocatum non nomine tantũ, sed etiã conditiones eius indicat, vocans eum primò Iesum Christum iustum. Hoc necessarium additamentum est. Nisi enim hic Iesus iustus esset & absque peccatis, quomodò nos iustificare posset à peccatis? Qua propter & Paulus ad Hebr. 7. dicit: Talis decebat, vt nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus: qui non habet necessitatem quotidie (quemadmodum sacerdotes) prius pro suis delictis hostias offerre, deindè pro populi. Reliqui omnes homines peccatores sunt, tum etiam omnes alij sacerdotes pro suis delictis orare & offerre debent. Christus solus ex seipso iustus est: non enim fecit peccatum, vt Petrus ait, prioris Epistolæ cap. 2. nec est inuentus dolus in ore eius. Atque idè solus dicere poterat Ioan. 14. Venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. Tantò confidentius ad Deũ accedere ausus est, tantò facilius nobis omnia impetrauit, tantò securius illi fidere possumus.

Act. 2,

Act. 10,

Act. 14,

Ad hæc omnia Ioannes ponit maius quiddam. Et hic Iesus (inquit) non solum noster aduocatus est, sed etiam propitiatio pro peccatis nostris. Hoc verbo nobis pusillanimitas adempta est. Non solum (vult dicere) hic Iesus iustus est: imò illius iustitia non modò sibi ipsi utilis fuit, quemadmodum *Ezech. 74.* aliorum hominum probitas, qua neq; amicos, neq; liberos pos-  
*Ezech. 18.* sunt eripere, sed seipsum tantum: quilibet enim in sua iustitia viuit. Sed secus res habet cum Christo. Illius iustitia & meritum profuit nobis & adhuc prodest: imò illius iustitia & meritum nostra est præcipua iustificatio. Omnes enim alij homines ratione reddere coguntur, quisque pro seipso, sed Christus pro nobis omnibus interpellat. Ideòq; dicit S. David,  
*Psal. 109.* fore ut sacerdotium Christi in æternum maneat. Dicit item Paulus,  
*Hebr. 9.* Christum introiisse in Sancta, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis. Cæterum quod Ioannes Christum aduocatum nostrum nominat, non ita intelligere debes quasi in cælo, perinde, ut in mundano iudicio agatur: vbi plerumque quatuor personæ sunt, nimirum accusator, & reus, iudex & aduocatus. Non tale iudicium non est in cælo. Ioannes tantummodò dat exemplum & similitudinem. Nam ut in mundano iudicio reus omnem spem suam collocat in aduocato, huic suum negotium committit: si hæc causam obtineat, reus liberatus est: si vincitur aduocatus, reus omnino causa cadit. Hunc in modum quoque nobis Ioannes Christum proponit, seu fidelissimum aduocatum coram Deo, & cui causam nostram tutò & securè committere possumus: imò in quo omnis nostra vita & salus pendet ac constituta est. Secundò, quum audis Christum esse aduocatum & mediatorem nostrum, non debes existimare, quod genibus flexis pro nobis oret, quemadmodum hic in terris, & maximè cum in monte Oliueti oraret, in genua sua, in faciem suam procumbebat. Nec cogitare debes, quod verbis pro nobis oret, quemadmodum hic in terris fecit. Nequaquam: illius oratio & aduocatio, quam in cælis pro nobis facit, nihil aliud est, quàm quod illius sancta incarnatio, passio, mors, sanguinis effusio, & meritum, imò ipsemet coram Deo semper est, & quod coram Deo nunquam in obliuionem venit, quid Christus pro nobis fecerit ac passus sit. Tertiò cum audis, quod Christus mediator noster & aduocatus est, caue existimes  
*Exod. 32.* quod orando solum inter Deum & nos medius intercedat,  
*1. Reg. 12.* quemadmodum olim Moyses & Samuel faciebant. Nequaquam: non

*Christum orare  
 pro nobis, quid  
 sit.*

*Luc. 22.*

quàm: non ita vulgariter de Christo sentiendum est, vt nihil possit aliud quàm orare, quod tamen etiam homines & angeli possunt. Sed ita Christus aduocatus & mediator est coram Deo, q̄ solus ex seipso Deo patri placeat & acceptus sit. Secundò, q̄ propter ipsum aliorum hominum oratio & actiones Deo placeant. Tertiò, q̄ nos per ipsum accessum habemus ad Deum. Quartò, q̄ ipse medium & via est, Dei promissionem & æternam salutem consequendi. De plenitudine enim eius accepimus omnes: & omnes promissiones Dei sunt in illo Est & Non. Summa: Sic Christus noster aduocatus est, vt etiã sit propitiatio, sanctificatio, & redemptio: imò non solum pro nostris, sed pro totius mundi peccatis, inquit Ioannes, quò palàm fiat, acerbissimã passionẽ Christi & meritũ omnibus hominibus, modò ipsi velint sufficere, nec esse cuiquã causam desperandi. Ne quis verò apud seipsum cogitet & dicat: Audio quidẽ & credo, q̄ Christus causam nostrã vrgeat & agat corã Deo: sed quis scit num Deus sit probaturus? Vide, ad hanc pusillanimitatẽ ex animis nostris eximendam, specialiter Ioannes addit hoc verbũ, q̄ Iesus sit noster aduocatus, nõ corã iudice, sed corã patre, perinde ac si dicat: O homo, nõ est q̄ hac in parte sis sollicitus: non enim Christus agit causam nostrã corã severo & inclemente iudice, sed corã benignissimo Patre. Si itaq; is, qui pro nobis interpellat, per seipsum fidelis, amabilis, sufficiens & omnium efficacissimus mediator est: is verò corã quo causa nostra agitur, Pater est, nullam certè causam pusillanimitatis habemus, vel desperationis. Hic vide, quã diligẽter & dilucidè diuus Ioannes articulum de remissione peccatorum indicauerit & explicauerit. Hæc omnia in ista voce comprehensa sunt, Hic peccatores recipit: imò hunc in modum Christus peccatores recipit: vt nunc ex Ioanne auditum, nimirum q̄ illorum aduocatus & mediator coram Patre, quin etiam propitiatio pro peccatis nostris est. Hoc nostrũ est Euangelium. Hoc lætum nuntijũ affert nobis verbum, Hic peccatores recipit. Videre quiuis potest, quid nobis solatij in eo detur. Sed miseradum est & deplorandũ, q̄ tot homines his cõsolatorijs verbis abutuntur, vt pote ij qui ex illis cõcludũt (quãdoquidẽ Christus propitiatio sit pro peccatis nostris) nihil ad se amplius pertinere quod Ioannes Baptista dicit, Facite fructum dignum pœnitentiæ. Minimè opus esse arbitrantur, vt super pecca-

Ioan. 14.

Ioan. 1.

2. Cor. 1.

2. Gor. 1.

1. Ioan. 2.

Rom. 8.

Luc. 15.

In eos, qui  
Christi satisfac-  
tione con-  
tenti, pœnitẽ-  
tiam respiciunt.  
Matth. 3.

*Agenda pœnitentia.*

*Placet Deo pœnitentia nostra.*

eis suis doleant, orent, ieiunent, elemosynas erogent, ignorent, bona malè acquisitâ reddant, &c. Imò sibi ipsi persuadent, Christo id dedecori esse, imò esse potius Christû à suo officio depellere. Sed est falsa persuasio: non propterea intermittenda est pœnitentia, aut reiicienda, q̄ Christus nostra est propitiatio. Non enim in mortem ideò se dedit, vt non amplius pœnitentia opus habeamus, sed q̄ sua morte promeruit vt pœnitentia nostra Deo placeat, quæ alioqui per seipsam Deo accepta non esset. Nam vt ferrum aut anulus æreus per se non est magni valoris, cæterùm inclusa gemma magni æstimator emittiturque, non propter seipsum, sed ob gemmam: ita sacrosancta passio & meritum Christi gemma est, ob quam Deo Opt. Max. pœnitentia nostra grata est. Verùm nõ propterea pœnitentia respuenda est, q̄ per seipsam Deo non placet, sed videndum, vt gemmam passionem & meritum Christi in ea cõprehendamus. Vera & certa via est, vt in Christum credamus, eumque confiteamur, tanquàm aduocatum nostrum & propitiationem, & interim tamen etiam pœnitentiam agamus, attamen in fide & fiducia in meritum & passionem Christi. Sic quoque credebant publicani & peccatores in hodierno Euâgelio, q̄ Christus mediator esset & propitiatio ergã Deum. At nihilo minus quidam ex illis dicebat: **Luc. 19.** Ecce dimidium bonorum meorum, domine do pauperibus: & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum. Vide, hic credebat in Christum, nihilominus autem dignos etiam fructus pœnitentiæ faciebat. Abi, fac & tu similiter, iam vtiliter, Euangelium istud audiisti. Deus det nobis omnibus suam gratiam, Amen.

### *Octauus Sermo de Euangelio & Epistola.*



**C**IRCA Euâgelium istud videmus, Deum non semper & erga omnes homines eodem modo & medio vti, quo ipsos ad salutem eorum perducatur: Alios enim impellit pœna, minis, & varijs malis: alios amore & beneficijs inuitat & trahit. De primis dicit Dauid: Cùm occideret eos, quærebãt eum: & reuertebantur, & diluculò veniebant ad eum. Et iterum: Clamauerunt ad dominum cùm tribularẽtur: & de necessitatibus eorum liberauit eos. Et in Osea. In tribulatione sua manè cõsurgent ad me: venite & reuertamur ad dominũ, quia ipse

*Psal. 77.*

*Psal. 106.*

*Ose. 6.*

*D. 9. duobus  
dis petrus cõ  
X. h.:*

quia ipse cepit, & sanabit nos: percutiet & curabit nos, &c. Hunc in modum magnus Nabuchodonozor ad poenitentiam & *Dan. 4.* agnitionem Dei adductus est. Huic suum denunciabatur iudicium, illum non solum de regno suo deiectum, sed omni humana ratione & forma priuatum iri donec cognosceret Deum in caelis esse, qui omnium regnorum in terris dominus foret, eaque dare cui vellet. Contra dicit & promittit Deus, se in funiculis Adae tracturum nos, in vinculis charitatis. Et post dicit: Sanabo contritionem eorum, diligam eos spontaneè: quia auersus est furor meus *Ose. 1.* ab eis. Ego quasi ros Israel, germinabit sicut lilium: & erumpet radix eius ut Libani, &c. Ut ergo Deus quosdam peccatores poenis ad poenitentiam adducit, quosdam vero amore & beneficijs trahit: ita quoque facit Spiritus sanctus in sacra scriptura erga nos. Impellit nos proponendo & commemorando miseriam nostram & calamitatem, & trahit nos quoque annuncians diuinam gratiam & misericordiam. Atque haec duo sunt, quae hominem intelligentem omnium maximè mouent ad orationem & poenitentiam. *Ad poenitentiam qua nos inuolunt.* Primò cum praesens periculum videt & sentit: secundò quum audit quod is qui solus auxiliari potest, etiam misericors est, & ad auxilium paratus. Christus quoque dominus noster duobus modis peccatores conuertere tentauit. Nam feram capturos non vno modo ei insidias tendere oportet, sed nunc hoc, nunc alio iudicium tentandum, nunc hic, nunc illic laquei ponendi, & retia tendenda: imò omnes vias praeruendae, ne effugiat. Atqui sic fecit Christus. Venerat peccatores capere non ad interitum, sed ad eorum salutem. Ad hanc rem primò Ioannem adhibebat. Is venabatur, & vehementer urgebat *Matth. 3.* feras terrore & minis, seuerus in verbis. Progenies viperarum (inquit) quis demonstrabit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructum dignum poenitentiae. Et ne velitis dicere intra vos: patrem habemus Abraham. dico enim vobis quoniam potes est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abraham. Iam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur. His & similibus seueris verbis urgebat Ioannes peccatores, imò exemplo suo multò adhuc seuerior erat. Ioannes (inquit Euangelium) erat vestitus pilis camelorum, & zona pellicea circa lumbos eius: & locustas & mel syluestre edebat. Christus veniebat post Ioannem: aliud tenebat, humanum sese exhibens cum in verbis tum in factis erga homines, edens & bibens cum illis. Attamen

*Handwritten notes:* p. 1. l. 1. A. 2. l. 6. a. 7. ...

in plerisq; eorū nec hoc, nec illud profecit, quēadmodū ipse:  
*Matth. 11.* met cōqueritur: Cui simile (inquit) æstimabo generationem  
 istam? Similis est pueris istis sedētibus in foro, qui clamantes  
 cōequalibus dicunt: Cecinimus vobis, & nō saltastis: lametaui  
 mus, & nō planxistis. Venit Ioannes neq; māducans neq; bi-  
 bens, & dicunt: Dæmoniū habet. Venit filius hominis mādu-  
 cans & bibēs, & dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini, pu-  
 blicanorum & peccatorū amicus. Verūtamen nō ideo cessabat  
 Christus. Qui ad Deum pertinebant, vltro se sinebant capi.  
 Alios impellebat Ioānes metu, alios trahebat Christus mis-  
 ricordia & amore. Pater, inquit Christus, cōfiteor tibi: quia  
*Ibid.* abscondisti hæc a sapiētibus & prudētibus, & reuelasti ea parui-  
 lis. Cæci Pharisei eiusmodi Dei opus videre nō poterāt: vtro-  
 bique illis perperam actum erat. Ioānes illis nimium seuerus  
 erat. Christus nimium bonus: nihil nō carpebant. Quātūcun-  
 que Ioannes lamentabatur, plorare tamen volebant: quātū-  
 vis humanum Christus sese exhibebat, saltare volebant: ex  
 hoc consolatorio opere nihil aliud depromere poterant, quā  
 quod acerba irrisione, imò inuidiosè dicebāt: Hic recipit pec-  
 catores, Christo per hoc ignominia notam inurere volentes,  
 sed pro dentes interim suam in sacris literis inscitiam, quādo-  
 quidem in sacra scriptura nihil vulgatius est, quā quod Deus  
 pœnitentibus peccatoribus gratiam & remissionem peccato-  
 rum promittat. Sic enim loquitur in Hieremia: Vulgò dici-  
*Hier. 3.* tur, Si dimiserit vir vxorem suam, & recedens ab eo duxerit  
 virum alterum, nunquid reuerteretur ad eam vltro? nunquid  
 non polluta & contaminata erit mulier illa? tu autem forni-  
 cata es cum amatoribus multis: tamen reuerrere ad me.  
 Et post: Reuerrere auersatrix Israël, ait Dominus, & nō auer-  
 tam faciem meam a vobis: quia sanctus ego sum, & non ira-  
 scar in perpetuum. Verūtamen scito iniquitatem tuam: quia  
 in Dominum Deum tuum præuaricata es. Et mox sub hæc:  
 Conuertimini filij reuertentes, dicit Dominus: quia ego vir  
 vester: & introducam vos in Sion. Et dabo vobis pastores  
 iuxta cor meum, & pascunt vos scientia & doctrina. Et in fine  
 capitis iterum dicit: Conuertimini filij reuertentes, & sanabo  
 auersiones vestras. En, quater habes in vno capite, quod Deus  
 pœnitentibus peccatoribus gratiam & veniam promittit.  
*Hier. 18.* Similem in modum alijs quoque in locis facit, vti cum  
 ait: Repentè loquar aduersum gentem, & aduersum regnum,  
 vt eradi-

vt eradicem & destruam & disperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum aduersus eam: agá & ego pœnitentiã super malo, quod cogitavi vt facerẽ ei. In Ezechiele integrum & lógum caput in eã sententiã habetur, id quod Deus concludit his verbis: Cõuertimini, & agite pœnitentiã ab omnibus iniquitatibus vestris: & nõ erit vobis in ruinam iniquitas. Projicite à vobis oēs pœuaricationes vestras, in qbus pœuaricati estis, & facite vobis cor nouũ, & spiritum nouum: & quare moriemini domus Israël? Quia nolo mortẽ moriẽtis, dicit Dñs Deus: reuertimini, & viuite. Tales sententiæ & in alijs Prophetis multę & insignes inueniuntur: vt potẽ Isa. 45. c. Ose. 14. Ioël. 2. Zachar. 1. Actũ. 3. capite, &c. His oĩbus in locis pœnitentibus peccatoribus gratia & remis *Recipit Chri-* sio peccatorum promittitur. Id omne in hodierno Euãgelio *stus peccato-* cõfirmatum est, quãdoquidẽ Christus etiã peccatores, qui illi *res, sed pœni-* appropinquabãt, eiũsq; verbũ audire desiderabãt, recipiebat: *tentes.* attamẽ nõ tanquã peccatores, sed tanquã pœnitẽtes. Quod si itaq; Pharisei propriã suam scripturã sciuisent legisentque, haud Christo dedecori & ignominie dedissent, q peccatores ab se non repellebat. Quippẽ in peccatore (vti alio quoque in loco latiũs ostensum) tria cõsiderãda sunt. Natura, peccatũ, & pœnitẽtia. Naturę cõpatiendum, peccatũ puniẽdum, pœnitentia & cõuersione peccatoris gaudẽdum. Verũ cæci Pharisæi ad solũ peccatum respiciebãt, idcirco aliud nihil poterant, quã culpãre & dãnare. Idẽ quoq; faciebãt, quum Christus uisera peccatricẽ gratia dignaretur. Hic si esset Propheta, inquebant, sciret vtiq; quæ & qualis est mulier quæ tangire eũ: quia peccatrix est: & tñ ita certa & aperta verę pœnitentiæ & conuersionis signa videbãt in ea muliere. Verũtamen nõ poterãt non redarguere, cum Christus diceret, illi remitti peccata. Eodẽ modo cũ filio prodigo agebatur. Frater maior natu ferre nõ poterat, q pater filium degenerẽ in gratiam receperat: interesse nolebat: nolebat in domũ introire: nõ solũ fratri suo fauorẽ patris inuidebat, sed etiã murmurabat & indignabatur patri. Hæc Pharisæorũ natura erat. Nõ respiciebãt naturam: nõ cogitabant alios æquẽ hoĩes & infirmos esse, atq; ipsi erãt. Ideò nullo cõmiserationis affectu rãgebãtur. Nec videre volebãt, q peccatores sese conuertebãt: propterea non gaudebant eũ illis, sed inuidebant illis oĩa bona. Sed quales pastores ij sunt, imò quales hoĩes, qui quod malum solum in alijs est, +

PP. 3.

vident, & non etiam, quod bonum. Summa, Qui alterius peccatis non compatitur, is nescit se quoque hominem esse. Porro qui cum pœnitente peccatore non gaudet, Christianus non est. Si gaudent Angeli in cœlis, quum conuertit se peccator ad pœnitentiam, non Angelos esse, sed diabolos oportet, qui irascuntur & æmulantur, peccatore ad meliora redeunte.

Quapropter cœcis Pharisæis omisis, Euāgelium nostrum habet, q̄ Christus peccatores recipit, verūtamen non tanquā peccatores, sed tanquā pœnitentes. Atque hoc confirmāt scripturæ sanctorum Apostolorum & Euangelistarum egregiè.

Luc. 24. Lucas scribit Christum præcepisse suis discipulis: vt pœnitentiam & remissionem peccatorum suo nomine omnibus gen-

2. Petr. 3. tibus & populis prædicarent. Petrus hãc vnã refert causã, q̄ Deus promissa sua tam diu differt, q̄ omnes cupiat ad pœ-

Rom. 2. nitentiam adducere, nec vult, vt quisquã pereat. Ignoras ô ho-

3. Cor. 2. mo, ait Paulus, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Et in alio loco: Pro Christo legatione fungimur, tan-

Act. 10. quã Dêo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, re conciliamini Deo. Is ipse Paulus contestatur coram Ephesijs,

A. pot. 2. 3. se tam Iudæis, quã gentibus pœnitentiam prædicasse. Simi-

liter Sanct. Ioannes in sua Apocalypsi multum & sæpè vtitur hac voce, pœnitentiam age, & memor esto vnde excideris.

Quod nisi feceris, hoc & illud tibi eueniet, &c. Ex his omni-

bus satis demonstratum est, q̄ Christus peccatores pœnitentes in gratiam recipit. Quod ergo Christus cum peccatori-

bus agit, id haud dubiè ratum habet Deus. Ei enim Deus om-

ne iudicium dedit. Tum expressè dicit in Euangelio: Qui me

Ioan. 6. videt, videt & patrem. Et iterum: Omne quod dedit mihi pa-

ter, ad me veniet: & eum qui venit ad me, non eijciam foras:

imò hæc est voluntas patris mei: vt omnis qui videt filium, &

credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Quia ergo neque in Christo neque in Deo aliquid desidera-

tur: & Christus non solum pœnitentes peccatores recipit, sed

In eos qui mi  
sercordia Dei  
abutamur.

Deus ipse ita vult: reliquum erit, vt cum publicanis & pecca-  
toribus ad Christum, quã celerrimè curramus: atque inte-  
rim etiam videamus, ne gratia illius & humanitate erga mise-  
ros peccatores abutamur. Ne dicas (inquit sapiens quidam)  
miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum  
meorum miserebitur. Misericordia enim & ira ab illo citò  
1. Pet. 5. proxinant, &c. Diuus Petrus docet nos in hodierna Epistola  
quomo-

quomodo in his duobus nos gerere debeamus: Humiliamini sub potenti manu Dei, inquit, ut vos exaltet in tempore visitationis, &c. Hæc hodierna fuit Epistola, non inconuenienter hodierno Euāgelio iuncta. Hic enim videmus principio, quomodo & qua ratione Christus peccatores recipit. Cum peccatoribus eum agere oportet, quādoquidem iustum nullum reperit. Peccatores recipit, quoniam nos omnes in peccatis inuenit. Sed non vult ut peccatores maneamus, sicuti prius. In cuius rei argumentum assimilat. sese non venatori aut equiti, &c. sed pastori ouium, &c. Quis facile ex eo cognoscere potest, quod quia pastor ouium esse vult, non feras & indomita animantia, non tetros spurcosque fues, nō superbos & elatos equos, non inuidos rixososque canes habere velit, sed oues humiles, innocentes, minimè malitiosas, quæ ipsum pro pastore suo agnoscant, quemadmodum ipse eas pro suis ouibus agnoscit. Et tales fecit ex Matthæo, & Zachæo, Paulo, ex latrone & peccatrice. Hac de re loquitur Petrus in hodierna Epistola, indicans quomodo ouis miser peccator, qui aliquando errauit, cæterum per Christum ad gregem reductus, posthac se gerere debeat. Primò, inquit, humiliamini sub potenti manu Dei. Hic incipit Petrus, hic & nos incipere oportet. Initium superbix hominis, ait sapiens quidam, apostatare à Deo. Contrà, humilitas primus gradus est ad Deum. Superbis enim resistit, humilibus autem dat gratiam. Alterum est ut omnem sollicitudinem in Deum proijciamus, quod fit per veram germanamque fidem, & firmam fiduciam. Tertium est ne posthac diabolo rursus locū demus, sed illi resistamus. Quartum, ne malis vllis & infortunijs moueamur frangamurque. Quintum: ut feruenter ad Deum oremus: ut nos cōseruet, corroboret & confirmet, &c. Quinque hæc sunt cuius benè consideranda, per Christum à peccatis liberato. Primum est humilitas, alterum fides, tertium prudentia, quartum paciētia, quintum oratio. Hic Petrus suam vnicuilibet, addit appendicem, quò facilius animos penetret. Ut potè ad humilitatem addit potentem manum Dei, & præterea insignem promissionem. Et hæc duo quisquis cōsiderat, is non grauabitur sese humiliare. Etenim humiliatione opus est, quæ nisi voluntariè fiat, Dei potenti manu extorquetur, quæadmodum in superbo Angelo, & in primis nostris parētibus factū. Nimirum ita necesse est: ut subditus fiat omnis mundus Deo.

*pe-pta**Christus oues nos esse vult. Ioan. 10.**I. 1. Pet. 5.**Eccle. 10.**1. Pet. 5.**II.**III.**IIII.**V.**Rom. 5.*

**LUC. 18.** Quod si spontè facimus, certa sequitur exaltatio: nam qui se humiliat, exaltabitur. Ad alterum verbum, vbi diuus Petrus docet: vt omnem nostram curam in Deum proijciamus, hoc addit: Quoniam ipsi cura est de nobis. Hoc qui credit, tantò faciliùs, quod est & habet, Deo cõcedere poterit. Ad tertium verbum, vbi ait, Vt vigilemus cõtra diabolum, causam addit, Quia tanquàm Leo rugiens circuit, quærens quem deuoret: non hoc tãtum agens, quẽadmodum nobis perniciem & malum afferat, sed etiam quomodo nos totos perdat corpore simul & anima, tẽporaliter & spiritualiter, q̃netiã æternaliter. Ad quartũ, vbi docet, ne passionibus in mundo moueamur, addit, nihil nobis fieri noui, sed illud ipsum, quod omnibus electis euenit. Ad orationem addit laudem Dei, vt prius gratias agamus illi, qui nos ad æternam suam gloriam vocauit. Deindè verò etiã rogemus: vt nos cõfirmet. En, hæc illa sunt, *Humilitas.* quæ à nobis fieri cupit Christus. *Humilitas* & *fides* præcedãt *Fides.* necesse est, & faciant nobis viam ad gratiam Dei: *prudentia* seu temperantia, *patientia* & *oratio* gratiam Dei in nobis cõseruent. Hunc in modum recipit nos Christus tanquã peccatores: vt ad pœnitentiam adductos iustificet. Hoc qui considerat, non iniquè feret, quòd peccatores recipit: neque mouebitur, quòd Iudaici Pharisæi Christum propterea calumniati sint & condẽnauerint. Notum est, quid in peccatoribus quæsierit, nimirum propriam ipsorum & æternam salutem. Notum est, quòd peccatores nõ aliter receperit, quam quemadmodum medicus ægrotum recipere solet. Ego, inquit, veni, vt vitam habeant & abundantius habeant. Saltem videamus, ne è manibus talis Pastoris excidamus. Deus det nobis omnibus suam gratiam, Amen.

## DOMINICA QUINTA POST PENTECOSTEN, EVANGELIUM, L V C. V I.

**ESTOTE** ergo misericordes, sicut & pater vester misericors est. Nolite iudicare, & non iudicabimini. Nolite condemnare, & non condẽnabimini.

**Matth. 5.**

bimini. Remittite & remittetur. Date & dabitur vobis. Mensurá bonam, & confertam, & concussam atque exundantem dabunt in sinum vestrum. Eadem quippe mensura qua metimini, metientur alij vobis. Dicebat autē illis similitudinem: Nūquid potest cæcus cæcum ducere? Nónne ambo in foueá cadunt? Non est discipulus supra magistrū suū: perfectus autem omnis erit, sicut magister ipsius, Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autē que in oculo proprio est, nō animaduertis? Aut quomodo potes dicere fratri tuo: Frater, sine eijciam festucá quæ in oculo tuo est, ipse in oculo tuo trabem non vides? Hypocrita, eijce primūm trabem ex oculo tuo, & tunc perspicies, vt eicias festucam quæ est in oculo fratris tui.

Marc. 4.

Matth. 19.

EADEM DOMINICA EPI-  
STOLA SANCTI PAULI  
ROM. VIII.

**F**Ratres, reputo non esse pares afflictiones presentis temporis ad gloriam, quæ reuelabitur erga nos. Et enim sollicita creaturæ expectatio expectat, ut palàm fiant filij Dei. Quippe uanitati creatura subiacet, non uolens, sed propter eum qui subiecit illam sub spe. Quoniam & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim quòd omnis creatura congemiscit, simulque nobiscum parturit usque ad hoc tempus. Non solūm autem illa, sed &

*ipsi qui primitias Spiritus habemus, et nos ipsi in nobis-  
ipsis gemimus, adoptionem expectantes redemptionem  
corporis nostri.*

PRIMVS SERMO DE EVAN-  
gelio in genere, unâ cum Epistola.



**H**ODIERNVM istud Euangelium haud quidem multa opus habet expositione, siue in Latina lingua, siue Germanica, siue Græca, siue Hebraica. Verba enim per totum in omnibus linguis adeò clara sunt, vt vel simplex & idiota capessere possit, quid iis sibi velit Christus, nimirum vt boni probique simus, & bona faciamus. Hæc duo à nobis poscit Christus, Attamen nõ eo modo & specie, quemadmodum Pharisei iidemque hypocritæ olim fingeant, sed secundum exëplum Dei patris. Non enim dicit, Fingite: sed, Estote misericordes. Atque hoc etiã discrimen debet manere inter nos Christianos & Iudaicos illos Phariseos. Illi seipso probos existimabant, sed non erant: nos probi esse debemus. Illi ostentabant suam probitatem externis duntaxat quibusdam operibus Legis, & propriæ suæ traditionis, contemptis potioribus: nos exhibere eam debemus charitate & misericordia. Est enim hoc exëplum Patris nostri in cœlis, qui nõ solum nomẽ habet, quòd sit bonus, verum etiam bonus est, & solus bonus.

- Matth. 10.* Sed in quo consistit illius bonitas? Quòd non solum miserator, misericors & clemens, patiens & multæ miserationis sit, quemadmodum illum Moyse appellat, sed etiam ipsa Charitas, quemadmodum eum vocat Ioannes. Quomodo autem demõstrat suã bonitatem? Auferendo à nobis malitiã nostrã, & faciẽdo misericordiã in millia his, qui diligunt eum, solem suum oriri faciendo super bonos & malos, & pluendo super iustos & iniustos: imò aperiendo manum suam, & implendo omne animal benedictione, vt Dauid dicit. Istud exemplũ est Patris nostri cœlestis. Estote misericordes (inquit Christus Lucæ sexto) sicut & pater vester misericors est. Hoc primum dictũ est Apostolis, deinde verò nobis etiam omnibus. Sancti Apostoli propterea vocati erant, vt illud quod nobis Christus acquisierat, in vniuerso orbe pelamarèt annũciarẽtq; nemine excluso. Quapropter necesse habebant, vt patris sui  
cœle-

cœlestis exemplum semper ob oculos haberent:secūdum hoc *Matth.20.*  
 exēplum misericordes esse erga miseros peccatores debebāt:  
 consolari debebāt,nō iudicare:auxiliari,& nō condemnare:  
 gratis dare quod gratis accepissent: & nec essent similes ijs,  
 qui cæci cæcos ducunt,qui alijs monstraturi viam, ipsi aber-  
 rant:alios facturi probos,ipsi in inferno manent. Ne itaque,  
 inquam,sancti Apostoli essent tales cœcorum ductores,prius  
 suas proprias cōscientias explorare debebant,ne ad eos dici  
 posset:Medice cura teipsum. Et quemadmodum Paulus Iu- *Luc.4.*  
 daicis Rabbiniis dicit:Qui, alium doces,te ipsum non doces: *Rom.2.*  
 qui prædicas nō furandum,furaris?qui dicis non mœchan-  
 dum,mœcharis?qui abominaris idōla,sacrilegium facis? qui  
 in lege gloriaris,per præuaricationē legis Deum inhonoras?  
 Hunc in modum Euangeliū istud principio sanctis Apосто-  
 lis eorūque posteris dictum:attamen non illis solis, sed &  
 nobis omnibus. Si apostolatū suum recte expedire debebant,  
 omnia hæc præcepta & regulæ necessariæ erāt. Si Christiani  
 esse aut vocari debemus,& quivis suæ vocationi satisfacere, *Luc.6.*  
 profectò huic Euangelio conformes nos fieri oportet. Nulla  
 nos hîc glossa,nullus prætextus iuuabit:verba clara sunt.Si  
 discipuli esse Christi volumus,per nos manere ita debet,quē-  
 admodū talis magister docuit ac fecit. Nam hîc verbū præci-  
 puè locum habet,ne discipulus sit supra; magistrū. Quod ho-  
 mines docent,& instituunt,per eos quandoque qui sequun-  
 tur,emēdari potest, quēadmodum quotidie fit & necessariū  
 est. Errare enim homines & falli possunt. Cæterū quod Deus  
 docet,id corrigere potest nemo. Hîc acquiescendū:hunc sco-  
 pum qui propius attingit, is optimus & perfectissimus est.  
 Hîc vigilātia opus,ne nos ipsos fallamus. Si esse Christiani vo- *Christianos*  
 lumus,omnia amplecti nos oportet, quæ Christus docuit. *veros quid de-*  
 Neque hîc delectus valet,vt dicat quis: Hoc mihi acceptū,il- *ceat.*  
 lud durū & graue. Nequaquam:si audiamus quid Christus  
 alijs in locis dicat,audire nos quoque oportet,quid hîc dicat.  
 Eius rei vobis aliquot dabo exempla. Vt in Ioanne dicit:Qui *Ioan.3.*  
 credit in filium Dei,non iudicatur. Verū hîc dicit & docet,  
 ne iudicemus quenquam,ne & nos iudicemur. Sed æquè hoc  
 valere apud nos debet,atq; illud:quandoquidem vtrunque à  
 Christo dictum est. Hoc qui vellet negligere,aut non curare,  
 sed proximū suū temere semper iudicare,& fidere illi quod  
 Christus dixit,qui i ipsū credat,eū nō iudicari:talis,inquā,

*Matth. 6.* proculdubio sibi ipsi imponeret. Aliud Exemplum: In *Matthæo* dicit Christus, Scit Pater vester quibus indigetis. Et in *Ioã. ca. 16.* Pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis quia à Deo exiui. Hæc verba auditu iucunda sunt. Contra nõ æquè iucundú est quod hic dicit, *Luc. 6. & Mat. 5.* Estote misericordes sicut & Pater vester misericors est, vt sitis filij Patris vestri qui in cœlis est. Veruntamen æquè hoc Christi verbú est, atque illud: quapropter etiã tantú apud nos valere debet atq; illud. Aliud exemplú: in *Luca* dicit Christus, Petite,

*Luc. 11.* & accipietis. Et in *Ioan.* Si quid petieritis Patrem in nomine

*Ioan. 16.* meo, dabit vobis. Hic autem dicit, Date, & dabitur vobis. Est quidem hoc non tam gratum, quàm illud, attamè æquè atq;

*Fides sola non sufficit.*

illud considerandú est. Et quid ex his omnibus colligere possumus, quàm primò q̄ Christus non solú fidẽ à nobis poscit, sed etiã charitatem? secúdo, q̄ Scriptura, vbi de fide loquitur, non simplicè, nudam, otiosam fidem intelligat: sed fidem quæ per charitatem operatur, quemadmodum diuus Paulus ait?

*Galat. 5.* tertio, q̄ ad perfectã iustitiam Christiani, non solùm fides, sed etiam charitas requiritur? alioqui has & id genus sententias & loca sacræ Scripturæ, non facîle concordabimus. Quantum enim Scriptura vno in loco fidei tribuit, tantum alijs in locis charitati ascribit. Quòd si igitur alterum accipimus, & alterú non, nihil inde aliud fit, quàm quòd cæcus cæcum ducit, & ambo cadunt in foueam. Proindè qui aberrare nolit, vtraque

*Fides initiũ, charitas finis Christiana iustitia.*

cõiungat, fidem tanquàm initium Christianæ iustitiæ: charitatẽ verò tanquàm finẽ, & perfectionẽ. Sic docet beatus Petrus posterioris *Epistolæ* cap. 1. Vbi ait: Vos curam omnẽ sub inferentes, ministrare in fide vestra virtutẽ, &c. Hæc enim si vobiscú adsint, & superent, non vacuos, nec sine fructu vos cõstituent in domini nostri Iesu Christi cognitione. Cui enim non præstò sunt hæc, cæcus est, & manu tentans, obliuionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum. Quapropter fratres magis satagite, vt per bona opera certã vestrã vocationẽ & electionem faciatis. hæc enim faciẽtes, non peccabitis aliquando. Itidem & Paulus dicit: Dei sumus factura,

*Ephes. 2.*  
*Vis esse discipulus Christi? hoc quod iustit.*

creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus. Quocirca Euãgeliú istud hodiernú seriò à nobis considerandum est. Si volumus discipuli esse Christi, iuxta Magistri nostri doctrinã nos facere oportet. Si filij esse Dei volumus, Patrem nostrú imitari nos oportet, & quoad fic-

quoad fieri potest, illi cōformes fieri. Imò si misericordiam à Deo consequi volumus, misericordes nos esse oportet erga proximum nostrū. Si nolumus iudicari & cōdemnari, neminem temere iudicare seu condemnare debemus. Si volumus vt Deus nobis trabem nostram nō ob oculos ponat, nec proximo nostro suam festucam malè interpretari debemus. Vide, hunc in modum monet nos Christus in Euangelio, ad amorē & misericordiam erga proximū nostrum declarandā. An non autē pulchrū & iucundū foret inter nos, si ita viueretur? imò nōne miserandū est, & quod animum pium ad suspiria meritò commoueat, q̄ nunc eiusmodi res tam raræ vidētur deprehēdunturque, & maximè, si cogitemus propterea tam miserabilem in mūdo statū esse, quinimò in saneta Christianitate? Siquidē fateri cogimur, omne infortunium, iram, rixas, dissidium, inimicitias, homicidia, bella, inuidiā, odium, & diffidentiā, quibus inter nos mutuò flagramus, nō aliunde venire, quàm quòd charitas in animis nostris refrixit, & extincta est. Hūc amoris ignem si quis rursus accendere posset, incommoda hæc facillè euanescerēt. Charitas nobis desit fratres, quapropter totus mundus plenus temerarijs iudicijs est. Quælibet pars alteram iudicat: quiuis aliū condemnat: vnusquisque videt quid aliū dedecet: nemo miseretur pauperū: nemo dat & succurrit egentibus: quisque ad se sicubi potest, trahit: hoc sedulò agens quomodo alijs imponat, claudens viscera sua à fratre in angustijs cōstituto, &c. Quia itaque eum in modum inter nos agitur, vt ijs in rebus, quæ ad animam pertinent, nos inuicē damnemus, in temporalibus verò alij alios prorsus perdamus: mirum nō est, omne infortunium sequi. Tantò magis videre, & omnem operā adhibere debebamus, vt charitas in nobis restitueretur: ea enim sola incommodo obuiare posset. Quid autē Christus facit aliud in hoc euangelio, quàm vt charitatem in nobis excitet & instaureret? Estote misericordes, inquit, sicut & Pater vester misericors est. Trahit nos primò exēplo Dei nostri & cœlestis Patris: deinde quoque magnis promissis: est fermè ea sententia, quemadmodum & postea dicit, Nescitis cuius spiritus sitis? Sic hoc loco ad omnes Christianos vult dicere, Nescitis cuius filij sitis? Non cogitatis, quomodo vobiscum agat Deus? Missos vos facere vtique potuisset, sed misertus est vestri. Suo iudicio aduersum vos agere potuisset: iam peratus est

*Causa malorum omnium.*

*Matth. 24.*

*1. Ioan. 3.*

*Luc. 6.*

remittere vobis peccata vestra. Damnare vos potuisset: iam vos saluos facere vult. Et quid vicissim aliud cupit, quã vt similiter etiã vos faciatis? Veruntamẽ nõ gratis id cupit, imò liberaliter vos vult remunerari, promittit vobis suã misericordiã: tuto vos reddit à severo suo iudicio: ab inferno vos securos faciet: promittit vobis bonã, & confertã, & coagitatã, & superfluentẽ mensurã: Estote misericordes, inquit, & misericordiã consequemini: Nolite iudicare & non iudicabi

*Exemplũ & promissa Dei.*

mini: Nolite condemnare & non condemnabimini: Date & dabitur vobis. At nunc vide, quomodo nos Christus exemplo Dei eiusq; promissionibus, tanquã duobus funibus tam serio trahat: cũ primis tamẽ obseruandum, quod in vltimo illo, Date & dabitur vobis, pluribus vtatur verbis. Etenim de dãdo ægrè audimus. Pateremur sanè nobis dici, vt proximis cõdoeamus, neminẽ iudicemº cõdenemúsve, &c. sed vbi ad dãdum ventũ est, hĩc demũ hæretur: tũ vniciq; videtur, si quid erogat, perditũ esse: quilibet timet si multũ erroget, sibi ipsi carendũ esse. Et tamẽ nihil opus esset hac cura. Nam quomodo esse perditũ potest, quod pauperi das, cũ tamen Christus apertè dicat: Eadẽ mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis? nihilo etiã propterea sis pauperior. Quem admodũ & Sareptana vidua nihilo fiebat pauperior, quòd Prophæte Eliæ de tenui suo victu communicabat. Nobis apparet quidẽ, quòd deficient nos necessaria ac defluant: sed certè nihil aliud quàm incredulitas in culpa est, quãdoquidẽ vbiq; in Scriptura inuenitur ac legitur, nullũ opus quod ab homine fieri possit: maiora promissa habere, quàm misericordiam & benignitatẽ erga pauperes. Hinc fit, quòd Dauid hominem illum beatũ dicit, qui intelligit super egenum & pauperẽ: In die mala (inquit) liberabit eũ Dominus. Dominus cõseruet eũ & viuificet eum & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in manũ inimicorũ eius. Dominus opẽ ferat illi super lectũ doloris eius: vniuersum stratũ eius versasti in infirmitate eius. An nõ autẽ hæc magna promissa sunt? Lege è diuerso, quid Dauid alijs in locis de inhumanis dicat: inuenies nemini atrocius malũ Deũ minatum esse, quã eiusmodi hominibus: imò certò videbis, tales homines nõ nisi maledictionẽ expectare debere. Deus (inquit) laudem meã ne tacueris: quia os peccatoris, & os dolosi super me apertum est. Et postea: Cõstitue super eum peccatorem: & dia-

& diabolus stet à dextris. Cùm iudicatur, exeat condemnatus: & oratio eius fiat in peccatum. Fiant dies eius pauci, & episcopatū eius accipiat alter. Fiant filij eius orphani, & vxor eius vidua, &c. Id genus verbis sanctus David vtitur multis per totum illum psalmum: addens causam, vnde tot mala super hominem veniant. Pro eo (inquit) quod non est recordatus facere misericordiam, & persecutus est hominē in opem. Hoc iam consideremus circa hodiernum istud Euangelium: apprehendamus benedictionem Dei, & maledictionem Dei fugiamus. In hodierna Epistola ponit diuus Paulus duo alia, *Benignitatis incitamenta duo.* quibus nos similiter ad charitatem trahit. Primum est exemplum omnium creaturarum: alterum est futura felicitas. *I. II. Rom. 8.* Principiò quemadmodum Christus vult, vt exemplum capiamus à patre nostro cœlesti: ita quoq; vult Paulus, vt exemplum sumamus à creaturis. Hoc autem eorum officium est, vt bonum, quod à Deo acceperunt, etiā aliorum vsibus permittant. Et cui seruiunt? Hominibus, imò peccatoribus, qui tamen omni bono indigni sunt, quandoquidem tot modis conditorem suum inhonorant. attamen illis seruiunt creature: quia Deo ita visum est, & quoniam se liberatum iri sperant. Secundum tale exemplum, etiā nos seruire alijs debemus, & efficere vt bonum quod accepimus, etiam ad alios committet: nec considerare, quod officio nostro indigni & ingrati sint, sed ad voluntatem Dei solūm respicere, qui hoc nobis iubet, & ad futuram mercedem, quæ longè maior est, quam omnia quæ hic facimus aut damus, vel etiam pati possumus. *Merces bonorum operum.* Atque hac in parte vtitur diuus Paulus insignibus verbis. Ait, nos expectare gloriam filiorum Dei, perfectam libertatem, æternam hæreditatem, immortalitatemque. Et quid maius optare possemus? Fratres, non sit nobis graue quod agimus, damus, atque etiam patimur. Vili emptum est, si paruo dolore, exiguo labore, & temporali dono tanta & æterna bona consequi queamus. Faxit Deus vt hoc confideremus, ipsòque facto exhibeamus, Amen.

## S E C V N D V S S E R M O D I C I T

*item in genere, quid circa Euangelium istud considerandum sit, cum adiuncta Epistola.*



**P**VIDEM sic mihi persuadeo, etiam si nos Christiani nihil aliud haberemus, quã hæc duo Euãgelia, quæ hodiè & proximè præterita Dominica lecta sunt: nihil nobis de futurũ spiritualis cõsolationis, licet alioqui in tribulatione omnium grauisima constituti essemus. Nec vllò vnquam tempore rectam & salutarem doctrinam desideraturi essemus, etiam si pluribus mundus erroribus implicatus esset, quã nunc est: adeò iam commemorata duo Euãgelia, ad duo illa, hoc est ad consolationem & doctrinam rectã respiciunt. In Euangelio superioris Dominicæ, quot verba habet, tam multiplicem consolationem quis inde depromere potest. Perro etiam quot Euangelium istud hodiernum verba habet, tantum vtique doctrinæ præbet homini, si quis modò salutarem & rectam doctrinam expetat. Alios verò, qui nullam doctrinam curãt, imò qui voluntatẽ Dei sciunt & nõ faciunt illam, nec etiam facere cupiunt: illorũ inquam, quot Euangelium istud verba habet, toties incuriam, negligentiam, segnitiam, & impietatem redarguit. Non est hic opus multa demõstratione. Quilibet suum ipsius cor interroget, quid illi conscientia sua dicet, q̃ si vitam suam cum hoc Euangelio conferat, se reprehendi facillè sentiet. Rogas quomodo? Docet vt simus misericordes: vult vt hac in parte omnium maximè declaremus nos veros esse filios Dei, & non nothos. Hæc in genere dicta sunt. Quò autem omnes intelligant, quã Christus misericordia intelligat, ipsemet exponit, perinde ac si dicat: Tum misericors es erga proximum tuum, cũ te in corde tuo non meliorem iudicas illo. Secundò, cum illi in peccata lapsò cõpateris, & eiusmodi errata illi nõ in pessimam partem interpretaris, sed te ipsum consideras in eo, ne & tu similiter teneris. Tertiò, si illum non cõdemnes verbis, aut illi detrahas. IIII. Quartò, si illi libenter condones, vbi quid aduersum te admittit. Quintò, si illi libenter in necessitate succurras ac tribuas. Hac ratione veram misericordiam exhibes, & imitaris Patrem tuum cõelestem: nam in ijs rebus omnibus declarat, & ipse suam misericordiam erga nos homines, quin etiam erga malos. Ipse scit sumentum nostrum: propterea miseretur nostri, quemadmodum pater miseretur suorum filiorũ: non in perpetuum irascitur, nec retinet iram: non secundum peccata nostra facit nobis: neque secundum iniquitates nostras retri-

*Misericors in  
pauperes qui  
sit.*

I. misericors es erga proximum tuum, cũ te in corde tuo non

II. meliorem iudicas illo. Secundò, cum illi in peccata lapsò cõ-

Gal. 6. pateris, & eiusmodi errata illi nõ in pessimam partem interpretaris, sed te ipsum consideras in eo, ne & tu similiter ten-

III. teris. Tertiò, si illum non cõdemnes verbis, aut illi detrahas,

IIII. Quartò, si illi libenter condones, vbi quid aduersum te ad-

V. mittit. Quintò, si illi libenter in necessitate succurras ac tri-

buas. Hac ratione veram misericordiam exhibes, & imitaris

Patrem tuum cõelestem: nam in ijs rebus omnibus declarat,

& ipse suam misericordiam erga nos homines, quin etiam

Matth. 5. erga malos. Ipse scit sumentum nostrum: propterea miser-

Psal. 102. etur nostri, quemadmodum pater miseretur suorum filiorũ:

non in perpetuum irascitur, nec retinet iram: non secundum

peccata nostra facit nobis: neque secundum iniquitates no-

stras retri-

stras retribuit nobis. Quoniã secundũ altitudinẽ cœli à terra, corroborauit misericordiã suã super timentes se. Quantũ distat Ortus ab occidente, longè fecit à nobis iniquitates nostras. Nõ ita præcisè querit, vt causam cõtra nos habeat: alii qui nemo nostrũ subsistere posset, imò tacet etiã cum peccamus: facit perinde ac si nõ videat, cũ nulla creatura inuisibilis sit in conspectu eius. Differt pœnã, licet bene meritis: nõ iudicat statim nec condemnat, sed pœnitentibus ignoscit, condonat & gratificatur, idq; totũ gratuitò: quia nihil eorum nobis debet. Hęc est misericordia Patris nostri in cœlo, cui conformare nos debemus. An non autem videtur tibi q̃ per hoc iam reprehensa, & tanquã merè impia & minimè Christiana res damnata sit, primò & in genere, nostra immisericordia, durities, incompatientia, & infidelitas, quam quandoq; imò quotidie erga nostros cõfratres exhibemus? secundò temerarium iudiciũ, quo nobis inuicẽ omnia in peiorẽ partem rapimus? tertio, virulenta obrectatio & famę denigratio, qua nobis mutuò detrahimus, & alij alios omnibus inuisõs reddimus? quarto, omnis ira, inuidia, odium & rãcor animi. quinto, execrabilis auaritia, quæ solũ ad se attrahit, & nihil in alios cõfert? Omnia hęc, inquam, in isto Euãgelio redarguuntur tanquã ex res, à quibus omnes filij Dei longè abesse debent. Quia enim ipsi misericordia indigemus, æquũ certè est, vt misericordiã exhibeamus. Alioqui Christus quoq; ad nos dicet: Serpe nequã, omne debitũ dimisi tibi, quoniã roga sti me: nõne ergo oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum? Sic etiã, quoniã ipsi quotidie ex aliena manu accipimus quod habemus quemadmodũ David dicit: Quis ego & quis populus meus, vt possimus hęc tibi vnipersa promittere? ip̃a sunt omnia: & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. Peregrini enim sumus coram te & aduenæ. Quoniam itaque res ita habet, æquũ est sanè, vt etiam alij e manibus nostris accipiant. Quia verò ipsi quoque peccatores sumus, haudquaquam nos decebit, vt alios condemnemus, & festucam videamus in oculo alterius, atque interim trabis nostræ obliuiscamur. Quinimò quia videre non possumus corda hominum, quod solius Dei est, impossibile est, vt rectè de alijs hominibus iudicare possimus. Quoniam autem ipsi quoq; serui sumus, minimè conuenit, vt alios iudicemus. Et vt semel omnia dicam, quia nos ipsos remissionem pecca-

Hebr. 4.

In duritiam  
& inhumanitatem nostrã.  
c. 6.

Matth. 18.

1. Par. 29.

Luc. 6.

torū rogare oportet iuxta doctrinā & mandatū Christi, certè par est, vt nos alijs etiā condonemus, maximè cū sciamus, Deū hęc omnia remunerari velle. Nā si misericordes simus, & ipse misericors esse erga nos vult: si non iudicemus, damnemusq; , nec ipse nos iudicare vult & condemnare: si remittimus, & ipse nobis vult remittere: si demus alijs, & ipse nobis dare vult, & quidē abūdē. Atqui verò hęc omnia sunt verba Christi, qui nos nō fallit. nō igitur vērō tradenda sunt. Quocirca rē recta reputemus via. Enimuerò proximo nostro tantū præstare nō possumus, quā longè maiora fecerit nobis Deus, & plura etiā facturū. Si nos itaq; nostra cōpatientia, cōdonatione & largitione tantū cōsequi & obtinere possumus, vt nos Deus nō iudicet neq; cōdemnet, sed nostri misereri velit, nobis dimittere ac dare: certè facili pretio mercati sumus. Quare nō est q̄ quis grauetur eo, qđ proximo suo facit aut facere debet. Omnia affatim redeūt tam in hoc, quā in illo sēculo. Hoc singulari studio obseruandū circa istud euāgelium. Alioqui enim, quia merā doctrinā & præcepta habet, posset homo carnalis (cui omnes leges & præcepta cōtraria sunt) facili fastidium cōcipere, præterire ac dicere: Durus est hic sermo, & quis potest eum audire? quis tot præcepta serua ret? Nō ignorauit hoc Christus, & cōsultò præuoluit. Idcirco Euāgelium istud ita tēperauit, & præceptū suū sic proposuit, vt grauari nemo possit, quando quidē parua postulat, & cōtrā magna p̄mittit. Etenim primò qñ cogitamus, quòd Christus in ipso statim principio Euangelij dicit, nos habere patrē in cœlo, imò Deū ipsummet esse nostrū patrē, nos autē filios eius, nequaquā graue nobis fuerit, quicquid in gratiam talis patris faciemus. Quid enim honestius in cœlo & in terra, quā Deū patrē habere, & filiū esse Dei? Videte (inqt Ioannes) qualem charitatē dedit nobis pater, vt filij Dei nominemur & simus. Quid quis nō libēter faciat ac tolleret, vt talē cōsequi honorē possit? Sed qđ ait Christus? Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderūt vos & orate pro persecutibus & calūniantibus vos, vt sitis filij Patris vestri qui in cœlis est, qui solē suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Secūdò introducitur Christus pulchrā similitudinē de discipulo & eius magistro, id indubiè propterea faciēs, vt rātò minus præceptis illius grauemur. Discipuli est obsequi, præceptoris iubere & docere: hominis officium est

*Merceres recte factorū: ergo meritum.*

*Ioan. 6.*

*Deus pater ster.*

*no*

*1. Ioan. 3.*

*Matth. 5.*

eium est obedire, Deus verò potestaté habet mādandi & iu-  
 bendi. Quisquis igitur cogitat, se discipulú esse & hominem,  
 etiá is tantò minus grauabitur, quod illi Christus præceptor  
 eius, imò Deus ipse imponit. Est enim volútas eius, vt Chri-  
 stum audiamus. Hic est filius meus dilectus, ait Deus Pater, *Matth. 7.*  
 in quo mihi benè complacui: ipsum audite. E diuerso dicit  
 Christus: Qui me spernit, spernit patrè meum. Maximè verò *Luc. 10.*  
 hæc præcepta leuia nobis facere debet, quod Christus & ad  
 vnú quodlibet peculiarè promissionem addit, & quæ semper  
 præcepto maior est. Quid autè vnicuique homini laborè suú  
 leuiorè facit, quàm spes lucri? Mercator relinquit domum & *Spes lucri.*  
 possessiones, vxorem & liberos: peregrè proficiscitur, mari  
 sese committit, periclitatur de vita & corpore, labores & mo-  
 lestias sustinet, tollerat æstum & frigus, imò varia incommo-  
 da: & interim tamen est animosus atque impiger. Quid verò  
 id efficit? Spes lucri. Sic facit quoque miles, sic mercenarius,  
 is laborat totum diem in æstu & sole, attamen omnem labo-  
 rem sibi leuè facit, cogitans de mercede. Verú vbi lucrú, solu-  
 tio & vtilitas certior, quàm apud Deum? Alioqui nusquàm  
 nõ locorú aliquid defit. Mercator suas res tam certas nõ ha-  
 bet, quin falli possit, vt nõ solùm nihil lucretur, sed etiá sum-  
 mam amittat. Ita de milite & mercenario. neq; id mirú: nemo  
 enim literas habet & sigilla, vt cuncta ipsi eueniant ex senten-  
 tia. Præterea omnes homines sunt mēdaces, solus verò Deus  
 verax est: quocirca etiam merces certa & infallibilis est apud *Psal. 115.*  
 eum. Dixit & non faciet, inquit Balaan? Quomodò essentia- *Rom. 3.*  
 lis veritas fallere aut decipere possit? Hic autem stat Deus ip- *Num. 23.*  
 se, & ait: Nolite iudicare, & non iudicabimini: nolite cōdem-  
 nare, & nõ condēnabimini. Dimittite & dimittemini: date &  
 dabitur vobis. Nõ est igitur q̄ præceptis istis grauemur, quã-  
 doquidē promissiones adiunctę simul sunt, & certi sumus, *2. Tim. 2.*  
 Deū nõ fallere. Est em̄ fidelis, seipsum negare nõ potest. Atq;  
 hoc modo vides, quã pulchrè Christus sua præcepta mitiget *Ioan. 6.*  
 non aliam sanè ob causam, quam vti ne quis retrò currat, *4. Reg. 5.*  
 quẽadmodũ Capernaitæ, & dicat: Durus est hic sermo, quis  
 potest eũ audire? Nequaquã fratres. Et tiam si Christus maio-  
 ra nobis imponeret præciperetque, nõ tamen cōqueri posse-  
 mus: quãtò minus nos habemus qđ quæramur de illo dicere,  
 Nolite iudicare & nõ iudicabimini? &c. Tantum in genere  
 de hodierno Euangelio. Beatus Paulus conatur in hodierna

Epistola quoque omnes afflictiones & tribulationes homini Christiano leues facere. Id quod haud malè ad hodiernum Euangelium quadrat. Nā quorsum alioqui attinet: vt quis volens & impiger in via diuinorum præceptorum ambulet, si in

*Bona facere,  
mala perpeti.  
2. Cor. 9.*

via crucis succubat, ac deficiat? Atqui vtrūque doceri oportet in schola Christi, bonū facere, & malum pati, imò hæc omnia ex animo & non grauati. Hilarè enim datorem diligit Deus. Horum vbi alterutrum deest, nimis parum est. Quādo igitur Christus in Euangelio nos docuit benefacere, & quomodo illud sine difficultate possimus præstare, docere etiā nos vult

*Rom. 8.  
Afflictiones  
vnde misere-  
scant.*

Paulus, quomodo in cruce quoque ipsa & afflictione, sine grauamine subsistere queamus. Existimo (inquit) quòd non sunt condignæ passiones huius temporis, ad futurā gloriā quæ reuelabitur in nobis, &c. His & sequentibus verbis docet diuus Paulus, quibus rebus homo Christianus sibi ipsi crucē

I. suam & passionem mitigare & leuem facere possit. Sententia est, perindè ac si dicat: Homo, cogita crucem & tribulationem tuam non fore diuturnam, sed crucem tuam finem habitu-

*Creaturas  
ingemiscere  
quid sit.*

ram, mercedem autem magnam secuturam: tanto fiet tibi facilius. Hoc vnum est. Secundò, cōsidera exemplum omnium creaturarum, quæ & ipsæ pati ac experiri coguntur, quod illis non placet. Ad cultum quidem Dei creatæ sunt, idq; proborum bono, nihilominus verò pati eas oportet; quod improbi varijs modis ipsis abutuntur ad contumeliam Dei, & ad iniuriam bonorum: sed expectant redemptionē, siquidem impossibile est, vt creaturæ malis æternum seruiant, quandoquidē non illis sed bonis bono creatæ sunt: quapropter etiā ministerium earum finem adipisci oportet. Ita quoque dolet quidem bonus, si res sint inauspicatæ, & ipse cruce seu tribulatione grauatus est, & maximè, si nesciat quò sese vertat: tæ-

*Exod. 14.*

det eum si Deus non celeriter succurrit, sicuti Moyses olim & Israëlita in maximis angustijs erant, cum illos Aegyptij sequerentur. Sed expectandum omninò est, quemadmodum & creaturæ expectant, quando eas liberet Deus. Hoc considera (inquit Paulus) rursus crucem tuam tolerabilius feres.

III. Tertio, cogita, quòd nos etiam Apostoli, qui primitias spiritus, hoc est, maiora dona accepimus: attamē intra nos ipsos ingemiscimus, extrinsecus tentamur, interius certamus aduersum machinationes & terrores Diaboli: varia offendicula nos videre oportet: sed tamen redemptionem expectamus. Spe

mus. Spe quidem salui facti sumus, sed nondum re ipsa. In ter *Rom. 8*  
 ris adhuc sumus, necdum in cœlo. Exhilarare autem nos de-  
 bet, quòd scimus omnia habitura finem, secuturaque omnia  
 bona. Hic vides, quomodo Paulus se & alios in cruce & passio-  
 ne pulchrè consoletur, nobis scriptum est, ad animum reuocē-  
 mus. Siquidē magni refert, quippè, quòd geminus sit labor, si  
 quid inuitus facias aut patiaris. Hunc in modum facit nobis  
 Euangelium istud omnem laborem, Epistola verò omnem  
 crucem & passionem leuem. Deus Opt. Max. faxit, vt id confi-  
 deremus præstemúsque, Amen.

T E R T I V S S E R M O D E  
 principio, & primis uerbis Euangelij.



**H**ODIERNVM istud Euangelium nihil aliud  
 habet, quã moralē doctrinã seu adhortationem  
 ad virtutē, & bona opera, sed tñ non vanam, fal-  
 lacem & inefficacē doctrinam, cuiusmodi olim  
 Ethnicorum Philosophorum & eruditorū ali-  
 qui professi sunt, sed nouã & Euangelicã prorsus doctrinam  
 atq; præcepta. Atque huiusmodi institutio seu exhortatio ad  
 virtutis studia, bonos mores, & piã vitã, altera pars est Chri-  
 stianæ & Euangelicæ doctrinæ. Duo quippè nos docet Euan-  
 gelium Christi. Primò fidē, deinde etiam piã vitam seu bona  
 opera, mores ac virtutes. Ad doctrinã de fide, pertinent pro- *Fides.*  
 missiones ac miracula Christi: quæ ideò Christus præmisit,  
 quòd per ea hoies discerent tēpus adesse, in quo genus huma-  
 num reduci ac liberari deberet: atque hoc pacto vnusquisque  
 certa & summa fiducia Christo sese dederet & adiungeret.  
 Ad doctrinam autē seu adhortationem ad piã vitam & bona *Bona opera.*  
 opera, præcipuè pertinet verba quæ Christus in hodierno Eua-  
 gelio loquitur: id quod quiuis Christianus summo studio au-  
 dire ac obseruare debet. Primò cõtra eos, q nudæ ac otiosæ fi- *Sola fides, otio-*  
 dei sese credūt, persuasum habentes, se nihil opus habere am- *sa.*  
 plius, solã id facere fidē, Deum nihili pendere bona opera. Se-  
 cundò cõtra eos, qui quidē curã bonis operibus impendunt,  
 sed præposterè: sibi ipsis hoc vel illud facere eligunt, cæterum  
 quod Deus præcepit, haudquaquã curat: ré nihili religiosè te-  
 nent, si qua pluris momēti est, eã negligūt, quẽadmodũ Iudai  
 ci Pharisei, de quibus Christus loquitur, Decimant mentã & *Matth. 23.*  
 anethum & cyminum, & relinquunt quæ grauiora sunt legis,

iudicium, & misericordiam, & fidem: Quare audiamus, cuius modi Christus opera bona doceat præcipiatq;. Estote misericordes (inquit) sicut & Pater vester cœlestis misericors est. Hoc Christus in principio ponit, & nō immerito. Nā simile quoq; aliās inuenis passim in sacris literis, misericordiam & charitatē ante oīa alia opera cōmendari: nec vllum tam multa tamq; magna promissa habet, siue tēporalia, siue spiritualia.

*Matth. 9.* Euntes (inquit) discite quid est, misericordiā volo & nō sacri

*Mich. 6.* fœdum. Indicabo tibi ō homo (inquit Michæas) quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te: vtiq; facere iudicium, & diligere misericordiā, & sollicitum ambulare cum Deo tuo.

*Esa. 58.* Frāgē esurienti panē tuū (inquit Isaias & egenos vagōsque induc in domū tuā: cum videris nudū, operi eū, & carnē tuā ne despexeris. Tunc erūpet quasi mane lumen tuū, & sanitas tua citius orietur, & anteibit faciem tuā iustitia tua, & gloria Dñi colliget te. Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet: clama

*Psal. 40.* bis, & dicet, Ecce adsum. Beatus vir (inquit David) qui intelligit super egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus. Dominus conseruet eum, & viuificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in manum inimi-

*Psal. 11.* corum eius, &c. Et iterum: lucundus homo qui miseretur & commodat, disponit sermones suos in iudicio: quia in æternum non commouebitur. In memoria æterna erit iustus.

Ex substantia tua fac eleemosynā (inquit Tobias quarto cap.) & noli auertere faciē tuam ab vilo paupere, præmium enim

*Pron. 22.* bonū tibi thesaurizas in die necessitatis. Cōsiliū meū placeat tibi (inquit Daniel c. 4.) & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum. Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur, &c. His sententijs plena est

*f* tota scriptura. Nihil itaque mirum, etiam Christum ab hac parte incipere bona opera docere, Estote misericordēs (inquit) sicut & Pater vester misericors est. Hoc non ad vnum aut aliquot homines solum dicit, sed ad omnes Christianos. Hic enim nemo excipitur, neque diues, neque pauper, neque ciuis, neque rusticus, imò neque publicanus neque miles.

Hoc vno verbo complectitur Christus summam Christianorum bonorum operum, quēadmodum & Paulus dicit, charitatem esse legis plenitudinē: & qui diligit proximum, legē impleuisse. Eiusmodi verò charitatis & misericordiæ pponit nobis Christus neminē alium pro exemplo, quā Deum patrem, quemad-

quemadmodum & aliàs vult, vt illum loco exempli sumamus  
 in charitate erga proximum. Hoc (inquit) est præceptum *Ioan. 15.*  
 meum: vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. Imò, vt nõ potest *Ioan. 13.*  
 maior esse dilectio, quã Christus declarauit moriẽdo pro ini-  
 micis suis, veluti ipsemet dicit: ita non est maior misericordia,  
 quã apud Deum & in Deo. Huc pertinet, quod ipsemet dicit:  
 Ego sum Dñs Deus tuus, faciẽs misericordiam in millia, &c. *Exod. 20.*  
 Huc quoque seruit, quod Manasses dicit in sua pœnitentia, *In fine Para.*  
 Inuestigabilis misericordia promissionis tuæ. Et David Psal. *lip.*  
 102. Misericordia eius ab æterno, & vsque in æternum super  
 timentes eum. Et rursus. Psalm. 85. Misericordia tua magna  
 est super me: eruisti animam meam ex inferno inferiori. Item  
 Psalm. 56. Magnificata est vsque ad cœlos misericordia tua.  
 Et iterum Psal. ceteresimo quadragesimo quarto: Miserationes  
 tuæ super omnia opera tua. Rogas, qua in re misericordia Dei  
 consistat seseque declarat? Responsum accipe: Sic Deus miseri  
 cors est: vt nobis omnia tam temporaliter quam spiritualiter  
 tribuat ex immẽsa misericordia. Quis enim prior dedit illi, &  
 retribuetur ei? Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.  
 Videt nos in peccatis & in morte herere, sed miseretur nostri,  
 & dat nobis vitam, modò ipsi velimus. Deus (inquit Paulus) *Ephe. 2.*  
 qui diues est in misericordia, cum essemus mortui peccatis,  
 conuiuificauit nos Christo: imò non ex operibus iustitiæ, quæ *Tit. 3.*  
 fecimus nos, sed secũdum suam misericordiã saluos nos fecit,  
 per lauacrum regenerationis, &c. Sic videt nos filios iræ & in  
 ferni esse, & conuersos facit nos filios gratiæ, & æterni sui re-  
 gni. Eripuit nos (inquit Paulus ad Coloss. 1.) de potestate te-  
 nebrarum, & transtulit in regnũ filij dilectionis suæ. Et Chri-  
 stus ipse Luc. 12. Noli timere, ait, pusillus grex: quia cõplacuit  
 Patri vestro dare vobis regnum. Ita quoque videt Deus nos  
 miseros esse & egenos, famelicos & sitibundos, ægrotos & de-  
 biles, & dat nobis cibum & potũ, & amictum & alia: imò ape-  
 rit manum suam, & implet nos sua benedictione, hoc est, mul-  
 tifarijs bonis. Præter hæc videt nos quotidie peccare, nec ta- *Psal. 102.*  
 men protinũs nos relinquit, abijcit & damnat, sed quomodo  
 miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timẽtibus se: *Psal. 102.*  
 quoniã ipse cognouit figmẽtum nostrũ. Postremò misericor-  
 dia Dei tanta est: vt sese etiã in improbos protẽdat, facit enim *Matth. 5.*  
 ortiri solem suum super bonos & malos, & pluit super iustos  
 & iniustos. Talis quoque nostra esse misericordia debet, ni-

mirum tota simplex & candida : vt pari ratione erga quosuis  
**Ibid.** tum amicos, tū inimicos sese exhibeat. Et hoc est, quod Christi  
 in Mattheo, imò etiam partim in Luca, & paulò ante ho-  
 diernum Euāgelium dicit: Audistis quia dictum est antiquis:  
 Dilliges pximum tuū, & odio habebis inimicū tuū. Ego autē  
 dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderūt  
 vos: & orate pro persequentibus & calūniantibus vos, vt sitis  
 filij Patris vestri qui in cœlis est, &c. Hęc oīa in voce ista com-  
 prehensa sunt: Estote misericordes, sicut & pater vester miseri-  
 cors est. Et hīc obserua primū, q̄ Christus oīa, quę in his ver-  
**Rom. 5.** bis docuit, etiā proprio suo exēplo impleuit. Cū inimici esse-  
 mus (inquit Paulus reconciliati sumus Deo, &c. Et Ioannes:  
**Apoc. 2.** Dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris, &c. Ergo verbis si-  
 mul & factis seu exēplo nos docuit. Ad hęc promisit quoque  
**Luc. 11.** spiritū charitatis dare petētibus se. Nulla nobis excusatio reli-  
 qua erit, si à talibus mādatis nos alienauerimus. Secūdo attē-  
 de, quēadmodum Christus nos pulchrē à paruo & infimo ve-  
 luti per gradus quosdā ducit ad summū & perfectissimum: in  
 I. quo præcipuē nostrā imbecillitatē considerauit. Primus gra-  
 II. dus est, ne irascamur. Secundus, ne primi simus in offendēdo  
 III. alios. Tertius, ne plus malī reddamus quā nobis illatum est.  
 IIII. Quartus, ne nos quoque nostrā vicem vliscamur. Quintus,  
 V. vt ad maiora etiā perferēda volētes nos offeramus. Sextus, ne  
 VI. agrē nobis faciētē odio prosequamur. Septimus, vt talē ame-  
 VII. mus. Octauus, vt ei beneficiamus. Nonus, vt etiā pro illo ore  
 VIII. mus. Ex his vide, quā latē pateāt ista verba. Quā verò paucos  
 IX. inuenit inter nos, qui nec infimum gradum eiūscę charitatis  
 attingāt? Porro in verbis iā dictis Christi ex Mattheo & Lu-  
 ca, tres vltimi gradus cōmemorati sunt. Quia ergo Christus  
 vtrisque in locis gradus illos charitatis concludit eo verbo,  
 Estote ergo misericordes, sicut & pater vester misericors est:  
 aliquantò tres istos gradus penitius vestigabimus. Primò, in-  
 quit Christus: Ego autē dico vobis, diligite inimicos vestros.  
 Eius rei causam sub finem ipse reddit: Si, enim diligitis eos,  
 qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nōne & pu-  
 blicani hoc faciunt? Et si salutaueritis fratres vestros tan-  
 tūm, quid amplius facitis? nōne & Ethnici hoc faciunt?  
 Perindē ac si dicat: Quòd quis amantem redamat, non est  
 Euangelica virtus, sed opus, ad quod ipsa etiam prouocat na-  
 tura: hoc enim non facere, etiam apud Ethnicos animadu-  
 tenda in-

Nota Matth. 5.  
 q̄ sequitur

renda ingratitude est. Vult ergo Christus p hoc, vt nos Chri  
 stiani reliquis omnibus populis perfectiores sumus. Vndè fa- *Christiani*  
 cilè colligere est, qua pœna digni simus, q̄ Christus nos iu- *debent cate-*  
 beat vitam nostram instituire iuxta exemplū Dei, & nos verò *ri esse perfe-*  
 sæpe multisq; in rebus Ethnicis deteriores simus: nec eos sæ- *ctiores.*  
 pè diligimus, quin persequimur, qui nos diligunt, p̄ta paren-  
 tes nostros. Sed dicit h̄c humana ratio, & naturalis, imò  
 prauus effectus: Hic & ille homo tantis me affecit iniurijs, vt  
 amare eum non possim. Audi mi frater: non hostis tuus, sed *Nihil nobis,*  
 Deus per illū hoc tibi fecit. Tu autē facis instar rabiosi canis, *nisi Deo per-*  
 lapidem mordes quo ictus es, nec vides eum qui lapidē proie- *mittente, acci-*  
 cit. Et facis in morem p̄neri, qui irascitur virgæ, qua cæsus est: *dit.*  
 non cogitat alium fuisse qui duxerit virgam. Id verò certum  
 prorsus ac indubitatū habere debes, q̄ nec mortales oēs, nec  
 etiam mali spiritus, vllam super te potestatem habent, nec in  
 minimo quidem te lædendi, nisi Deus, qui cuncta gubernat.  
 hoc illis permittat. Nam si omnes capilli capitis nostri nume- *Matth. 10.*  
 rati sunt: nec passer sine eius voluntate in terram cadit, quan- *Luc. 21.*  
 tō minus aliquid incommodi tibi imminere potest absque il-  
 lius voluntate aut permissione? Sic nec diabolus optimo Iob  
 ouem poterat perdere, nisi Deo prius permittente. Sic nec *Iob. 1.*  
 vniuersa legio dæmonum suis nocere quicquam poterat, *Matth. 8.*  
 donec illis permittebat Christus. Quod autem Deus aduer- *Marc. 5.*  
 sum te agit, id non odio tui facit, sed ex imensa benignitate  
 & charitate, & ad æternam tuam salutem. Quam ob rem nō  
 est q̄ illos odio prosequare, sed potius diligas, qui eiusmodi  
 bonam Dei voluntatem in te perficiunt. Atqui pergis dicere:  
 Si hic saltem, aut ille homo non esset, quem cum ego tantis  
 ornarim beneficijs, ille contrā tantis iniurijs me oneravit, vt  
 tolerare non possim. Audi frater: quemadmodū iudex reo vel  
 malefico non permittit delectum, quomodo & à quo puniri  
 velit, sed ipse facit hac in p̄tte quod sibi æquū videt: ita Deus  
 nō imponit tibi pœnā & crucē pro tuo arbitrio, alioqui haud  
 grauem tibi crucē electurus esses. Nec te punit per eos quos  
 tute eligis, sed quos ex æterno cōsilio ad hoc ipse destinauit.  
 Quemadmodū ergo Deū in prosperis & aduersis rebus dili-  
 gere debemus: ita quoque inimicos nostros propter Deū dili-  
 gere debemus, & cōpatientiā erga illos gerere, q̄ illos Deus  
 virgam esse voluit, quam mox deindè in ignē projicit. Sequi-  
 tur: Benefacite his, qui oderunt vos. Sic dicit etiam Moyses: *Exod. 23.*

- Rom. 11.** Si videris a sinu odientis te, iacere sub onere, non pertransibis, sed subleuabis eum eo. Et Paulus: Si esurierit inimicus tuus, ciba illi: si sitit, potum da illi. hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius. Hoc est, quantumcunque malus est, vinctes tamen eum beneficijs, & emollies ad redamandum te. Porro vult Christus, ne inimicos nostros minis, ira, detractionibus oderimus, &c. sed amore, beneuolentia & beneficijs vincamus. At enim dicis: Indignus est homo ille, ut boni quid illi a me fiat: Respondetur: At æquum est, & tibi honestum, ut hoc illi facias. Et Christus dignus est, in cuius gratiam id illi præstes: atque hoc Deo longè gratissimum est. Lucas addit: **Luc. 6.** benedicite maledicentibus vobis. Vult enim Christus, ne cuiquam malè velimus, aut precemur. Homo Christianus ad benedictionem vocatus est, non itaque decet illum ut maledicat. Sed ais: **1. Pet. 3.** Tamè quandoque etià sancti alijs hominibus imprecati sunt. **Gen. 9.** Sic maledicebat Noè filio suo Cham: sic David precabatur **2. Reg. 3.** Ioab multa mala. Helizæus maledicebat filijs ridentibus se. Et **4. Reg. 1.** Petrus ad Simonem Magum: Simon (inquit) pecunia tua tecum sit in perditionem: Idem & Paulus dicit: **Act. 8.** Utinam abscindatur qui vos conturbat. Respondetur: **Galat. 5.** Quod tales viri hac in re fecerunt, non ex ira, odio, aut vindictæ cupiditate id factum est, sed ex magno zelo, pro honore Dei & salute hominum. Videbant enim per hoc honorem Dei temerari, ideo optabant, ut blasphemia Dei tolleretur, non querentes hominum exitium, sed gloriam Dei. Satius est autè peruersos homines pessum ire, quàm Dei honorem imminui. Sequitur: Et orate pro persecutibus & calumniantibus vos. Talibus hominibus potius **Luc. 23.** compatiendum quàm irascendum est, quia profectò nesciunt, quid faciunt: imò proculdubio sibiipsis maximam afferunt danum, probis verò summo bono sunt. Idcirco & Christus statim subiicit: Ut sitis filij Patris vestri qui in cælis est, &c. O honorificum titulum. Hic vides, quantum boni tibi pariant inimici tui, si persecutionem eorum patienter feras: imò oēs amici tui cum omni sua adulatione tibi tantum boni procurare non possent. Nā qui **Galat. 4.** filius Dei est, erit & hæres Dei. Quocirca ne cogites quantum patiaris, sed quid emolumenti inde ad te redeat. Ex hoc autem ultimo verbo apparet, nos præcipue per charitatem filios Dei declarari. In hoc cognoscent oēs, ait Christus, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. Et Ioannes: **1. Ioan. 3.** In hoc manifesti sunt filij Dei, & filij diaboli. Diabolus odit Deum &

*Charitas nos  
efficit filios  
Dei.*

Deum & hoſes, & ad id prouocat ſuos filios: Dei autē filij con-  
 trariū faciūt. Ar tamē verò etiā hac in parte ingens discrimen  
 eſt inter naturalē filiū, & adoptiuos filios Dei. Chriſtus natu-  
 ralis Dei fili⁹, nō eo noīe filius Dei factus eſt, q̄ inimicos ſuos  
 dilexit, ſed quia filius Dei erat, fecit vt Deus pater, & inimi-  
 cos ſuos dilexit. Alij oēs boni homines diligūt inimicos ſuos,  
 nō q̄ filij Dei ſint, ſed vt filij Dei fiant. Porrò quæcunq̄ ha-  
 ctenus ex Euāgelio dicta ſunt, hoc pacto cōcludit Chriſtus in  
 Luca: Eſtote ergo miſericordes, ſicut & Pater veſter miſeri-  
 cors eſt. Verūm in Matthæo hoc cōcludit verbo: Eſtote ergo  
 perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfect⁹ eſt. Atqui Deus  
 perfectus eſt in veritate, æternitate & bonitate: ita nos quoq̄;  
 perfecti eſſe debemus in fide, ſpe & charitate. Quid ad hoc di-  
 cēt, qui exiſtimāt hæc verba nihil ad ſe pertinere? An nō autē  
 audis inſœlix, q̄ Chriſtus dicit, Vt ſitis filij Patris veſtri? Si  
 nō cupis eſſe filius Dei, hæc verba nihil ad te attinent. Cæte-  
 rum ſi filius Dei eſſe & vocari voles, non aliena tibi hæc verb⁹  
 eſſe debent. Deus det nobis omnibus ſuam gratiam, Amen.

*proſerimen q̄ inbe-  
 nty dei filij v-  
 u adoptiuuz:-*

*Luc. 6.  
 Matth. 5.*

**QVARTVS SERMO DE VERBIS,**  
*Nolite iudicare, & non iudicabimini: nolite condem-  
 nare, & non condemnabimini.*



**C**IRCA hodiernum atque etiam alia dominica-  
 lia Euangelia, non immeritò quis demirari poſ-  
 ſit, q̄ in Eccleſia nunc hic nunc illic pars ex ſcri-  
 pturis Euangelistarum deſumitur populo pro-  
 ponenda & prædicanda. Et quidem ineptorum  
 ſat magna ſuppetit copia, & ſanè nimia, præſertim noſtro tē-  
 pore, qui de eiſmodi Eccleſiæ ordinatione nimis temere lo-  
 quuntur, & omnia in peiorem interpretantur partem. Ve-  
 rum qui rem recta ſecum reputat via, non habebit quod in  
 eo carpat: ſed dicere cogetur, rectè ita inſtitutum eſſe, & pro-  
 uiſum. Vnicum cape exemplū: Præterita Dominica Euange-  
 lium habuimus prorsus conſolatorium, vt quod ab initio ad  
 finem vſque miſericordiam Dei, & comitatem Chriſti erga  
 miſeros peccatores nobis cōmendaret. Qui autē fructus ſpe-  
 randi eſſent, ſi per totū annum nihil aliud prædicetur, quam  
 de eiſmodi miſericordia Dei? Haud dubiè maior pars tan-  
 tō remiſſior futura eſſet ad bona opera, vt liquidè videmus

*Vinum dolio  
 miſcendum.*

Veri Christi-  
fiani.

initium

+

Gene. 3.

4. Reg. 9.

Esa. 14.

Gene. 3.

I. Cor. 8.

Luc. 18.

nostris tēporibus, nusquam bona opera minus curari, quin etiam peccata nusquam minus vitari, quàm vbi frequentissimè de misericordia Dei & gloria Christi sermo sit. En, ea de causa subconsolatoriū illud Euangeliū, statim hodiernū positum & ordinatū est: quod totū nihil habet aliud, quàm adhortationes ad bona opera, vt quum audiuimus, qualis Deus sit erga nos, audiamus quoque, quales nos esse velit. sunt hæc vtraq; sciēda. Atque ij demum veri efficiūtur Christiani, qui Christianismū suum non solū verbis, sed etiam operibus & tota vi a demonstrant. Hodiernum Euangelium à capite ad calcem, ad charitatem eiusq; opera seu fructus respicit. Inter omnia autē, quæ nos ad charitatē trahere possunt ac debent, nihil fortius est & efficacius, quam quod charitas illa sublimiter & luculenter in Deo & in Christo apparet. Vnde & Christus hac in parte ante omnia se & Patrē cœlestem exemplum statuit: quin Deus ipse, licet se nonnullis creaturis per iustitiā suā cognoscendū dedit, vt pote superbo angelo & inobediēti homini: alijs verò per suam potentiā, vt Pharaoni & Sennacherib, &c. attamen se in genere & erga oēs homines potissimum per suam charitatem & misericordiam manifestare voluit, & per id cognosci, quēadmodū antiquitus Moyse promiserat, Num. 14. Viuo ego (inquit) & implebitur gloria Domini vniuersa terra. Quando igitur vel maximè charitatē & misericordiā in nos declarauit, in quos tamen iure animaduertere potuisset: vult nimirum, vt & nos amorem & misericordiā in proximos cōferamus. Huc quadrat qđ initio huius Euangelij dicit: Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est. Non dicit: Estote potentes, sapientes, aut intelligentes, & diuites, sicut Pater vester potens, sapiens, aut intelligēs ac diues est. Non: Angelus Deum æquare volebat potentia, sed præceps ob hoc agebatur. Homo Deo par esse volebat scientia, sed interim Dei gratiam & fauorē deperdebat, incidēs in Dei iram & maledictionē. In hodiernū diem periculosum est, vbi quis magnā potentiā & scientiā aucupatur. Scientia enim inflat. Porro quò quis altius ascēdit, hoc grauior casus timēdus est. Qui enim se exaltat, humiliatur. Idcirco nihil melius, tutius & vtilius, quàm vt Deū imitemur in charitate & misericordia. Quò autem omnes videāt melius, quid misericordia sit, quā proximo nostro debemus, tria Christus addit ad eam rem pertinentia. Primum, ne quē iudicemus dam-

nemū sue

nemusue Alterum, vt proximo nostro remittamus. Et ter- I I.  
 tium, vt egenti demus auxiliūque. De primo nunc audie- I I I.  
 mus. Nolite iudicare (inquit Christus) & non iudicabimini. Luc. 6.  
 Hic principio obserua, Christū hic non loqui de iudicio, quo Iudicare  
 quis secum de seipso cēsuram facit: vbi quasi pro tribunali se- seipsum.  
 det, vitā suā proponit: audit qua in re illū conscientia sua accu-  
 ser: corripit deinde & cōdemnat seipsum, &c. Tale iudicium  
 nō inhihet Christus, vt pote bonū & salutare: imò diuus Pau-  
 lus id à nobis poscit. Quòd si nosmetipsos diiudicemus, in- I. Cor. II.  
 quit, non vti que iudicemur. Secūdo, loquitur Christus hoc Iudicium fo- 2  
 loco nō de mundano iudicio, quod Magistratus exercet, tan- rense.  
 quā talia iudicia interdixerit: nolit, vt Christianus iudex  
 sit, gladio vtatur, & malos castiget. Dicit quippè Paulus, po-  
 testatem esse hac in re ministram Dei, imò Deum ipsum cō- Rom. 12.  
 misisse ei gladiū in vindictam malorū, & in defensionem bo-  
 norum. Perperam itaque illatum fuerit, si quis dicat. Christū  
 à iudicando nos prohibuisse, nō ergo fur suspendendus, latro  
 nō occidendus, adulter non lapidandus, & in nullum homi- Matth. 22.  
 nem gladius exercendus. Nequaquam. non est hæc intentio,  
 Christus mundanam potestatem non abrogauit, sed confir-  
 mauit. Tertio, non est ea mens Christi, vt ad omnia peccata Matth. 18.  
 taceamus, nec proximū corripiamus. Minimè: Christus nos  
 aliter docuit. Si peccauerit in te frater tuus, inquit, vade, &  
 corripe eum inter te & ipsum solum: si te non audierit, adhi-  
 be tecum vnum vel duos, vt in ore duorum vel trium testiū,  
 stet omne verbum. Quòd si non audierit eos, dic Ecclesiz: si  
 aurem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Pu-  
 blicanus. Hic vides, q̄ Christus non iubeat nos tacere ad pec-  
 catum proximi nostri, sed vult vt increpemus eum, sed tamen  
 eum in modum, vt nunc auditum. Idcirco verbum istud, No-  
 lite iudicare, nec cō quidem referendum est. Quarto itē, non  
 est ea intentio, vt quod palàm malum est, non malum voce-  
 mus. nam vbi res quæpiam palàm mala est, vt scortario, adul-  
 terium, furtum, blasphemia, &c. neminem decuerit sanè, vt  
 bonam appelleret. Alioqui cadet in eum ea maledictio Isaiz: Esa. 5.  
 Vx qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes  
 amarum in dulce, &c. Cui conuenienter dicit & Sapiens: Qui Prouer. 17.  
 iustificat impium, & qui cōdemnat iustum, abominabilis est  
 vterque apud Deū. Non ergo hæc mens Christi est, vt quod  
 euidenter malum est, non reprehendamus: quanquā hac

in re duobus modis delinquere possumus. Primò, cū nimis accurate & curiosè aliorū scrutamur vitia. Secundò, cū nimis acerbè de ijs loquimur: id quod charitati cōtrarium est, vt alijs in locis indicabitur. Loquitur autē Christus hīc solū de temerario iudicio, vbi quis aut secretas & occultas res suspiciosè, vel etiā huiusmodi res, quæ benè & malè fieri pñt, temere iudicat, & in malā interpretat partē. Hoc est illud iudicare, quod Christ⁹ inhibet, quū aliorū peccata inqris, nō q̄ cupias illa corripere, sed vt proximū tuum traducas, illius famā denigres, tibi ipsi virtutis & probitatis opinionē concilies: dūq; places tibi quòd mala de alijs scias, facisq; aliorum crimina maiora, quā per se sunt, &c. Hoc Christus non vult. id enim plerunq; ex superbia & odio proficiscitur, imò ex peruerso animo, semper occultum odium & philautia mixta est. Cōtra hoc etiam loquitur Moyses: Nō oderis fratrem tuum, inquit, in corde tuo, sed publicè argue eum, ne habeas super illo peccatum. Hīc audis, vt proximum peccantē corripiamus, & non oderimus. Temerarium iudicium quomodo accidat, videri melius nusquam potest, quā in externo & forensi iudicio. Ibi primū inquiruntur maleficia accusati, deinde illi proponuntur, tertio quoq; aperiuntur alijs, postremò fertur sententia, & pœna statuitur. Hæc omnia fiunt in mundano iudicio rectè & meritò: in temerario iudicio similiter ea fiunt, sed perperam & condemnabiliter.

Etenim primò, vbi hypocrita quispiam est, propriam laudem occupans, & quem alterius honor & existimatio male habeat, is explorat & quærit, nō aliquid mali & reprehensibile in eo inuenire possit: ceterū non in hoc quærit, vt illi cōsulat (id enim Christianum foret, & bonum) sed vt traducat eum & perdat. Quòd si tum etiam inter multa bona vnum inueniat malum, recipit illud, bonum verò relinquit, vt vel ex hac vna re appareat, quā res sit perniciose peccatum, quando etiam vnicum peccatum hominum corda plus mouet, quā omnia bona opera, quæ quis facit. Quocirca Christus non absque causa dixit: Væ homini illi per quem scandalum venit: quia mundus semper citius videt quod malum est, quā quod bonum. Deinde cum hypocrita aliquid mali in proximo suo videt ac deprehendit, gaudet rem seriò & acriter ad animū reuocat, haud memor do-

*Gala. 6.* Arinæ Pauli inquentis: Si preoccupatus fuerit homo in aliquo deli-

*Iudicium temerarium.*

*Leuit. 19.*

*Matth. 3.*

*Gala. 6.*

quo delicto, vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in  
 spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu tenteris. At-  
 tamen hoc nondum contentus hypocrita, & proximi quoque  
 sui peccata detegit alijs hominibus, vt illū bona fama priuet,  
 sibi ipsi verò pariat nomen. Vera enim cōditio hypocritarum  
 est, vt magis ex aliorū hominum defectibus, quā ex benefa-  
 ctis suis sibi ipsi nomen & laudē arrogant. Postremò damnat  
 proximū suum apud seipsum & apud alios: facit se penumero:  
 vt ex nimia & magna pusillanimitate funditus pereat. Hæc  
 omnia deprehenduntur circa temerarium iudicium: idcirco  
 interdicit illud Christus. Hinc apparet, quā latè hoc pecca-  
 tum pateat. Quandoquidē nihil vulgatius est, quā de aliorū  
 peccatis loqui: neq; hic timemus vllum periculū. Præ se fert  
 enim hypocrisis, se id etiā cum dolore facere, cū reuera & ex  
 inuidia & odio profiscatur. Sed audi hypocrita: Si compate-  
 ris proximo tuo, cur illius publicas peccata, & alijs narras?  
 Cur non in eam potius curam incumbis, ne pateat ignomi-  
 niæ? Sed ita est, vt S. Iacobus dicit: Si quis in verbo non offen-  
 dit, hic perfectus est vir: nec vsquam melius & clarius apparet,  
 quid vera aut falsa iustitia sit, quā si de alienis peccatis fiat  
 sermo. Vera enim iustitia (inquit Gregorius) cōpulsionem  
 habet, falsa indignationem: Qui ergo verus Christianus est,  
 & spiritum Christi habet, non parum apud eum valet quod  
 Christus dicit: Nolite iudicare. Imò duas ob causas bonus  
 Christianus temerarium iudiciū reformidat: etenim primò  
 scit, se non iudicem, sed conseruum esse sui proximi: & q̄ ille  
 suus proximus (vti Paulus ait) Domino suo stet vel cadat: a-  
 deoq; ex charitate quam erga proximum suum habet, atque  
 etiam ex cupiditate Deo placendi, omnē adhibet operā, vt cō-  
 seruus suus aut nō cadat, aut si cecidit, vt surgat. Hæc argumē-  
 ta sunt veræ charitatis. Cæterū qui proximum suum temerè  
 iudicat, iam charitatem in se non esse prodit. Quippè præce-  
 ptum charitatis, quinetiam natura & ratio docet, Quod tibi  
 non vis fieri, alteri ne feceris. Quia ergo Christus modis om-  
 nibus ad charitatem nos ducere cupit, præcipit primò, ne a-  
 lios temerè iudicemus. Atque ita docet Paulus: Nolite ante  
 tempus iudicare quò ad vsq; veniat Dominus, &c. Et iterū:  
 Tu quis es qui iudicas alienum seruum? Domino suo stat aut  
 cadit. Quisq; igitur sua admissa secum reputet, & q̄ Deus no-  
 strum omnium est iudex & erit: ita nō facile iudicauerit alium,

4

Postremo

Iacob. 3.

Gregorius.

non dicitur  
seruus.

Rom. 14.

Matth. 5.

1. Cor. 4.

Rom. 14.

imò nec ipse iudicabitur, id quod Christus propterea addit, quò nos magis à temeraria iudicandi audacia abstrahat.

non

Duobus autem modis hoc verbum intelligere possumus, ut quod dicit, Nolite iudicare, & nò iudicabimini, primò accipiamus quasi dictum sit. Non iudicabimini ab hominibus. Plerùmque enim fit, ut qui alijs hominibus vitia eorù amice & in bonã partem interpretatur, eius vicissim quoq; vitia mitius accipiantur: contrà, qui omnium iudicè agit, & in omnia exactissimè ac seuerissimè inquit, is inuenit homines, qui par pari referant, & ei mèsura metiantur eadem, qua alijs ipse metitur. Summa, bene loquere de alijs, & vicissim de te nò nisi honorificè dicetur. Secùdò, hoc verbù etiam intelligere possumus de iudicio Dei, perindè ac si dicat: Si nolis à Deo iudicari, nec tu iudicato alios. Quòd si autè vsq; ad eò aliorum hominù verba & opera seuerè censere lubet, scito & te Deum habiturù seuerum iudicè. Sed vbi manebis, si Deus omnia & verba & opera tua ad amusim exigere velit? Enimuerò orare David coactus fuit, ne Deus secù in iudicium intraret. Dicit alio in loco: Si obseruaueris iniquitates Domine, Domine qs sustinebit? Rectè igitur Paulus: Si nosmetipsos diiudicaremus nò iudicaremur à Deo. Sequitur: Nolite condemnare, & non condemnabimini. Hoc condemnare, duabus quoq; vijs intelligere possumus. Primò, vbi quis pro condemnato habetur. Id autè facere vetatur, quandiu enim homo hìc viuit, quãlibet malus, resipiscere potest & emendare sese. Nemo em̄ scit quis deniq; bonus aut malus mansurus sit. Paulus ad tempus malus erat, sed deinde bonus fiebat. E diuerso erãt Saul & Iudas ad tēpus boni, sed finis eorù miserabilis erat. Ita quoque nemo credidisset fore, ut latro in cruce in extremis suis gemitibus, ex malo homine filius Dei fieret. Neminè itaq; cõdemnare debemus in hac vita, quãdoquidē nec ipsi scimus, quomodò simus conclusuri. Qui se existimat stare (inquit Paulus) videat ne cadat. Secùdò possumus hoc cõdemnare, etiam ita intelligere, vbi quis nò solùm proximù suum temerè iudicat, sed prætereà etiã fert sententiã ac dicit absolutè: Hic homo impius est, hoc facit ex superbia, hoc ex auaritia, hoc autè ex inuidia: hypocrisis est quicquid loquitur & facit, &c. Hoc inquã, est hominè condẽnare, quod tum pessimù est, si in ijs fiat rebus, quæ vel bono vel malo animo fieri possunt: aut in

Psal. 142.

Psal. 129.

I. Cor. II.

Condemnare  
duobus modis.

Act. 9.

Matth. 27.

Luc. 23.

I. Cor. 10.

Act. 1.

quoniam ei

quoniam ei soli corda hominum patent. itaq; ne condemna,  
ne & tu à Deo, cui omnia tua occulta perspecta sunt condem  
nêre. Sententia enim lata est, Quo iudicio alios iudicaueritis,  
eodem & vos iudicabimini. Deus Opt. Max. facit, vt ita in  
ter nos agamus, ne in iudicium eius & animaduerſionem ca  
damus, Amen.

*Quintus Sermo de uerbo, Dimittite.*



**P**R O initio huius sermonis summo perè optan  
dum foret, hodiernum istud Euangelium, om  
nium eorū qui nomen Christi profitentur, &  
Christianos se dici volunt, cordi inscriptū esse,  
aut ad minus ob oculos eorū positū esse. Fieri

enim non posset, quin omnes ignauos & falsos Euangelicos  
nostros suæ impiæ vitæ puderet: alij verò tãtò magis ad Chri  
stianã pietatē prouocarētur accenderenturq;. Nam multi in  
ueniuntur nunc, qui sibi ipsi persuadent, aut quibus ab alijs  
persuadetur, nō referre qualiter uiuamus, siue benè, siue ma  
lè, si modò in Christū credamus. Hinc fit q; in Euangelio eas  
solūm aduertunt sententias, in quibus Dei nobis gratia com  
mendatur, reliquas verò quæ nos ad bona opera & Christia  
nam bonãmq; vitam ducunt, præterunt, perinde ac si nullus  
momenti sint. Sic mirè sibi plaudunt in eo quod Christus di  
cit: Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitū da  
ret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam  
æternam. Verūm quod Christus hîc dicit, Eilote misericor  
des, sicut & pater vester misericors est, non audiunt neq; vi  
dent. Vnde factū, vt apud plerosq; charitas vehemēter debi  
litata, imò penitus mortua & sepulta sit: quinetiã omnis mise  
ricordia & cōdolentia: è diuerso autē regnet & passim inua  
luerit proprius amor, durities & omnis immisericordia. Itē  
que quod Christus dicit: Nō misit Deus filium suum in mū  
dum, vt iudicet mundū, sed vt saluetur mundus per ipsum, li  
benter audiunt: cæterū quod hîc dicit, Nolite iudicare, & nō  
iudicabimini, nemo curat: imò nemo amplius de futuro iudi  
cio suslinet audire. Contrà, temerariū iudicium nunquã ma  
ius fuit & vſitatus. Nō enim solū iudicamus externas res, sed  
etiam arcanas occultasque cogitationes cordium: & in hoc  
nemini parcitur, siue sit magnus siue paruus, siue mortuus  
siue viuus. Flagellum linguæ omnes tangit, nemini parcit. Sic

*In pseudocua  
gelicos no. tro  
rum temporū.*

*Ioan. 3.*

*Ibid.*

*Ioan. 5.*

**Matth. 11.** quod Christus dicit: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos, omnibus auditu iucundum est: sed quod nos ipsos quoque dare iubet, & alijs succurrere, nemo videt: imò omnes facimus perindè ac si nunquã audiuissemus prædamur, furamur, fœneramur, decipimus quęcunque possumus. Est ne hoc scripturã legere & Euãgelium audire? Et quod fit denique? vt cæcus cæcũ ducat, & ambo in foueam cadãt: præ-

*O Euangelici  
cæci duces.*

**Luc. 6.** dicator & auditor, magister & discipulus eiusdè sunt farinæ, hoc est, ad vnũ omnes iniusti & impij. Hæc iam nostra Christiana vita est. Quid igitur miri, quod nos Deus alijs, atque alijs malis affligit? Vt illũ colimus, ita visitat nos. Cũ sancto san-

**Psal. 16.** ctus est, cum peruerso, peruersus. Hoc consideremus, & tantò diligentius obseruemus, quid Christus in hoc Euangelio à nobis requirat. Duo audiuius, reliqua porrò audienda sunt, Estote misericordes, inquit, sicut & pater vester misericors est: nolite iudicare & non iudicabimini: nolite con-

**Luc. 6.** demnare, & non condemnabimini. De his in præcedentibus sermonibus dictum. Sequitur: Dimittite & dimittimini. In his verbis alterũ habemus in quo proximo nostro misericordiam exhibere debemus, nimirũ vt libèter dimittamus, condonemusque ijs qui nobis ægrè fecerũt. Nõ est parua misericordia, vbi hoc fit, sed tamen homini carnali difficilis. Id quod in diuo Petro adhuc infirmo apparet. Is quadã vice rogabat Christũ, quoties proximo suo ignoscere deberet: rogãs prætereã, num sufficeret si septies dimitteret, existimãs plus satis id esse. Ita em̄ omnes cõstituti sumus, vt magni faciamus quod alijs hominibus damus, remittimus, aut etiam in ijs ferimus. Quod autè alij & præcipuè Deus nobis dant, remittunt & in nobis ferunt, id nihili facimus, aut certè parui admodũ: cũ tamen, si æqua lance ponderamus, longè superaturũ esset. Imò si illud quod alijs damus remittimus, & in illis ferimus, conferre velimus cũ eo quod nobis dat Deus, remittit, & in nobis fert, nõ ausi fuerimus oculos nostros attollere ad cælum, sed cũ Publicano pectus nostrũ tundere ac dicere: Deus propitius esto mihi peccatori. Et cũ Manasse: Peccaui super numerũ arenæ maris. Et cũ Dauide: Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meũ, & sicut onus graue grauatae sunt super me.

**Luc. 15.** *In fine Paral.* merũ arenæ maris. Et cũ Dauide: Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meũ, & sicut onus graue grauatae sunt super me.

**Psal. 37.** Cæterũ nobis nihil aliud deest, quã quod nos ipsos nõ agnoscimus, & multitudinẽ peccatorũ nostrorũ. Idcirco Christus

**Matth. 18.** dicit ad Petrũ: Nõ dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies di-

septies dimittes fratri tuo. Eximere hoc pacto vult omnē cupiditatem vindictæ ex animis nostris. Talis enim vlciscendi affectus altius inhæret nobis. Benefacere sibi beneficiētibus, diligere amantes, bene loqui de illis qui de ipsis bene loquantur, norunt & Ethnici: sed benefacere & dimittere malè nobis facientibus, hic labor est, ad id difficulter adducitur vetus Adā, q̄a calūnia cōturbat sapientē, & perdet robur cordis illius (inquit Sapiens) cū tamen sapiens alioqui multa possit perferre ac perpeti. Verūm quod Adam non potest, hoc potest Christus: hoc est, quod naturæ graue & impossibile est, id gratia Dei facilè reddit. Sic & Dauid suo calumniatori nō solum parcere nouerat, sed penitus etiā dimittere. Similiter & diuus Stephanus diuina fretus gratia, pro suis inimicis & lapidatoribus orare poterat. Quapropter semper cum beato Augustino orare debemus: Domine da quod iubes, & iube quod vis. Sed inquis: Quomodò dimittere illi possum, qui honori meo & bono nomini notā inussit? Responsum: Itāne insanire lubet, vt ab alio læsus, maiorem etiā tibi perniciem conciscere velis? An non pro insano illum habeas, cui decem sunt aurei, & vno amisso, alios ipse abijciat? Idem de illo censendum, qui ipse suam vicem vlcisci vult, & contumeliam contumelia retaliare. Nam quid tibi inimicus tuus diripuit? Honorem meum, inquis. Esto: damnum est. Est enim nomen bonum melius quā multæ diuitiæ. Attamen meliora adhuc & maiora habes: hīc vide ne illa vltro à te abijcias. Habes enim fidem, quæ certum te facit, tibi restitutū iri quicquid amiseris. Ad hæc charitatē habes & patientiā. Hæc quoad tibi permanserint, paruū & exiguum est, quod tibi inimici auferūt. sin autē vindictę cupidus es, iam omnia ista vltro à te abijcis: plus tibi damni hoc pacto inferis, quā tibi inimicus tuus intulit, aut adhuc inferre potest. Quò autem tibi non adeò graue videatur condonare proximo tuo, proponit tibi Christus in Matthæo Dei misericordiam, ad quam veluti guttula aque est ad totum mare, etiamsi proximo tuo plusquā septuagies septies dimiseris. Quod enim remittis proximo tuo, vix sunt centum denarij: cæterum quod tibi Deus dimisit & adhuc dimittit, sunt decies mille pondo. Summa, homo Christi inus non ita excandescere debet, quò minus omni tempore paratus sit, non modò septies, sed etiam septuagies septies fratri suo dimittere. Ideò nanque Deus nobis gratuito con-

Ecc. 7.

2. Reg. 16.  
Act. 8.

August.

Rom. 22.

Nemo laeditur  
nisi à seipso.

Matth. 18.

donat omnia peccata nostra: vt nos similiter alijs cōdonemus.

*Eccle. 28.* Vnde & sapiens quidam dicit: Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata soluetur. Et Christus ipse: Cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis aduersus aliquem, & Pater vester qui in cœlis est, dimittat vobis peccata vestra. Si enim non dimiseritis, nec Pater vester dimittet

*Math. 6.* vobis. Hoc ipsum nos quoque oramus, cum dicimus: Pater, dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitori

*Eccle. 28.* bus nostris. Atq; hoc est, quod sapiens multis indicat: Qui vindicare vult, inquit, à Domino inueniet vindictam, & peccata illius seruans seruabit. Relinque proximo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata soluetur. Homo homini reseruat irā, & à Deo querit medelam? In hominem similem sibi nō habet misericordiā, & de peccatis suis deprecatur? Ipse dum caro sit, reseruat iram, & propiciationem petit à Deo? Rectè igitur & merito Christus, dimittite, inquit, & dimittemini. Hic mihi

*Misericordiā  
Dei.*

vide infinitam Dei bonitatem, quod ipsemet promittat se dimissurum nobis peccata nostra, si nos cōfratribus nostris dimittamus: cum tamen sine omni cōparatione maius sit, quod contra Deum admisimus, & adhuc quotidie facimus, quam

*Hominum  
amentia.*

quod alij aduersum nos faciunt, aut facere possunt. Deinde videmus hic, in quantum periculum se homines conijciant: qui suis cōfratribus nō dimittunt. Per hoc enim certè se ipsos cōdemnant, quando quidē nihil certius expectandum est, quam

*Rom. 6.* æterna cōdēnatio, vbi Deus non dimittit peccata. Stipendia

*Deut. 27.* erū peccati, mors, &c. Maledicti omnes, qui nō permanent in

*Math. 18.* sermonibus legis Dei. Vnde & Christus ipse dicit: Sic & pater

meus cœlestis faciet vobis, si non remisistis vnusquisque

fratri suo de cordibus vestris. Hæc verba qd sibi valent, postea,

Deo volente, dicetur, vbi Euāgelium de immiseri cordi seruo

legetur in ecclesia. Sequitur: Date & dabitur vobis. Tertiū

est, in quo misericordiam declarare debemus, nimirū vt secū-

dum exēplum Patris nostri cœlestis, etiā nos pauperibus gra-

tificemur & benignè faciamus, siue elemosynas præstando

propter Deum, siue mutuū dandō absque spe fœnoris vel

lucri. Hæc enim duo à nobis requirit Christus, vt demus &

*Math. 5.* mutuemus. Petenti à te, inquit, da. Et iterum: Date elemo-

*Luc. 11.* synam: & ecce omnia munda sunt vobis. Et rursus: Facite vo-

*Luc. 16.* bis amicos de mammona iniquitatis: vt cum defeceritis, re-

*1. Ioan. 3.* cipiant vos in æterna tabernacula. Et hoc est, quod Ioannes

docet: vt

*De elemosi  
na:*

docet: vt diligamus non verbo neq; lingua, sed opere & veritate. nam qui habuerit substantiam mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauerit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo? Hoc de eo dictum est, vbi de manu datur inopi. In Luca vult Christus: vt etiã pximo nostro mu *Luc. 6.* tuò demus, nec tñ lucrum inde aliquod speremus. Nã si mutuũ dederitis his à quibus speratis accipere, inquit, quę gratia est vobis? nã & peccatores peccatoribus sceneratur: vt recipiãt æqualia. Hęc oĩa cõprehensa sunt in vocula, Date. Quomodò autem nos Christiani in duobus istis geramus, in dando & cõmodando, nimium (proh dolor) notũ est. Tolerabile adhuc in quibusdã esset, eos ad dãdum cõtractos esse, nisi vsuris suis, & multiplicibus grauaminibus pauperes penitẽs perderent. Sed hi quid à Deo sperare possunt? Quãdiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, inquit, mihi fecistis. Attamẽ verò ne *Matth. 25.* quis dare & mutuare grauetur, non simpliciter dicit Christus, Date: sed statim subiicit, Et dabitur vobis. Siquidẽ nunquam sine fructu abit, quod ex charitate pauperibus datur. Conclude (inquit Sapiens) elemosynam in sinu pauperis, & *Eccle. 29.* hęc pro te exorabit ab omni malo: (intellige) etiã si elemosynam tuã accipiens ingratus fuerit, non ideò frustranea erit. Qui enim miseretur pauperis, sceneratur Domino. Et iterũ: *Prou. 19.* Qui pronus est ad misericordiã, benedicetur. *Prou. 22.* Huc pertinet, quod Tobias 4. c. ad filium suum dicit: Ex substantia tua fac elemosynam, & noli auertere faciẽ tuam ab vlllo paupere: ita enim fiet, vt nec à te auertatur facies Domini. Quomodò poteris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. Primum enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis: quoniam elemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animã ire in tenebras. Fiducia magna erit coram summo Deo elemosyna, omnibus facientibus eam. Quæ sanẽ omnia Christus I E S V S ijs cõfirmat verbis, quibus ait apud Matthæũ 5. capite: Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiã consequentur. Tum ijs quoq; quibus in hodierno vtitur Euangelio: Mensuram bonam, & confertam, & cogitatam, & supercfluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem quippè mensura, qua mēsi fueritis, remetietur vobis. Quibus tã multis verbis nihil sibi Christus vult aliud, quã vt intelligamus, quicquid proximis fecerimus boni, licet id mi-

- nimum sit, tamen à Deo abundè remuneratum iri: què admo  
 Matth. 10. dum perspicuè declarat alio loco, dicens eum qui vni ex mini  
 mis eius calicè aquæ frigidæ dederit, non perditurū mercedē  
 Matth. 19. suam. Et alio in loco, eū qui propter nomē illius reliquerit ali  
 quid, centuplum accepturum. Huc seruit, quod Salomō Pro  
 uer. 11. dicit: Bene facit animæ suæ vir misericors: qui autē cru  
 delis est, etiā propinquos abijcit. Et postea eodem cap. Alij di  
 uidunt propria & ditiores fiunt: alij rapiunt nō sua, & semper  
 in egestate sunt. Anima quæ benedicit, impinguabitur: & qui  
 inebriat, ipse quoq; inebriabitur. Qui abscondit frumēta, ma  
 ledicetur in populis: benedictio autē sup caput vendentium.  
 2. Cor. 9. In eandē quoq; sententiam loquitur noster Apostolus: Qui  
 parcè seminat, parcè & metet: & qui seminat in benedictioni  
 bus, de benedictionibus & metet. Et postea: Qui autē admi  
 nistrat semen seminanti, & panē ad manducādum præstabit,  
 & multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa iusti  
 tiæ vestræ: vt in omnibus locupletati, abundetis in omnē sim  
 plicitatem. Quod ita accipiendum est: Deus ijs qui magnifici  
 3. Reg. 17. sunt, bona illorum cōseruabit augebitq;. Vti clarissimè vide  
 mus in vidua Sareptana, quæ non nisi vnam manum habebat  
 plenā farina: quia verò Prophetæ Eliæ eam tam cupidè com  
 municabat, augebat Deus farinā ita, vt ipsa & filius eius, tres  
 annos & sex mēses ea viuerent. Summa, qui dat pauperi, non  
 indigebit. Hoc vult Christus, vbi ait Lucæ capite sexto: Men  
 suram bonam, & confertā, & coagitatā & supereffluentē da  
 bunt in sinum vestrum. Id quādoq; etiā in hac vita vsu venire  
 solet. Reuera autem in futura vita implebitur. Dñs Deus fa  
 xit: vt id consideremus, & illi conuenienter viuamus, Amen.

## S E X T V S S E R M O.



- H**ODIERNVM istud Euangelium vniuersum  
 nihil aliud habet, quàm doctrinam, præcepta &  
 exhortationem ad bona opera: attamē non sine  
 magnis promissis adiunctis. Fieri itaque po  
 test: vt plerisque hominibus id non perindè ar  
 rideat, atque alia Euangelia, gratiam tantum nobis denun  
 ciantia. Nam vt in externis rebus semper proniores sumus ad  
 accipiēdum quā ad dandū, et si Paulus dicat, beatius esse dare  
 quā accipere: attamen vbi datur, non opus habemus impulso  
 re, vltro accurrimus: ceterum si quid à nobis dandum, vel de  
 cies deli-

cies deliberamus: cōtracti sumus, etiā si multi sint, qui instigēt  
 & impellant. Itidē quoq; in spiritualibus facimus rebus, ani-  
 mæ nostræ salutē concernentibus. Vbi de Dei gratia & mise-  
 ricordia prædicatur, oēs accurrimus: verū si quid Deus in ver-  
 bo suo vel paulū à nobis requirit, id verò est mors in olla: 4. Reg. 4.  
 non sapit nobis, effugium quærimus qua possumus ratione:  
 sequimur quandoq; cæcum ductorem, qui nobis loquitur pla-  
 centia, & ablanditur nobis ijs rebus, quibus gaudemus, do- *Esa. 30.*  
 nec postremò in foueam interitus simul cū illo incidamus.  
 Atqui verò dicit Christus in hoc ad cō Euangelio, non opor- *Luc. 6.*  
 tere nec debere discipulum esse supra magistrū, nec in rebus  
 spiritualibus sentire nos aliter oportet, quā Christus docuit.  
 Is quidem in sua doctrina ante omnia Dei gratiā denuncia- *Esa. 61.*  
 uit: in hoc enī missus erat: vt pauperibus Euāgelium & lætum  
 nuncium annunciaret de Dei gratia: nihilominus verò tamē  
 etiā verba istius Euangelij locutus est. Itaq; nullus nobis ex-  
 culationis aut effugij relictus est locus. Deus, qui nostri miser-  
 tus est, & adhuc miseretur, quiq; gratificatur, & ignoscit no-  
 bis, vult vt nos similiter faciamus. Et quid grauaminis præte-  
 xere possumus? Si magna accepimus à Deo, imò adhuc quoti-  
 diè accipimus, cur non paruum contrā libenter demus? Porro *I.*  
 ostendit nobis hodiēque Deus misericordiā suā septē modis. *Misericordiā*  
 Primò, dum diu satis nostram conuersionē & resipiscentiā *suā septē mo-*  
 expectat. Secūdò, quòd nobis etiam peccatis adhuc obnoxijs *dis erga nos*  
 benefacit. Non enim longè est ab vnoquoque nostrum: imò *testatur Deus.*  
 in ipso viuimus & mouemur & sumus. Nec sine testimonio *II.*  
 semetipsum relinquit, benefaciens de cœlo, dans pluias, & *Act. 17.*  
 tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda nostra. *Act. 14.*  
 Tertio, quòd non cessat nos per sanctū suū verbum vocare. *III.*  
 Quarto, quòd nobis dimittit peccata nostra, si conuertamur. *IIII.*  
 Quintò, quòd nos spiritu suo confortat & pmouet ad bonū. *V.*  
 Sextò, quòd nos sancto suo verbo consolatur in tentatione. *VI.*  
 Et postremò, quòd præter hæc omnia etiam nobis mercedem *VII.*  
 restituere velit in cœlis. Meritò ergo à Paulo vocatur pater *2. Cor. 1.*  
 misericordiarū, & Deus totius cōsolationis. An non autē hæc  
 oīa magna sunt? Neq; tamen hæc nobis dat ex aliquo præce-  
 dente merito nostro, sed ex mera misericordia seu gratia:  
 quippè cū horum nihil nobis deberet. Quis enim prior de- *Rom. 11.*  
 dit illi, & retribuetur ei? Dei donum est, & non ex nobis: vt  
 ne quis gloriatur. Et quid contrā à nobis exigit? Dimittite *Ephes. 2.*

& date, inquit. An non autem hæc exigua sunt ad ea, quæ à Deo accepimus? Attamen ne quis grauari possit, prius Deum proponit loco exempli, mox sua promissa subdit: imò promissa æternæ remunerationis. Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam & supereffluentem, inquit, dabunt in sinum vestrum. Et hisce quatuor verbis præmittit nobis quadruplicem remunerationem, nimirum fœlicitatē animarum, glorificationem corporis, societate S. Angelorum, & æternū conspectum diuinæ essentia. Hæc est mensura bona, & conferta, & coagitata & supereffluens: ea dabitur nobis in sinū nostrū: vt simus eā tam certò habituri, quā certò habemus illud, quod in sinu nostro est. Hæccine autē magna promissa? Ex hodierna Epistola possumus hanc bonā & cōfertā, & eoagitatā & supereffluentem mensuram etiam alium in modum intelligere.

nota.

Quadruplex  
merces.

*Rom. 8.* Quippè Paulus illic quatuor insignes nominat remunerationes, quas in futura vita expectamus: vt potè reuelationē filiorū Dei, gloriosam libertatē, redēptionē nostri corporis, & æternam gloriā, de qua Isaias dicit: Nō oculus vidit, nō auris audi-

*Esa. 64.* uit, nec in cor hominis ascendit quæ præparauit Deus ijs qui

*Rom. 8.* diligunt illum. Quòd si itaq; Dei tibi præcepta nimis graua videntur, cogita, non solū omnē laborem, verū etiam oēs passiones huius tēporis, non esse condignas ad futurā gloriā quæ reuelabitur in nobis. Vt enim Deus neminē pœna afficit ultra condignum: ita maiorem, quā mereri possumus, nobis reponit mercedem. Audi ergo quæ porrò dicat: Nunquid potest cæcus cæcum ducere: nōne ambo in foueam cadunt? Hac similitudine alijs in locis vsus est Christus, vti cum ad suos di-

*Matth. 15.* scipulos dicit de Iudaicis Pharisæis: Sinite illōs: cæci sunt, duces cæcorum, cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt. Id in genere sic intelligitur, vt quisquis spiritualiter cæcus est, hoc est, insciens & imperitus, alios non potest ducere ad ipsorum salutem, sed ipse vnā cum illis cadunt in hoc sæculo in profundum

*Prou. 18.* omnium errorum & peccatorum, de quo Salomon dicit: Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit. Deindē in altero sæculo cadunt quoque in foueam

*Psal. 87.* æternæ condemnationis, de qua loquitur David: Aestimatus sum cum descendentibus in lacum. Proindē docet nos verbum istud, sapientiam & cognitionem rerum diuinarum, peritiam & scientiam sacrae scripturae, illumina-

natio-

nationem animi & splendorem virtutis omnibus hominibus, regendi munijis fungētibus necessaria esse. Deindē docet nos verbum istud seu parabola, non esse rem æquē periculofam, quā si vigil aut custos cæcus est, doctor ignarus, prædicator mutus, dux debilis aut claudus, pastor & antistes indiligens, rector malus & iniustus. Imò quemadmodum cæco multò præstat, non habere ducem, quā si cæcus sit is, à quo duci debet. nam nullum habens ductorem, baculo hinc indē tentare potest, & vestigare. vbi lapis & fouea aut periculum sit. cæterum si & is cæcus est qui ducit, vnā cadunt: Ita longē satius est, nullum habere doctore, quā indoctum aut infidelem & falsum habere doctorem. Et tenim qui nullum penitus doctorem habet, ignarus simpliciter manet: verum si imperitū aut infidelem doctore habet, in errorem abducitur. Atqui melius est, nihil scire, quā quod malū est, discere ac facere. Sæpe etiam accidit, vt simplex ex seipso quod rectum est faciat: verum si malum pastorem & ducem habeat, ad malū quoque ei aperitur fenestra. Nam vbi pastor in præruptis montibus incidit, hoc est, in locis periculosis, necessariò sequitur, vt oues cadant & præcipites agantur. Huc spectat, quod Christus dicit ad suos Apostolos: Vos estis lux mundi, & sal terræ, Quod si sal euauerit, in quo salietur? ad nihilum valet vltra, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Nihil sale vtilius: contra, nihil inutilius sale infatuato: imò nullus eius vsus est, neque quidem vt in fimum abijciatur, cum tamē aliæ res, licet decrecentes & pereuntes, alicui vsui sint, vt vinum, et si vim suam amiserit, in acetum tamen verti potest. Secus res habet cum sale. Sic nihil vtilius in Christianitate bono Pastore, qui & benè docet & viuit: E diuerso nihil perniciosius malo Pastore, qui malè docet & viuit. Si lumen quod in te est, tenebræ sunt: ipsæ tenebræ quantæ erunt, inquit Christus? Si dux cæcus est, quomodo qui sequuntur, viam inueniēt? Hoc sibi vult Christus verbo illo, vbi inquit: Nunquid potest cæcus cæcū ducere? &c. Præcipuè verò Christus hoc verbo eos tetigit, qui alios homines temerè iudicant, omnes probos facere conantes, interim ipsi vsque improbi manentes: cæcorū duces esse volentes, nec ipsi viam cernentes: alios homines docentes, sed nō seipso: peccatores damnantes, deteriores ipsi alijs. Contra hos homines hæc agit parabola de cæco, & cæci ductore. Nam qui aliū cōdemnat, & tamē ipse simili peccato

Matth. 5.

Matth. 6.

Doct̃or cæcus  
& impius.

Rom. 2.

obnoxius est, ambo cæci sunt, ambo peccatores, neuter oculum habet diuinæ gratiæ, simul ad infernū & æternum exitium deferuntur. Quapropter si alium ducere voles, vide vt ipse prius veram viam ambulet: si vis alium iudicare & condemnare, vide prius, ne in simili aut maiori peccato ipse iaceas: alioqui cæco cæcus dux est, vna in foueā perditionis incidunt. Sequitur: Nō est discipulus super magistrū. Hoc dicto & similitudine sæpius quoque vsus est Christus: sed tamen nō in eandem semper sententiam. Vt potè primò, hoc vsus est verbo in Matthæo, ad confirmationem sanctorum Apostolorū, ne grauarentur pati id quod passus ipse erat. Si patrē familiās (inquit) Beelzebub vocauerūt, quāto magis domesticos eius? Satis itaque seruo est, si sit vt est dominus: & discipulo, si sit vt est magister eius: nec quidem illum excellere, aut meliori esse cōditione, quā ille est, desiderare debet. Si ego, qui vester magister sum, non inueni certiore viam ad æternā gloriam, quā crucem & passionem: nec vos, qui mei discipuli estis, aliam viam quærere debetis. Si ego in terris neque diuitias, neque voluptates, neque mundanos honores mihi elegi, sed crucem: & vos in hoc me sequi par est. Haud enim cōuenit, vt membra voluptatem sectentur & exercent sub capite spinis coronato. Hanc in sententiam quoque vtitur Christus hoc verbo in Ioanne: Memento te (inquit) verbi quod dixi vobis, Non est discipulus super magistrum. Si me persecuti sunt, & vos persequentur, &c. Nam quos Deus præsciuit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filij sui. Ideo dicit Christus: Si quis vult post me venire, tollat crucem suam & sequatur me, &c. Et Petrus: Christus passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum, vt sequamur vestigia eius. Secundò, Christus hac similitudine de magistro & eius discipulo ad id vsus est, ad permouēdos discipulos suos, vt exemplum humilitatis suæ & charitatis sequerentur. Vos vocatis me (inquit) Magister & domine: & benè dicitis. Sum etenim. Si ergo ego laui pedes vestros, dominus & magister: & vos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplū enim dedi vobis, vt quēadmodū ego feci vobis, ita & vos faciatis. Mox subiicit: Amen amen dico vobis, nō est seruus maior domino suo, neque Apostolus maior est eo qui misit illū. Si hæc scitis, beati seritis, si feceritis ea. Id eo loco adiecit, & non immeritò. Multi enim homines, imò nos omnes id scimus, sed non semper iuxta id facimus.

Omnes sci-

Omnes scimus, quod Christus, cum in forma Dei esset, formam ser- *Philip. 2.*  
 uii accipiens, humiliavit semetipsum usque ad crucem, & c. Nos  
 autem fugimus & odimus humilitatem, semper magnos au- *Matth. 20.*  
 cupantes honores. Sic etiam scimus, quod Christus nobis seruis  
 suis ministraverit, & animam suam redemptionem dederit pro  
 nobis: nos autem nemini ministrare volumus, sed ministrari,  
 & c. Hunc immodum Christus eo in loco usus est verbo isto. Cæ-  
 terum hæc sententia hæc est: Quoniam homo certo & verè cæ-  
 cus est, qui aliorum tantum hominum, & non sua propria vi-  
 tia cernit: non potest etiã suos discipulos alios facere, quã qua-  
 lis ipse est, nimirum miserè cæcos homines. Quia enim errat,  
 necessario & illi errant: quandoquidem ipso perfectiores non  
 sunt. Porro quod sequitur, Perfectus autem omnis erit, si sit  
 sicut magister eius, propriè de Christo intelligendum est. Nã *Christi exem-  
 pla imitanda.*  
 qui eum sequitur, hõc perfectior euadit, quo propius ad con-  
 formitatem Christi accedit. Huius enim magistri imitatio,  
 Christianorum omnium perfectio est. Et quò longius rece-  
 dimus ab exẽplo Christi, hoc etiam longius absumus à perfe-  
 ctione. Facile hinc intelligere est, quàm indignè faciamus, qui  
 nos nunc veteribus anteponimus Christianis, qui tamen exẽ-  
 plum Christi multò nobis diligentius omnibus in rebus se-  
 cuti sunt, & c. Deus det nobis suam gratiam, Amen.

S E P T I M V S S E R M O D E  
 ultimis Euangelij uerbis.

**I**N hodierno isto Euangelio pulchrè nobis si-  
 mul ob oculos positum est, & quales Deus filios,  
 & Christus discipulos habere velit: ita ut diui-  
 di in duas partes rectè possit, sicut primum de  
 omnibus Christianis in genere, alterum verò spe-  
 cialiter de Apostolis & prædicatoribus dictum sit. quanquam,  
 ut rem ipsam dicam, ad omnes Christianos æquè pertineat  
 quod in hoc Euangelio dictum est. Nam qui filius Dei est, Chri-  
 sti discipulus est, posteaquam audimus ac legimus, quod Deus  
 omnes suos filios ad Christum remittit: Ipsum audite, inquit. *Matth. 18.*  
 Sic etiam qui discipulus Christi est, Dei nimirum filius est. *Rom. 8.*  
 Propter hoc namque Christus venit, ut ex Adæ filiis Dei filios  
 faceret, & ipse primogenitus esset in multis fratribus. De hoc *Ioan. 1.*  
 quoque dicit Ioannes: Quotquot receperunt eum, dedit eis  
 potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.

Quia ergo res eadē est, filium Dei & discipulum esse Christi, ad hos etiam utrosque attingere oportet, quod Deus in suis filiis, & Christus in suis discipulis requirit ac vult. Sed hoc loco inter eos discrimen quoddam efficiamus: & principiū quidem huius Euangelij ad oēs filios Dei in genere, finē autem ad eos, qui peculiari quadā ratione discipuli Christi vocantur, ut sunt sancti Apostoli, & qui post hoc officium eorū gerunt ac administrāt, puta, Concionatores & Pastores, referemus. Rogas igitur quid Deus potissimū à suis filiis requirat?

*A filiis suis  
quid Deus  
exigat.*

Hoc videlicet, ut studeāt illi cōformes fieri, & maximè in charitate & misericordia. Estote misericordes, inquit Lucæ 6. sicut & Pater vester misericors est. Et in Matth. ca. 5. Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos, ut sitis filij Patris vestri, qui in cœlis est, &c. Et diuus Paulus: Estote, ait, imitatores Dei, sicut filij charissimi: & ambulate in dilectione, sicut &

*Ephē. 5.*

*I. Ioan. 4.*

Christus dilexit nos. Et Ioannes: Charissimi, si sic Deus dilexit nos: & nos debemus alterutrum diligere. Hoc illud est, in quo quiuis Dei filius studere debet cōformis fieri cœlesti suo Patri. Hoc docet Christus in isto Euāgelio, multis ostendēs, in quo eiusmodi charitas consistat, & misericordia. Cor, lingua, & manus adhiberi debēt: corde dimittere nos oportet, diligere & bene velle: manu dare oportet, lingua autē neminē iudicare aut cōdēnare. Sic De<sup>o</sup> misericors est: remittit, ubi irasci meritò poterat: parcit, ubi meritò punire & cōdēnare poterat: dat, ubi nihil debebat, imò dat longè plus quàm quis promereri potest. Hoc exemplū nobis Christus hodie ob oculos ponit, vnūquemq; remittens ad cōscientiā suā rimandam, quomodo cor suum, lingua, & manus cum exēplo isto cōueniant. Hic quisque sui experimentum facere debet, num ger-

*Charitas pra  
standa corde.*

*Nō verbis, sed  
factis effici-  
mur filij Dei.*

manus Dei filius sit necne. Verbis siquidē nihil proficis corā iudicio Dei. Si charitatē habes & cōmiserationem ac cōdolemtiam in corde, si linguā tuam custodis, ne temerè iudicet & condemnet, & obtrectet: si manus & sinus tuus apertus est erga pauperes, agnoscit te Deus pro filio suo, & in morem Patris erga te geret se, nec indicabit te cōdēnabitque, sed remittet, ac dabit. Sin cor tuū ita plēnū, inuidia & immisericordia: si os tuū maledictione & amaritudine plēnū est: si claudis manus tuas & cor erga pauperem, nequaquam ille te agnoscet

*Psal. 13.*

*Matth. 7.*

pro filio, quantumque dicere possis: Domine domine, Pater pa-

ter pater. Enimvero hinc ad te dicet: Si dñs ego sum, vbi est timor meus, & obediētia quā mihi debes? Si tuus ego pater, vbi est honor & amor mei? En, hæc nobis omnibus dicta sunt, & ab eo dicta, quē Deus ipse doctore nobis dedit, iubetque ac præcipit, vt eū audiamus: imò minatur, qui prophetā hūc & doctore non audiat, seipsum vltore fore. Incuriosi itaque homines simus necesse est, qui res istas tā nibili pēdimus. Quid minus in nobis deprehēdit ac videtur, quā hoc ipsum adeo, quod Christus tata cū authoritate dixit, ac facere præcepit, adhibitis etiā tam præclaris promissis? Deū nobis ipsum pro exēplo dedit. Quid in terris vsitatū magis, quā temerarium iudiciū? Quid obtrectatiōibus crebrius? Quid aliud facimus, quā q̄ alius aliū cōdēnat? Qua in re duriores sumus minūsq; flexibiles, quā vbi remittēdū est? Quid ægrius facimus, quā m sicubi quid dandū? Nemo hinc cogitat, Deū morem tam degenerē in filijs suis nolle, Christū cōtrariū docuisse, ab vna parte tam magna promissā, ab alia minas tā atroces esse? Ecquid maius promitti nobis possit, quā quod Christus dicit, si misericordes simus, misericordiā nos consecuturos: si demus, datū nobis iri? &c. E diuerso, quæ minæ nos vehemētius cōmoueant, quā cū Christus dicit: Eadē mensura qua mensi fuerimus, remetiēdum nobis? Hoc est, si nō simus misericordes, nec nobis misericordiā contingere debere? &c. Hoc in genere nobis omnibus considerandū est circa istud Euangeliū. Et sanè, ni fallor, magni momenti est, quando ipse Christus id ita exaggerat. Vtinam omnibus insculptū esset, atque ita, vt in nobis etiā videri ac deprehēdi posset: quā facilè alia ī Christianitate facies rerū futura esset? At facit hostis omnis boni, vt nihil curemus amplius in nostris Euāgelij, quā q̄ de Dei gratia & fide dictū est. Reliqua vana oīa nobis sunt & inania, quæ ad Christianā vitam & conuersationē inseruire possunt. Sic etiam de altero. Quemadmodum Deus vult, vt filij eius misericordes sint, ita quoque Christus discipulos suos ad suū exemplum vult esse compositos. Discipulus non est super magistrū (inquit) perfectus autē omnis erit, si sit sicut Magister eius. Atqui Christus apertè dixit etiā ad suos inimicos: Quis ex vobis arguet me de peccato? Tales quoque esse vult suos discipulos & prædicatores: vt prius trabē ex suo ipsorum oculo dimoueāt, quā conent̄ festucā ex oculo sui proximi eijcere, iuxta exemplū Pauli, inquiētis: Castigo corpus meū, & in

Malac. 1.

Matth. 16.

Deut. 18.

Matth. 5.

Luc. 6.

Solū gratiam

&amp; fidē iactu-

tamus, cetera

cōtemnimus.

Ibid.

Ioan. 8.

1. Cor. 9.

seruitutem redigo, ne fortè cū alijs predicauerim, ipse reprobis efficiar. Quis autè non videt, quātum etiam hac in parte nobis desit? Omnes clamamus & vociferamur cōtenta voce, sed nos ipsos nō exaudimus: omnes bonos facere volum⁹, dēptis nobis ipsis. Verū non sic docuit nos noster magister Christus: lōgè secus in illo videmus. Et quid tandē sequetur fratres? Vt neq; in genere germani filij Dei, neq; in prædicandi aut pastorali officio nostro veri scimus discipuli Christi. Huius nos cōuincit Euangeliū istud. Agè hæc vltima verba de festuca & trabe ex oculo eijcienda, explicanda adhuc sunt, quæ nunc paulò diligentius disquiremus. Quid autem

*Luc. 9.* vides (inquit Christus) festucā in oculo fratris tui, trabē autem quæ in oculo tuo est, nō cōsideras? Aut quomodo potes dicere fratri tuo, Frater, sine eijciam festucam de oculo tuo, ipse in oculo tuo trabē nō videns? Innuit hac similitudine

*In eos, qui vident in se ipsos pleni sunt, et non temere iudicant.* Christus, quid senserit verbo illo, vbi ait: Nolite iudicare & non iudicabitini. Nimirum de ijs locutus est, qui quādoq; tā pleni peccatis & iniustitia sunt, vt suā propriā cōsciētiam intueri reformident: oblectāt itaq; sese aliorū hominum vitijs & defectibus, hos inquirūt, de his loquūtur. Hoc autem potissimū faciunt ij, qui omni iustitia vacui sunt: etenim qui proptia sua peccata agnoscit, & Dei maiestatem considerat, suūque proximum diligit, haudquaquam tale quippiam facit. Vult ergo Christus hac similitudine ostendere, quā turpe ac probrosum sit, si quis alios corripere paratus sit, ipse grauioribus peccatis obnoxius. Atqui nemo acerbius & immitius in aliena inuehitur vitia, quā qui peccatis maximè onustus est. Tales erant homines Iudaici Pharisæi, qui non verebantur Dei etiam præcepta abrogare, & transgredi ob suas ipsorum constitutiones: neque hinc laborabant quicquā in sua conscientia, cæterum Apostolos condemnare volebāt, quod nonnunquā illotis & impuris mani-

*Matth. 15.* bus ad mēsam accedebāt imò ipsum Christū non dubitabāt reprehēdere, q̄ sabbato ægrotum sanabat, peccatores in gratiā recipiebat, &c. cū tamen omni iustitia vacui, contrā verò omni iniustitia pleni essent. Talis quoq; erat Semei, qui optimo Dauidi, quū fugā caperet, cōpulsus à filio suo, maledicebat, vocās cū virū sanguinū, & virū Belial: cū tamē ipse Semei & inuidia, & sanguinarijs cogitationibus plenus esset. Tales homines nos nūc quoq; sumus. quod alij delinquent, illi-

*Ioan. 5.* bus ad mēsam accedebāt imò ipsum Christū non dubitabāt reprehēdere, q̄ sabbato ægrotum sanabat, peccatores in gratiā recipiebat, &c. cū tamen omni iustitia vacui, contrā verò omni iniustitia pleni essent. Talis quoq; erat Semei, qui optimo Dauidi, quū fugā caperet, cōpulsus à filio suo, maledicebat, vocās cū virū sanguinū, & virū Belial: cū tamē ipse Semei & inuidia, & sanguinarijs cogitationibus plenus esset. Tales homines nos nūc quoq; sumus. quod alij delinquent, illi-

illi-

illicò videmus, cæterū ad nostros ipsorū defectus cæcutimus. Sic vnusquisque aliū reformare vult & emendare, sed nemo seipsum. Veruntamen obserua hīc, q̄ Christus his verbis nō vetuit, ne peccata arguantur, sed solū arguit & improbat peruersum animū hominū, qui sua propria peccata & vitia non considerant, & solū delectantur de aliorū hominum peccatis loqui ac iudicare. Alioqui enim si bono solū animo ad consulendum proximo, & à peccatis secururāq; cōdemnatio

*Castigatio  
fraterna.*

ne abstrahendum, vitia illius inquiruntur, eaq; carpūtur, nō solū non malè fit, sed exhibetur etiā opus veræ charitatis & diuini zeli. Sic etiā docet Christus ipse. Si peccauerit in te fra

*Matth. 18.*

ter tuus (inquit) vade, & corripe eum inter te & ipsum solū si te audierit, lucratus eris fratrem tuum: si autē te nō audierit, ne tamen desine, vel corā alijs etiam redargue, attamen ea discretior e, vti eo loco dictū, &c. Melius est enim à sapiente corripī, quam stultorum adulatione decipi. Vnde & sanctus

*Eccle. 7.*

Dauid dicit: Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinget caput meum.

*Psal. 140.*

Sed audi iam quomodò peccatū in proximo tuo corripere debeas. Hypocrita (inquit Christus) eijce primū trabem de oculo tuo, & tunc perspicies, vt educaas festucam de oculo fratris tui. Hinc reformatio incipienda, nimirū à nobis ipsis.

Sic etiam docet Salomon: Iustus (inquit) prior est accusator sui. Si peccatū & iniustitiam tantopere odisti, in teipso primò

*Prou. 18.*

corripe. Miserere animæ tuæ (inquit Iesus Syrach) placens

*Eccle. 30.*

Deo. Si tam exquisitè rimari vis & explorare, quid faciant alij mali, prius purga oculū tuū & trabē eijce. Nam qui rectè videre posses & iudicare quid alius agat, si trabē in oculo habeas? Si peccatū ex animo execraris, cur in teipso id adulescere finis & inualescere? Si in te vera charitas est, cur in teipsum eam non declaras? An nescis vulgatū illud dictū. Qui ipse sibi

prodesse nequit, alteri quomodò profit? Hinc ergo sequitur q̄ cū fratrem tuum temerè iudicas, te aut inuidia & odium erga proximū tuum, aut verò cupiditas proprię laudis ad id impellat, id quod vtrobique reprehensibile & damnabile est. Audi

de hoc quid Paulus dicat: Requiescis in lege, & gloriaris in

*Rom. 2.*

Deo, & nosti voluntatem eius, & probas vttiliora instructus per legē: confidis teipsum esse ducē cæcorum, lumen eorum qui in tenebris sunt, eruditorē insipientium, magistrū infantium. Qui ergo aliū doces, teipsum nō doces? Et rursus dicit

Rom. 14.  
 Alium obiur-  
 gatur quid  
 agendum.

Paulus initio eiusdem capituli: Propter quod inexcusabilis es  
 ô homo omnis qui iudicas. In quo enim iudicas alterû, te ip-  
 sum condemnas. eadem enim agis quæ iudicas. Scimus enim  
 quoniam iudiciû Dei est secundum veritatẽ in eos qui ta-  
 lia agunt. Existimas autẽ hoc ô homo, qui iudicas eos qui ta-  
 lia agunt, & facis ea, quia tu effugies iudiciû Dei? An diuitias  
 bonitatis eius, & patientiæ & longanimitatis cõtemnis, igno-  
 rans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiã te adducit? Et  
 alio in loco iterû Paulus: Tu quis es qui iudicas alienum ser-  
 uum? Domino suo stat aut cadit: & omnes coram tribunali  
 Christi sistemur, &c. Vult itaq; Christus, vt proximum no-  
 strum correpturi, nos ipsos prius consideremus. Nam aut in  
 simili peccato iacemus, aut in id incidere possumus. Quòd si  
 in simili peccato iaces, aut grauiori, primû trabẽ ex oculo tuo  
 eijce, ingemisce super peccata tua, & mone proximû tuum, vt  
 similiter faciat. Sin autẽ liber à peccato es, de quo alterû ar-  
 guis, cogita saltẽ, te illo tentari posse: ergo tantò maiorẽ com-  
 patientiã erga proximû tuum exhibe, quemadmodû rursus  
 Paulus docet. Deindẽ ad correptionẽ proximi tui nihil te mo-  
 ueat aliud, quã amor hominis, & odiû peccati. Deniq; ita te  
 habe in correptione proximi tui, vt possit intelligere, te non  
 Gal. 6. alia re quã amore ad id pertrahi. Sic prudens faciebat Abi-  
 3. Reg. 35. gail erga Dauidẽ. Is magnã trabem habebat in oculo, hoc est  
 magnã iram cõtra Nabal, cõsiliûmq; malû animo versabat:  
 cæterû prudens mulier trabẽ ei extrahebat, hoc pacto, Præ-  
 lia Domini, domine mi, tu præliaris (inquit) malitia ergo nõ  
 inueniatur in te omnibus diebus vitæ tuæ. Cû ergo cõstitue-  
 rit te Dominus ducẽ super Israël, non erit tibi hoc in singul-  
 tum, & in scrupulum cordis, quòd effuderis sanguinẽ inno-  
 xium, &c. Hoc verbo frangebat eius iram, vt statim ex itinere  
 reuerteretur, nullius vindictæ amplius memor. Abi, fac &  
 tu similiter, & correptio tua in proximo tuo non carebit fru-  
 ctu. Deus nobis omnibus suam det gratiam, Amen.

### Octauus Sermo de Epistola & Euangelio.



ODIERNA ista Dominica Epistolam ha-  
 bet & Euãgelium, quæ haud dubiẽ summa dili-  
 gentia coordinata sunt: quanquã quis existima-  
 re possit. Epistolam nihil penitus cû Euangelio  
 congruere, quandoquidem nihil eorum conti-  
 net, de

net, de quibus Christus in Euangelio dicit. Attamen aptè coniunguntur, vt si quæ alia. Rogas qui? Plerunque sese mutuo comitantur, probum esse, & multa pati oportere. Vfus id quotidianus docet. Tum diuus Paulus expressis verbis dicit, omnes eos, qui piè volunt viuere, persecutionè pati oportere. Et Christus ipse ait ad suos Discipulos: Si de mundo *2.Tim.2.* fuissetis, mūdus quod suum erat diligeret: quia verò de mun *Ioan.15.* do nō estis, propterea odit vos mundus. Atqui necesse est, vt *Studium boni* Christianus hæc duo in se habeat, feruens studiū ad bonū, & *Perpeſſio ma-* patientiam in malis. Indicat & Paulus vtrumque ad Roma- *li.* nos scribens: Odientes malum, adherentes bono. Charitatē *Rom.12.* fraternitatis inuicē diligentes, honore inuicem præuenientes. Et paulò post: Necessitatibus sanctorū communicantes, hospitalitatem sectantes. benedicite persequentibus vos: benedicite, & nolite maledicere. Gaudete cū gaudentibus, flete cum flentibus, nulli malum pro malo reddentes. Prouidentes bona non tantū coram Deo, sed etiam corā omnibus hominibus. Si fieri potest, quod ex vobis est, cū omnibus hominibus pacē habētes. Nō vosmetipſos defendentes charissimi, sed date locū iræ. Si esurierit inimicus tuus ciba illū: si sitit, potum da illi. Noli vinci à malo: sed vince in bono malum. Hic feruor est, quo Christianus homo ad boni studium ferri debet: sed additum simul est, & quidem inter iam dicta *Ibid.* verba, Spe gaudentes, in tribulatione patientes. Hoc alterum est, quod ad Christianū pertinet. Vtrumque nobis hodie simul ob oculos ponitur. Christus feruorē ad bonum nobis persuadere conatur: Paulus verò patientiam in malis. Vtrouique loci exempla & promissiones indicatæ sunt: exempla quæ nos impellant: promissiones, quæ illiciant & trahāt nos. Nihil horū frustra & absq; causā nobis propositū, quin ijs omnibus opus habemus. Peregrè profecturum scire oportet *A simili.* quomodò vbiq; & erga quosuis sese gerere debeat. Imò necesse habet, vt pacificus transeat, cum nemine rixetur & contendat, sed erga omnes sit humanus & comis: multa oportet vt ferat & faciat, perindè ac si non videat aut audiat: sæpè bona dare verba cogitur, vbi non iniustam irascendi causam haberet, quandoque omninò silentium continere, etsi loqui necessitas iubeat. Quod nisi facit, facile impeditur in suo itinere & profectio. Nam quò inhumaniorē sese exhibet, hōc sibi plures cōciliat inimicos. Iidem in mundo fieri con-

*Sustine & abstine.* suevit, vt nemo facilius itineris pericula effugiat, quàm qui iuxta prouerbiū facit, Sustine & abstine. Namq; hæc duo verba certissimā ostendunt viam ad tranquillam vitā. Qui nihil vitare vult, & nihil pati potest, is nunquā ad pacem peruenit, id quod vsus docet quotidianus. Videmus id & legimus in omnibus historijs. Christus ipse dicit: Beati mites, quoniā ipsi possidebunt terrā. Mundus quidē eos laudat, qui alacres sunt & feroces, neq; sibi (vt vulgò dici solet) os contingi patiuntur, aut dentē effringi, sed ad defensionē sese parant, verba dantes pro verbis, pugnos pro pugnis. Christus autē commendat mites, atq; etiā beatos vocat. Ij autē mites dicuntur, qui neminē lædunt, & vt maximè contingat eos lædi, libenter ignoscunt: patienter ferūt, si quid eis iniuriæ infertur: nulla ira exasperatur, nullam vindictā expetunt, sed id Deo committunt: malunt expendium pati, quā rixari & altercari: pluris faciunt cor tranquillum, quā multa bona & possessiones: malunt tranquillam paupertatē quàm cū contentione diuitias: ad irā prouocāt neminē, nec se cōmoueri ad irā seu exacerbari patiuntur: nemini incōmodant, nec in animū inducunt cuiquā nocere: benè volūt omnibus absq; omni duritie aut maluolentia animi. Talis erat Christus, ideóq; dicebat ad suos discipulos: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde: quod ipsum Zacharias quoq; de eo dixerat, eum fore Regem mansuetū. Talis erat Paulus, vbi ait: Maledicimur & benedicimus: persecutionē patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus. Tales homines omniū optimè salui euadunt, possident terrā, sua retinent, vbi contentiosus omnium iacturā facit. Etsi quādoq; suis possessionibus cijciuntur, vniuersus mundus illis est ceu patria eorū, & prætereā iam habent terram viuentium in spe: imò quò plus malorum illis ingruit, hoc certius cœlestē patriam possident. Hæc omnia nobis hodierna Dominica cōsideranda proponuntur. Id quod imprimis obseruādum, quādoquidem etiā nos in via sumus versus verā nostram & æternā patriam: sed per medium mundum nos ire oportet, qui nos remorari facillè potest, si non erga quenque nos possumus vti decet, non sustinere & abstinere cum comitate & patientia. En, huc inseruit nobis *Vt erga quos vis gerere nos debeamus.* hodiernum Euangelium & Epistola. Hic docet nos Christus quomodò erga vnumquemlibet nos gerere debeamus, tam amicū quàm inimicū. Estote misericordes (inquit Christus) nolite iu-

nolite iudicare, nolite condemnare, dimittite, date: alteri suā festucā suum paruum vitium ne exaggera, ipse grauiorū criminum reus. Hoc caueas oportet, si rectā & pacificē per mundum transire voles. Hoc Christus multis iisque efficacibus vrget argumentis. Et primò proponit nobis ipsum Deum pro exemplo, cuius bonitas & misericordia nos mouere omnes debebat, vt neminem dolore afficeremus, sed de omnibus benè meremur: quippe cū puerum nihil ad æquē deceat, quàm vt parentum virtutem & honesta facta imitetur. Vnde *Ioan. 8.* & Christus Iudæos corripiebat, q̄ se Abrahæ filios iactabant, nec tamen vel in minimo Abrahæ facta exprimerent. Imo conuincit eos Christus, q̄ neq; Abrahæ, neque Dei, sed diaboli filij sint, eò q̄ illum in mendacio & sanguinario animo plus imitarentur, quàm Abraham, vel etiam Deum. Tantò iustius ad animū reuocare debemus, q̄ nobis Christus ante omnia exemplum Dei proponit. Estote misericordes (inquit) sicut & Pater vester misericors est: nec tamen hoc contentus est, sed alijs insuper pluribus argumentis vtitur, admonens nos propriæ nostræ nudę imbecillitatis & infirmæ conditionis, vt qui ipsi tales homines sumus, qui alios *Humana conditio.* aut ope & beneficijs promouere, aut tollerare & sustinere cogimur. Ad hæc omnia etiā monet nos Christus, ne mandata eius contemnamus, aut mundi magis cursui & propriæ nostræ rationi obtemperemus, quam ipsi. Alioqui si cæci ipsi, cæcum mundū sequi vellemus, vnà cademus in foueam æternæ condemnationis. Hic vide, quàm vehemētibus argumētis nos Christus eò velit deducere, vt erga quosuis humani simus. Et quis nocere nobis posset, si boni imitatores essemus eiusmodi doctrinæ? Paulus (vti dixi) vtitur exēplo creaturarū, adhortans nos primò per hoc ad charitatē. Omnes *Rom. 8.* creaturæ (inquit) seruiunt nobis, attamen pati coguntur, vt illis multifariā abutamur, imò vt earū nostrūmq; creatorē blasphememus: nec tamen desinunt nobis, imò vanitati nostræ seruire. Cur igitur & nos similiter nō facimus? Non oportet te considerare mundi ingratitude, sed Dei voluntatem, & futurā mercedem: imò mundi ingratitude nihil nobis obest, sed magis confert. fit enim per eam, vt cū omnibus creaturis pro futura redemptione ingemiscamus. Deinde quoque Paulus creaturarum exemplo nos ad patientiam *Patientia in-* inuitat. Vanitati (inquit) creatura subiecta est, seruire *citamentum.*

gitur, nunquã quæta: mallet libera esse, sed tamen sustinet ex spe nõ fore perpetuã, sed finẽ habiturã hanc ipsam seruitutẽ: id quod fiet, vbi gloria filiorũ Dei aduenerit. Cur igitur non etiã nos patientes essemus? Enimuerò non soli sumus, omnes creaturæ ingemiscunt nobiscum: & scimus omnes passionẽ huius tẽporis finem habituras: videmus etiã atque experimur quotidie, finem consequi, &c. En, hæc illa duo exempla sunt, quæ nos meritò impellere debent, alterum ad charitatẽ, alterum ad patientiam. Porro promissiones quoq; audiamus, quæ nos trahere debent: quæ vtique certè magnæ sunt. Quid honestius, quam filium esse Dei? Quis tutior, quàm quem Deus non iudicat? Quis hilarior, quàm quem Deus non condẽnat? Quis beatior, quàm cui Deus remittit. Quis ditior, quàm cui Deus bonam & confertam & coagitatam & supereffluentem mensuram dat in sinum eius? Atqui promittit Christus in hodierno Euangelio, hæc omnia hominibus Deum in charitatẽ imitãtibus. Et quẽ tantæ promissiones non traherent? Atque hoc est, quod Deus olim in Osee prædixit, se tẽpore Christi homines in funiculis Adã tracturum. Hic autem Adẽ funiculi qui sunt alij, quã promissiones & beneficia? Quo homo citius & libentius trahitur, quã si illi multa promittatur, & dentur magna? Eia, si humanis promissionibus, quæ tamẽ incertæ, & humanis beneficijs, quæ tamen exigua sunt, trahimur: quãtò magis Dei nos promissiones trahere debet, quibus nihil certius, & eius dona, quorum magnitudo efferi non potest? Deus verax est (inqt diuus Paulus) sed omnis homo mēdax. Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum. Id genus promissiones multas quoq; habet diuus Paulus, quæ nos meritò ad patientiã trahere debet: vt est, reuelatio filiorũ Dei, gloria ac beata libertas ab omni malo, quo hinc præmimur: redemptio corporis nostri ab interitu, & æterna gloria, ad quã oēs passionẽ huius temporis nihil sunt. Hoc promittit Paulus ijs qui patientes sunt, idq; non in hoc tantum, sed in alijs locis pluribus Epistolarum suarum facit, maxime ad Hebræos, vbi nos multis hortatur ad patientiã. Quid autem etiã ad illã hominem trahere melius potest, quam promissio? Imò quid homini obesse potest, quod hinc in terris contemnitur, sciens videlicet & cogitans, se in extremo iudicio coram omnibus hominibus, Angelis & creaturis, pro filio Dei agnitum irẽ

Cur gra-

*Promissiones  
Dei vt nos illi  
trahant.*

*Ose. 11.  
Funiculi  
Adam.*

*Rom. 3.  
Esa. 64.  
Præmia patientiæ.*

Cur graua retur aliquid in hoc mundo pati, cū tamen sciat, se non mundo liberandum, sed etiam gloriosa libertate donandum ab omni malo? Cur impatiēs fieret in passione ad breue tēpus duratura, cū non ignoret, æternum gaudiū secuturum? Quod in præsentī est (inquit sanctus Paulus) momētaneum & leue tribulationis nostræ, supra modū in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur, hoc est, æterna. Sic Christus ipse dicit: Ego dispono vobis sicut disposuit *Luc. 22.* mihi Pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedeatī super thronos, iudicantes duodecim tribus Israhēl. Vide, hæc illa sunt, quæ hodierna Dominica nobis proponuntur, considerāda. Ex quibus quisque videre facillē potest, Euangelium huius diei cum sua Epistola, rectē ac ordine summōque studio & exacto iudicio coniunctum atque copulatū esse. Reliquum fuerit, vt ad animum id non minus diligenter reuocemus. Deus nos omnes sua dignetur gratia, Amen.

DOMINICA SEXTA  
POST PENTECOSTEN,  
EVANG. LVC. V.

**F**ACTVM est autē cū turba immineret: *Marc. 14.* vt audiret verbū Dei, & ipse stabat iuxta stagnū Genezaret, & vidit duas naues stātes ad stagnū: piscatores autē descēderāt ex illis, & abluebāt retia. Ingressus autē in vnā nauī, quæ erat Simonis, rogauit eū, vt à terra abduceret pusillū, & sedēs docebat de nauī turbas. Vt cessauit autē loq̄, dixit ad Simonē: Duc in altū, & laxate retia vestra ī capturā. Et respōdēs Simō, dixit illi. Præceptor, p̄ totā noctē laborātes nihil cepimus, tñ tuo iussu laxabo rete. Et cū hoc fecissent, cōcluserūt pisciū mul-

titudinē copiosam. Rūpebatur autē rete eorū. Et annuerūt socijs, qui erāt in altera nauī, vt venirent & adiuuarēt ipsos. Et venerunt, atque impleuerunt ambas naues, ita vt mergerentur. Quod cū videret Simon Petrus, accidit ad gēua Iesu, dicens: Discede à me Dñe: quia homo peccator sum. Stupor em̄ circumdederat eū, & omnes qui cū illo fuerāt, super captu piscium quē ceperant: similiter autem Iacobum & Ioannē filios Zebedæi, qui erant socij Simoni. Et ait ad Simonē Iesus: Ne metuas: posthac homines capies. Et subductis in terram nauibus, relictis omnibus secuti sunt eum.

E A D E M D O M I N I C A  
E P I S T O L A S A N C T I P E T R I  
T R I I. C A P. I I I.

*Prou. 20.* *Rom. 12.* **C**harissimi: In summa, omnes sitis unanimes, similiter affecti, fraternā pradi charitate, misericordes, affabiles, non retaliantes malum malo, aut conuiciū conuicio: sed contrā benedicentes, scientes uos in hoc uocatos esse, ut benedictionem hereditate possideatis. Nam qui uult uitam diligere & uidere dies bonos, coercet linguam suam à malo, & labia sua ne loquantur dolum. Declinet à malo, & faciat bonum: querat pacem, & persequatur eam, quoniam oculi Domini super iustos, & aures eius ad deprecationem illorum. Rursum, aspectus Domini super eos qui faciunt mala. Et quis est qui sit afflictorus uos, si bonitatis amulatores fueritis? Imò si quid etiam ac-

*etiam acciderit incommodi propter iustitiam, beati tamen estis. Ceterum terrore illorum ne terreamini: neque turbemini, sed dominum Deum sanctificate in cordibus uestris.*

## P R I M V S S E R M O.



**H**ODIERNVM istud Euangelium, tamen si simplex tantum historia videatur, potest tamē, vt rem ipsam dicamus, pio homini ad multa bona vsui esse. Par itaque est, vt hoc diligentius id consideremus, vt tantò plures ad bonum occasiones, & incitamenta habeamus. Nam audiens sapiēs sapien- *Prou. 1.*  
 tior erit, inquit Salomon. Et iterum: Da sapiēti occasionem, *Prou. 9.*  
 & addetur ei sapientia. Atqui verò homo Christianus semper habet, quod vtiliter discere, & in quo in dies in agnitione Dei rerumque diuinarum crescere & proficere possit. Quini *Concionandi munus cur in*  
 mò hac ipsa de causa prædicandi officium in sancta Christia- *stitutum.*  
 nitate ordinatum & institutum est: vt in dies crescamus & spi- *Ephes. 4.*  
 ritualiter proficiamus. Sic enim inquit Paulus, Christus ascē-  
 dens in altum, dedit dona hominibus: nimirū dedit quosdam  
 Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangeli-  
 stas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationem  
 sanctorum in opus ministerij, in ædificationē corporis Chri-  
 sti: donec occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis  
 filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudi-  
 nis Christi, vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circūse-  
 ramur omni vento doctrinæ, &c. Quādiu hanc perfectionem  
 nō assequimur, semper quod discamus habemus. At vbi eum  
 assequuti erimus, hoc externum prædicandi munus cessabit,  
 nec opus amplius habebimus prædicatione aliqua, quemad-  
 modum Paulus iterum dicit: Cū venerit, quod perfectum *I. Cor. 13.*  
 est, euacuabitur, quod ex parte est. Etenim imperfectum est,  
 quicquid hīc scimus ac discimus. Intereā verò temporis fa- *2. Pet. 1.*  
 cere nos oportet, quemadmodum Petrus docet: Habemus  
 (inquiens) firmiorem Propheticum sermonem: cui benefaci-  
 tis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, &c.  
 Hunc in modum nos quoque Euangeliū istud accipere oportet.  
 Siquidē profectò lumen est, multa nobis salutifera indi-

cans etiam secundum historiam. Id iam in hac concione audiemus. Alioqui enim Euangelium istud pulchram habet allegoriam, quæ & ipsa post indicabitur. Quantum ergo ad historiam attinet, fecit Christus in hoc Euangelio, perinde ac si quis magnifica de seipso loquatur & præ se ferat; ita tamen ut verba mox sequantur facta. Aut tanquam qui in literis suis & scriptis multa, magnaque pollicetur, protinus tamen appendens sigillum suum ad certam cautionem. Ita verò etiam hic Christus fecit. Initio huius Euangelij habetur, eum populo concionatum, mox autem à concione miraculum hoc erga piscium capturam fecisse. Et quâquam hoc loco non indicatum est, quid Christus hac vice prædicauerit: scimus tamen, omnem eius prædicationem & doctrinam verum & nouum fuisse Euangelium seu lætæ nuncium, in quo multa egregia de seipso suaque diuinitate manifestauit, & ijs qui in ipsum rectè credunt, magna promisit. Nam in Ioanne seipsum nominat Messiam, nominat se fontem aquæ viuæ, nominat se panem viuum, seu panem vitæ; nominat se lucem mundi. Ioan. 9. nominat se vitam & resurrectionem. Ioan. 11. nominat se viam, veritatem & vitam. In Matthæo dicit, omnia sibi esse data à Patre suo, & datam sibi potestatem in cælo & in terra. Hæc & alia multò plura Christus de seipso manifestauit: quæ tamen omnia ipso etiam facto demonstrauit, ut nemo cogitare possit, ipsum sui ipsius buccinatores agere voluisse. Dicturus enim, Ego sum panis viuus, pascebat prius miraculosè magnam multitudinem populi. Sic ubi dixerat. Ioan. 9. Ego sum lux mundi, ilicò miraculo id comprobatur, cæco nato visum largiens. Eidem miraculo fidem faciebat verbis, quæ dixerat: Ego sum vita & resurrectio, &c. Lazarum è monumento euocans. Ioannis 12. Fecit similiter & alijs in rebus. Suas promissiones pariter quoque confirmauit hoc Dei sigillo, hoc est, miraculis. Omnibus in se credentibus promittebat Dei gratiam & fauorem. Pater, inquit, amat vos: quia vos me amastis, & credidistis, quia ego à Deo exiui. Et iterum. Ioan. 12. Placuit patri vestro dare vobis regnum. Et rursus: Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus. Hæc & id genus plurima. Christus in se credentibus Dei nomine promisit. Ne itaq; quis dubitaret, huic promissioni verum & certum sigillum Dei appendit, hoc est, talia opera, quæ facere,

Excepto Deo, nemo potest. Creaturis enim imperare, vnoq;  
 verbo omnia efficere, in vnius Dei potestate est. Talia itaque  
 Dei opera vbi cernuntur, dubitari non potest, quin Dei verba  
 sint, quæ circa ea dicta sunt. Quippe Deus nõ appetit sigillũ  
 suũ incertis & fallacibus promissis hominũ, nec cõfirmat ho-  
 minibus mendacia eorũ suis operibus. Diabolus conabatur *Exod. 7.*  
 quidem olim etiam miracula facere per Aegyptios maleficos  
 & incantatores, paria facturis cũ Moysse, qui iussu Dei mira-  
 cula edebat, ratus (diabolus) se similitudine diuini sigilli men-  
 dacia sua cõfirmaturum: res quidẽ illi aliquoties succedebat,  
 sed nõ in omnibus Moysen imitari poterat: imò deprehende-  
 batur, q̃ nõ vera miracula, sed præstigiæ & fascino oculo-  
 rũ fuerat, quod per maleficos fecerat. Christus autẽ vera edi-  
 dit miracula & vera Dei opera, ac proindẽ verum ac certum  
 sigillum Dei, suæ doctrinæ & promissioni appendit. Quapro-  
 pter nemini esse dubiũ debet, quin verbũ eius sit verbũ Dei.  
 His duabus de causis, Christus quoque hoc miraculum in ca-  
 ptura piscium fecit, nimirũ primò, vt declararet se dñm ter-  
 ræ & maris, & deinde verum Messiam & naturalẽ Dei filiũ. *Ex miracu-  
lis Christi  
agnoscenda.*  
 Secundò, vt verbo suo fidẽ faceret. Hũc in modũ reliqua etiã  
 omnia miracula Christi nos accipere oportet, vt discamus eũ  
 ex illis cognoscere ceu verum Messiam, & per ea cõfirmemur  
 in fide in illius verbum. Si nõ facio opera Patris mei, inquit,  
 nolite credere mihi. Si autem facio, etsi mihi non vultis cre-  
 dere, operibus credite: vt cognoscatis & credatis quia Pater  
 in me est, & ego in Patre. Hoc præcipuum est, quod in mira-  
 culis Christi obseruandum est, nec quidẽ res est parui momẽ-  
 ti, imò omnis spes nostra in hoc consistit, q̃ Christus verus est  
 Messias, & q̃ verbũ eius, sit Dei verbũ. Hæc petra est, cui nos  
 superstruimus, atque etiã persistimus contra oẽs portas & po-  
 testatẽ inferorum. Hæc victoria nostra est, qua vincimus mũ-  
 dũ. Hæc fortitudo nostra, qua persistimus cõtra omnem po-  
 testatẽ diaboli. Hæc fides nulla re efficacius confirmatur, quã  
 miraculis. Quare si incidit tibi scrupulus, nõ Christus verus  
 Messias, & an verbis illius fides habenda sit, ad miracula eius  
 aduerte. Quod si facis, dicere cũ cæco nato cogaris: Nisi esset  
 hic à Deo, nõ poterat facere quicquam. Et cum Nicodemo,  
 Ioã. 3. Rabbi, scimus quia à Deo venisti magister: nemo enim  
 potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. *Ioan. 9.*  
 Et cũ Martha: Ego credidi quia tu es Christus filius Dei, qui *Ioan. 11.*

*Consolatio inopum.* in hunc mundū venisti. Sed de hoc satis. Porrò Euangelium istud quoque insignem consolationē habet pro pauperibus, nimirum q̄ Deus pro illis curam gerit, eis alimentum & sustentationē præbet ac procurat. Sic cum sancti Apostoli, imò qui deindè adhuc Apostoli futuri erant, tora nocte laborassent, & alimētū suū quæsisent, nec tamè nacti essent quicquā, miserebatur illorū Christus, efficiens, vt in magna copia caperēt pisces. Et quoties frustrā laboraturi essemus, nisi Deus pro nobis sollicitus esset? Imò quid omnis noster labor utilitatis allaturus esset, nisi Dei accederet benedictio? si quidem nō noster labor, sed benedictio Dei hominem diuitem facit, vti Salomon ait. Similiter quoque Dauid dicit: Nisi dominus custodierit ciuitatē, frustrā vigilat qui custodit eam. Et Paulus. 1. Cor. 3. Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed qui incrementū dat Deus. Et alio in loco dicit, Deum administrare semen semināti, & panem ad manducandū præstare, & multiplicare semen nostrū, & augere incrementa frugū iustitiæ nostræ, vt in omnibus locupletati abundemus. Hæc omnia, inquam, Deo transcribit. Hoc solatium pauper habet in vocatione Dei ambulans. Huc pertinet quod diuus Petrus ait prioris Epistolæ cap. 5. Omnem sollicitudinē vestrā projicite in eū, quoniam ipsi cura est de vobis: Et Christus: Ne solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis, &c. Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. Primū autē quærite regnū Dei, & iustitiam eius: & hæc omnia adiiciētur vobis. Sic quoque docet Dauid Psal. 54. Iacta super Dominū curam tuam, & ipse te enutriet. Hoc idem ipse quoque fecit, imò in seipso deprehendit ita se habere. Ego, inquit, mendicus sum & pauper: Dominus sollicitus est mei, Et iterum Psal. 33. Iste pauper (Dauid) clamauit, & Dominus exaudiuit eum: & de omnibus tribulationibus eius saluauit eum. Huc pertinet historiæ de Israëlitis, quos Deus quadraginta annos pascebat cœlitus: de Elia, quē Deus primò per coruum. deinde per Angelum pascebat: de vidua Sareptana, quā Deus triennio farina, quantum manus capere potest, conseruabat, vnà cum filio necnon Elia. Postremò quoque de Daniele, quem etiā Deus mirabiliter pascebat in lacu leonū. Saltē hîc aduertendum est, vt verè credētes simus. Eos autē verè credētes vocat Paulus, Galat. 5. quorum fides per charitatē operatur. Tantum de isto solatio. Habet præterea hodiernum Euāgelium insignem doctrinam, ni-

solatium

Proverb. 10.

Psal. 126.

2. Corint. 9.

Matth. 6.

Psal. 39.

Exod. 26.

3. Reg. 17. &amp;

18.

Verè credentes qui.



nam, ni-

nam, nimirum eum dūtaxat laborem homini vtilem ac proficuum esse, qui in & secundum verbum & voluntatem Dei fit.

Ait quidem Salomon, quemadmodū ferrum prius retusum, multo labore exacuitur: ita post industriā sequi sapientiam. *Eccle. 10.*

mens illius est, assiduo labore nihil nō fieri: non tamen de solo loquitur labore, nec hoc sentit, quasi solus id labor faciat.

Non, alio in loco longē secus loquitur, parum admodū tribuens nostro duntaxat labori. Vidi, inquit, nec velocium esse *Eccle. 9.*

cursum, nec fortium bellum, nec sapiētium panem, nec doctorum diuitias, nec artificū gratiam: sed tēpus casūmq; in omnibus, intellige, ita vt Deus de supernis largitur. Atq; hoc pā-

ctō vides, laborē nostrū in sacris literis nonnunquā cōmendari, nō nūquam, si sit absque gratia, pro nihilo æstimari. Nec

tamen cōtraria censenda sunt, quemadmodū ex hoc Euangelio clarē videre in diuo Petro eiūsque socijs est, qui tota etiam *Luce. 5.*

nocte laborabāt frustrā, imō priusquā Christum agnoscerēt: deindē verō cū Christus eos laborare iubebat, & retia

laxare, nō amplius frustrabant laboris fructū, sed conatui respōdebat vberimus proventus. Sic de nobis & nostro labore

sentiendū est. Vbi Deus nō operatur, omnis labor noster irritus est: cæterū sicubi Deus labori nostro benedicit, fructus

sequitur cumulatim. Quocirca, cū sacra Scriptura laborem nostrum reijcit, non id fit eo animo, vt otiemur, & omnem la-

borē omittamus, sed vt hinc discamus, in nostro labore ad solum Deum respicere, & illi plus fidamus, quā nostris factis,

eiūque vni omnem fructū & successum laboris transcribamus. Verū vbi Scriptura nos ad laborem hortatur, nō ita intelli-

gendum est, quasi ex nostris viribus aliquid possimus citra Deum: sed vt laborem nostrū discamus agnoscere, & æstima-

re tanquam medium, per quod nobis cōfert Deus sua dona. *Nostra industria medium,*

Quisquis igitur hac in parte rectē agere vult, eum neque Dei *per quod gratia Dei capaces efficiamur.*

neque laboris obliuisci oportet. Nam si obliuisceris Dei, frustrā laboras: sin laborem intermittis, tentas Deum. Corpore

ergo labora, & animū tuum ad Deum dirige, tum omnia feliciter tibi succedent, vti vides in Apostolis. hi faciebant laborem, quod reliquum erat, Christo committebant, idcirco laboris præmium nō pœnitendum referebant. Summa, omnis

labor noster manis est & casus, quandiu sine Christo laboramus, & in labore nostro nō ad Deum respicimus. Hæc vnica

causa est, quam ob rem aliqui labores & molestias tollerēt die

ac nocte, miserè fatigentur, nec vnquam tamen è paupertate & miseria sese expedire & emergere possint. Nam in labore suo Deum nõ vident, nec de illo cogitant: non laborat in fide & spe erga Deum. Vnde monet nos Sapiens: In omnibus vijs tuis cogita Deum, & ipse diriget gressus tuos. Sic & Dauid dicit: Reuela Domino viam tuã, & spera in eo: & ipse faciet.

*Prouerb. 3.*

*Psal. 36.* Porro autem q̄ etiam Apostoli totam noctem frustra laborabãt, argumētum est, eos adhuc omnes frustra laborare, qui alto mari sese totos committunt, & in æstuantibus fluctibus huius mūdi ita occupati sunt, vt cœlestis suæ patriæ obliuiscãtur. De his dicit Dauid: Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt oēs viri diuitiarum in manibus suis. Id quod etiã in inferno & gehenna confiteri eos oportet. Quid nobis profuit, inquiunt, superbia? &c. Transierũt omniã illa tanquam vmbra. In spiritualibus rebus eodem modo res habet. Quicquid non fit in Deo & in fide, frustra est. Ideò dicit Christus de Iudaicis Pharisæis, inanè esse eorũ cultũ Dei, imò iam eos accepisse suã mercedẽ: quia hominũ laudes aucupabantur, nõ Dei gloriam. Quisquis ergo vtiliter laborare vult, is nõ nocte laboraret, sed die, hoc est, in luce fidei, pia & recta animi intentione, & secundum verbũ Dei, nauiculam suam à litore deducat, animũ suũ submoueat ab inordinato amore mūdi & rerum mundanarũ. Tantum in genere de hoc Euangelio, & iuxta literã. In sequẽtib; sermonibus de his omnibus fufus dicetur. Deus suam nobis gratiam perpetim aspiret, Amen.

*Sap. 5.*

*Matth. 5.*

## SECUNDVS SERMO DE initio Euangelij.



**H**ODIERNVM istud Euangelium eiusmodi apparet, quasi homini Christiano non ita multum inferuiat ad peregrinationem suam, quando nihil aliud est, quàm nuda historia, & talis historia, cuius pars maxima de S. Apostolis est.

*Christianus  
quæ nosse de-  
beat.*

Verum enim uerò si penitus consideres, nihil habes aliud, quàm eiusmodi verba, quæ vnumquemque Christianum in fide ambulanti, & currentem ad futuram spem, nouisse & habere oporteat. Nimirum primò scire debet, nihil nobis absque Deo bene cedere, quemadmodũ diuus Petrus eiusq; socij, Christo nondum cognito, laborem inutilem sumebant. Secundò, in verbo Dei, si illud ritè audiamus & accipiamus, omnia nos

omnia nos posse, quemadmodum etiam S. Petrus, cum ad verbum Christi rete suam laxaret, plus piscium vna vice capiebat, quam antea per omnem vitam ceperat. Tertio, Deum omnia dare, nec exprobrare, sed dare spiritualia simul & temporalia, quemadmodum in hoc Euangelio populo primum verbum suum pro cibo animarum, deinde pisces pro corporali cibo dabat. Hæc tria cuique Christiano scienda, tenenda & credenda sunt. Ea verò omnia clarissimè in isto Euangelio sunt indicata: imò non hæc sola, sed alia multò plura, quibus Christianum præditum & instructum esse oportet. Inter hæc primum est flagrans amor erga Dei verbum, ut in populo videre est glomeratum & cupidè ad Christum currente, ad audiendum sanctum illius Verbum. Alterum est velox & parata seu voluntaria obediètia absque omni mora & excusatione, ut videmus in sancto Petro. Tertium est vera charitas, quæ citra moram proximo subsidio venit, ut apparet in socijs Simonis, qui protinus aderant, & Simonem in reti trahendo adiuuabant. Quartum est intima humilitas absque omni hypocrisis sese Deo subiciens, quemadmodum Petrus faciebat, inquit, Luc. 5. Exi à me, quia homo peccator sum domine. Quintum est perfecta imitatio Christi, absque omni post tergum respectione, quemadmodum in sanctis istis piscatoribus videre est, qui, omnibus relictis, Christum sequebantur. Quàm verò facilè quis ad Christianam perfectionem perueniret, qui hæc quinque in se habeat, imò qui fide & Christiana conversatione ita sit paratus & accinctus? Quapropter nemo Euangelium istud hoc minoris facere debet, eò quod nihil aliud quam historia est, & videatur ad solos Apostolos spectare. Nihil enim tam vile & humile est in sacris literis, quin homini vsui esse possit. Quod ut verum intelligatur, in hoc Euangelio exploratum habebimus, quod nobis miraculum ob oculos ponit, à Christo aliquando tempore peregrinationis suæ hic in terris gestum. Vbi ex simplici litera non ita magnum quid sumi potest: ceterum qui in litera etiam spiritum querit, protinus videbit, quanto intervallo sacra Scriptura vna cum suis historijs, reliqua omnia scripta mundana & historias antecedit: imò videbit, etiam opera & miracula Christi nihil aliud esse, quam salutiferam doctrinam. Etenim Christus nobis, hoc est, ad nostram utilitatem, penitus datus ac natus est, ideòque verba eius & opera nobis pretiosissima clarissimamque esse debent. Quò autem videre quisque usum & fructum huius

1. Feruens studio verbi Dei.

2. Obediètia prompta.

3. Charitas.

4. Humilitas.

5. Imitatio Christi.

Esa. 9.

historiæ possit, ordine verba audiemus ac in da gabimus.

- Luc. 5.* Factū est (inquit Lucas) cū turbæ irruerent in eū (hoc est, Christū) vt audirēt verbum Dei, &c. In his primis verbis
- Psal. 44.* statim videmus, Dauidē rectē benēq; de Christo vaticinātū: Speciosus forma præ filijs hominum, diffusa est gratia in labijs tuis: ppter eā benedixit te De<sup>9</sup> in æternū. Quid enim populū hūc aliud ad Christū pellexit, quā amabilis eius vultus & iucunda vox? Neq; id mirum. Quis enim non cupiat sapientiā Dei audire? Quis non libenter Dei potētiam videat? Quis nō expectat verbum, quod caro erat factū, contingere? Atqui dicit Paulus, Christum Dei esse sapientiā & virtutē. Non itaq; mirū, vnamquāque animā amantē ad ipsum clamare: Ostende mihi faciē tuā, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Hæc causa fuit, quā ob rē turbæ tanta cū cupiditate ad Christū currebant, vt in eū etiam irruerent. Isaias prædixit: Fluēt ad eum omnes gētes, inquit, & ibūt populi multi, & dicēt: Venite & ascendamus ad montē Domini, & ad domū Dei, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius: quia de Sion exiit lex, & verbū domini de Ierusalē. Hæc verba propriē de Christo dicta sunt. Hic mons est, quē Deus exultat, & domus in qua diuinitas etiā corporaliter conqueiuit. Ex hoc nobis lex & verbū Dei prodijt: ad hūc etiam currere omnes mortales debebāt, & ex eo discere. Hoc in Euāgelio isto & in populo isto compertū habemus: his nō satis erat vt in templo & in synagogis, imò in ciuitatibus & plateis viderent ac audirēt eū, sed quocunq; pergebat, sequebantur eum, etiam vsq; ad mare, vel in desertū vsq;. Nihil eos remorabatur aut deterrebat, neq; inamœnitas deserti neque difficilis & laboriosus montium ascensus, neq; itineris longitudo: nec verebantur in alienas irruere ædes, si qua eum diuertisse intelligebant. Postremò quoq; sequebantur illum vsque ad lacum: non poterāt eum deserere etiam aquā & mare iam traiccturū. De tali studio populi erga Christū, multa legis in Euāgelio. Atq; hoc est, de quo Christus dicit: A diebus Ioannis Baptistæ vsq; nunc, regnum cœlorū vim patitur, & violenti rapiunt illud. Porrò autem studium illud, quod populus declarauit, confert cum magna indiligentia, quæ in nonnullis Christianis deprehenditur, videbis Christum etiam ad eos dicere posse, atque illis negligentiam eorum exprobrare, quemad-

quemadmodum olim in ciuitatibus aliquot faciebat, utpote *Ibidem.*  
 ciuitati Corrozaim, Bethsaidę & Capernaõ, in quibus potif-  
 simum docuerat, & miracula ediderat: sed nusquã maiorem  
 ingritudinẽ expertus erat, quã apud eos. Sic, inquam, ad  
 nos etiam dicere posset: Væ vobis ingratis Christianis, quia  
 si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in  
 vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiã egissent. Quinimõ  
 cõtra eiusmodi ingratos Christianos rectẽ dici posset, quod  
 Christus cõtra Iudæos in genere dicit: viri Niniitæ surgẽt *Matth. 11.*  
 in iudicio cũ generatione ista, & condemnabunt eam, quia  
 pœnitentiã egerũt in prædicatione Ionæ: & ecce plusquam  
 Ionas hĩc. Regina Austri surget in iudicio cum generatione  
 ista, & condemnabit eam, quia venit à finibus terræ audire sa-  
 pientiam Salomonis: & ecce plusquã Salomon hĩc. Sequitur. +  
 Et ipse stabat secus stagnũ Genesaret. Secũdum historiã & li-  
 teram, nihil habent peculiare verba ista. Veruntamen magna  
 mysteria in his latent & indicata sunt. Nam quod Christus  
 hac in parte temporaliter fecit, id spiritualiter quoq; fecit &  
 executus est. Primõ antequã incipiebat docere & nauiculam  
 conscendere, stabat, inquit Lucas, id quod verissimum est.  
 Prius enim quã in terris & in humana natura apparebat,  
 visibilis stabat tanquam paratus ad auxiliandum. Ab æterno  
 enim decreuerat, hominẽ cũ cecidisset, rursus subleuare,  
 vt in Dauidẽ dicit: Propter miseriam inopum, & gemitum  
 pauperum, nunc exurgã: ponam in salutari, fiducialiter agam *Psal. 11.*  
 in eo. Et iterũ: Sacrificium & oblationẽ noluiſti Domine, &c.  
 tunc dixi, Ecce venio. In capite libri scriptũ est de me, vt face *Psal. 19.*  
 rem voluntatẽ tuam, &c. Hunc in modum stabat filius Dei:  
 sed stabat secus stagnũ, per quod in scripturis mundus signi- *Stagnum.*  
 ficatur, multis de causis. Vt enim mare magnũ & vastum est, *Mundus.*  
 habens omnia animantium genera, tum paruorũ, tum ma- *Psal. 103.*  
 gnorũ, quæ numerari non possunt, habens simul etiã prodi-  
 giosa monstra, est amarũ, fluit ac refluit, huc illuc impellitur,  
 nunquã est sine periculo, neq; vnquam sine vento, &c. sic etiã  
 in hoc mundo nihil certum est & constans: sed plenus est ad-  
 uersitatibus & erumnis, plenus peccatis & tribulationibus,  
 plenus periculis & laqueis, plenus inquietudine, & magnis  
 ventis, &c. In mare protrusi omnes eramus ob peccatum pri-  
 mi parentis, & ita submersi, vt nulla salutis spes apud nos esse  
 potuisset, nisi filius Dei ipse quoque in hoc mare demississet *Act. 17.*

se se ac contulisset. Sic itaq; stabat secus stagnum, non longè erat ab vnoquoque nostrú. In ipso enim viuimus, & mouemur, & sumus, licèt pauci homines tum eum videbát & agnoscebant. Sic etiá indubiè nunc stat secus stagnú: videt nos la-

*Matth. 28.* borantes, est & manet apud nos vsq; in finem mundi: semper nobis acclamat, quemadmodú olim discipulis suis dicebat, in aqua periclitantibus: Habete fiduciam: ego sum, nolite timere. Et iterú: Confidite, ego vici mundum. Hoc summum &

*Matth. 14.* vnicú nostrum solatiú, quod Christus propè est nobis, imò *Ioan. 14.* propè omnibus inuocantibus eum in veritate. Quis alioqui non desponderet animú, & succumberet in procelloso mari

*Psal. 144.* huius mundi? In me ait *Ioan. 16.* pacè habebitis, in mundo autem pressurá. Sequitur: Et vidit duas naues stantes secus sta-

*Due naues*  
*duo populi.* gnum. Hæ duæ naues duos significant populos in terris & in mundo, nimirú Iudæos & Gentes. In hos enim duos populos genus humanú antiquitus diuisum est. Te (inquit Moses, *Deuter. 1.* ad Israëliticú populum) elegit Deus, vt sis ei in populum peculiare de cunctis gentibus quæ sunt super terram. Non immeritò autè hi duo populi duabus cõparantur nauiculis. Nam quod nauis in mari est, id homo in múdo est. Nauicula in mari semper fluctuat, nec tuta est, quemadmo-

*Iob. 14.* dum diuus *Iob* ait: Homo natus de muliere breui viuens tempore repletur multis miserijs. Qui quasi flos egreditur & cõteritur, & fugit velut vmbra, & nunquã in eodem statu permanet. Has duas naues, hos duos pupulos, Christus simul vidit. Non est enim apud illum, vt *Act. 10.* legitur, respectus personarú: nec solùm Iudæorú, sed & Gentium Deus est: imò Deus omnium hominum: atq; ita, vt quicumque nomen eius inuocat, saluus fiat. Veluti *Paulus* ibidè ex *Iohelis cap. 2.* demonstrat. Non simpliciter autè vidit Christus hos duos populos, sed oculo misericordiæ, quo olim etiam videbat miseri-

*Rom. 10.* riam & afflictionè Israëlitarum in Aegypto. Vidit duas naues stantes, sed vacuas. Omnes enim peccauerant, Iudæi &

*Exod. 3.* Gentes: quapropter orbati erant & indigebát gratia Dei. At quid homo omni gratia Dei vacuus, aliud est, quã nauis in medio mari absq; moderatore? Piscatores autè (inquit *Luc.*) descenderant, & lauabant retia. Quod sanè nõ caret singulari mysterio, imò impletur quoq; in nobis prius quàm Christus cù suis donis venit, nihil facimus aliud quã q̃ retia nostra contaminamus. Etenim in omnibus operibus nostris ni-

*Rom. 3.*  
*Lauabant re*  
*tia.*

hil puri,

hil puri, nihil mūdi esse potest, vbi fides nulla est, iuxta Paulum, Rom. 14. Omne quod nō est ex fide, peccatū est. Itaque rectè dictū est, Lauabāt retia. Quid Moyses cū lege sua fecit aliud, aut facere conatus fuit, quā opera nostra purgare & mundare? Eodē modo conabatur & Ethnici philosophi virtutibus suis moralibus hominū vitā corrigere. Sed actū agitur, nisi nos lauet Christus. Eaq; de causa dicebat ad Petrū: *Ioan. 12.*  
 Nisi lauerō te, nō habebis partē mecum. Exterius prae nobis *Hæc est iustifi-*  
 ferre quidē possumus speciē, perindē ac si mūdi simus, intus *catio baptis-*  
 verò manet peccatū, & omnes sordes, donec nobis Christus *mi.*  
 corda nostra per gratiā suā purgat. Et ob id comparat Chri- *Matth. 23.*  
 stus Iudaicos Phariseos sepulchris dealbatis, quæ ad foris quidem patēt hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorū, & omni spurcitiā. Sequitur: Ascendens Iesus in vnā nauim, quæ erāt Simonis. Tum Christus in mare huius mūdi sese demisit, & nauiculā ascēdit, cū semetipsum exinaniret, formā serui accipiens, in similitudinē hominū factus. *Philip. 2.*  
 Specialiter expressum est, eum in vnā nauim ascendisse, quæ *Nauis Simonis.*  
 Simonis erat, quia primū solū ex Iudaico populo & genere humanā naturā assumpserat, vti Paulus dicit, Rom. 1. eum ex semine David, secūdum carnē factū. Deindē etiā non nisi in vnā nauiculam ascēdit: nō est enim nisi vna Ecclesia & Christiana communio, in qua Christus moratur ac manet: nimirum quæ super fundamentū Apostolorū & Prophetarū ædificata est. In ea vna manet & est Christus, quemadmodum promisit *Mat. 28.* Ego vobiscū sum omnibus diebus vsque ad cōsummationē seculi. Extra hanc Ecclesiā & Christianā cōmunionē nulla sperāda salus est, quæadmodū in diluuiō nullus homo extra arcā Noë seruari poterat. In Ionia similiter *Gen. 7.*  
 præfiguratū fuit, quæ è naui proiectū, hinc absorbebat cetera: *Ion. 1.*  
 ita qui ab Ecclesia & cōmunionē Dei sese segregat, hunc deglutit diabolus, nisi diuinitus eripiatur, vt Ionas. Quamobrē quisque videat, vt in hac nauicula maneat, & in Ecclesia inueniatur, in qua Christus, Petrus, Paulus, sancti Apostoli & Martyres fuerūt, & adhuc sunt. Si vel latū pedem ex Ecclesia excedis, peristi, scilicet, Summa, sectarū & hæreticorū Ecclesiarū complures sunt, sed non nisi vna Ecclesia Christi. Ceterū nō est magna nauis, sed nauicula: quippe bonorū semper rarior numerus quā malorū. Et semp̄ Ecclesia nauiculæ *Ecclesia nauis-*  
 similis esse debet, infrā cōclusa versus temporalia, suprā verò *cula.*

aperta versus Deum & cœlestia. Ideò autè vnica vocatur Ecclesia & cõmunio, nō q̄ vno in loco sit aut esse possit, sed q̄ omnes ij, qui in ea sunt, etsi corpore longè disiuncti, vnā tamen habeant fidē, vnū baptisma, vnū Deum, vnū Christum,

*Ephe. 4.* vnā spem suæ vocatiõis, vnā eandēmq; æternā hereditatem, vnū Spiritū, vniūsmodi lumen & eadē sacramēta, imò omnes

*Ecclesia cur* vnū corpus sunt sub capite Christo. Hęc Ecclesia nō ab re vo  
*Nauicula san* catur S. Petri aut Simonis nauicula Primò namq; super pe-  
*cti Petri.* tram ædificata est, quā Petrus cõfessus est. Matth. 16. vbi ait:

I. Tu es Christus filius Dei viui. Cõfitetur hoc Ecclesia in ho-

II. diernū diem adhuc. Secūdò propterea S. Petri nauicula nominatur, q̄ sancto Petro peculiariter cõmissa est, dicente ad eum Christo, Ioan. 21. Simon Ioannis diligis me? pasce oues

III. meas. Tertiò, hac etiā de causa Petri appellatur nauicula. Si-  
*Vera Ecclesia.* mon enim obedientē sonat. Ibi autè vera Ecclesia est & Christiana cõmunio, vbi vera obedientia est. Hoc autè est verè mo-

*Fides.* rigerari & obedire, cū credimus vbi credere iubemur, nō dubitando, nec renitēdo, aut hinc inde causam vel rationē quę-

*Spes.* pendemus, cuius nos fidei semel dedidimus. Postremò cū  
*Charitas.* per verā charitatē facimus quod iubemur, nullam excusationem prætexētes. Hi veri sunt obedientes, hi ad Ecclesiā Dei

*Gen. 12.* pertinet. Talis erat Abrahā, qui ad vnicū verbū Dei domum & fundū omnēmq; cognationē relinquebat, nescius, quò se

*Gen. 22.* Deus ducturus esset. Deindè cū ei Deus mādaret, vt propriū & vnicū filium suum offerret, nihil etiā cõtradicēs abibat ad id perficiendū. Hęc erat vera obedientia. Sequitur: Et sedens Iesus docebat de nauicula turbas. Primū hoc & præcipuū est, quod Christus in nauicula in Ecclesia sua fecit & facit, nimirum quod docuit & adhuc docet. In hoc enim missus erat,

*Esa. 61.* quemadmodū in Isaia ait: Spiritus Domini super me, eò q̄ vnixerit Dominus me, ad annūtiandū māsuetis misit me, &c.

Hoc pacto Christus hac sua prædicatione indicauit, se ante omnia curā gerere pro animabus nostris earūmq; æterna salute. Atqui animarū vita absque verbo Dei nihilò plus subsistere potest, quā corporalis vita sine pane. Idcirco primū est, quod Christus docet, & quidem nō simpliciter, sed de nauicula. Quia sola vera catholica vel vniuersalis Christiana Ecclesia, verbū Dei & verā doctrinā habet. Si itaq; Deū audire vis, ne recede ex hac nauicula, vniuersali ecclesia. Hoc bono Christiano cir-

stiano circa initium istius Euangelij considerandum est: equidem nihil dubito, quin prudens quisque facillè sit intellecturus, historiã hanc haud leuis momèti esse. Et sic planè res habet, vti in sequentibus sermonibus ostendetur. Deus nos omnes sua donet grãtia, vt hoc & alia studiosè consideremus, & secundum ea vitã quoq; nostram instituamus, Amen.

*Tertius Sermo de altera parte Euangelij.*



**H**ODIERNVM istud Euangelium eiusmodi videtur, vt quod simplicem tantummodò habeat historiam, quæ non ita magnopere vsui nobis esse & conducere queat. Quia verò Lucas hanc historiam nobis Christianis tanquam Euangelium scripsit ac proposuit, dubitandum non est, quin magna in ea comprehensa sint. Quorsum alioqui attinisset eum tam diligenter describere, quomodò Christus ad stagnum venerit, illic duas naues repererit, in alteram ascenderit, & de illa populo concionatus sit? Horum omnium nihil absque singulari causã & mysterio factum. Imò in hac historia, si eam vniuersam inspicias, veluti nobis depictus est ac præostensus totus status & conditio sanctæ Christianitatis, initium, progressus & finis. Omitto nunc, quòd quilibet cuiuscunque etiam status, ex hoc Euangelio doctrinam & institutionem suæ conditioni accõmodam habere possit.

Scire vis quare fuerit sanctæ Christianitatis rudimèntum? Primò filius Dei, cum in eum irrueret populus, hoc est, cum Patres veteris Testamenti indefinentibus gemitibus illius aduentum desiderabant, ad mare, hoc est, in mundum venit. Secundò, non solùm ad aquam & mare venit, sed illi se quoque commisit ac exposuit, hoc est, non modò in mundum & ad nos mortales venit, sed etiam defectus nostros & peccata in se suscepit: imò nobis in littore & terra relictis, ipse verò mari ac tempestati passionis suæ dedit se, ac in cruce pro nobis mortuus est. Tertiò, vidit ac inuenit duas naues stantes in mari, in mundo, hoc est duos populos, Iudæos & Gentes. In alteram ascendit genus Abrahæ apprehendens. Siquidem ipse dicit se missum ad oves quæ perierant domus Israël. In illa nauicula, in terra Iudæorum & populo primùm prædicauit, sed non ijs solùm qui in nauicula, hoc est, in Iudæico populo erant, sed etiam ijs, qui extra nauiculam in terra

*Initia S. Eccle  
sia.*

*Heb. 1.  
Matth. 15.*

stabant. Nā quòd Christus Iudæis prædicauit, ad nos etiā  
 pertinet, qui ex Gentilitate oriundi sumus. Quartò, cū Chri-  
 stus prædicationem suā finisset. Petro eiusque socijs iubebar:  
 vt nauiculā in altū ducerent: id quod tum reuera factum est,  
 cū in genere ad illos diceret. Mar. 16. Euntes in orbē vni-  
 uersum, prædicate Euangeliū omni creaturæ. Et iterum. Ioā.  
 20. Sicut me misit Pater, & ego mitto vos. Accipite spiritum  
 sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.  
 Et ad Petrum speciatim: Simon Ioānis, diligis me? Pasce oves  
 meas. Hoc initiū fuit sanctæ Christianitatis. Progressus fuit,  
 quòd Petrus eiusque socij sancti Apostoli, eorū que posteri-  
 retia laxarunt, in vniuerso, orbe prædicarūt, multos pisces ce-  
 perunt, multos homines ad fidem adduxerunt: sed multa inte-  
 rim pericula perpessi sunt: vt postea audietur. Hic progressus  
 fuit sanctæ Christianitatis, qui etiā dum durat. Finis autē erit,  
 cū ad terram subducetur nauis: tum omnis labor & pericu-  
 lum cessabit: imò tum oīa post nos relinquemus, & vni Chri-  
 sto æternum adhærebimus, eūque sequemur. At vide iam,  
 an non magna nobis in hoc Euangelio proposita sint? Hoc di-  
 ligentius id audire debemus, & mente reuoluere. Vnde & re-  
 liqua verba disquirere operæpretiū duco. Nimirū cum  
 Christus post factam concionem ad Simonem dicit, Duc in  
 altum, & laxate retia vestra in capturam. Nō solum Christus  
 pro se prædicauit, & rete Euāgelicæ suæ doctrinæ laxauit, sed  
 alios etiā ad id destinauit & misit. Sic enim promiserat per  
 Hieremiam: Ego mittam pisces multos (inquit) & pesca-  
 buntur eos: & post hæc mittam eis multos venatores, & vena-  
 buntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cauernis  
 petrarum. Attende verò hīc, quam Christus pulchrè, idēq; bre-  
 uibus verbis, indicauit, quid ad Apostolicum & prædicationis  
 pertineat officium. Primò, iubet Petrum nauē ducere in  
 altum. Etenim ad Apostolum & prædicatorem in primis re-  
 quiritur: vt sit vocatus. Nemo sumit sibi honorē (inquit Pau-  
 lus) sed qui vocatur à Deo, tanquā Aaron. Nām qui ex seipso  
 venit, & non vocatus sese ingerit, fur est & latro. Tales erant  
 pseudopphetæ, de quibus Deus dicit: Non mittebam Pro-  
 phetas, & ipsi currebant: non loquebar ad eos, & ipsi prophe-  
 tabant. Atque hi etiā omnium erant perniciosissimi tēpore  
 Hieremiæ, ducentes populum in falsam persuasionem, vt pu-  
 tarent esse pacem, cū nulla esset pax, permanentes hoc pā-  
 cō in

*Ducta nauis  
in altum.*

*Ioan. 21.  
Ecclesia pro-  
gressus.*

*Extrema eccle-  
sia.*

+

*Hier. 16.*

+

*Heb. 5.*

*Ioan. 10.*

*Hier. 23.*

*Vt nostri Euā-  
gelici.*

*Ezech. 13.*

Et in impœnitentia, donec eos iudicium Dei in illa opprime-  
 bat. Sic passim inuenimus in nouo & veteri Testamento, ne-  
 minem vnquam magnum fecisse fructum, qui seipsum in ges-  
 sit ad prædicationis prouinciam: sed semper eiusmodi temera-  
 rij plurimum ecclesiæ nocuerunt. Cæterum quos Deus voca-  
 uit, ij cumulatè fructum attulerunt. Ita sancti Apostoli non  
 prædicarunt, nisi postea quàm vocati erant. Antiquos Pro-  
 phetas Deus cogere interdum ad id necesse habebat: vt in  
 Moyse, Iona, Hieremia, aliisque videre est. Idcirco orare nos *Matth. 9.*  
 Christus Deum iubet, vt operarios mittat in messem suam.  
 Secundò, iubet Christus Petrum nauiculam suam peculiari-  
 ter in altum ducere. Nam altum, hoc loco idem est, quod pro-  
 fundum: quemadmodum & in Ioanne, vbi mulier Samarita-  
 na dicebat, Puteus altus est, hoc est, profundus. Et David: *Ioan. 4.*  
 Veni in altitudinem maris, hoc est, in profundum. Tum au-  
 tem Christus Apostolos suos in altum ducere iussit, cum ad *Psal. 58.*  
 eos dicebat. Mar. 16. Eũtes in orbẽ vniuersum, prædicate Eua-  
 gelium omni creaturæ. Tertiò, iubet Christus retia laxare in  
 capturã. Rete autẽ sanctorum Apostolorum est sacra scriptu-  
 ra, qua animas hominum trahunt & ducunt è profundo pec- *Rete, sacra scrip-*  
 catorum, & errore in liberã auram, è tenebris ad lucem, & foe- *ptura.*  
 rida sentina ad puritatẽ vitæ, & ex vagis cupiditatibus ad per-  
 petuæ innocentie constans studium. O felices illos, qui hoc  
 reti trahuntur: siquidem non ad mortem aut interitum, sed  
 ad vitam & salutem trahuntur. Habet quidem & mundus ac *Habac. 1.*  
 diabolus sua retia & laqueos, quibus ad æternum exitium *id est, in:*  
 animas trahunt: quemadmodum Propheta queritur: Domi-  
 ne Deus (inquit) quare non respicis super iniqua agentes?  
 Facis homines quasi pisces maris, hostis torum in hamo sub-  
 leuauit, traxit illud in sagena sua, & cõgregauit in rete suam.  
 Super hoc lætabitur & exultabit, &c. Sed rete Apostolorum  
 cedit hominibus ad salutem: contextum non ex Pharisæicis  
 funibus, neque ex Ethnicorum Philosophorum subtilita-  
 tibus, sed ex verbis & præceptis sacre scripturæ: imò ex  
 verbis & operibus Christi: & ita contextum: vt multos  
 homines non solùm capiat, sed retineat etiam, vt elabi ite-  
 rum nequeant, nisi sua spontè velint. Duo autem præcipit  
 Christus suis Apostolis & prædicatoribus, dum iubet vt retia  
 laxent: nimirum primò, vt illud rete, hoc est, sacram scriptu-  
 ram apud se semper habeant, quo docere omnes possint, ad- *Tit. 1.*

uersarios vincere, & semper parati sint vnique, qui id pe-  
*1. Pet. 3.* tat, rationem suæ fidei ac spei dare. Sic vult etiam Christus:  
 Omnis scriba doctus, inquit *Matth. 13.* in regno cœlorum,  
 hoc est, in sancta Christianitate, similis est homini patrifami-  
 lias qui profert de thesauro suo noua & vetera, Secundò, non  
 satis est: vt talis rete suum, hoc est, cognitioné scripturę apud  
*Ezech. 3.* se habeat, sed laxet illud insuper quoque oportet. Audies de  
*2. Tim. 4.* ore meo (inquit Deus) & annũciabit eis ex me. In eundem  
 quoque modum Paulus docet suum discipulum: Prædica ver-  
 bum (inquit) in sta opportunè, importunè, &c. Et de seipso di-  
 cit. *1. Cor. 9.* Væ mihi, si non Euangelizauero. Si enim volens  
 hoc ago, mercedem habeo: si autem inuitus, dispensatio mihi  
 credita est. Respondens Simõn, dixit illi: Præceptor, per to-  
 tam noctem laborantes nihil cepimus. Nox significat incre-  
*Nox.* dultatem, quemadmodum dies aut lux, fidem. Nox (inquit  
*Lux.* Paulus, *Rom. 13.* Gentibus scribens) id est, tempus increduli-  
*Ephes. 3.* tatis præcessit: dies autẽ, id est, tempus fidei appropinquauit.  
 Et iterum: Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Do-  
 mino. Hinc cognoscis, quæ sit causa, quam ob rem interdum  
 frustra laboremus. Iudaici Pharisei multa faciebãt bona ope-  
 ra, sed frustra omnia: quia non ex fide & recta intentione,  
 sed humanæ laudis studio & appetitu proficiscebantur.  
*Matth. 15.* Sine causa me colunt (inquit Christus.) Et rursus: Amen di-  
*Matth. 6.* co vobis: quia receperunt mercedem suam. Sic etiam frustra  
 illi laborant, qui præsumunt reipublicæ cum suæ tantum rationi  
 fidunt, nec Deum etiam in sua consilia adhibet: quia nocte la-  
 borant. Sic vsu quotidiano comperimus, nos magnis fatigari  
 quandoque laboribus, qui nobis tamen proficui non sunt.  
 Quod tamen non aliundè fit, quàm quòd noctu, hoc est, sine  
 viuâ fide laboramus, Dei non recordamur, quomodo igitur  
 labor noster nobis benè vertere possit, & fructum afferre?  
 Quare, si nolis inanem sumere operam, in luce & die opera-  
 re, hoc est, in vera fide & cum Deo. Sola enim benedictio Dei  
*Prou. 10.* diuites facit, & omnes res prosperas. Pergit Petrus, inquit:  
 In verbo autẽ tuo laxabo rete. Hic vides veram & simplicem  
 obedientiam. Non recusat, licet antea frustra laborauerit:  
 omnibus incidentibus cogitationibus spretis, solo niteba-  
*Gen. 12.* tur verbo Christi. Hæc est obedientia veræ & viuæ fidei. Hic  
 in modum obediens quoq; erat Abrahã, absque omni tergi-  
 uersione. Docet nos hic locus: vt verbo Dei in omni sim-  
 plici-

plicitate credamus & obtéperemus, nec multú disputemus, interrogemusque, quam ob rem Deus hoc & illud faciat vel præcipiat, & quomodo hoc & hoc esse possit. Nam licet rum paris, nō tamé omnes Dei vias expiscabiris. Sequitur. Et cum hoc fecissent, concluderunt piscium multitudinem copiosam.

Hic vide, quátam fides virtuté habeat. Vis scire quátú ad rem faciat, quúm in nomine Domini, hoc est, in fide laboratur?

Audi quid Christus dicat: Si habueritis fidé sicut granum sinapis, dicetis moni huic, Trási hinc illuc: & trásbít. Fides autem sicut granum sinapis, est humilis, & tamen flagrás fides. *Matth. 17. Fides humilis & ardens.*

Humilitas enim & charitas nunquám à fide separari debent. Vbi itaque fides humilis est, nihil de seipsa magni sentit, nec propriæ fidei rationi, & viribus estq; fortis & flagrans, & per charitatem operatur: ea nimirum omnia potest, veluti Christus ait, Credenti nihil impossibile. Secundò vides híc, fat

iscium fuisse in aqua: quòd auté Petrus eiusque socij nullú capere poterant, ea sola causa erat, quòd nocte & sine fide memorata piscabantur. Sic etiá Deus idem Deus est, qui fuit ab æterno: æquè posset nos alere & protegere, atque alios fecit. *Ibid.*

Nō enim abbreviata manus Domini: vt saluare nequeat, &c. *Esa. 59.*

Nostra dútaxat iniquitas & peccata præpediunt nos, efficiuntque quòd tantis affligimur malis. Tertiò item Christus hac piscatione docere voluit, quárú adferat fructus, vbi rectè & piè docetur prædicaturque. Nam quomodo descendit imber, *Esa. 55.*

& nix de cælo, & illuc vltra non reuertitur, sed inebriat terrá & infundit eam, & germinare eã facit: sic erit verbú meum, (inquit Deus) non reuertetur ad me vacuum, &c. Videmus *Act. 2.*

hoc in diuo Petro, qui post acceptum sanctum spiritum, vna concione tria millia hominum conuertebat. Sequitur. Rumpatur auté rete eorum. In his & sequétibus verbis, duo indicata sunt. Primò, quòd Petrus rete solus trahere nō potuit. Secundò, quòd rete rúpebatur. Quæ duo adhuc fiunt in sancta

Christianitate, & in spirituali piscatione. Id autem inde fit, quòd boni simul & mali capiuntur. Sunt em̄ qui grauát solum *Homines carnales.*

naué & opprimunt, Ecclesiæ sunt grauamini & offendiculo, graues terrenis cupiditatibus, semp cupiétes reuerti ad limú rerum téporalium. Hi sunt carnales & belluini homines, qui

Christianitati nō sunt honori, sed probro tantú. Eorú quipè causa nō modò Christiana Ecclesia, sed etiá nomé Christi & Dei blasphematur. Cōtrà, sunt alij, qui rete lacerant, puta,

qui scripta diuina perperá interpretantur & detorquent, &  
 1. Cor. 10. ecclesiæ vnitatē scindūt atq; perturbāt. Verūtamē nō ideò ele  
 10an. 10. cti excidūt. Nam Deus non patitur eos tentari vltra id quod

*Diuersa fun-  
 ctiones in ec-  
 clesia.*

1. Par. 15. &  
 26.

possunt: nec ex manu Christi eos eripere quisquā pōt. Sequitur,  
 Et annuerunt socijs, qui erāt in alia nauī: vt venirēt & adiua-  
 rent eos, &c. Petrus seu Simon, primus erat qui laxabat rete,  
 sed solus trahere non poterat, quin etiā aliorū auxiliū implo-  
 rare cogebatur. Nā in ecclesia nō solū prædicatores necessarij  
 sunt, sed etiā alij ministri. Sic etiā Moyses in lege sua non mo-  
 dō sacerdotes habebat, sed & Leuitas: itēmq; David non tan-  
 tū sacerdotes & Leuitas, sed etiā cātōres & ianitores instituit.

Act. 6. Hoc modō Petrus quoque in ipso statim initio aliquos diaco-  
 nos constituere necesse habebat, ne ipsum & alios Apostolos  
 mora aliqua à prædicādo detineret. Sic erāt etiam in ecclesia  
 Antiochiæ Prophetæ & Doctores: vt habes. Act. 13. Sic cū Gē-  
 tes cateruatim ad Euāgelium & fidē Christi venirēt, Aposto-  
 li qui Hierosolymis erāt, Paulū & Barnabā in suū cooptabāt  
 cōsortium: vt inter Gētes, quēadmodū illi inter Iudæos, labo-  
 rarent. Et res vtrōbique fœliciter succedebat: nauiculæ ambæ  
 implebantur, multi credebant ex Iudæis, plures ex Gentibus.  
 Imò q̄ non solū Petrus suā implebat nauiculam, sed etiā alij,  
 argumento id erat, nō modō eos qui prædicāt, suam receptu-  
 ros mercedē, sed eos quoque, qui alijs in rebus ecclesiæ mini-  
 strant. Et postremò, q̄ nauicula ob copiosam pisciū multitudi-  
 nem penē fuerit mersa, præfiguratio fuit, ecclesiā & Christia-  
 nitatē vêturā qdē aliqn̄ in magna discrimina, sed nūquā tñ pe-  
 nitus obrutū iri. qñ Christus semel eā clementer respexit. Ex  
 hoc iterū clarè apparet, quā multa & magna in hoc Euāgelio  
 nobis pponātur. Beatus hō, q̄ res eiusmodi rectè & accuratè  
 cōsiderare pōt. Deus nobis oībus suā largiatur gratiā, Amen.

*Ecclesianau-  
 cula nūquā  
 mergetur.*

## Q V A R T V S S E R M O

*de ultimis uerbis Euangelij.*



**H**ODIERNVM istud Euangelium insigne mi-  
 raculū habet, q̄ Christus olim cū corā discipulis  
 suis, tū corā populo Iudaico gessit: sed ita scri-  
 ptū est & factū: vt nemo dubitet, quin Christus  
 hac vice nō solū suā doctrinā per id cōfirmare,  
 quēadmodum alijs suis prodigijs, sed voluerit etiam spirituale  
 quiddā & futurum significare. Quod colligi cū primis potest  
 ex ver-

ex verbo, quod postremò ad Petrum dicebat: Noli timere, *Luc. 5.*  
 ex hoc iam homines eris captiens. En, hoc verbo Christus  
 ipse miraculum exponit: ait præfigurationem esse debere eo-  
 rum quæ Apostoli postea in mundo essent facturi. Eò Evan-  
 gelium istud referre nos oportet. Non itaque satis est, nos  
 Dei potestatem & omnipotentiam, vel etiam bonitatem eius *Christi sa-*  
 in eo considerare, vt in alijs eius operibus: sed porrò vide- *piencia.*  
 mus oportet perpendamúsque incomprehensibilem eius sa-  
 pientiam, quòd omnia tam clarè sciuit ac præuidit, quid in  
 Ecclesia sua futurum esset vsque ad consummationem seculi,  
 omniàque tam sapienter instituerit quæ in Ecclesia sua &  
 Christianitate fieri vellet. Quod sanctis Apostolis tum acci-  
 dit, id adhuc vsu venit in Christianitate: ita iam inde ab ini-  
 tio compertum est, & comperietur vsque ad finem mundi.  
 Quod ergo Christus per id voluit, idem illud adhuc desyde- *Vulgus Chri-*  
 rat in Apostolis iuxta ac in populo. In vulgo Christiano- *stianò quale*  
 rum tales homines esse vult, qui Verbum suum cupidè & at- *velit esse Chri-*  
 tentè audiant, celeriter & sine mora obedientes sint, & vsque *stus.*  
 in finem perseuerent. Sic faciebat populus in Evangelio.  
 Irruebant in Christum, quòd illorum indicabat diligens  
 studium: sequebantur Christum vsque ad stagnum, id quòd  
 arguebat eorum obedientiam: audiebant prædicationem  
 eius vsque ad finem, quòd illorum significabat constantiam. *Ecclesia mini-*  
 Tales homines vult Christus inter Christianos in genere. *stri quales esse*  
 In Apostolis & Ecclesiæ ministris aliquid amplius requirit: *debeant.*  
 nimirum primò, ne otientur. Secundò, ne inanibus & inuti-  
 libus negotijs sese occupent: sed ad id suum conferant omne  
 studium, vt quàm plurimos capiant homines, non ad eorum  
 eadem, vt mundus solet, sed ad ipsorum æternam salutem.  
 Pulchrè simul indicatum est, quomodo illud suum munus  
 aggredi debeant, ne frustra & inaniter laborent, sed fructus  
 aliquis inde sequatur. Primò namque oportet eos non noctu, *I.*  
 hoc est, in inscitia & ignorãtia laborare. Secundò, omnia oportet *II.*  
 eos ex verbo Dei instituere. Tertiò, vnanimis esse eos *III.*  
 oportet. Quartò, non solum homines capere, sed trahere etiã *IIII.*  
 debent: non modò prædicare, verum etiam impellere & ex-  
 hortari. Quintò nõ oportet eos cessare, donec rete cum pisci- *V.*  
 bus ad terram subducant. Sextò, soli Deo in ijs omnibus glo- *VI.*  
 riam transcribere debet. Postremò, Christum sequi, & bonis  
 exemplis etiam alios homines conseruare, ne retrocedant,

*Vitia diuersa  
in Clero &  
populo.*

eos oportet. Et quomodo, obsecro, mihi meique similibus ex spiritali multitudine melius, clarius & breuius indicari poteret, quid ad officium nostrum pertineat, quam in hoc adeo Euangelio indicatum est? Imò quid in causa aliud est, quod nostrum quandoque tam multi sunt, & tamen Ecclesia parum admodum commodi ex nobis sentit & utilitatis, nisi quod non consideremus, quid officium in se nostrum habeat? Videmus id nonnunquam, & quidem cum magno offendiculo simplicium, nec non detrimento sanctae Christianitatis, inter nos alios profusus otiosi, alios laborare quidem, sed in temporalibus tantum rebus. Tum varij alioqui inueniuntur defectus etiam inter eos qui laborant: alij in nocte oberrant, ignorantes & caeci, nescientes ipsi quid dicant. Alij quidem lumen habent, sed non verum lumen, magis suam rationem & iudicium quam verbum Dei sequentes. Alij verum habent lumen & verbum Dei, sed nouam & peregrinam illi adhibent expositionem, non contenti peruulgato atque usitato sensu, qui sanctae vniuersali Christianae Ecclesiae ab initio probatus est. Alij habent verbum Dei, & germano intellectui acquiescunt: possunt homines capere, complecti, & mouere verbo Dei, caeterum ex aqua non extrahunt eos, relinquentes illos in pristinis eorum peccatis & vitijs. Alij sermo quidem interdum incipiunt clamare, & peccata arguere, sed non persequuntur. Alij recte quidem omnia expediunt, sed subijpsis placet, non Deo gloriam deferunt. Alij Deo ut maxime gloriam deferant, malo tamen exemplo destruunt, quod verbis aedificant. Nusquam igitur non defectus, & in populo, & in Ecclesiae ministris, & in praedicatoribus, & in auditoribus. Ut plurimum sicut populus, sic sacerdos. Quam parum veri studij obedientiae, & constantiae in vulgo deprehenditur, tam parum verae fidelitatis & diligentiae in praedicatoribus cernere est. Unde fit, ut parum fructus in Ecclesia videatur: quinimò propterea vndique pessime agitur in nostra nauicula. Optandum idcirco foret, ut Euangelium istud bene diligentemque consideraretur, quod vnusquisque suae conditionis & vocationis melius admoneretur: maxime verò etiam propterea, quod ijs, qui omnem pacem & ordinationem inter nos Christianos perturbant, melius obuiari possit. Non minus enim hac in parte istud nunc seculum laborat, quam in priori illa. Multos hoc tempore inuenias, qui sibi ipsis persuadeant, aut ab alijs persuaderi sinant, quandoquidem omnes credentes, vnum Deum, vnā fidem, & vnum Baptisma ha-

*Ose. 4.*

*Haereticos intellige.*

*Ephes. 4.*

ptisma ha-

ptissima habent, etiam reliqua omnia in Ecclesia æqualia esse debere, ita ut nemo plus minúsue functionis habeat altero. Hinc fit, ut nemo suæ vocationis rationem amplius habeat, sed quisque falcem suam in alienâ messem mittat, & aliorum officiû sibi vsurpet: quisq; vult esse Sacerdos, prædicator, Episcopus, & summus Põtifex. Quæ omnia verbis Pauli confirmare nitentur, ijs videlicet. Vna fides, vnum Baptisma, vnus Deus. Item illis, quæ idẽ alio in loco dicit: In Christo non est masculus, neque fœmina, neque seruus, neque liber, sed vnũ oës sumus. Atqui hodiernũ Euangeliũ lógè nos secus docet. Etenim híc vides non nisi vnum Christum, non nisi vnũ populum, attamẽ Christus non eodẽ modo ad omnes loquitur: imò manifestò discrimẽ inter eos facit. Primò loquitur de nauicula, id quod ad oës homines pertinet: nec ab eo excusatus quisquam habetur aut immunis. Et si Christus nihil vltius fecisset, cogitare quis posset, omniũ rerum æqualitatem esse oportere inter nos Christianos. Atqui Christus hoc nõ contentus fuit, sed mox ut cessabat in genere loqui, versus ad Simonẽ eiúsq; socios, in altũ ducere iubebat, & retia laxare, inquit deinde, ex hoc iam capturos ipsos quoq; homines. Hoc autẽ dicebat nõ ad omnẽ populum, sed ad piscatores solũ. Et si quis alius ex ijs qui in terra stabãt, hoc verbũ ad se pertinere existimasset, voluissẽtq; nauim vel rete sibi vsurpare, dixisset haud dubie ad eũ Christus: Heus, hoc negotij non tibi dedi, sed Simoni. Imò si ad hæc verba Christi, quæ ad Simonẽ dicebat, oës pariter nauem insiluissent, nihil effecissent aliud, quàm q̃ se ipsos & nauiculam submersissent. Sed nemo hoc conabatur: nouerãt omnes, solis id piscatoribus dictum esse.

Galat. 3.

Diuersi in  
Ecclesia gra-  
dus.

Magna itaque sit dementia oportet in temerarijs quibusdã, qui in aliorũ hominum officia irruunt nõ vocati & requisiti, p̃erq; hoc omnem ordinẽ dissoluunt ac tollunt. Frater, nõ satis est te dicere posse, Christus hoc locutus est: sed videre te quoque oportet, num ad te sit locutus. Pœnitentiã agite: ap- propinquauit enim regnũ cœlorũ. Itẽ: Venite ad me oës qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Itẽ: Si quis vult post me venire, tollat crucem suam & sequatur me. Hæc & id genus verba, oĩbus Christianis dicta sunt. Cæterùm qđ dicit Mar. 16. Euntes in orbẽ vniuersum prædicate Euãgeliũ omni creaturæ. Itẽ Ioã. 20. Sicut me misit Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritũ sanctum: quorũ remisistis peccata, remit-

In Ecclesiasti-  
corũ ordinum  
& fundatio-  
num temera-  
rios perturba-  
tores.

Matth. 3.

Matth. 11.

Matth. 16.

tuntur eis, &c. hæc & similia verba, solis Apostolis eorūmq; posteris & successoribus dixit. Atq; hoc pacto Euāgeliiū istud ordinē facit in Christiana Ecclesia vel congregatione. Et est hic ordo summè necessarius. Quapropter errāt ij, q̄ eiusmodi ordinē tollunt & infringūt. Hinc fit q̄ diuus Paulus Christianā nostram cōgregationē cōparat humano corpori, multa habenti mēbra, sed tamē discriminatim, vnumquodlibet in suo ordine & proprio officio ac opere. &c. Et ad Ephe. 4. cap. inquit, Christum dedisse alios Apostolos, alios Euangelistas, alios Pastores & Doctores, &c. Sic etiā sunt etiamnum in Ecclesia, ad quos Christus dicit: Ducite in altum, & laxate retia vestra. Alij mandatum hoc non habent, verumtamen in mari sunt, laxantes retia, adiuuant, vt ad terram subducant. Hi sunt quibus officium quidem prædicationis demandatum nō est, gerunt tamen alia munera, quibus Ecclesiæ ministrāt, & prædicatoribus adminiculantur. Talibus etiam indiget Ecclesia: vnus enim Petrus reti trahēdo nō sufficiebat. Quāobrem etiam nemo eiusmodi officia damnare debet. Sunt adhuc alij in Ecclesia, qui neque retia laxant, nec in trahendo operā præstant, nullo peculiari munere fungentes in Ecclesia: his satis esse debet, quòd Christū audiant: haud mari sese cōmittere debēt, sed in littore manere, & Deo gratias agere, quòd ad graua & periculosa munia vocati non sunt. Nā cui cōmendatum est multum, plus petetur ab eo. Sed audiuius quid ex hac mirabili pisciū captura cōsecutū sit. Quod cum videret Simō Petrus (inquit Lucas) procidit ad genua Iesu, dicens: Exi à me, quia homo peccator sum domine. Videmus hic primò in diuo Petro naturam & conditionem boni & pij hominis, Nam etsi nauis illius erat, & ipse rete laxauit & traxit, intelligebat tamē, talem piscium capturam non humanis viribus & labore, multò minus casu factā esse, sed diuina virtute: quapropter non sibi ipsi, sed Christo omnē laudē & gloriā huius operis trāscribebat, seipsum, non alium agnoscens, quā peccatorem, & indignū, per quem Deus eiusmodi operaretur miracula. His autē satis ostensum est, quid Euangelicum doctorē facere oporteat, cū videt, suā prædicationē afferre fructū: nimirū laudare Deū, & ei soli gloriā tribuere, quē admodū quoq; ipse Christus faciebat, vbi inquit: Cōfitebor tibi Pater domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudētibus, & reuclasti ea paruulis, &c. Sic etiā Paulus in

Rom. 12.

1. Corint. 11.

Luc. 12.

Matth. 11.

lus in

lus in oībus suis Epistolis vni Deo assignat gloriā, sibi nihil  
 tribuēs, præter laborē. Neque qui plātat, aliquid est, inquit,  
 neq; qui rigat, sed qui incrementū dat, Deus. Ego plantaui,  
 Apollo rigauit: sed Deus incrementū dedit. Huic debetur glo-  
 ria. Quod autē Petrus postea dicit, Exi à me, quia homo pecca-  
 tor sum Dñe, figura & typus fuit eorū, qui infirmā habent fi-  
 dem, & tepidū amorē in Deū, & quò magis reos ac peccato-  
 res se intelligūt. hoc lōgius à Deo fugiūt, Sed malè. Nam qui  
 auxiliū petit, nō debet medicū fugere, sed ad eū currere: & vā  
 homini peccatorē se sentienti, & tamen à Deo fugienti. Talis  
 enim proculdubio currit in foueā desperationis. Sic faciebat  
 etiā hic Petrus: sic faciebat Adam in Paradiso: sic faciunt oēs  
 perturbatæ cōscientiæ. Sed audi quid Christus dicat: Noli ti-  
 mere. Verbū verè Euāgelicū, & per omnia consolatoriū. Ex-  
 pauefacta conscientia meritò quidē fugere, verūm nō à Deo,  
 sed ad Deū fugere debet. Bonū & salutare est, q̄ nos ipsos pro  
 peccatoribus agnoscimus: & quò pfundius nos agnoscimus  
 & humiliamus, hoc melius: sed hoc magis, & cupidius ad Dei  
 quoq; misericordiā, & agendā pœnitentiā currere debemus.  
 est enim hoc certum & verū verbum, q̄ Iesus Christus venit  
 peccatores saluare. Sequitur: Ex hoc iam hoīes eris capiens.  
 Hoc verbo innuit Christus, in quē finē miraculū hoc cū pi-  
 scibus fecerit. Sentētia est perinde ac si dicat: Admiraris, ō Si-  
 mon, miraculū copiosæ pisciū captura: sed maiora adhuc vi-  
 debis & experieris, quin ipse maiora facturus es. Vtrique ve-  
 rū. longè enim maius miraculum fuit, q̄ ipse Petrus pauper  
 & indoctus piscator, in prima sua prædicatione tria millia ho-  
 minū ad Christū cōuertit, quàm q̄ nūc duas naues vno iactu  
 piscibus impleuit. Vbi primò obseruandū, ad quid nos Chri-  
 stus vocauerit: nimirum vt etiā alios ad ipsum trahamus. man-  
 dauit enim Deus vnicuiq; de proximo suo. Secundò confide-  
 randū hīc est, cuiusmodi Christus homines ad Apostolatū  
 elegerit: nimirum nō multos sapiētes aut potētes, sed qui co-  
 ram mundo infirmi & contempti erant. Id autē principio fa-  
 ctū est propterea, vt nemo iactare posset ac dicere, se sua scien-  
 tia ac peritia hoc vel illud præstitisse, quod ipsum nec Aposto-  
 li dicere aut cogitare poterant, se ob doctrinæ suæ excellen-  
 tiam ad hoc munus electos: & ne profectus ac scēlix successus  
 Euāgelij humanis viribus aut mundanis promotionibus trā-  
 scriberetur. Secūdò, Christus ideò simplices piscatores elegit,

1. Corint. 8.

Gene. 3.

1. Timot. 1.

Act. 2.

Eccle. 17.

1. Corint. 1.

1.

Christus cur-  
rudes Aposto-  
los elegerit.

11.

ne hostes & aduersarij Christi & Euangelij, dicere possent, eū simplici mūdo per versutos & vafros hoīnes imposuisse.

**I. Cor. 2.** Quēadmodū Paulus de seipso dicit: Ego cū venissem ad vos fratres veni nō in sublimitate sermonis & sapiētiae annūciās vobis testimoniū Christi. Nō enim iudicaui me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christū, & hūc crucifixū. Et ego in infirmitate & timore & tremore multo fui apud vos: & sermo meus & p̄dicatio mea nō in p̄suasibilibus humanæ sapiētiae

**I. Cor. 12.** verbis, sed in ostētionē Spiritus & virtutis, &c. Sic & alio in loco ait: Nūquid per aliquē eorū quos misi ad vos, circūueni vos? nōnē eodē spiritu ambulauimus? nōnē ijsdē vestigijs?

**III.** Tertiò, Christus p̄pterea etiā primò pauperes piscatores in Apostolos elegit, ne quis cogitaret, eū hominū aucupari fauorē, & acceptorē esse personarū, si diuites ac potētes, & nō

**III I.** pauperes recepisset. Quartò, ideò quoq; pauperes recepit piscatores, vt illum tantò expeditius sequi possent, & illud perficere, ad quod illis vtī constituerat. Nam per magnas diui-

**Tim.** tias & honores mūdanos multi homines retrahūtur. Vnde & Paulus dicit, eos qui volūt diuites fieri, incidere in tentationem & laqueum diaboli & desideria multa inutilia, & nocua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem.

**V.** Quintò, eam etiā ob causam id factum est, vt ipsis sanctis Apostolis id esset institutioni. Nam qui paupertatem suam considerat, magnam habet causam in vero ordine manendi,

**Rom. 11.** de quo Paulus dicit: Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi gloria in secula. Hic est verus ordo, vt vnaquæq; creatura, ad quantuncunq; tollatur fastigium, Creatori tamen sese subiiciat, & confiteatur ex ipso vno esse & proficisci quicquid boni habeat. Ad eam cognitionē plurimū facit, si quis meminerit prioris suæ paupertatis: imò quò plus Deus per S. suos Apostolos efficere volebat, hoc plus eis necessarium erat, vt superioris suæ paupertatis & inhabilitatis meminissent, vt eiusmodi dona seruarent, dum bene fundari essent & firmati in Spiritu humilitatis. Postremò quoque

**VI.** Christus ideò piscatores ad Apostolatū elegit, q̄ officium simul & opus piscatorum, & p̄dicatorum, pulchrè inter se conueniant. Nam quemadmodum piscator suo reti pisces è profundo & è tenebris sursum & ad lucem extrahit: ita quoque p̄dicator educit verbo Dei homines è tenebris ignorantiae, & ex sordidis curis huius mundi, ad lucem ve-

*Piscatorū & p̄dicatorū cōuenientia.*

ritatis, & amorem rerum cœlestium. Et quemadmodum piscatores sua retia laxant, incerti quid sint capturi, nec protinus cessant, etiam si non semper capiant, nec metuunt periculum, ubi capiendi aliquid spes est: Sic quoque facit Evangelicus prædicator: verbum Dei annūciat, ignarus quis illud accepturus sit. Hi enim soli, quibus Deus cor mouet, verbum eius accipiunt. Nec ideo Evangelicus prædicator statim cessat, cum emendationis spes nulla apparet: sed secundum doctrinam Pauli, arguit, increpat, instat opportunè, importunè: nec illi graue est seipsum periculo exponere ad aliorum æternam salutem promouendam, vti rursus Paulus dicit: Ego autem libentissimè impendam, & superimpendam ipse pro animabus vestris. Sequitur: Et subductis ad terram nauibus, relictis omnibus secuti sunt eum. Hic vide, quantum hi piscatores nos anteuierint. Vnicum verbum audiebant ex Christo, vnicum miraculum videbant, & protinus omnia relinquebant. Nos ne vniuersi quidem miraculis, quæ Deus iam inde ab initio mundi fecit, mouemur. Proinde obseruandum primò hoc loco, quantam fidem & deuotionem optimi Apostoli ex hoc miraculo hauserint, vt omnia statim postponerent: non domum irent ad valedicendum suis, simpliciter Christū sequentes, haud cogitantes vnde victuri essent. Etenim verè credens, Christo nihil potius & charius habet. Id quod potissimùm videmus in Ioanne & Iacobo, Simonis socijs: hi non solum relictæ suæ nauis & retibus, sed etiam patre suo Zebedæo, sequebantur Christum: Huc pertinet, quod Christus dicit: Qui amat patrem aut matrè plus quàm me, non est me dignus. Patrem & matrè debemus quidem post Deum præ omnibus hominibus amare, sed tamen Deum præponere. Ad hæc quoque videmus Apostolorum promptam obedientiam, vt qui in medio opere erant, habentes pisces in magna còpia, sed relictis ijs, Christum vocantem sequebantur: in quo declararunt se tanquàm veros Abrahæ filios, qui similem Deo præstabat obedientiam. Sed audi præterea, quantam vim vox Christi habeat. Enimuerò sanè nullus est magnes, qui tam potenter ferrum ad se attrahat, vt Christus corda hominum. Fœlicem hominem, qui Christū cognoscit, habet & audit, eique morigerum se præbet. Beati oculi, inquit, qui vident quæ vos videtis. Deus nobis omnibus suam largiatur gratiam, Amen.

2. Tim. 4.

2. Cor. 12.

Matth. 4.  
Matth. 10.

Gen. 12. 22.

Luc. 10.

## QVINTVS SERMO DOCT

*Euangelium non solum historiam, sed  
etiam figuram fuisse.*



**N**EMINI circa Euangelium istud mirū vide-  
ri debet, q̄ non solum enarratur tanquā histo-  
ria semel gesta, & tanquā miraculum à Chri-  
sto semel in mari editū, sed etiam tanquā fi-  
gura, qua suis Apostolis futuri aliquid indica-  
re voluit. Id enim scripturæ nō rarum est, vt res quæpiam ve-  
rè gesta, futuri aliquid significauerit. Vt quod Deus ex costa  
ex Adam sumpta, mulierē creabat faciebātq; , verè quidē ita  
accidit: sed tamen mysterio nō caruit: nimirū quando Chri-  
stus in cruce obdormiturus esset, fore vt Ecclesia & Christia-  
na concio ex latere eius crearetur. Et ita euenit, ex latere eius  
aqua & sanguine fluentibus, sacramentis duobus præcipuis:  
altero, quo regeneramur, id est Baptismo: altero, quo pasci-  
mur, qđ Sacramentū est altaris. Ita quod de Noë scriptū ha-  
betur, eum fecisse arcā, in qua se suosq; à diluuiō seruauerit,  
reliquis omnibus hominibus meris, verè gestū est, nihilomi-  
nus tamen futuri etiā aliquid significauit: nimirū Baptismū  
nostrum, in quo seruamur, vti Petrus exponit: sine quo Ba-  
ptismo omnibus mortalibus pereundum est. Sic quod Scri-  
ptura dicit, Abrahæ duos fuisse filios, alterū ex ancilla, alte-  
rum ex libera matrefamiliās, & tamen ancillæ filium domo  
pulsū, hæreditatē verò soli filio liberæ relicta: verè sic acci-  
dit, attamen futuri quiddam interim designauit: nimirū duo  
Testamenta, quorum alterum est cessare, alterū perpetuum  
esse debebat, veluti Paulus exponit. Sic q̄ Iacob scalam vide-  
bat à terra ad vsque cælum stantē, &c. omninò ita factū est:  
sed tamen prætereà futuri aliquid significauit: nimirū ex se-  
mine illius nasciturū quendam, qui cælum nobis aperturus  
esset, nos mortales nō solum cū Angelis, sed etiam cum Deo  
ipso reconciliaturus. Sic quod Scriptura dicit de duobus fra-  
tribus Iacob & Esau, quemadmodū inter se certauerint pro  
benedictione patris ipsorū, & primogenitura, existimante  
Esau, eam ad se pertinere, vt pote primogenitum, Iacob verò  
clam sese ingerente, & benedictionē reportante, eamq; reti-  
nente, quantumuis indignante fratre: verè ita gestū est, nihi-  
lominus tamen futuri etiam aliquid denotauit: nimirum etū  
Iudæi pri-

Iudæi primùm Deum cognouissent, Gentes tamen longè antecessuras, & attracturas ad se omnia quæ Iudæi prius habuissent. Sic quod Ioseph vendebatur in Aegyptum à suis fratribus, cæterù illic ad amplissimos euehebatur honores, cui etiã fratres ad genua accidere cogebantur: verè ita contigit, atamen non vacauit mysterio suo de futuro: nimirùm fore, vt Christus à suo proprio populo crucifigeretur: at verò per hoc exaltandus, vt eum cum Iudæi, tum Gentes pro vnico suo domino & seruatore agnitori essent, & adoraturi.

Eiusmodi adferre exempla plurima possem ex tota Scriptura. Tantò minus admirari debemus, quod etiã istud Euangeliũ duabus hisce vijs exponitur, nimirùm tanquã historia, & tanquã figura rerum futurarũ. Vtiq; Christus miraculũ gessit in mari cù piscium captura, quo populus, cui antea prædicauerat, confirmaretur in doctrina, ne dubitarent, quin Dei esset verbũ, quandoquidem tam magnũ & diuinum opus sic secutum. Nihilò minus verò quoniã Christus hac vice Apostolos suos primùm vocabat, statim illis ostendere voluit, ad quid eorũ opera vti velit: nimirùm vt eos mitteret in orbem, ad homines de profundo omnium peccatorũ & errorum, verbo Euangelij ad lucẽ veritatis & cognitionis Dei ducendos. Ad hoc illi syri Christus volebat. Huic rei subseruiebat, quicquid hoc miraculo nominatur, mare, nauicula, pisces, &c.

Mare significabat illis mundum vehementer ob hoc sæuiturum, quemadmodum Christus multifariã prædixit: Absq; synagogis, inquit, facient vos: sed venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Et iterum: In synagogis suis flagellabunt vos, & ad prædes & ad Reges ducemini propter me. Tradet frater fratrem in mortem, & pater filium, & eritis odio omnibus propter nomen meum, &c. Hæc est tempestas maris & mundi.

Per nauiculam præfigurabatur illis sancta Christiana Ecclesia, fluctuatura quidẽ horsum illorsum, & sæpè ventura in pericula, sed tamen in finem vsque perstitura mansurãq;: veluti etiam alijs in locis verbis indicat, Ecclesiam suam immotam staturam contra omnes inferorum portas, hoc est, contra omnem humanam diabolicãque potestatem. Per rete significabatur, non externa eos vi aut potetia, sed verbo prædicationis ad se adducturos homines, non quidem in mortem, sed ad vitam & lucem.

Gen. 37.

Mare, mūdus.

Ioan. 16.

Matth. 10.

Nauicula, Ecclesia.

Matth. 16.

Rete, prædicationis.

*Captura piscium  
successus  
predicationis*

Per capturam piscium, præfigurabatur illis prædicationem eorum feliciter successuram, sat illos hominum capturos, sed difficulter ad terram adducturos: imò omnia pericula! subituros, quemadmodum in piscium captura nunc experti erant: tandem tamen ambas naues plenas piscium reportaturos, hoc est magnam populi Iudaici multitudinem ad Christum conuersuros, & ad salutem perducturos, multò autem plures ex Gentibus, quemadmodum etiam Ioannes in sua Apocalypsi duas videbat turbas, nimirum primò centum quadraginta quatuor signatorum ex duodecim tribubus Israël: deinde verò adhuc aliam turbam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis. Vide hæc erat copiosa multitudo piscium: imò hæc illæ duæ naues erant piscium plenæ, nimirum multitudo credentium ex vtrisque populis collecta.

*Apo. 7. 4.*

Hæc omnia Christus suis discipulis præmonstrare, & ob oculos ponere voluit, simulque nobis indicare quam fuerit bonus suus in nos. Ad hæc filios animus, utque nostræ misertus miseriæ, ex mera gratia constituerit nobis sibi obtemperantibus auxiliari. Deinde Apostolos docere voluit, hoc non illorum artem aut vires, sed suam facturam potentiam. Tertio item vniuerso orbi manifestare per hoc voluit suam sapientiam, dum ad tale opus non profundè doctos, sed pauperes piscatores accepit, veluti Paulus quoque dicit: Non multos sapientes, non multos potentes, non multos nobiles: sed quæ stulta & infirma sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes & fortia, ut gloria illi vni relinquatur. Hoc nobis in isto Euangelio indicatum est.

*I. Cor. I.*

Facile hinc apparet, quid Christus potissimum quæserit in terris. Prædicare volebat, & prædicatores instituere. Et ea quoque duo in hoc Euangelio fecit. Initiò prædicabat ipse, deinde piscatores etiam prædicatores faciebat. Hoc summè necessarium ducebat: hoc illi potissimum curæ erat, ut videre est in Matthæo clarissimè. Videns turbas, inquit, misertus est eis: quia erant vexati & iacentes sicut oves non habentes pastorem. Tunc dicit discipulis suis: Messis, quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. Et conuocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut eijcerent eos, & curarent omnem langorem & omnem infirmitatem. Misit eos, præcipiens eis, dicens:

*Matth. 9.*

*Matth. 10.*

Eun-

Euntes prædicate, dicentes, quia appropinquauit regnū cœlorū, &c. Id genus verbis eo in loco multis vtitur per totum caput. Nemo non videre potest, eum rem seriam & necessariam iudicasse. quàm enim ardenti studio ipse per se prædicabat: tam quoque diligenter alios sufficiebat prædicatores. *Luc. 5.*

Et quod illis verbis effecit, id in hodierno Euangelio opere præsignificauit. Populus irruebat in eum, magnus erat cōcursus, vt audirent eum. Hæc erat messis illa multa. quinimò *Matth. 21.*

argumentum id erat, mirum in toto mundo pro regno Dei studium & conatum oriturum. Multa messis aderat, sed nulli operarij adhuc apparebant. Christo negotiū curæ erat, prius rem aggrediebatur, prædicans de nauicula, alios deindè etiam prædicatores instituens, nec vnum, sed multos. Ij ad eiusmodi officium opus habebant doctrina & solatio, præmonitione & exemplo. Quod quoq; illis Christus mirificè dedit in hoc Euangelio. nihil præteritum in eo, quod ad prædicationis munus pertinet. Christus tamen vno verbo omnia expedit, quod est, Noli timere, ex hoc iam homines eris capiēs. *Luc. 5.*

Perindè ac si dicat: Simon, quod tu & socij tui nunc vidistis in externa piscium captura, id in posterum queque experiemini ac videbitis in officio ad quod vos vocaui, & in quo vobis vtar. Homines capietis non ex aqua, sed ex errore, tenebris & peccatis: attamen non reti aut laqueis, sed verbo Dei: non ad eorum interitū, sed ad æternam illorum salutem. Quare nunquàm vobis memoria excidat, quod modò vidistis, audiuitis & experti estis. Siquidem eiusmodi deinceps vestra in functione identidem persentietis. Hoc Christus suis Apostolis in ipso statim initio pro ipsis ipsorumque posteris hoc miraculo & adiunctis verbis animis eorum infigere voluit. Et erant quidem hæc omnia, quæ eos scire oportebat. *Vna nauicula Ecclesia Catholica.*

Etenim primò qui piscatorem agere vult in flumine magno, nauim & rete habeat oportet. Ex quo ista capitur institutio, quam Christus suis piscatoribus, suis Apostolis dat: vt primùm & ante omnia despiciant de vera nauì in qua Christus sedet, hoc est, de vera vniuersali Christiana Ecclesia, inque ea maneant verbo Dei instructi & parati.

Secundò nullus piscator ita solers & prouidus est, quin rete suum interdum in limo & cœno immundum faciat, vt lauare illud necesse habeat: aut palo adhærens laceret quandoque, vt reparare & sarcire cogatur. Est altera doctrina

Apostolis & omnibus prædicatoribus ex hoc Euangelio dā-  
 ta: vt rete eorum mundum & integrum, prædicatio pura & il-  
 libata, imò cōmuni doctrinæ Christianæ ecclesiæ cōformis sit.  
 Tertio, non pōtēst piscator semper in terra manere, sed cogi-  
 tur aliquādo in altum nauem prouehere, varia subire pericu-  
 la & experiri. Tertium id est, quod Christus hīc suis Aposto-  
 lis insinuare vult, nimirum eos in officio suo omnifaria disceri-  
 mina expectare oportere. Siquidē profectō verē periculosum  
 officium est, siue quis taceat, siue loquatur. Si tacet quis, nec  
 loquitur, prædicat, arguit aut monet, iam hoc illi periculū im-  
 minet. de quo Isaias dicit 6.c. Vē mihi quia tacui. Et Paulus 1.  
 Cor. 9. Vē mihi si non Euangelizauero. Et Deus ad Ezechie-  
 lem: Si dicente me ad impium. Morte morieris, nō annuncia-  
 ueris ei, neque locutus fueris: vt auertatur à via sua impia, &  
 viuat: ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinē autem  
 eius de manu tua requirā. Hoc periculum instat prædicatori  
 tacenti, vbi loquendum erat. Et vt maximē non taceat, sed lo-  
 quatur ac prædicet, verū non vt conueniebat, sed hominum  
 magis fauorē quā Dei emereri cupiēs, periculū adest. de quo  
 Isaias dicit: Vē qui dicunt malū bonum, & bonum malum:  
 ponentes tenebras lucē, & lucem tenebras: ponētes amarum  
 in dulce, & dulce in amarum. Popule meus, qui te beatum di-  
 cunt, ipsi te decipiunt. Et Hieremias: Vē Prophetis, qui omni  
 qui ambulat in prauitate cordis sui, dixerunt: Non veniet su-  
 per vos malum, cōfortantes hoc ipso manus pēssimorum: vt  
 nō conuerteretur vnusquisque à malitia sua. Et in Ezechiele:  
 Erit manus mea super Prophetas qui vident vana, & diuināt  
 mendacium, dicentes: ait Dñs, cum ego nō sim locutus: dicen-  
 tes populo meo, Pax, & nō est pax: & ipse ædificabat parietē,  
 illi autem linebant eum luto absque paleis: consuunt puluil-  
 los sub omni cubito manus: occidunt animas quæ nō moriū-  
 tūr, & viuificant animas quæ non viuunt, propter pugillū hor-  
 dei & fragmē panis, hoc est, ob paruum tēporale lucellū, &c.  
 Hoc prædicatorem manet periculum, qui in gratiam homi-  
 nis loquitur. Tum etsi prædicator vera doceat, & tamē malo  
 suo exēplo seu vita destruit, quod verbis ædificat, iam rursum  
 in periculo stat. Vt Paulus dicit: Si linguis hominum loquar  
 & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum  
 velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Dicit itaque alio in  
 loco. nēpe. 1. Cor. 9. Castigo corpus meum, & in seruitutem  
 redi-

redigo, ne fortè cū alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Postremò, vt maximè omnia prædicator benè peragat cum verbo, tum exemplo, omne tamè periculum expectet oportet à mundo improbo eiùsque principe. Quèadmodùm multis **I. Cor. II.** in locis Epistolarum suarū de eiusmodi periculis scribit Apostolus, quæ ipse & alijs experti sunt. Hoc Christus suis discipulis indicare voluit, atque monere eos, cum in altum vt ducerent, iubebat. Alijs in locis expressis verbis illis dixit, qui suus esse discipulus velit, cum omnibus renunciare oportere. Et hoc tertium est. Quartò, nullus piscator tā imperitus est, **Luc. 14.** quin licet pro virili laborarit, nouerit tamen omnem fortunam & prouentum sui laboris à Deo pendere. Ea quarta doctrina est, quā Christus suis Apostolis in hoc Euāgelio dat: nimirum vt qui in Apostolatu fructum facere velit, is neq; suæ scientiæ, neque labori, neque diligentiæ fidat, sed solùm dicat cum Petro: Domine in verbo tuo laxabo rete, hoc est, vt simpliciter secundum fidem & ex præscripto verbi Dei suum exequatur munus. Quintò, nullus piscator rete suum proptereà duntaxat laxat, vt pisces comprehendat, sed vt ad terram eos pertrahat, atque isthïc primum verus labor & periculum incipit, isthïc socijs opus habet, à quibus iuuetur: imò vnà cum illis obseruare debet, vt æqualiter trahant, non vnus huc, alius aliò, alioqui non solùm piscium iacturam facerent, sed seipos etiam in discrimen adducerent. Adhæc leniter oportet, vt trahant, ne rete forsitan ad palum adhærens rumpatur. Et tertio, etiam si pisces in nauim attollunt, videre eos oportet, ne nauis onere nimium depressa, labor inanis sit sumptus. Atque ea omnia eiusmodi sunt, quæ Christus insigere suis Apostolis voluit. Primò, ne contenti sint, quòd multos habent auditores, sed omnem adhibeant diligentiam, vt eos ad salutem ipsorum adducere possint. **Prædicatoris obseruanda.** Secundò, vt semper sibi ad hæreticis caueant, ne illis rete rumpatur, & homines ex vera doctrina ad alias & falsas doctrinas abducantur. **II.** Tertio, vt peccata etiam & vitia arguant eorum, qui ecclesiam affligunt, & Christianam congregationem offendunt. **III.** Postremò, vt vbi hæc omnia fecerint, & nullo non modo laborauerint ad conuertendos homines, soli tamen Deo deferant gloriam, seipos cum diuo Petro tanquàm miseros peccatores agnoscant, & tam diuino officio indignos iudicent, iuxta doctrinā Christi: Cū feceritis omnia quæ præce- **Luc. 17.**

pra sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus. Nam reuera, vti  
 1. Cor. 5. Paulus ait, neque is qui plantat, neque qui rigat, aliquid est,  
 sed qui incrementum dat. Is autē Deus est, & huic vni omnis  
 deberur honor. En, hæc Christus suis discipulis in hoc Euan-  
 gelio voluit proponere, quæ omnia eiusmodi sunt, quæ ad eo-  
 rum pertinent munus, & simul omni cum diligentia conside-  
 rari debent. Quæ admodum igitur Christus Apostolis & præ-  
 dicatoribus officium eorum & legationem hac admirabili pi-  
 2. Pet. 3. scium captura delincauit: ita quoque Petrus in hodierna facit  
 Epistola, omnibus Christianis infigere volens, quod illorum  
 etiam munus sit & vocatio, quò vtrinque res benè peragatur.  
 Nam vt sancti Apostoli & prædicatores peculiarem suam vo-  
 cationem habent: ita nos etiam ex promiscua multitudine no-  
 stram vocationem habemus. Neque sanè in sancta Christia-  
 nitate melius ageretur vnquam, quàm si Pastores & Duces  
 hodiernum Euangelium, nos autem ex vulgo hodiernā Epi-  
 stolam semper ob oculos haberemus. Sed quantum in vno lo-  
 co deest, tantum deest in altero quoque. Nemo secum animo  
 recolit suam vocationem: idè non mirum, si confusè plerā-  
 que & inordinatè in ecclesia geratur. Deus nobis oculos ape-  
 riri dignetur, vt id videre possimus: & gratiam donare, vt bo-  
 num, quod videmus & audimus, fideliter sequamur, Amen.  
 Qua de re, optime Christiane, hodiernam Epistolam diligen-  
 ter videas: vt potè mirificè tibi profuturam ad bonum.

## S E X T V S S E R M O

### de Euangelio in genere.



**C**IRCA hodiernum istud Euangelium eius-  
 que mysterium, de quo in præcedentibus ser-  
 monibus dictum, non immeritò quis demi-  
 rari posset, quòd sancta, & vniuersalis Chri-  
 stiana ecclesia hoc loco nauiculæ seu scalmi  
 piscatorio comparatur: quæ tamen alioqui alijs in locis sa-  
 cræ scripturæ, interdum magnæ, celebri & regiæ ciuitati  
 comparatur. Vti cum David ait: Magnus Dominus & lauda-  
 bilis nimis in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius fun-  
 datur exultatione vniuersæ terræ mons Sion, latera Aquil-  
 lonis, ciuitas Regis magni. Deus in domibus eius cognosce-  
 tur, cum suscipiet eam. Sicut audiuimus, sic vidimus in ci-  
 uitate Domini virtutum, in ciuitate Dei nostri: Deus fun-  
 dauit eam

dauit eam in æternum, &c. In his verbis, atque ad eò in toto il  
 lo Psalmo, loquitur Dauid de nulla alia ciuitate, quam de ea,  
 quã Christus in terris ædificare debebat, non ex ligno & lapi  
 de, rebus sensu carètib, sed ex viuis rationalibus hominibus.  
 Ea autem non alia est, quàm sancta & vniuersalis Christiana *1. Tim. 3.*  
 ecclesia, quam Paulus vocat domum & templum viui Dei.  
 Ioannes verò nominat sanctam, spiritualè, nouã & cœlestem *Apoc. 21.*  
 Hierosolymam. Vidi, inquit sanctam ciuitatem Ierusalè no  
 uam, descendentem de cælo, à Deo paratam, sicut sponsam  
 ornatam viro suo. Et audiui vocem magnã de throno dicen  
 tem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus: & habitabit  
 cum eis, & ipsi populus eius erunt, & ipse Deus cum eis erit  
 eorum Deus, &c. Hæc verba quoque propriè dicta sunt de  
 sancta Christiana ecclesia, quæ verè domus Dei est, & ciuitas,  
 in qua Deus per Christum & spiritum sanctum apud nos ho  
 mines degit. Est autem hæc prorsus magnifica comparatio  
 sanctæ Christianitatis, si cum ea conferas, qua in hoc Euan  
 gelio nauiculæ comparatur. Quid enim disiunctius? Quid in  
 congruè magis comparari potest, quàm magna ciuitas, &  
 nauicula? Neque tamen mirum, quòd sancta Christiana ec  
 clesia duabus tam diuersis rebus comparatur: quãdoquidem  
 Christus ipse agno & leoni assimilatur. Ne fleueris (inquit *Apoc. 5.*  
 Angelus ad Ioannem) ecce vicit leo de tribu Iuda: cæterum  
 circumspiciens de leone Ioannes videbat agnum stantem tan  
 quam occisum, &c. Si itaque Christus agnus simul & Leo es  
 se potuit, agnus secundum humanitatem suam & in passione  
 sua, Leo verò secundum diuinitatem suam & in resurrectio  
 ne sua: potest vtrique etiam ecclesia & Christianitas ciuitati  
 pariter & nauiculæ comparari. Dauid vocat eam magnam  
 & insignem ciuitatem, sicuti reuera est: Euangelium istud  
 eam nauiculæ in mari comparat, & rectè quidem. Attamen  
 vnumquodlibet suam causam habet peculiarem. Quum con  
 sideramus, quomodò Deus ecclesiam suam ædificauerit, con  
 seruauerit, immunem reddiderit dotarique, præclaram cet  
 tè videmus ciuitatem. Verùm si eam cum mundo cõferimus, *Ecclesia cur  
 ciuitati.*  
 quid iam inde ab initio in mundo passa sit, quæ pericula su  
 stinuerit, quin adhuc etiam pariat ac sustineat, nihil sanè  
 aliud est, quàm nauicula in magno flumine. Porrò de glo  
 riosa ciuitate Dei, aliàs dictum est. Christum eiusque nauic  
 ulam nunc considerare nos oportet. *Cur nauicula  
 similis.*

bis Christus per hanc nauiculam indicare voluit: imò nullum  
 verbum est in hoc Euangelio, quod non magnum quiddam  
*Mare.* significet. Mare est mundus: nauicula est sancta ecclesia: pesca-  
*Nauicula.* tores sunt Apostoli & prædicatores: rete est verbum Dei: pi-  
*Piscatores.* sces sunt omnes homines: terra seu litus, est æterna salus. Aptę  
*Rete.* sunt comparationes, ad id omnes inferuientes, quò melius  
*Pisces.* appareat, quis sanctę Christianitatis hęc in terris sit status.  
*Litus.* Imò cui mundus congruentius comparari potest, quàm ma-  
 ri? quod semper tempestuosum est, & nusquàm penitus tran-  
 quillum, nunc ab hoc, nunc ab alio vëto impellitur: imò quã-  
 tũuis placidum est, nusquàm non tamen tempestas & pro-  
 cella in eo metuenda est ac expectanda. Sic etiam in mundo  
 fieri consuevit: alius euehitur, alius deprimitur: nec aliud in  
 mundo expectandum est, quoad mundus vocatur, & diabo-  
*Ioan. 14.* lus princeps mundi dicitur. Si enim tranquillus & sedatus es-  
*Matth. 13.* set mundus, non mundus esset, sed vita æterna, Sed manet  
 scilicet id quod Christus alio in loco dicit: Mare est sæcu-  
 lum. Qui in hoc mari fortior est, is opprimit debiles: vt  
 in omnibus videmus ac legimus historijs, & ipse vsus quoti-  
 dianus docet. Hoc mare habet & alit varĩa animantium ge-  
 nera, prætereà innumeri in eo merguntur homines: nimi-  
*Ephes. 4.* rum qui ambulant in vanitate sensus sui tenebris obscu-  
 ratum habentes intellectum, alienati à vita Dei perigno-  
 rantiam, semetipsos tradiderunt impudicitę, in operatio-  
 nem immunditę omnis. Secundò, quid aptius nauiculę  
*Ephes. 6.* comparatur, quàm sancta Christianitas? Ea parua est ad  
 mundum collata: semper est in periculo, semper enim habet,  
 quòd pugnet, non cum carne & sanguine, sed cum principi-  
 bus & potentibus, cum mundi rectoribus tenebrarum ha-  
*Luc. 12.* rum: huc illuc iactatur. Primitus parua fuit & angusta. vnde  
 & Christus suos discipulos pusillum gregem vocat: in medio  
 verò hæc nauicula latior non nihil est & spaciosior, in fine au-  
*Matth. 22.* tem rursus in arctum contrahitur. Multi enim sunt vocati,  
 pauci verò electi. Tertiò, homo sibi ipsi relictus, quid aliud  
 est, quã piscis in aqua, hæres in profundo & tenebris, diffluēs  
*Ephes. 5.* in omnia peccata, prauas cupiditates & luxum. Vt Paulus di-  
 cit: Eratis aliquando tenebrę, nunc autem lux in Domino.  
*Ephes. 2.* Et iterũ: Eratis mortui in delictis & peccatis vestris, in quibus  
 aliquãdo ambulastis secundum sæculum mundi huius, secun-  
 dum principem potestatis æris huius, facientes voluntatem  
 carnis &

carnis & cogitationum: eratis naturā filij iræ, sicut & ceteri. Deus autem, qui diues est in misericordia, conuiuificauit vos Christo, &c. Et rursus: Eratis aliquando adulteri, scortatores, fures, auari, &c. sed abluti estis, sed sanctificati estis in nomine domini nostri Iesu Christi. Quartò, quid olim fecerunt, hodiè que faciunt Apostoli & prædicatores aliud, quàm quod miseros condemnatos Adæ filios, è tenebris erroris, è profundo condemnationis, & ex fluxis ac momentaneis gaudijs flagitiosæ & impiæ vitæ, ducunt & trahunt ad lucem diuinæ gratiæ, ad agendā pœnitentiā, & ad æternā salutem? Annūciamus vobis (inquit Paulus) ab his vanis conuerti ad Deum viuum, qui fecit cœlum & terram. Et Ioannes: Quod audiuius, quod vidimus oculis nostris, annūciamus vobis, vt & vos societate habeatis nobiscum, & societas nostra sit cū Patre & cum filio eius Iesu Christo. Quintò, cui verbum Dei melius comparari potest, quàm reti? Et enim primò ex multis testibus contextum est: habet nanq; doctrinā, adhortationes, exēpla & promissiones. Et ita sanè necessariū est. Quippè non omnes homines huiusmodi verbo capiuntur: alij volentes trahuntur docenturque. alij terrendi sunt. Proinde monet Paulus discipulum suum, vt omnibus modis instet docendo & increpando, arguendo & obsecrando, opportunè, importunè, &c. Secundò, late sese verbum Dei porrigit, fortiter trahit, hominem capit nec opinantem. est enim viuus & efficax sermo, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis. Et non est creatura vlla inuisibilis in conspectu eius. Non solùm autē trahit fortiter, sed tenaciter quoque tenet, vt in Petro videre est, dicente: Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. Tertiò, quemadmodum rete varios complectitur pisces, magnos & paruos trahens, bonos & malos: sic etiam verbum Dei neminem excludit: omnibus prædicatur. Deus enim non est acceptor personarum, licet homines valde dissimiles sint, & dispari modo teneantur in hoc reti. Quidam enim ita lubrici sunt, cùm sentiunt se verbo captos, omnes elabendi & excusandi quærunt vias. Quemadmodum Saul faciebat à Samuele correptus. Et Achaz iussus ab Itaja petere signū, Nō petam (inquit Esa. 7. cap.) & nō tentabo Dominum. Alij non solùm elabuntur, sed rumpunt

1. Cor. 6.

Act. 14.

1. Ioan. 1.

2. Timot. 4.

Heb. 4.

Ioan. 6.

Act. 10.

1. Reg. 15.

Hæretici sci-  
licet.

- etiam rete, per falsam interpretationem Scripturarum, & dī-  
 rēptionem Christianæ concordiæ, alijs vt excidant authores.
- 2. Pet. 2.** De his multa Petrus in secunda sua Epistola. Christus ipse  
**Mat. 24.** prædixit, tales venturos. Alij ita pressi sunt terrenis  
 cupiditatibus, vt non solum ad temporalia propensi sint, sed  
**Mat. 15.** trahant etiam verbum Dei ad quæstum suum temporalem,  
 quemadmodum Pharisei faciebant apud Iudæos. Alij talem  
 præ se ferunt speciem, perinde ac si sint boni pisces, ratione si-  
**Matth. 13.** mulatæ probitatis: sed coram Deo mortui sunt, & in fine mū-  
 di eijcientur. Quartò, vt videri quid in sagena sit, non potest:  
 malum ne sit an bonum, donec ex aqua extrahatur: ita etiam  
 quoad in mundo isto sumus, nemini certò cōstare potest, qui  
**1. Cor. 4.** sint futuri beati, qui condemnati: Quapropter nemo de se-  
 ipso nimium sentire debet, aut alium condemnare, donec ve-  
 niat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, &c.  
 Postremò, quemadmodum rete, quandiu nō extrahitur, adhuc  
 semper alios capere pisces & complecti potest: ita quoq; quā-  
 diu Euangelium in mundo prædicatur, nulli peccatori Dei  
 misericordia denegatur aut præcluditur. Proinde rursum de  
 nullo mortalium desperandum est. Quem rete hodie non  
 cœpit, forte cras capiet. Hinc, arbitror, quiuis videre posset,  
 non absurdè per rete verbum Dei & prædicationem Euan-  
 gelij significari. Quis autem non videat, quàm multa Euan-  
 gelium istud considerata præbeat? Imò in hoc Euangelio  
 indicatum est, quomodò sancta Christianitas inceperit & ac-  
 creuerit, & æqualis adhuc sit, & in fine futura sit. Iesus Chri-  
 stus filius Dei, principium est huius ædificij. Cùm in terra ve-  
**Marc. 16.** niret, & homo fieret, inciperetq; prædicare, primum iactum  
 est fundamentum. Deinde magis etiam adhuc crescebat, cùm  
 Apostoli à Christo missi exirent, & vbique prædicarent: imò  
 Dominus ipse vnà operaretur, eorūque doctrinam signis  
 sequentibus confirmaret. Tum enim numerus credentium  
**Galat. 1.** ita augebatur, vt vniuersus mundus fateri cogeretur, ac di-  
 cere, Dei esse opus. In me, dicit Paulus, clarificabant Deū.  
 Nauicula implebatur, Apostoli soli oneri impares erant: om-  
 nibus in locis constituebant episcopos, sacerdotes & diaco-  
**Act. 6.** nos, quorum mutua in trahendo opera utebantur. Vel vnus  
**Rom. 15.** Paulus ita in altum ducebat. & ibat in Gentes, vt orbem  
 Euangelio impleret, à Hierosolymis ad Illyricum vsque. Pe-  
 trus à Hierosolymis Romam vsque, passim capientes pisces  
 in ma-

in magna copia, conuercentes totas vrbes, regiones & regna ad Christum & eius Euangeliũ. A quo prohibere eos nemo poterat, proficiscẽtes hoc pacto læti ad portum æternæ patriæ. Hoc erat incrementum Ecclesiæ & Christianitatis.

Quam ergo sancti Apostoli diligentes erant in adducendis omnibus hominibus ad fidem, tam quoque erant industrii in omnes homines in vera & viua fidẽ conferuãdo. Huc pertinent tam multiplices Epistolæ, admonitiones, obsecrationes & preces, quibus vsũ sunt erga eos, qui iam credebant, vt videre est ad Roma. 12. ad Ephe. 3. 4. & 5. in prima Epistola ad Thessal. 2. in Actibus Apostolorum 20. cap. & c. Et ita sanè res postulabat, quia non plantadum modò, sed etiam rigandum est: non modò fundamentum iaciendum, sed superstruendum quoque: non solùm homines ad bonum ducendi, *In molliculos* verùm etiam in eo conferuandi. *Euangelicos* *nostros.* Alicui res fructu caret, vt videmus nostris temporibus in prædicatoribus nõnullis, qui omnem suam operã eò conferunt, vt blandis politisque sermonibus multos ad se pelliceant: cæterùm non curant, quo pacto homines ad veram & æternam eorum salutẽ ducãt: sed relinquunt eos in aqua, hoc est, in pristinis eorum vitijs, vnũquenque pro sua libidine viuere sinunt: pisces ex aqua non trahunt: homines ad emendationem vitæ non ducunt: nullũ peccatum arguunt: ad omnia cõniunt, modò credatur. Hinc postea fit, vt multi qui nunc in Ecclesia se esse putant, in extre *Matth. 7.* mo iudicio eijciãtur foras. Multi (inquit Christus) dicent in illa die: Domine Domine, nõne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis. Quia nunquam noui vos: discedite à me, qui operamini iniquitatem. Non omnis enim qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum: sed qui facit voluntatem Patris mei.

Porrò sancti Apostoli non solùm homines ad fidem traxerunt, sed etiam fidẽ imbutos, ad omne bonum duxerunt. Hoc Ecclesiam ad meliora prouehit & auget. Sed non fit sine periculo: diabolus incipiebat irasci, mundus & mare incipiebãt furere, vt hæc nauicula sæpè in magnũ discrimẽ veniret.

Primò, magni turbines cooriebantur externæ persecutionis: miserè nauicula iactabatur: nemo cogitare aliud poterat, quàm vt mergeretur. Sed Deus eam seruabat: Christus *Matth. 8.* surgebat, & imperabat mari ac ventis, vt tranquillitas fieret.

*Hæreticorum  
studia.*

*1. Pet. 2.*

Ventis autem & procellis persecutionis sedatis, hæretici oriebantur, rumpentes rete, adulterantes Scripturam, multos homines ducentes in errorem & interitum: ex vna Ecclesia plures Ecclesias facientes: imò sectas perditionis, vt eas vocat Petrus. Hic Patres nunquam non occupati erant, quo pacto in Concilijs rete sarcirent, Scripturam rectè interpretarentur: præcauerentque, ne tot homines seducerentur, & ex nauicula iterum in mare, ex Ecclesia in hæresim, imò ex regno Dei in condemnationem inciderent.

Hoc malum cum ad tempus longum durasset, & tamen Dei gratia & magno labore Patrum sopitum esset: in aliud nauicula discrimen veniebat. Piscatores seu Pastores quidam desides esse incipiebant, laborem detrectabant, incipiebant diuitias appetere, honores, voluptates, & mollem vitam: nauiculam ferri & agitari, vt poterat, sinebant. Ad hæc sui similitum, hoc est, socordium, ineptorum, carnalium, proprii compendij studiosorum, & mundi cultorum hominum tot in nauiculam recipiebant, vt plures capere non posset, propemodum submergenda.

Et talis in hodiernum adhuc nauis est. Alacri cursu ferri debebat præ charitate erga Deum, & desiderio cœlestium bonorum: ceterum pecuniæ studium, & amor mundi, quibus plerique dediti sunt, ita eam deprimit, vt mouere se non possit: & iam pridem interisset, nisi eam seruasset Christus, & ipse in ea esset.

*Matth. 15.*

Ad hæc omnia, etiamsi nauicula portum adepta fuerit, fiet primùm segregatio bonorum & malorū. Bonos (inquit Christus) Angeli eligent in vasa, malos autem foras mittent. Hæc omnia in hodierno Euangelio indicata sunt. Hæc omnia bono Christiano circa illud consideranda sunt. In principio magnam Dei gratiam videmus, quo nomine gaudendū nobis est: in progressu Dei opus videmus, quo nomine gratiæ nobis agendæ: in medio aliud post aliud periculum ingruit, vbi prospiciendum est. in fine aliqui rursus eiiciuntur, qui quidem nunc in nauicula manent, sed non sunt nisi graue onus nauiculæ, imò scandalum & impedimentum illius: vnde tremendum nobis est, Deus det nobis suam gratiam, Amen.

## SEPTIMVS SERMO DE

Euangelio &amp; Epistola.



ODIERNVM istud Euangelium ratione historię, & iuxta literam apparet, tanquã nihil peculiare admodum ex eo depromi possit: cæterum qui posset & vellet illud penitus inspiciere, inuenturus nimirum esset, optatum esse

Euangelium, hoc præsertim tempore. Rogas quomodo? Plannum dat nobis responsum super quibusdam rebus, quas mundus nunc omnium maximè demiratur: quarum duæ potissimum sunt. Prima est, quòd tantum laboratur, & omnia in satis magna crescunt copia, & nos tamen usque pauperes manemus: nihil nobis benè vertit, neq; labor noster, neq; fruges terræ. Altera est, quòd tantum prædicatur & scribitur, nec tamè quicquã ad meliorem frugem redit. Duæ res sunt, quas homines vehementer demirantur, maximè boni & simplices, in quibus adhuc aliquid timoris Dei residet. Verum Euangelium hoc pulchrum & facile dat nobis informationem his duabus de rebus. Scire ergo desideras, qui fiat, quòd tam graues sæpè exhaurimus labores, & tamen laboris nostri fructum penè nullum referamus: imò quòd etiã inter maximos labores, semper tamè pauperes & egeni maneamus, Laboramus nocte, & sine verbo Dei, hoc est, abimus in ignorantia, neq; Deum neq; res diuinas curantes: de temporalibus solum cogitantes, nihili facientes spiritualia. Et licet lucem & diem habeamus, audiētes, legētes & sciētes, quæ sit Dei voluntas & mandatum, attamen non curamus ea, sed semper in nostris hæremus vitijs, hoc est, in nocte manemus & in tenebris. Hæc causa est, cur nocturnis & diurnis defatigemur laboribus, & tamen pauperes semper maneamus. Enimuerò quid faciat labor noster Deo seposito? Benedictio Dei (inquit Scriptura) diuites facit. Deus dat incrementum laboris, inquit diuus Paulus. Quot autem crudorum Christianorum inueniuntur, qui per totam septimanam nocte & die laborant, & ne semel quidem Dei recordantur? En, hoc est in nocte laborare. Quot deinde inueniuntur, qui laborem suum tantum ad questum, falsitatem, fraudem, imposturam & infidelitatem referunt? Sed hoc non est in verbo Dei, sed contra verbum Dei laborare, quod talia omnia inhibet. At quid dicit Petrus? Domine in verbo tuo laxabo rete. Atque hinc labore suo dignum premium retulit

*Duæ res admirabiles.*

*Cur tanta  
na caritas.*

*Proverb. 10.  
1. Cor. 3.*

vt plures pisces caperet vno iacto, quàm antea tota nocte ceperat. Vbi viuua fides & timor Dei est, ibi interdum laboratur, ibiq; res meliorem habet successum. Verum vbi fides nulla neq; timor Dei est, ibi dubio procul noctu laboratur, fieri non potest, vt in longũ succedat. Si cui nō liber credere, is au  
 Agg. i. diat quid Deus in Aggæo dicat: Ponite corda vestra super vias vestras. Seminastis multum, & intulistis patũ: comeditis, & non estis satiati: operuistis vos, & nō estis calefacti: & qui mercedes congregauit, misit eas in sacculum pertusum. Respexistis ad amplius, & ecce factũ est minus: & intulistis in domũ, & exufflaui istud: quam ob causam? Quia domus mea deserta est, & vos festinatis vnusquisq; in domũ suam. Quod perinde est ac si dicat: Idcō nihil vobis succedit, quia sine charitate & Dei timore laboratis. Hoc pacto ex Euangelio isto respõsum illis est, qui admiratur, quòd tot homines in tantis laboribus, pauperes, tamen sunt & manent.

*Cur multas  
 cõditiones par-  
 uis consequatur  
 fructus.*

*Ita faciunt sua  
 ues Euangelii  
 ei nostri.*

*Ezech. 13*

Ad alterã quæstionẽ, vnde accidat, q̃ tantum prædicãdo insumatur operæ: cæterũ verò tã pauci homines sese emendẽt, similiter quoq; respõdet Euãgeliũ istud, indicãs quãdoq; prædicatorũ, quãdoq; auditorũ, quãdoq; etiã magistratus culpa fieri, nō vrgẽtis, vt verbo Dei cõformiter & conueniẽter viuatur. Primò nonnũquã prædicatores in culpa sunt, quòd tã pauci homines, ex multa prædicatiõẽ meliores euadunt, duplici de causa: Primò quòd interdũ prorũpant nudis verbis, nō iussi nec vocati à Deo, cõfisi solũ suis ingenijs & eloquentia: quisq; vult optimus esse, nemo alteri auscultare & opẽ ferre. Secũdò, quòd aliquãdo pro magnis Apostolis sese ostẽtant, retia sua magnificẽ laxãt, multos capiũt homines: norunt inescare pisces, verba sua cõponunt, vt cupidẽ audiantur, sed paucos homines ad litus subducũt: imò omnes in suis peccatis relinquunt: adulantur diuitibus & potentibus: omnẽ illis excusant ipsorum iniustitiã: annunciant peccatoribus pacẽ, cum tamẽ nulla pax sit, cõtenti quòd magnum eorum numerum ceperũt, haud amplius curãtes metuentes forte si conarentur homines è peccatis eripere, defecturos aliquos, aut se quoq; in discrimen adducturos. Quapropter leniter eos tractant, quod ipsum tamen vtrorumq; exitium est. Quorsum enim attinet, vt quis Euangelium audiat & tamen nihilò minus in peccatis, maneat? Quid prodest prædicatorem diu clamare, si neminẽ ad litus traducat?

nemi-

neminem ad salutē transportet? Tertiò prædicatores quoque nonnunquā in causa sunt parvæ emendationis in populo, eò quod vita destruunt quod verbis ædificant. Verū non Apostolicè id omne actū est. Etenim primò sancti Apostoli vnanimiter laborarunt, mutuam in reti trahendo sibi inuicē operam præstantes. Et hoc nisi fecissent, piscibus frui nō potuissent. Quòd si etiā huius temporis prædicatores ita affecti essent, plus indubiè fructus facerent. Quia verò alius alio tendit, & *seclarij multū idemq; in sua sententia, obstinati.* quod vnus ædificat, alter destruit: mirū non est paucos homines emendare sese, etiam si quotidie conciones audiant. Vel homini cōstanti etiā fastidium pareret, si videat tot nuntietas esse, & vnamquālibet suā tuendo sententiā vires intendere, quo iure quāq; iniuria. Verū non est hoc Deum & animarum salutē, sed seipsum & propriā quærere gloriā. Secundò quoq; Apostoli nō modò rete Euangelicæ prædicationis laxarūt, ad homines ad fidē adducendos, sed etiam omnē nauarunt operā, vt omnes ad vitæ emendationē & perfectā salutem adducerēt: vt superius in alio sermone indicatum fuit. Atq; hic etiā verus Apostolus est, qui homines ex aqua peccatorū trahit, nulli parens labori, nullum timens periculū: quemadmodū Apostoli rete cū piscibus ad terram subducebant, nō obstante, quod rete ruptū esset, & ipsi propemodū submergi essent. Tertiò nō solū Apostoli verbis, sed etiam *Exemplo doctas, non verbis tantum.* exemplis docuerūt. Quòd si prædicatores in his tribus Apostolos nō sequātur, magnā præbent occasionē, vt prædicatio eorum tantò minus fructus adferat, & populus eò minus sese emendet. Deindè verò etiam nonnunquā auditores in vitio sunt, id quod ex hoc Euangelio apparet. Petrus habebat verbum Dei, eòque rectè ac legitimè vtebatur, sicq; multos capiebat pisces, socios habebat, qui illum vnanimiter adiuuabant: nihil desiderabatur in piscatoribus, at tamen nō sine magno labore pisces ad litus transportabantur. Quidā etiam rumpebant rete, iterū elabentes in aqua: alij manebant in reti, trahere se patientes, sed ita graues, vt nauim propè opprimerent. Ita adhuc vsu venit: faciles capti sumus, sed difficulter promouemur: libenter Euangelium accipimus, verūm ægrè illi obtemperamus. Facilè trahitur piscis, dum sub aqua est: imò sponte sequitur: cæterum vbi extrahere paras, vt aquam cui assuevit, relinquere debeat, tum demum incuruat & intorquet sese, videns quo pacto elabi possit. Itidem res habet no-

*Euangelium  
nō fidē solam,  
sed etiam pœ-  
nitentiã, &c.  
requirit.*

*Deut. 13.  
Ezech. 7.  
Iosu. 6.  
Rom. 7.  
Cōsentire ma-  
lè agentibus.*

biscum: Euangelium vtrò sequimur, quandiu de sola fide lo-  
qui videtur, & relinquere nos in aqua & peccatis nostris.  
Verùm vbi ex aqua extrahendi sumus, & nobis indicatur, in  
Euangelio nostro præter fidem etiam pœnitentiã priorum  
peccatorũ & nouam prorsus vitam, secundum Deum & ver-  
bum eius institutam, à nobis requiri, hîc nobis Euangelium  
nō amplius tam benè sapit: hîc reluctamur, si qua possumus,  
erumpimus, malentes nos prorsus alij cōmittere vix, Deum  
& Ecclesiam deserere, omnē virtutem & honestatē seponere,  
quã hoc vel illud abijcere, & corrigere. Si qui verò in Ecclesia  
maneamus, nihil facimus aliud, quàm vt eam ita grauemus  
mundana nostra & carnali vita, vt nō nos ipsos tantũ perda-  
mus, & alios homines scandalizemus, sed sæpenuerò etiam  
Ecclesiam in discrimen adducamus. Et hunc in modũ quo-  
que auditores in culpa sunt, q̄ crebras conciones exiguis se-  
quitur fructus. Tertio ij etiã quãdoq; in culpa sunt, qui Pe-  
trum in trahendo rete iuuare debebant, cæterũ non faciunt.  
Hi primũ sunt omnes magistratus, & potestate tum Ecclesia-  
stica tum seculari præditi. Est deindè vnusquisque dominus  
& paterfamiliã in sua domo. Hi prædicatores iuuare debe-  
bant, omnem adhibere diligentiam, vt verbo Dei mos gere-  
retur, & quod in prædicatione auditũ esset, in opus cōferretur:  
cordi illis esse debebat, quod Deus toties in lege sua di-  
cit: Auferes malum de medio tui. serio illud secũ recollere de-  
bebant, quod Deus in Ezechiele dicit, se sanguinẽ eorũ, qui  
per ipsorũ negligentia perirent, ex manibus ipsorũ requisitu-  
rum. Et quod ad Iosue dicit, eum & populũ eius non vsuros  
amplius secũdo bello aduersus hostes, donec sacrilegum, qui  
inter illos erat, extinxissent. Et quod Paulus dicit, nō eos mo-  
dò morte esse dignos qui mala faciunt, sed etiã qui illis con-  
sentiant. Atqui in malum consensus est, si vbi obuiari pote-  
rat, nō fiat, aut vbi bonũ poterat promoueri, intermittatur.  
Quid autẽ hætenus omnibus bonis prædicatoribus defuit  
aliud, quàm q̄ in trahendo rete ab omnibus sunt destituti?  
Sed quid solũ de istius temporis prædicatoribus dico? Quid  
etiam antiquitus omnibus Prophetis magis defuit, quàm q̄  
magistratus prædicationum illorum effectum non vgerent:  
nemo illis in trahendo opem ferebat: clamabant, vocifera-  
bantur, & prædicabant: vel vsque ad lassitudinem, rauim &  
ægritudinem: nemo operam aliquam addere volebat, vt ver-  
bum &

bum & lex Dei obseruaretur, peccatum puniretur, malum  
 emendaretur, & bonum institueretur promouereturque, &c.  
 Vmihī (inquit Hieremias) mater mea: quare genuisti me vi- *Hier. 15.*  
 rum rixē? virum discordiæ in vniuersa terra, non sceneraui,  
 nec sceneraui mihi quisquam: omnes maledicunt mihi. Væ  
 mihi (inquit Michæas) qui factus sum sicut qui colligit in *Mich. 7.*  
 Autumnno racemos vindemiæ: non est botrus ad comeden-  
 dum. Domine (inquit Isaias) quis credidit auditui nostro?  
 Bonus Hieremias seuerâ sua, prædicatione & increpatione *Esa. 53.*  
 rem semel eò deduxerat, vt ciues Hierosolymis emendatio-  
 nem promitterent & instituerent quibusdam in rebus, id *Hier. 34.*  
 quod ei placebat, sperans se ab illis adiutum iri, vt & alia plera-  
 que reformarentur. Sed res instabilis erat. nam cū pœna non  
 statim sequeretur, quam illis minatus fuerat Propheta, desi-  
 stebant rursus, deteriores facti, quâ prius. Vnde quoq; Pro-  
 pheta de nouo minari cogebatur, nec tamē proficiebat quis-  
 quam: neque promissis neque minis tantum obtinere pote-  
 rat, vt meliorem instituerent vitam. Nullum habebat in tra-  
 hendo rete socium: potestas ipsa mala & impia erat: imò de-  
 ridebatur, grauissima insuper persecutione afflētus: insimu-  
 labatur conspirationis cum hostibus, vt qui ciues perterrefa-  
 cere, & pusillanimes reddere veller, donec postremò magno  
 suo malo experirentur, & ita experirentur, vt misero eiulatu  
 suam deplorarent fortunam. Vnum inuenio inter Prophe-  
 tas, qui paruo labore, imò vnica concione multa milia ho- *Ioan. 3:*  
 minum conuertit ad pœnitentiam. Is erat Jonas. Sed hinc ho-  
 mines habebat, à quibus in trahendo iuuabatur. Mox vt con-  
 cionem suam fecerat, aderat Rex Niniues mandatum pro-  
 mulgans, vt omnes ad Deum sese conuerterent, vitâ impro-  
 bam ommitterent, ieiunio & gemitibus Deum gratiam & ve-  
 niam rogarent. Hoc ad rem aliquid faciebat: hic Prophetam  
 adiuuabat, rete vnâ trahens: alio qui futurum erat, vt frustra  
 clamaret, æquē ac Hieremias & alij. Apud nos etiam non mi-  
 nor causa est, quod ex tam crebris prædicationibus fructus  
 & emendatio penè nulla apparet. Iubetur quidē sanctus Pe-  
 trus laxare rete, sed qui ei ratione officij adesse debebant, hoc  
 ste, potestas & magistratus, qui verbi Dei effectum promo-  
 uere poterant, astant, spectant, Petrum infœlicem prædica- *Iniuria Ma-*  
 torem magnos exantlare labores sinunt: ipsi vel in minimo *gistratum.*  
 non attingunt: atq; interdum primi ad eò illi sunt, qui bono

- Petro in magnis versanti laboribus, pessimas agunt gratias, ubi vel parū hallucinatur, & verbo vno modum excedit. Hic defectus est iam passim inter Christianos, vt nulla potestas (loquor tam de Ecclesiastica quā de seculari) instet, vt verbo Dei conformiter viuatur, & quod illi aduersum est, corrigatur. Quid faciet sanctus Petrus, cū videt se à nemine iuari? Clamare debet, inquis. Probè: sic enim docet illū quoque
- Isa. 58.* Scriptura: sic ei præcipit Deus. Quorsum autē attinet, Petrū diu multūmq; clamare, potestaté verò remissam esse? Ais: Petrus ad Deum orare debet, atq; etiā ad orationē hortari. Rectè quidē & meritò orare debet, & ad orationem hortari. est enim hoc vnicū nostrum refugium, si omnia fallant, vt oculos nostros ad Deum leuemus. Sed quid oratio prodest absq;
- Ioan. 9.* pœnitentia & emendatione? Summa: Petrus solus nihil proficit, nisi socios habeat. Sola prædicatio nō sufficit, nisi rem vergeat potestas, nec oratio satis est, nisi sequatur emendatio. Nō enim Deus peccatores audit. Sic itaq; videtis, vnde fiat, quòd tā multa prædicatio, emendatio verò perexigua in mūdo est: omnes eius rei causa sumus, prædicatores, auditores & speculatores. Hæc omnia circa hodiernū Euangelium nobis cōsideranda sunt. Hodierna Epistola, si rectè consideretur, atq; ei conformiter viueretur, posset nō parū inseruire, vt & spiritalis piscium captura hoc fœlicius & egregiè magis succederet, & prædicatio vberiorē faceret fructum. Estote omnes vnanimis (inquit Petrus) compatibles, fraternitatis amantes, misericordes, humiles, nō reddentes malū pro malo, &c. Sic Petrus docuit. Hic nō solūm est pisces capere, sed etiam pisces ad terrā subducere. Hic videmus, quid ad eam rem pertineat, vt homines ad salutem adducantur. Primò adsit oportet vnitas fidei. Nam simulatque in fide erratur, ad litus non deuenitur. Huc pertinet quod Petrus primū vult, vt vnanimis simus. Atq; hoc vnū est, sed nondum satis: charitas adsit
- 1. Ioan. 4.* necesse est, alioqui etiā si in fide concordia est, & nō etiam in charitate, impedimentū adfert. Hoc mandatū (inquit Ioannes) habemus à Deo, vt qui diligit Deū, diligat & fratrem suū. Huc quadrat illud Petri, dicētis: Estote cōpatientes, fraternitatis amantes, &c. Deindè iam ad aliam quoque vitam nos transferamus oportet. Scriptū est: Gen. 12. Egredere de terra tua, & veni in terram quam monstrauero tibi. Huc pertinet quod Petrus in hodierna Epistola dicit, Qui vult vitam diligere, &

gere, & dies videre bonos, coërceat linguã suam à malo, &c. Postremò quoq; patientia adsit necesse est, ne quis terreri se patiatur. Alioqui enim quidam inveniuntur, in quorũ neque fide, neque charitate, neque vita desideratur aliquid, sed nimum pusillanimes sunt & trepidi. Ad hos dicit S. Petrus: Quis est, qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis? Et iterum: Timorẽ eorum ne timueritis, & nõ conturbemini: Dominum autẽ Christum sanctificate in cordibus vestris. Hac sanè ratione quippiam posset effici: hoc homines ad portũ salutis deduceret, si illis hæc quatuor proponerentur, attamen vnumquodque in suo valore. Primò fides, deinde charitas, tertio pia vita, & quarto patientia. Hæc omnia sancti Apostoli prædicãrunt: atq; idè tam facilè mundum ad pœnitentiam & salutẽ adducere potuerunt. Et hunc in modũ nobis etiam hæc Epistola ad spiritualem piscium capturã inferuire posset. Alioqui esset etiam ipsa egregia concio, quæ hisce temporibus non modò in omnibus suggestibus, sed in cunctis etiam castris haberi deberet: nõ minus fortè profutura, quàm ex, quibus hodie modis omnibus ad seditiones concitamus, & alij in alios inflammamus, idq; maxima ex parte mēdacionum cuniculis quibusdam. Imò si hanc Epistolam sequeremur, iam pacem haberemus: nemo gladio suo vteretur contra suos Conchristianos. Sed quis huic mundo persuadebit, vt his Petri verbis obsequatur? Quàm difficulter adduci potest magistratus, vt seueritatem ostendat in animaduertendis peccatis, & prohibendis, tam difficulter isti inquieto & seditioso mundo persuadebitur, vt desinat fratres suos persequi. Iudicium nunc feruet inter nos Germanos, quemadmodum olim inter Madianitas, vt vnus cuiusque gladius contra fratrem suum directus & strictus sit: finis porrò etiam sequetur, de quo Paulus dicit: Quod si inuicem morderis & comedetis, videre ne ab inuicem consumamini. Victor cadit: victor non admodum eiusmodi victoria gaudebit. Intestinum dissidium & ciuile bellum, vt nunc nos ea exercemus, meliores fructus haud ferunt. Roma diu Roma mansisset, nisi bellum ciuile fuisset. Germania diu adhuc à Turcis & externis Nationibus tuta fuisset, nisi Satan per suos administratos tantum intestinarum discordiarum inter nos seminasset. Tantò diligentius nos hanc Epistolam considerare debemus. Deus n obis suam largiatur gratiam, Amen.

4. Patientia.

*Hi sunt contra  
tuo Evangelii-  
corum nostro-  
rum.*

Indic. 7.

Gal. 5.

*Vtinam vel  
serò sapiant,  
Phryges.*

OCTAVVS SERMO DE  
 Euangelio, Epistola, & Ecclesie oratione.



**H**ODIERNVM istud Euangelium præter historiam nihil aliud habet. In initio quidem indicatum est, Christum etiam interim de nauicula prædicasse, sed non additum est, quomodo aut quid hac vice prædicauerit. Verùm tamen diuus Lucas historiam silentio præterire noluit: id quod argumentum præbet, magnum ea in re momentũ situm esse. Et ita reuera habet. Si Christus miraculo aliquo præstare aliquid vnquam voluit, & significare, in hoc id fecit miraculo. Etenim primò, quia coram populo id fecit, & statim sub concionem, dubium non est, quin popelli præsentem rationem, & suum ad eos respectum habuerit. Secundò, quoniam Simoni miraculum ipse interpretatur, verbo illo, vbi inquit, Noli timere, ex hoc iam homines eris capiens: certum est, eum Apostolorum quoque cum primis rationem habuisse. Tertiò, quia statim Apostolos ad se recepit, cæterum nõ alia de causa, quàm vt eos mitteret ad prædicandum: dubium nõ est, quin etiam nostri respectum habuerit, imò etiã omnium fidelium secutorum, vsque in finem mundi. Sic itaque Christus triplicium hominum in hoc Euangelio rationem habuit, populi, Apostolorum, & nostri: & vnique ibidem indicauit, quid singulis scitu necessarium sit. Populus prædicationem audierat, opus habebant, vt eis benè imprimeretur. Itaque Christus subsequenter facit hoc miraculum, ostendens illis per hoc, quòd quemadmodum re ipsa cognoscebant, non hominis, sed Dei hoc esse opus & oportere, ita quoque verbum suum audire & recipere deberent, non tanquam hominis, sed tanquã Dei verbum. Hoc populo dictum erat. Sãctis Apostolis Christus adhuc aliud subindicare voluit: imò nõ vnũ quiddã, sed plura. Primò nãque quia illis ad Apostolatũ vti volebat, voluit illis per hoc miraculum indicare quid officij essent habituri. Secundò, q̃ iubebat illos retia laxare, argumẽto erat, eorum officium fore, homines verbo Dei de tenebris errorũ, & profundo peccatorum trahere, & perducere ad pœnitentiã. Tertiò, dum procurat, vt tot pisces caperent, quòd & ipsi demirari cogebantur, & fateri Dei esse opus: indicare illis voluit, laborem ipsorũ nõ inanẽ fore, Deũ incrementũ daturũ, & abundanter, quan-

danter, quantūcunq; simplices erāt. Hoc de illis Isaias multò *Esa. 60.*  
ante dixit: Minimus erit in mille. Et iterū: Afferent filios tuos *Esa. 49.*  
in vlnis, & filias tuas super humeros portabunt. Quartò, dum  
illis Christus tā liberaliter remuneratur, q̄ ei nauiculæ copiā  
fecerāt, & ad illius iussum in altū ducebant, & rete suum laxa  
bant: ostendere illis voluit, eis in rebus quoque spiritualibus  
mercedem non pœnitendā repositū iri, quemadmodum & *Merces bono-*  
alijs in locis ait. *Luc. 12.* Nolite timere pusillus grex, quia cō- *rum operum,*  
placuit patri vestro dare vobis regnū. Vnde etiā Paulus tam *ergo & meri-*  
confidenter ait. *2. Tim. 4.* Scio cui credidi, & certus sum, quia *tum.*  
potēs est depositum meum seruare in illum diem. Et iterum:  
Bonum certamē certavi, cursum consummaui: in reliquo re-  
posita est mihi corona iustitiæ, quā reddet mihi Dominus in  
illa die, iustus iudex, &c. Et rursus. *1. Cor. 9.* Si volens Euan- *Corona iusti-*  
gelizo, mercedē habeo, &c. Quintò, ne nimium his in rebus *tia.*  
insolescerent, indicat Christus quid illis periculi esset occurfu-  
rum. Vtpotē primò, cū eos in altum ducere iuberet, ostendit  
illis per hoc, totum mundū sese eis oppositurum, nec habitu-  
ros aliud auxilium, quā ab vno Deo. Atq; hoc factum est tē-  
pore tyrannorum & persecutorum, quo ferebatur nauicula  
inter medios fluctus: & ita iactabatur, quòd cōsistere non po-  
tuisset, nisi Deus eam conseruasset. Secundò, quòd rete trahe- *2. Tim. 4.*  
re non poterant, argumentū dabat, & figura erat, ipsis quoq;  
fidis socios defuturos. Id quod nō multò pòst experiebātur, *Philip. 3.*  
vti Paulus ait: Omnes quæ sua sunt quærun, non quæ Iesu *1. Cor. 4.*  
Christi. Itē: Omnes me dereliquerunt. Et iterum: Multi am-  
bulant: quos sepæ dicebam vobis (nunc autem & flens dico)  
inimicos crucis Christi, &c. Et rursus: Etiam si decem millia  
pœdagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres.  
De eiusmodi infidis Pastoribus multum loquitur Paulus in  
Epistolis ad Gal. & Cor. Atqui verò magnum periculum est, *Gal. 5.*  
vbi aut Pastor & prædicator nullus est, aut tales homines ha- *2. Cor. 12.*  
bētur, qui indiligētes aut infidi sunt: vt nunc etiā experimur,  
qui sanè nō minimus defectus est in Christianitate. Optimus  
Gregorius hoc idē suo quoq; conquerebatur tempore, quòd  
totus mundus sacerdotibus refertus esset, & tamē pauci inue-  
nirentur, qui in vinea Dei laborarēt. Quid nunc dicturū eum  
putamus, si in viuis esset? Attamē tolerari posset, quòd pauci  
sunt, qui in prædicationis officio laborant, modò fidi essent.  
Hic iam queritur inter dispensatores (inquit Paulus) vt fide- *1. Cor. 4.*

lis quis inueniatur. Sed vbi nunc maior infidelitas, quã in prædicationis munere? Multi profitentur se Doctores Euangelicos, & tñ nihil sunt aliud quã lupi. Vocant se prædicatores, & tamẽ nõ sunt nisi seductores, promittẽtes alijs libertatẽ, cum sint ipsi serui corruptionis, &c. Tertiõ, q̃ illis pisces rete rūpebant, figura erat, quõd hæretici scripturam essent deprauaturi, Christianã vnitatẽ dirẽpturi, se ipsos à communi ecclesia separaturi, & alios vnã cū seipsis seducturi. Hoc quãtum periculum sit, & quantũ dãni adferat, sæpẽ ecclesia experta est, experitur adhuc. Nunquã fortior est, quã cū est cõcors: nunquã debilior, quã cum est diuisa. Quarto, quõd reliqui pisces in naui tã graues erant, vt nauim penẽ submerferint, argumentum præbebat, q̃ etiã nullus tyrãnus amplius futurus esset & hæreticus, quin etiã ecclesia bonos Pastores habitura foret: carnales tamẽ sua carnalitate ita ecclesiam grauatuos oppressurosque, vt nõ rarõ in magnũ esset ventura periculum, vti sæpẽ vsus docuit & docet adhuc, quõd aliqui propter opes, potentiam & fastum suum ecclesiam disturbãt, & totã penẽ perdũt: tantũ occupant spacij, imò totã nauẽ, vt alijs nihil loci relinquatur: premũt & grauant alios, vnde dissidia & rixæ nascuntur, quæ oĩa cõmuni ecclesiæ ad periculum & magnum incõmodum cedunt. Vide, hæc oĩa Christus annũciauit suis Apostolis in hoc miraculo piscium capturæ, quæ omnia eiusmodi sunt, quæ illos scire oportebat, quia aduersum ea parati & instructi esse debebant. Neq; verò eorũ qui in vulgo numerantur, Christus oblitus est in hoc Euãgelio, sed multũ salutiferę doctrinę ijs in ea dedit, cuius partẽ aliquã cõmemorabo: vt potẽ primõ, dum piscatores post audicã concionem, rectã ad laborem mittit, & tamẽ illis laborẽ ipsorũ benẽ fortunabat, docere nos voluit, ne quisquã in Christianitate otietur: interim verò tamen etiam hoc solatij dedit, quõd eiusmodi nobis labor, quem in ipsius nomine & secundum verbum eius facimus ac suscipimus, nunquã sine fructu abire debeat. Quibus duabus in rebus haud mediocri momentum situm est: quæ tamen duo non ita multũ considerantur. Quã diligentes sumus in audiendo Christum, tam pigri sumus in faciendo secũdum doctrinam Christi. Alius prætexit, non esse necessarium: alius timet ne frustra sit. At tamen vtrobique erratur. Hoc Euangelium qui rectẽ considerat, is videt Deum nõ solũ auditores velle, sed etiã factores: videt præter-

*Nota hereticos.*

*Opera bona mercedem habebunt.*

*Factores vero sunt.*

ea etiam,

ea etiam, eiusmodi laborem premium habere copiosissimum. Petrus piscator erat, opere manuario sibi victum cōparabat: habebat quidem, quod ageret, sed Christum audiebat, atque illi etiam nauiculam suam vtendam dabat, illius iussis obtēperabat. de quo cum temporalem, tum spiritualem recipiebat mercedem. Temporaliter copiosam capiebat piscium multitudinem: spiritualiter Apostolos designabatur. Eia fratres, non frustra est, quod ex verbo & mandato Dei fit. Nec amissum tempus est, quod cultui diuino impenditur. Sunt qui putant, si vnam horam Dei cultui vacent, sibi cum suis pereundum esse: nec vident aut considerant, omnē nostrum laborem nihil esse, nisi incrementum det Deus. Diuites egerunt & esurierunt (inquit Dauid) inquirentes autem Dominum nō inueniuntur omni bono. Est igitur præcipuum, quod ad vitæ sustentationem pertinet, quod Christus ait, Querite primū regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. Contrā verò qui Deum deserit, hunc vicissim illē deserit. Vnde & Dauid dicit, frustra esse, quod ædificauimus & vigilamus, nisi Dominus Deus pro nobis ædificet & vigilet. E diuerso videmus, quod Petrus, posteaquā prædicationem Christi audiisset, & secundum illam in verbo Dei laboraret, plures pisces vno iactu capiebat, quā antea toto mense ceperat. Quod si igitur Deus etiam his pauperibus piscatoribus simplicem illorum obedientiam & promptam voluntatem temporaliter quoque tam benè remuneratus est: quomodo non mercede afficiet, si quid ex verbo, & voluntate eius boni fecerimus? Si vos, inquit, cum sitis mali, nostis bona dare filiis vestris: quanto magis Pater de coelo dabit spiritum bonum petentibus se? Si item impius homo mercenarium suum non frustratur mercede, quomodo Deus labores suorum electorum mercede frustraretur? Summa: merces nobis nunquā deerit: saltem hoc demus operam, vt iuxta illius voluntatem strenuè laboremus. Bonum facientes (inquit Paulus) non deficiamus: tempore enim suo metemus non deficientes. Hoc vnum est, quod nobis ex promiscua multitudine ex hoc Euangelio discendum est. Deindē quoque in hoc Euangelio nobis indicatum est, vbi omnium securissimi esse possimus in vasto isto & procelloso mari mundi: nimirum in nauicula, in qua Christus & Petrus sedent. Quæ rursus necessaria doctrina est, nostris

præfertim temporibus. Id quod externo demonstrari exemplo potest, hunc scilicet in modum. Qui per mare & alias magnas aquas iter facere destinat, vbi se magna bona posse cōsequi sperat, is primum de naui circūspiciat necesse est, quæ per aquam illum transportare possit: deinde vt rectè in ea se gerat: & tertio, vt nauem ad verum locum vertat & dirigat. Quorum illi si vel vnum desit, nūquam ad locum destinatum peruenit. Aquas transire, natura nostra non fert: tranare, nec id quidem nobis possibile est. Nauibus & reliquis rebus nobis opus est, quibus transuehamur, ne submergamur. Porrò etsi quis nauem habeat, quæ illum transportet, cæterum inquietus in ea esse velit: iam & se & alios perdere ac submergere poterit. Et licet tranquillus sedeat in naui, tamen si nauim per se ferri sinat, non dirigens ad verum locum, rursum non assequitur locum, ad quem venire constituerat.

*Opus habere naui.* Ita res quoque nobiscum habet. Magnam aquam habemus inter nos, & nostram cœlestem patriam: idcirco nobis nauis opus est. Pericula multa sunt in hac naui, tantò magis est, quod timeamus. Facile est aberrare à vera via: quapropter

*Timendum. rospiciendū.* oculos nostros semper dirigere nos oportet ad verum scopum, Euāgelium istud veram nobis indicat nauim, quæ nos, & omnes eos, qui illi sese committunt, per aquas procellosas omnium miseriarum & afflictionum huius mundi, quæ etiam mortis certò ducit & portat. Hæc nauis non est alia, quàm in qua Christus ipse confidit, & quæ nomen à Petro habet. Cùm Christus ad aquam veniret, hoc est, cùm homo fieret, & se in mundo visibilem exhiberet, duas quidam nauiculas ad aquam inueniebat: ij erant duo populi, Iudæi & Gêtes. Sed nunc ex his duabus, vnam fecit nauiculam, vnum

*Nauicula Petri sola nos ad portum perducit.*

*Ephes. 2.* populum, vnam ecclesiam fecit: vt Paulus ait: Fecit vtraque vnum. Et Christus ipse Ioan. 10. Fiet vnum ouile & vnus Pastor. In hac nauicula inuenitur Christus, vbi vera sagena est, ibi vera piscium captura: atque ea nos etiam indubiè ducit ad

*Ioan. 21.* veram nostram patriam. Ea est ecclesia seu Christiana concio & cōgregatio, quam Christus Petro commisit. Quisquis in hac nauicula non inuenitur, is perit dubio procul, non peruenit ad portum & veram patriam. Videntur quidem & aliæ nauiculæ in aqua: hoc est, aliæ ecclesiæ, cœtus seu congregationes etiam videntur in mundo, Iudæi habent suam congregationem, Gentes & Turcæ, similiter hæretici, desertores & schisma-

Schismatici erigunt etiam Ecclesias & congregationes: pelli- Hæretici ex-  
 ciunt & trahunt ad se omnes: promittunt hominibus eam *tra nauiculã*  
 esse veram nauem, veram & vnicam Christianam Ecclesiam: *Petri sunt.*  
 sed non est illa nauicula, in quam ascendit Christus, & quam  
 Petro commisit. Probare non possunt, suas factiones & con-  
 uenticula veram esse Ecclesiam, quæ iam inde ab initio dura  
 uit, ab initio inquam, donec ipsi venerunt: imò nec Ecclesie  
 suæ verum caput indicare possent, nullam veram originem, *Et tamen istò*  
 nullum verum traducem (vt veteres vocant) hodie sunt, ante *se hodie veros*  
 paucos annos non fuerunt, post tempus aliquod nulla eorum *Euãgelicos vo-*  
 extabit memoria. Tales nauiculæ per plures in mari, id est, ca- *cant.*  
 les Ecclesie multæ fuerunt in mundo, multos homines sub-  
 merferunt, qui se illis commiserunt.

Nos de antiqua nauicula nostra Romana Ecclesia, multò  
 certiora habemus: initium & originem illius indicare possu-  
 mus: possumus à nobis retroacta tempora numerare de anno *Vide Irenæum*  
 ad annum, de Pontifice ad Pontificem vsque ad Petrum: quæ *& Augusti-*  
 res nobis certissimum præbet argumentum, nostram nauicu- *num, &c.*  
 lam sancti Petri esse nauiculam, & Ecclesiam nostram à Pe-  
 tro, ad nos vsq; stabilem & immotam mansisse. Quod ipsum  
 nulla alia Ecclesia facere potest, quantumuis bonam præ se  
 ferens speciem: nec id facere vlla vnquam poterit. Quare si  
 securus esse vis, huic te trade nauiculæ: si in ea es, mane in ea:  
 nullius delinimentis periuasus ex ea abscedito: si excidisti,  
 omnibus modis fac, vt in eam rursus venias: alioqui certè peri-  
 sti. Sed interim memineris, quæ nauiculæ conditio sit: nimirum  
 quòd inferius versus aquam clausa, superius verò versus cœ-  
 lam aperta est. Talis esse nostra Ecclesia debet. Quæ sursum *Coloss. 3.*  
 sunt quærite, inquit Paulus, vbi Christus in dextera Dei se- *Masch. 6.*  
 det. Et Christus: Nolite thesaurizare vobis thesauros in ter-  
 ra, vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt & fu-  
 rantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cælo: vbi ho-  
 rum nihil timendum est.

Cogita secundò, nostram & vniuersalem Christianam  
 Ecclesiam, non alij nauiculæ comparari, quàm nauiculæ pi-  
 scatorie: quocirca vide, ne nauim piraticam, non nauim bel-  
 licam, non nauim mercatoriam ex ea facias. Nostra & vera  
 Ecclesia quærit animas hominum, & non bona illorum: la-  
 borem requirit, non otium: non cupit animas perdere, sed  
 seruare. Cogita & vide tertio, vt in hac naui te geras, vti

deceat, ne iterum excidas, aut nauiculam in latus inclinatum  
 supprimas: In consilium adhibe diuum Petrum in hodierna  
 1. Pet. 3. Epistola: is te omnibus vijs docebit, quomodo te habere de-  
 beas erga Deum, erga reipsum, & erga proximum tuum.

Cogita postremo, & vide, quatenus ad te attinet, & tui  
 officij est, vt hæc nostra nauicula etiam ad verum locum &  
 litus dirigatur: nimirum ad bona inuisibilia, quemadmo-  
 dum in hodierna oratur Collecta, quæ Deus præparauit di-  
 ligentibus se. Hoc necessariò quoque considerandum simul  
 est. Alioqui enim inueniuntur quidam, qui ad nauiculam  
 Ecclesiæ transcurrunt, & in ea manent, sed ob temporalia  
 solum. hæc quærunt, hæc eos in Ecclesiam adducunt, hæc  
 illos in ea detinent. Verùm longè aberrant: non norunt na-  
 uiculam rectè dirigere. Ideò admonemur hodiè, & circa  
 hoc Euangelium, inuisibilium bonorum: docemurque vt  
 ea possimus adipisci. Oratio Ecclesiæ eiusmodi est: *Deus*  
*qui diligentibus te bona inuisibilia præparasti, infunde cordibus*  
*nostris tui amoris affectum, vt te in omnibus & super omnia dili-*  
*gētes, promissiones tuas, quæ omne desiderium superant, cōsequamur.*

*Precatio Ec-  
 clesia.*

*Constāter in  
 Ecclesia ma-  
 uendum.*

Hæc vnica via est, Dei promissionum consequendarum.  
 Quòd si igitur id assequi voles, optime Christiane, quòd  
 Ecclesia hodiè suos filios docet, dispice de vera & vnica na-  
 uicula, & in ea mane. non moueat te, quòd parua est cum  
 alijs nauibus collata, quòd nunc contempta est, quòd multi  
 ex ea diffugiunt: neque moueat te, quòd multi homines ma-  
 li in ea sunt: gere te erga Deum tuumque proximum, vt  
 te Petrus docet: dirige & verte te ad æterna & cœle-  
 stia bona. Deum ora, vt amorem suum in cor  
 tuum infundat: illum sequere, haud du-  
 biè in nauicula tua saluus euades, vbi  
 alijs in suis nauibus pereun-  
 dum est. Deus det nobis  
 suam gratiam,  
 Amen.

DOMI-

DOMINICA SEPTI-  
MA POST PENTECO-  
STEN, EVANGELIUM,  
MATTH. V.

**N**isi abundauerit vestra iustitia plus quàm  
Scribarum & Pharisæorum, non intra-  
bitis in regnum cœlorum, Audistis quod di-  
ctum sit veteribus: Non occides. *Quisquis* Denter.7.  
autem occiderit, obnoxius erit iudicio, *Qui-*  
cunq; verò dixerit fratri suo, Racha, obno-  
xius erit cõcilio. *Quisquis* Exod.20.  
autem dixerit, fa-  
tùe, obnoxius erit gehennæ incêdio. Itaq; si  
obtuleris munus tuum ad aram, & illic re-  
cordatus fueris, quòd frater tuus habet ali-  
quid aduersum te, relinque munus tuum co-  
ram altare, & abi: prius reconcilieris fratri  
tuo, & tum veniens offer munus tuum.

EADEM DOMINICA EPI-  
STOLA SANCTI PAULI  
ROM. VI. CAP.

**F**ratres: *Quicumque baptizati sumus in Christum*  
*Iesum, in mortem eius baptizati sumus. Sepulti igitur*  
*sumus unà cum illo per baptismum in mortem: ut*  
*quemadmodum excitatus est Christus ex mortuis per glo-*  
*riam Patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus. Nam*  
*si in sititij facti sumus illi per similitudinem mortis eius,*  
*nimirum & resurrectionis participes erimus: illud scien-*  
*tes, quòd uetus ille noster homo, cum illo crucifixus est,*  
*ut aboleretur corpus peccati, ut posthac non seruiamus*

peccato. Etenim qui mortuus est, iustificatus est à peccato. Quòd si mortui sumus cum Christo, credimus quòd & uiuemus cum illo: sciētes quòd Christus excitatus à mortuis, non amplius moritur, mors illi non amplius dominatur. Nā quòd mortuus fuit, peccato mortuus fuit semel, quòd autem uiuit Deo. Ita & uos existimate uos ipsos mortuos quidem esse peccato, uiuentes autem Deo per Christum Iesum Dominum nostrum.

PRIMVS SERMO COMPONIT  
 impiam quorundam hominum uitam  
 cum hoc Euangelio.



QUEM in finem Christus uerba hodierni istius Euāgelij propriè dixerit, postea ostēdetur. Hac uice cōmonefacit, me infœlicis æui huius, in quo nunc sumus: facit, ut prius impiam nostram uitam cogar reprehendere, quam ad enarrationem textus ueniā. Principiò enim spes me non dubia habet, neminē inter nos tam esse rudē ac simplicem, quin intelligat, Euāgeliū istud, præter genuinū suum sensum, ad id etiā inseruire posse, ac meritò debere, ut inter nos Christianos amor & concordia conseruaretur: ira uerò, inuidia, rixa, contentio, maledictio, conuitia, sanguinis effusio, latrocinia, cōtumelia, calumniæ, &c. cauerentur. Neq; propterea apud me dubium ullū est, quin optimus quisq; Christianus in denunciatione istius Euāgelij, cum uerba, mandatū, uolūtātē & mentē Christi audiuit se intellexit, apud seipsum fateri coactus sit, fœlicē ac lætā rē esse, si iuxta uerba Christi uiueretur: cōtrā uerò, etiā ingemiscere, q̄ nostro tēpore omniū istarū rerum ad eò nihil uidetur ac deprehenditur in nobis, sed omnia planè contraria. Christus prohibet homicidium tanta seueritate, quanta nullus Moyses aut Iustinianus, nulla Iudaica aut Ethnica lex unquam prohibuit. apud nos iam penè nihil uilius est. Nulla res in lege est, quā Moyses magis exaggeret, quàm homicidiū & sanguinis effusionem. Omnē adhibet operā, ut homines à tali facinore absterreat. Indicat primò, primum maledictū, quod in hominē extra Paradisum prolātū est, causa homicidij fa-

Malitia nostrorum temporum.

micidij factum esse, vbi Deus ad Cain ait: Quid fecisti? Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nunc igitur maledictus eris super terram: quæ aperuit os suū, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. Paulò post ponit Moyses etiam generalem sententiam & iudicium Dei in omnes eos, qui humanum effundunt sanguinem. Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius: ad imaginem quippe Dei factus est homo. Imò sanguinem animarum vestrarum (inquit Deus) requiram de manu cunctarum bestiarum: & de manu hominis, de manu viri, & de manu fratris eius requiram animã hominis. In tertio libro Moyfi interdicat Deus Israëlitis, ne sanguinem alicuius bestię comederent, quò magis horrerent sanguinis effusionem. In Exodo Deus multa mandata & constitutiones fecit, qua pœna homicidiũ puniendum sit, voluntariè vel etiã ignoranter, siue ab homine siue à bestia commissum. Eo in loco dicit Deus expressè, homicidã etiam ab altari auferendum & occidendum esse. In quinto libro Moyfi rursus habetur seuerum mandatum, quid faciendum sit, si homo occisus inueniatur in agro, nec author sciatur: tum seniores ciuitatis quæ vicinior est, egrediẽtur, loturi manus suas super mortuum corpus, ac dicturi: Manus nostræ non effuderunt sanguinem hunc, nec oculi viderunt: propitius esto populo tuo Israël, quem redemisti Domine, & ne reputes sanguinẽ innocentẽ in medio populi tui Israël. Imò voluit Deus, vt nec in bello quidẽ hostes iugularentur occiderenturq; nisi pace illis prius oblata. Eiusmodi præcepta plurima inueniuntur in lege Moyfi: & hoc certè homicidiũ & sanguinis effusionẽ seuerè prohibere est, ac ei obuiare. Attamen Christus hac in parte seueriorem se præbet. Etenim in lege Moyfi is solũ cõdénatur & pœnas luit, qui homicidiũ ipso facto perficit. Irã, inuidiã & odiũ in corde, Moyses nõ punit, nec ius aliquod ciuile. Christus verò cõdénat nõ solũ homicidiũ, sed etiã irascentem: imò qui irã suam verbis aut signis prodit. Non minus seuerus est diuus Ioannes, inquitens. Qui fratrem suum odio habeat, homicidam eũ esse. Quomodo autem prohiberi res quæpiam seuerius potest, quàm cum non solũ opus, verum etiam verba & cogitationes vetantur? Si minus Christianorum est, aliquem in corde odisse: si condénatione dignum est, si quis irã suam & inuidiã verbis aut gestibus contra proximum suum declarat: quanto

magis in Christianum & comdemnabile est, si manu & opere impleat quis quod antea in corde cogitauit?

At vide, quàm nunc doctrinã istã inuertimus? Christus idè inuidiosas cogitationes, iracundos gestus, & manifestas calúnias proximi nostri prohibuit, quò minor nobis esset ad homicidiũ occasio. Cæterũ multis iã annis pleriq; nihil fecimus aliud, quã quòd verbis simul & factis, scriptis & picturis implacabilẽ irã, maleuolentiã & inuidiã erga nos inuicem declarauimus, & acerbissimè nos mutuò exasperauimus. Vnde de consequur & iã pridẽ natũ est, vt hoc tẽpore magna cũ crudelitate & sanguinis siti, ferrũ aduersus nos inuicem stringamus, nullo cogitãte, cuius spiritus simus, quẽadmodũ Christus ad suos discipulos ait: nullo etiã pensitãte, cuius discipuli vocemur: nimirũ illius, qui inquit: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Et rursus: In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionẽ habueritis ad inuicem. Nemo cogitat, quæ Christiana nostra doctrina sit: nimirũ etiam inimicos nostros diligere, benefacere his qui oderunt nos, & orare pro persecutibus & calumniantibus nos, &c. Sed hoc nemo cõsiderat. Sic igitur fit, sic fieri debet, sic oportet fieri, si cõtènatur paruũ, vt in maius facilis sit prolapsus. Quod si diabolo locũ nõ dedissemus, cũ primũ discordiam inter nos seminaret, hãudquaquã tantũ in Germania incendium nũc videremus, nec illud in dies cũ extremo nostro exitio expectare necesse haberemus. Sed tum nemo erat, qui audiret: nunc nemo est qui prohibere & flammã restinguere possit. Et tamen Christiani nobis videmur, sanguinariũ animũ & facta spirãtes. Verũ vbi est Euãgeliũ in quo Christus non solũ homicidium, sed etiam iram, comminationes, contemptum, conuitia & contumelia prohibet, idq; non simpliciter, sed sub æternæ pœnæ & gehênæ comminatione? Vbi verbum, quod Christus in hoc Euãgelio dicit: Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo? Hic audis, quòd nos Deus etiam ab altari retro mittit, nolens à nobis sacrificium & orationem recipere, quàm diu nobis malè couenit cum fratre nostro. At tamen miramur, Deum nos non protinus exaudire orantes, cùm tamen manus nostræ sanguine sint plenz.

Hoc

Hoc consideremus fratres dilecti, meditemur rogemusq; ea quæ pacis sunt. Inuenias plerosque, qui suadeant quidem *Psal. 121.* & instigent ad sanguinis effusionem. Ego verò perquã vellem me omnibus mortalibus pacis & Christianæ cõcordiæ amorem ac studium persuadere posse, quod sanè videretur mihi non solum huic Euangelio toti; ad eò sacræ Scripturæ nostrõq; nomini & vocationi consentaneũ, sed etiã Germanicæ nationi cũ primis vtile & proficuum. Meritò sanè cũ Davide *Psal. 27.* dicere & orare deberemus: Dominus fortitudo plebis suæ, & protector saluationũ Christi sui est: saluum fac populũ tuum Domine, & benedic hæreditati tuæ: & rege eos, & extolle illos vsq; in æternũ. & cũ Ecclesia in hodierna, vt vocant, Collecta: *Deus virtutũ, cuius est totũ, quod est optimũ, infere pectoribus nostris amorem tui nominis, & præsta in nobis, religionis augmentum, vt quæ sunt bona nutrias, ac pietatis studio quæ sunt nutrita custodias.* Hæc in initio dicere visum est, & conqueri de deplorata vita & moribus huius temporis. Deus nobis oculos aperiat, & omnia in melius vertat. Audiemus porrò etiã aliquid ex hoc Euangelio, breui illo quidẽ in verbis, sed mentionẽ faciente de summo articulo Christianæ nostræ doctrinæ, eũq; ita depingente, vt certè multũ dissidij & contentionum cõponi deberet, si propius Euangeliũ istud intueremur. Rogas quomodò id? Responsum multũ hodiẽ dicitur, scribitur, prædicatur, disputatur, & cõtenditur de iustificatione hominis, nec tamen alij alios rectè intelligere volunt: perpetua lis est, cùm vel hoc vnum Euangelium nos satis hac in re instruere possit. Nam hĩc stat Christus, qui summam negotij in duobus punctis constituit. Primũ est, q̃ sine iustitia *Iustitia nostra qua sit.* nemo ad cœlum peruenit. Alterum, q̃ hæc iustitia nihil aliud est, quàm obseruatio diuinorum mandatorum, & obedientia erga legem Dei. Duobus in hiscẽ punctis summa negotij versatur. Primũ demonstratione opus nulla habet. Scimus *L. 11. 13.* ex Moysẽ, omnes impuros à castris Israël arceri: scimus ex *Apoc. 21.* Ioanne, nihil quod inquinatum sit, ingressurum in cœlestem *2. Cor. 6.* Hierosolymam: similiter scimus ex diuo Paulo, adulteros, fornicatores, &c. nullam habituros partem regni Christi & *1on. 3.* Dei. Dicit & Christus ipse apertè in Euangelio; Nisi quis natus fuerit denuò, non posse eũ videre regnum Dei. Quòd autem iustitia nostra consistat impletionẽ diuinæ voluntatis, & perfectã obedientia legis eius, ex eo id primũ intelligi

potest, quod Christus ad mentionem iustitiæ, mandata Dei exponit, & multis indicat, quid lex à nobis requirat. Secundo, intelligi id ipsum potest ex eius contrario. Nam ut Deus peccato & transgressioni legis suæ, mandatorumque pœnã mortis decreuit: ita quoque obseruationi legis suæ præmium vitæ promisit. Si uis ad uitã ingredi (dicebat ad diuitẽ adoleſcentem) serua mãdata. Huc pertinet quod Paulus dicit: Non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Sic ergo totũ negotium in hisce duobus positum est. Si ad cœlum venire nobis animus est, iustos & probos esse nos oportet. Si iustos nos perhiberi uolumus, uoluntatẽ Dei facere, mandata eius & legem seruare necesse habemus. Sed oritur hĩc quæstio, quomodò & qua ratione lex impleatur, & qui seruent mandata Dei. Nostræ rationi uidetur, quod lex & mãdata Dei solis nostris externis operibus impleantur, & idcirco etiam iustitiã, solis externis ascribit operibus. Sed utrinque erratũ. Etenim primò indicat hĩc Christus clarẽ & expressẽ, mandata Dei non modò opus, sed etiam cor & animum postulare. Et si enim manu neminem occidis, nondum tamen præceptum (Non occides) impleuisti, nisi ita in charitate proximi tui constitutus & firmatus sis, ut nulla ratione erga illum immoderatus exaspereris, neque uerbis, neque factis aut signis, neque ira, neque maleuolentia: sed quis tam perfectus inter nos, qui iactare ausit, se mandatũ hoc omni ex parte perfectẽ obseruasse? Imò quis nõ uidet, & ipse fateri cogitur, se quotidie & multifariam aduersus illud ad minus uenialiter delinquere? Et tamen hoc vnum duntaxat mandatum est. Porro si mãdata Dei plus à nobis quàm externa opera exigunt, solis profectò operibus nostris non implentur, nec potest solis nostris operibus iustitia transcribi. Attamen relinquitur fundamentum positum à Christo, nos iustos esse oportere, si modò in regnum Dei venire cupimus, & iustitiam in obedientia solũ & impletione mandatorum & legis Dei sitam esse. Quomodò igitur obseruamus mandata Dei, si solis nostris externis operibus seruare ea nequimus? Utique uera fide & charitate. Et quomodò id fit? Fide & charitate coniungimur & incorporamur Christo: & is est, qui legi Dei perfectẽ satisfecit, & Patri in omnibus obediens fuit, quemadmodũ ad Iudæos dicit: Qui misit me, mecum est: & non reliquit me solum, quia ego quæ placita sunt ei, facio sem-

semper. Christo igitur per fidem & charitatem copulati, participes simus omnium eius meritorum, sicq; iustitia eius, obedientia, & impletio diuinorum præceptorum nobis communicatur, & eius gratia adiuti, nos quoque pro modulo nostro legem seruamus: & fit hoc pacto nobis quod Paulus dicit, Sicut per vnus delictum, in omnes homines in condemnationem: sic & per vnus iustitiam, in omnes homines in iustificatione vitæ. Sicut per inobedientiam vnus hominis, peccatores constituti sunt multi: ita & per vnus obeditionem, iusti constituentur multi. Hinc fit, quòd Paulus ait nos fide iustificari, non tamen sola fide, sed quæ sit cum charitate coniuncta. Tali enim fide coniungimur & incorporamur Christo, qui est perfectio & impletio legis: atque is suo spiritu adiuuat infirmitatem nostram ad exequendam legem & præcepta Dei. Non est igitur quòd putet quisquam, nos iam nihil facere debere, vt qui meritorum Christi participes sumus. Nequaquam: ex nobis ipis quidem legi & mandatis Dei satisfacere nunquam possemus. per fidem autem & charitatē participes simus meritorum Christi, atque ea compensant, quod in nobis deficit. Nihilominus verò studiosè agere nos oportet, vt mandata Dei pro viribus impleamus. Sanè inconueniens est ea conclusio, si dicamus: Christus impleuit legem, itaque mandata Dei nihil ad me: Christus impartit mihi suam iustitiam, quapropter non est, quòd iustitiæ alicui studeam. Minimè verò. Homo Christianus etiam si omnium sanctorum bona opera habeat, fiduciam tamen suam nulla alia in re præcipuè collocare, quàm in meritis Christi debet. Hæc nostra iustitia est, vt Paulus dicit. Contrà quantumcunque sciat per viuam fidem & in viuam fide Christum eiusque merita sibi communicari, omni tamen bono operam nauare debet, & tanto studio, quasi solus bona omnia efficere debeat. Hi veri Christiani sunt, & tales quoque vult Paulus in hodierna Epistola. An ignoratis (inquit Rom. 6.) quia quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? &c. Hæc Epistola nihil aliud est, quàm seuera admonitio ad omnes eos qui per fidem iustificati sunt, vt ne existiment se nihil facere amplius oportere. Non (inquit Paulus) secus ratio dicitur, secus fert baptismus noster & vocatio. Tota sacra scriptura secus fert. Sed de hoc in alijs sermonibus latius dicitur. Tantùm hac vice sufficiat.

Rom. 5.

1. Cor. 1.

Veri Christiani.

SECUNDVS SERMO DE PRIMO  
huius Euangelij uerbo, de Christiana iustitia.



**C**VM superiori anno de hoc Euangelio prædicarem, talem res nostrarum regionum præ se ferebant faciem, ut melius nihil me facere posse viderem, quam ut infelix tempus & mundi cursum, in quo tum eramus, cum verbis Christi componerem, quod omnes magis perspicerent, quam nostrum propositum, quod id temporis habebamus, doctrinæ Christi prorsus ab simile & contrarium erat, & quiuis tantò maiorem occasionem haberet Deum deprecandi, ut inuidiosum, iracundum vindictæ cupidum & sanguinatum animum ad perdendum nos inuicem, e cordibus eximeret, & tantum nobis gratiæ faceret, ut vel hoc unum Euangelium rectè intueri possemus. Hæc (inquit) prædicatio mea erat: imò querela ante annum circa Euangelium istud. Nullam reperiēbam similitudinē nostrorum morum cum hoc Euangelio. Videbam omnia verba Christi in hoc Euangelio cōspectare, ut charitate & concordia inter nos Christianos seruata, ira, inuidia, maledicta, calumniæ, conuitia, homicidia, & sanguinis effusio caueretur: videbam etiam maiorem partem inter nos Christianos, omnis charitatis & concordie oblitam esse: contra verò in tantam iram, inuidiam, amarulentiam & vindictæ cupiditatem deuenisse, ut nihil potius haberent, quam ut maledicerent, conuitarentur, contemnerent, diffamarent: nihil mallent, quam iugulare, trucidare, perdere, & funditus euertere. Id autem cum hoc Euangelio minimè conueniebat. Quapropter tantum mihi temporis non dabatur, nec oportunitas concedebatur dicendi multa de Christiana iustitia, ut Euangelij istius dignitas postulat. Faciebant infelices cursus, ut tantum de mirarer nostram cæcitatem eamque deplorarem. Nunc verò quia animi nostri ad pacem aliquantò propensiores sunt, tantò quoque plus temporis & spatij habeo, aliquantò fusius de hoc Euangelio dicendi, & præcipuè de primis verbis, quæ magni momenti sunt, & in quibus etiā totus intellectus Euangelij istius consistit ac pendet. Quid enim maius & excellentius iustitia? Quid magis necessarium ad salutem nostram? Quid autem mundus unquam tardius intellexit, & intelligere voluit, quam in quo vera & Christiana iustitia posita sit? An nō vna hodie ex

hodie ex maximis disputationibus est inter doctos? Tãtò igitur diligētius Euāgelium hoc cōsiderare debemus, in quo Christus ipse quæstionē hanc tractat. Et quis quæstionē talem determinare melius potest, quā is quē Scriptura nominat doctorē iustitię: & de quo Isaias dicit, iustitiā fore cingulū lumborū eius? Breuissimè itaq; ostendam, quid Christus in hoc Euangelio senserit, vbi loquitur de Christiana iustitia, & in quo illa cōsistat, daturus p̄ hoc cuius bono occasionē latiùs ampliùsq; ea de re cogitādi. Primò certū est, nō solum apud nos Christianos, sed etiā apud Iudæos, bonis tantū & iustis regnū cœlorū promissum esse. Quia nihil coinquinatū intrabit in illud: & foris manebūt canes & venefici, impudici & homicidæ, & omnis qui amat & facit mēdaciū. Contrā verò, gloria, & honor, & incorruptio erit omnibus facientibus bonum. Hoc indicat Christus aperte, inquis in hodierno Euangelio, sine iustitia neminē in regnū cœlorū venire. Quod ipsum & alijs in locis dicit: Iusti (inquit) ibunt in vitā æternā. & iterū: Iusti fulgebūt sicut sol in regno Patris eorū. In eundem quoq; modū dicit Ezechiel cap. 18. Iustus vita viuet. Et Sapiens: Iusti in perpetuum viuent, &c. Et rursum Sap. 3. Iustorū animæ in manu Dei sunt, & nō tanget illos tormentū mortis, &c. Et Dauid Psal. 111. In memoria æterna erit iustus. Itē Psal. 33. Oculi Domini super iustos. Et Salomō Prou. 12. In semita iustitię vita. Rursum: Iustitia liberabit à morte. Id genus sentētijs plena est Scriptura, quæ omnes indicāt, neminem posse iudiciū Dei effugere, neminē in regnū Dei venire, nisi qui iustus & iustificatus est. Christus ipse hoc indicat in primo verbo Euāgelij istius, Matth. 5. Nisi abūdauerit iustitia vestrā, &c. nō intrabitis in regnū cœlorū. Ostendens simul, nec qualibet ramen iustitię nos iustificari. Habebant etiā & Ethnici suā iustitiā, similiter Iudæi: habet itē mundus propriam suā iustitiā. De iustitia Ethnicorū quorundam ita mirifica leguntur in veterū historijs, vt etiā nos Christianos, si legamus, rubore suffundi oporteat. De quo quis speciatim Valerium Maximum videat licebit, qui eiusmodi exempla multa commemorat. Attamen talis eis iustitia non sufficiebat ad æternā salutem: alioqui Christum mori nihil necesse fuisset. De Iudaicorum Phariszorum iustitia legimus multa in Euangelio, qui multūm ieiunabant, & orabant prolixè, eleemosynas erogabant, seuerè exigebant vel minima: de-

Ioel. 2.

Esa. 11.

Apo. 21.

Apo. 22.

Rom. 2.

Matth. 25.

Matth. 13.

Sap. 5.

Prom. 10.

Matth. 6.

23.

cimabant mentam & anethum, & alia vilia: crebrò lauabant

Joan. 28. manus: in nullius Ethnici domum intrabant, &c. Sed nò erat illa vera iustitia. Quid ita? Quia propterea solù hæc faciebāt,

Matth. 6. & vt ab hominibus laudem mererētur. Sed quid dicit Christus?

7.

Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Iustitia, quam mundus infidelium adhuc habet, in eo consistit: vt alter alteri faciat, quæ admodum sibi fieri velit: & alteri non faciat, quod sibi fieri nolit: odiat mala, amet, ac colat virtutē & honestatē.

Talis iustus est coram mūdo. Sed nec hoc quidem sufficit ad fœlicitatem: imò eā ipsā iustitia est, quæ etiam olim in Ethnicis probata & prædicata fuit: per quam tamen fieri salui non

Heb. 11. potuerunt. Sine fide enim impossibile est placere Deo.

Iustitia vera.

Quæ igitur iustitia est, quæ nos ad cœlum perducit, Deo acceptos facit, & nos coram illo iustificat? Responsum: Perfecta obedientia erga Deum & legem eius, seu mandata vel præcepta. Hæc iustitiam poscit Deus. Nam vt peccatū nihil aliud est, quam transgressio diuinæ legis: ita iustitia nihil est aliud, quam legi Dei obtemperare. Et quemadmodum Deus transgressioni legis suæ prænam mortis constituit: ita quoque obe-

Æterna merces.

dientiæ erga legem suam, æternam mercedem promittit. Huc pertinet, quod Christus interrogatus, quid faciendum esset ad vitam æternam consequendam. dicit Matth. 22. Diliges Dominum Deum tuū ex toto corde tuo, &c. Huc pertinet item

1. Ioan. 2. quod Ioan. ait, Qui facit iustitiam, iustus est. Sic Ezech. c. 18. multa commemorat quæ lex à nobis hominibus requirit, dicens postremò, Qui hoc fecerit, hic iustus est, vita viuet.

Psal. 14. Facit similiter etiam David in duobus Psalmis, rogās primò, quis habitaturus sit in tabernaculo Domini? mox sibi ipse re-

Psal. 23. spondet, addens ad extremum. Qui hæc facit, nò mouebitur in æternum: imò benedictionem & misericordiã apud Deum inueniet.

Ex his omnibus perspicuum fit, iustitiam, quæ ad Deum & in cœlum nos ducit, nihil esse aliud, quàm obedientiam mandatorum Dei. Hoc iam restabit, quomodò illam iustitiam simus consecuturi: siquidem ex nobis ipsis solis eã habere non possumus.

Christus in hoc Euāgelio nò nisi vnum mandatum exponit, sed ita, vt nemo facile dixerit, se mandatum illud perfectè seruaſſe. Etenim quis tam mansuetus, quem primus iræ motus non aliquando vincat, vt erga proximum suum non ita se gerat, vt meritò deberet? Quis porò tam mitis est, qui semper mox ex animo eijcere possit inu-

iniu-

iniuriam sibi illatam, & possit protinus ei à quo læsus est, ex animo condonare? Atqui dicit Christus hîc, quàm diu nõ fecerimus hæc, vt ne cogitemus Deum nos conspecturos, nisi ea vitia prius expiètur. Hunc in modum etiam alia mandata exponit, vt potè mandatum de adulterio, de charitate, &c. Hinc apparet, in quantum Christus sua præcepta intendat, vt certè nullus sit, qui non ea præcepta vel corde, vel opere aliqua ex parte transgrediatur. Atqui dicit scriptura, nihil coinquinatum ingressurum in regnum Dei, vel Hierusalem supernam. Videte fratres, rerum nostrarum statum. Sine iustitia in cælum non venimus, Sine impletione mandatorum Dei esse iusti aut fieri nõ possumus. Nec potest quis ex seipso legi Dei perfectè satisfacere. Vnde nullus mortalium saluus fieri potuisset absque Christo, & hoc est, quod queritur David: Domine, ne intres in iudicium cum seruo tuo: quia non iusti *Psal. 142.* ficabitur in conspectu tuo omnis viuens. Eia, inquis, hac ratione omnibus desperandum fuisset. Nam si cælum adipisci non possumus nisi iusti, si iusti esse non possumus, nisi impleta lege Dei, & illam autem nemo nostràm perfectè suis viribus implet aut implere possit; sequitur ex eo, neminem nostràm saluari. Vtique frater, sic se haberet, nisi Deus per gratiam nobis auxilium procuraret. Cõclufit Deus omnia in incredulitate: vt omnium misereatur. Gratia adminiculo in cælum veniamus oportet, quandoquidè id ex solis nostris operibus non possumus. Alterius & aliena iustitia nobis succurrat necesse est, quoniã quidem propria nostra iustitia per se infirma nimis est. Rogas quomodò? Audi Paulum dicentem: *Rom. 8.* Quid impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnè, Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato dånauit peccatum in carne: vt iustificatio legis impleretur in nobis. Quia enim legem per nos implere non poteramus, Christus naturâ innocens, & qui sine omni peccato est, legi propter nos sese subiecit, eamq; perfectè adimpleuit: & eam ipsam impletionem, qua pro se opus non habebat, nobis donauit cõmunicauitque. Hoc pacto mundus à legis trãgressione liberatus fuit, per impletionem legis, à Christo factam. Sic impletio legis, quã fecit Christus, facta est in satisfactionem nostræ redemptionis. Sic dedit nobis Deus per filium suum, quod antea impossibile nobis erat. Sic nobis Christus factus est iustitia, sanctificatio, redemptio, salus & vita; *I. Cor. 1.*

implendo pro nobis legē, & sacratissima sua passione depeñdendo, quod contra legem deliqueramus: ita vt in posterum nobis Adæ filijs extra Christum nulla spes iustitiæ, redēptionis, salutis & vitæ relicta sit, & q̄ in illo vno habemus satisfactionem nostrę redemptionis. Ergo qui Christum nō habet, nec satisfactionem redemptionis & iustitię habet. Qui autem Christum re vera habet, is in illo quoq; habet causam nostrę redēptionis, & iustitię, hoc est, impletionē legis per illū factā. Nam quemadmodum per inobediētiam salutem nostrā amisimus: ita per obediētiā eandē rursus consequi nos oportet. Quia verò nemo inter nos Deo per se perfectā obediētiā præstare potuit, ecce factus Christus Iesus filius Dei pro nobis obediēs, etiā in mortē vsque, eam obediētiā pro nobis præstitit, vt per illius obediētiā Deo reconciliemur: quēadmodum antea per inobediētiā Adæ, omnes in Dei iram, & deinceps in iniustitiā & condemnationem incideramus. En, hoc modo simul inuenimus, nos certò per impletionē legis iustificari & saluos fieri. Nihilominus verò tamen verum quoque manet quod Paulus dicit, nos iustificari & saluos fieri ex misericordia, & gratis sine præcedentibus meritis nostris per Christum. Videntur quidem hæc duo pugnare, id quod scrupulum & errorem nunc inter nos gignit, eò quòd nos inuicem intelligere nolumus. Alius capit sententias, quæ indicant, nos per impletionem legis iustificari: alius sententias, quæ docēt nos gratis per Christum iustificari. Ille ait, eum qui implet scripturam, iustū esse, & qui seruat mandata, eum venire ad vitam. Quomodò igitur id sola gratia & fides facere potest? Hic dicit, scriptura habet, qui in Christum credit, eum saluum fieri, & non venire in iudicium: quomodò igitur id impletio legis efficere potest? Verum si oculos rectè aperire liberet nobis, cognituri essemus, hæc duo nihil pugnare inter se. Enimverò sanè nemo saluus fit, nisi per impletionem solam legis, iuxta tenorem scripturarum, quas supra indicauī. Sed debet (imò nec potest quidem) impletio non nostris viribus fieri: sed quod nos minus possumus, per Christum nobis debet cōmunicari, id quod mera gratia est. Nā q̄ Christus propter nos legi se subiecit, atque etiā maledictionem & pœnā in se suscepit, non id ex debito aliquo, sed ex amore tantum factum est. Sic itaque compensat Deus in nobis sua misericordia, quod ex nobis ipsis non habuimus

aut po-

Philip. 2.

Rom. 5.

hæc duo

R<sup>o</sup>.

aut potuimus: si tamen, quod nostrum est facere non omittamus. Hoc nostrum solatium est, quo iterum niti nos oportet. Hoc nostrum est Euangelium & vnicum refugium. Cōfiteri cogimur, absque iustitia neminem saluari. Fateri deinde quoque nos oportet, neminem iustum esse & fieri, nisi per impletionem legis, & obseruationem diuinorum mandatorum. Oportet tertio credere, neminem legem ex seipso impleuisse aut posse implere. Hoc autem nostrum solatium est, quod nobis Christus meritum suum donat & impartitur in ipsum ritē credentibus, & quod nobis etiam spiritum sanctum impetrauit ac dat, per quem legi etiam tantō melius satisfacere possumus. Quapropter minimē tibi desperandum est, quicūque es piē Christianus, quum tuam miseriam vides, quod tātum cōtra legē Dei admiseris, nec ei satisfeceris. Si te diabolus per hoc ad desperationē adigere conatur, & tibi inculcare, te non posse venire in regnum Dei, nisi iustus sis: nec tamē possis esse iustus, nisi totam legem & omnia mandata Dei obseruaueris impleuerisque. Hoc tibi (iniquam) si in mentem veniat, cogita apud teipsum, & dic: Scio me iniustum esse, atque ideo in regnū Dei venire non posse. Sed scio interim, quod Christus eo, quod fecit ac passus est, sua obedientia & meritis mihi persare possit ac velit, quod mihi deest. Quinimō scio, quod illū Deus propterea miserit: hoc me consolor, erigo & confirmor in hoc sperabo, inde Deo gratias agā, qui mihi & alijs hominibus per hoc clementer opem tulit. Videte fratres, hæc iustitia est, per quā salui sumus: non nostra sola iustitia, quæ nunquam tam magna & perfecta est, vt legi plenē satisfaciatur, sed meritum Christi: in hoc fiduciam collocare nos oportet, & nō in nobis ipsis. Illius passio depēdat oportet, quod cōtra legem Dei deliquimus: illius meritis sarciri nobis oportet, quod in perfecta impletione legis nobis deficit. Illius spiritu implere nos oportet, & conari, quod aliās per nos non possemus. Id quod non ab re addo, aliqui enim friuolum esset, nos passioni & meritis Christi fidere velle, & interim tamen otiosi, quin etiam spontē in peccatis manere & perseuerare. Nō frater. Christus qui tibi suum meritum & iustitiam donat & largitur, idem tibi dat quoque spiritum sanctum, vt ipse etiam legem obseruare possit, & iustitiā à Christo acceptā auctiorem perfectioremque reddere. Et hoc postremum si velis omittere, & primo tantūmodò inniti, erraueris profectō. Quemad-

*Hac piorum  
consolatio est,  
non in suis vō  
tys permanem  
tium.*

*Per gratiā im-  
plemus legem.  
In meritorū  
Christi teme-  
rarios vsurpa-  
toret.*

modum nunc plurimi faciunt, qui simpliciter opinantur: quia Christus legem impleuit, & nobis meritum suum donauit, se nihil amplius opus habere. Sed falsa eorum persuasio est. Eia fratres, non est, quod vitijs laxemus habenas propterea, sed magis gratos exhibere nos conuenit, quod Deus tam benignè nos iuuat & promouet ad regnum suum. Nonne satis est, quod per Christum nobis poenitentibus sarcit, quod neglectum erat? & quod donat nos spiritu suo, per quem bona facere possumus? Et iam tantò liberius vitijs & affectibus nostris indulgebimus, & talem gratiam ac spiritum in vacuum recipiemus? Nequaquam. Lege Paulum ad Ro. 6. & 12. capite, multò aliter inuentas. Deus det nobis suam gratiam, Amen.

TERTIUS SERMO DE  
prima parte hodierni Euangelij.

Job 5.



**N** libello Job sententia & verbum habetur, quod meo quidem iudicio, circa hoc Euangelium consideratu dignissimum est. Deus est (loquitur Eliphaz) qui apprehendit sapientes in astutia eorum, & consilium prauorum dissipat.

Per diem incurrent tenebras, & quasi in nocte, sic palpabunt in meridie. Si oculos haberemus, visuri quoque essemus iudicium Dei circa istud Euangelium. Verba quæ hinc loquitur Christus, luce meridiana clariora sunt, & quiuis simplex quid à nobis requirat, intelligere potest. Quia autem illud non de gratia Dei, sed de Dei mandatis & nostris operibus, non de fide, sed actione loquitur, atque ideo etiam ægrius auditur: acuti & versipelles quidam valde hinc laborant, quomodò id suæ factionis hominibus eleuent, & quasi nullius negocij ac momenti efficiant: sed tandem in propria sua astutia capiuntur illaqueanturque, vt nusquam promouere possint: omnes videre coguntur, eos in luce meridiana velut in tenebris oberrare, & palpare haud secus ac in intempesta nocte. Rogas quomodò: Patres nostri & veteres ecclesie Doctores Euangelium istud simpliciter intellexerunt acceperuntque, vt verba sonant & secundum textum: nimirum nos obligatos esse seruandis Dei mandatis, verumtamen non vt Iudaici Pharisei intelligebant, qui ad externum tantummodò opus respiciebant, sed vt Christus præcepta exponerebat, nimirum vt singula præcepta non solum manum & opus, sed etiam linguam, cor, & totum hominem velint habere ac postulant.

*Cæcitas Euangelicorum non  
Erorum.*

Rulent. Hunc in modum maiores nostri Euangelium istud intellexerūt, omnemque adhibuerunt operam, vt vita eorum simul illi responderet. Sed nos simplici hoc intellectu contenti non sumus. nimium laboris impendendum esset, nimis durum id esset nobis delicatis Christianis. Ideò varia mens nostra secum volutat, vt saltem difficultatem subterfugiamus. Et quia in Paulo inuenimus, quòd per legem peccatum appareat, illico opinamur, hunc vnicum esse vsum legis & mandatorum, còcludentes ex eo, Deum non propterea nobis dedisse mandata sua, vt ea sit seruare necesse, nec conari quèquã debere, vt ea seruare velit: id enim impossibile esse, nec ob id quèquam sollicitum esse debere, si ea nò seruet, quippè cum in hoc solùm data sint, vt peccata per ea cognoscamus. Hoc est nimirũ, quod vel maximè velimus: per hoc arbitramur, nos egregiè refutasse ea quæ ex hoc Euangelio obijci nobis possunt. Sed quid dicit Scriptura? Nò est sapientia, non est prudentia, nò est consilium contra Dominum. Vbi Deus ligat, nullum effugium est. Apprehendit sapiètes in astutia eorum. Nam vt maximè res ita haberet, & Deus legem suam & mandata propterea solùm dedisset, vt per ea peccata cognoscere-mus, attamen etiam sic capti & irretiti tenemur. Nã præterquam quòd Dei mandata non seruamus, non discimus quoque peccata nostra ex ijs cognoscere. Rogas qui id? Christus vult in hoc Euangelio, vt proximo nostro non solùm nò malefaciamus, sed eũ amemus etiã, colamus magniq; faciamus, ostendens nò modò peccatũ esse, occidere, verũ etiã irasci: maius adhuc peccatum esse, si gestibus illum aspernemur: & maius adhuc, si proximũ nostrũ manifesta contumelia & cõuitio incessamus. Hoc speculum est, quod nobis Christus hodiè proponit. Sed vide iam, quomodò nos in eo contemplemur, & quomodò peccata nostra ex hoc mandato discamus cognoscere. Quãdo plus homicidij, necis & sanguinis effusionis patratũ est, quã hisce temporibus? Quãdo maior inuidia, odium, ira, indignatio & amarulètia inter nos Christianos fuit, quã nũc? Quando cõuitia, contumeliaz, cõtemptus, derisio atrocior audita, quã nunc? Quãdo superbiores, arrogãtiores, inhumaniores gestus & mores visi, quã nunc? Et quod magis est, hoc non contenti sumus. nos peccasse sat non habemus, sed alios quoq; ad similia prouocamus, quoquo modo possumus, verbis, scriptis, picturis, &c. Et in his oĩbus nemo

timet peccatum, ob ea in conscientia angitur: imò nemo pro peccatis ducit. pro Christiano zelo habetur, cum tamen reuera nihil sit aliud, quam tartareum seu diabolicum odium seu furor. Vbi iam speculū, quod Christus nobis proponit? Aut hoccine est peccatū ex lege cognoscere? Hinc intelligis, quomodò nos Christus apprehēdat in nostra astutia. Persuasionem habemus, si dictum Pauli vrgeamus, vbi ait, per legem veniri

*Roma. 7.* ad agnitionem peccati, nos omnem reprehensionem aut condemnationem euasisse, etiā hoc mandato nō obseruato: ceterum res ipsa loquitur, quod hoc ipsum Pauli verbum nos apprehendit & astringit, siquidem nihilo plus hoc quam illud facimus. Patres nostri quidem agnoscebant & considerabāt

*Agnosce peccata tua? Fac ea corrigas.* peccata sua ex hoc Euangelio, sed ea etiam corrigere interim diligenter studebant, & perficere Dei voluntatem. Nihil horum facimus, at tamen abundè excusatos nos putamus. Agendum, ad tēpus id durat: sed vide interim, quomodò stare velis coram tribunali Christi, ne iūstic curuum fiat quod tibi nūc rectū videtur. Idcirco nihil melius & certius, quam vt Euangelium istud vtrisque his vijs acceptemus consideremusque. Sit nobis speculum, ex quo naeuos & maculas nostras, hoc est, peccata cognoscamus: deinde verò etiam amulsis, ad quā vitam nostram exigere & instituere debeamus. Hunc in modum quoque Paulus Euangelium istud accepit. Vnde in hodierna Epistola simpliciter id vrget, si nomini nostro & baptismo satisfacere velimus, cum Christo peccato & pristinae vitæ nos mori oportere, & in nouā vitā resurgere, illa procedere, crescere, & perseuerare vsque in finē. Tantum in genere. Nunc igitur verba aliquantò accuratius disquiremus, & ab initio incipiemus. Dico vobis (inquit Christus) Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Phariseorum, nō intrabitis in regnū cœlorū. Per iustitiā hīc omnem virtutem intelligere possumus, ita vt iustitia hoc loco tantū valeat, quantum probitas. Est autem duplex probitas, seu iustitia: Altera coram mundo, altera coram Deo. Nō enim omnis coram Deo iustus est, quem mundus pro iusto habet. Homo iustus est corā mūdo, & probus habetur, qui nihil facit, quod secundū mundanā legē & ius cōmune in illo reprehendi possit: puta qui non furatur, non prædatur, non violat coniugij fidē, pacificus est inter alios homines, Magistratui parer, facit quod facere eū decet, &c. Hic homo bonus & iustus est

coram

*Iustitia duplex.*

coram mūdo. Et de tali iustitia Philosophi scripserunt. Atq;  
 hæc iustitia per se bona & laudabilis est : quin etiam homini  
 Christiano necessaria. Nam testimonium habere nos oportet etiam ab ijs, qui foris sunt, conuersationem habentes bonam, vt qui malè de nobis loquuntur, per nostra bona opera conuicti, occasionem habeāt Deū laudandi & glorificādi. Et etiam si mala ac persecutionem in mundo pati cogamur, non debemus ob malefacta, nō tanquā homicidæ, fures aut blasphemī, sed tanquā Christiani pati, Sic etiā Christus probus & iustus erat corā mundo, vt etiam ad inimicos suos dicere nō vereretur, Quis ex vobis arguit me de peccato? Sic poterat olim etiam Samuel dicere: Loquimini de me corā Domino, & corā Christo eius, vt rōm bouē cuiusquam tulerim, aut asinum: si quēpiam calumniatus sum: si oppressi aliquem : si de manu cuiusquam munus accepi: & contēnam illud hodie, restituāque vobis. Et dixerūt: Non es calūniatus nos, neque oppressisti, neq; tulisti de manu alicuius quippiam. Sic olim etiā diuus Iob verè de seipso dicere poterat: Liberabam pauperem vociferantem, & pupillū cui nō esset adiutor. Benedictio perituri super me veniebat, & cor viduæ consolatus sum. Iustitia indutus sum, & vestiui me, sicut vestimento & diademate, iudicio meo. Oculus fui cæco, & pes claudō. Pater erā pauperū, & causam quā nesciebā, diligentissimè inuestigabā. Conterebā molas iniqui, & de dentibus illius auferebā prædam. &c. Audebat itē Paulus dicere ad suos Corinthios: Neminem læsimus, neminē circūuenimus. Demonstrans postea, se neque per eos, quod ad illos miserat, circūuenisse quēquā eorum. Hæc iustitia est, quam habere etiā coram mūdo debemus: ea bona est & laudabilis, sed nō sufficiens per se ad felicitatē & regnū cæleste: alioqui enim multi etiā Ethnici facti fuissent beati, de quibus nihil mali, sed multa bona dici poterūt, Deinde verò adhuc alia iustitia est corā Deo, per quā homo nō solū bonū nomen & laudē corā mundo & hominibus habet. sed Deo acceptus est: atque ita, vt peccata ei tecta sint, & Deus nullā poenā ab eo propterea deposcat, sed ob eā iustitiā etiā amet illū Deus. Ad eā iustitiā venire nemo potest, nisi per Christū. Si quis diligit me (inquit Christus) sermones meos seruabit, & Pater meus diliget eū. Et iterū: Ipse Pater amat vos, qui a vos me amatis, & credidistis quia ego à Deo exiui. Et rursus: Qui credit in me, in iudicium nō venit,

1. Pet. 2.

1. Pet. 4.

Ioan. 8.

1. Reg. 12.

Iob 29.

2. Cor. 7.

1. Corin. 12.

Psal. 37

2<sup>a</sup> iustitia

Ioan. 14.

Ioan. 3.

- 1. Corint. 1.** vel, nō iudicatur, vt alio in loco habet. Vnde & Paulus Christum vocat nostrā iustitiā, vt per quē corā Deo iustificamur. Ipse enim mediator est inter nos & Deum. Et absq; fide in illum, nullus vnquam Deo placuit, nec adhuc mortalium quisquam sine eiusmodi fide Deo placere potest, vti Paulus dicit.
- Heb. 11.** quā sine eiusmodi fide Deo placere potest, vti Paulus dicit.
- Ion. 16.** Et Christus ipse ad Iudæos: Si nō credideritis quia ego sum,
- Ioan. 5.** moriemini in peccato vestro. Et iterum: Qui non credit, iam iudicatus est, quia iam pridem & ab initio in Adam maledictus est. Ad hāc iustitiā vocat nos Christus, inquit: Nisi abūdauerit iustitia vestra plus quā Scribarum & Phariseorū, nō intrabitis in regnū cælorū. Quæ autem fuerit Phariseorum iustitia, indicat Paulus, vbi ait: Iustitiā Dei ignorantes,
- Rom. 10.** & suā querētes statuere. Christus adhuc clarius dicit, **Matth. 23.** Omnia opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus: hoc est, cupiūt videri probi corā hominibus, & non curant, num coram Deo probi sint. Abstinent à cibis quibusdam, sed à peccatis non temperant. Labijs orant, cor autē eorum lōgè abest à Deo. Extrinsecus sacrificant, sed intrinsecus blasphemant Deum. Lauant manus cū de foro veniūt, sed non conscientiam suam. Decimant mentam & anethum & cyminum, & relinquunt quæ grauiora sunt legis. Mundāt quod de foris est calicis & paropsidis, intus autē pleni sunt rapina & immunditia. Similes sunt sepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia. Hæc Phariseorum iustitia est, quam Christus protus reicit, & insufficientem iudicat ad ingressum in regnū cælorū. Hoc nobis bene considerandū est, ne in incertum ædificemus, & nobis ipsi persuadeamus pacē esse, vbi pax nulla est. Nam si vitam nostrā inspiciamus in omnibus statibus, iustitia nostra propemodū nihil aliud est, quā Pharisæica quædam iustitia. Atq; vtinam tantam adhiberemus diligentiam, vt iusti & probi corā Deo simus, quæadmodū interdum coram mundo speciē duntaxat & opinionē probitatis nobis conciliare studemus. Sed omnia inuertimus. Inter magnates nōnulli sibijpsis videntur probi, si per diem sacrū audiāt, & suas peculiare oratiunculas dicant, etiam si nō modò nihil agant quod eorū erat officij, sed semper rapiant, deglubant, & pauperes opprimant. Inter Ecclesiæ ministros aliqui probos & iustos se æstimāt. si in Ecclesia modico tēpore canant, deinde verò toto die verbis & operibus Deū blasphemēt. Inter or-

† Iustitia Pharisæorum.

Rom. 10.

Esa. 58.

Matth. 23.

Matth. 23.

Ezech. 13.

1. 1. 1.

Iustitia non  
yxcera in om  
niā iustitiam

ter ordinis monastici homines quidã probos se & iustos ducunt, si ordinis sui vestitũ & habitũ gerãt, tẽpore præscriptõ orẽt, ieiunent, &c. etiã si corda corũ omni religione & pietate vacent, sed toto affectu mundo dediti sint. In vulgo maior pars pro bonis & iustis se reputãt, si hoc vel illud faciant, Dominica ferientur, feria sexta carnibus nõ victitent: si in anno semel confiteantur, & sacrã synaxin suscipiãt, etiam si per totum annũ omni infidelitati & iniustitiã studeãt, mentiendo, fallendo, scœnerando, obtrectando, adulterando, &c. An non autẽ hæc res planẽ peruersa est, & pharisaica iustitia? Quid refert, si idolũ nullum colas corpore, cãterũ in pectore idolũ geras? Quid est, quod manu neminem occidis, si nõ cesses virulẽta tua lingua proximũ tuũ iugulare? Quid est, quod corã mũdo speciẽ habes iustitiã, si corã Deo iniustus sis? Quorsum attinet, te ab omnibus hominibus bonũ censerì, si cor tuum longẽ aliud tibi dicit? Sic igitur vides, quod etiam inter nos Christianos ferẽ nihil aliud est, quã Iudaica Pharisaica iustitia. Sed audi quid Deus de tali iustitia sentiat: Clama, ne cesses: quasi tubã exalta vocem tuam, & annũtia populo meo scelera corũ, & domui Iacob peccata corũ. Me etenim de die in diem quærunt, & scire vias meas volunt: quasi gẽs quã iustitiã fecerit, & iudiciũ Dei sui nõ dereliquerit, rogãt me iudicia iustitiã: appropinquare Deo volunt. Quare, inquit, ieiunauimus, & nõ aspexisti: humiliamus animas nostras, & nescisti? Contrã autẽ dicit Deus. Nunquid tale est ieiunium quod elegi, ab escis duntaxat, & non etiã à vitijs abstinere? &c. Vide hoc verbum latius in Isaia, similiter quoque primum caput in eodem Propheta. Eundem quoque in modum Christus hic loquitur de iustitia. Dico, inquit, vobis, ego cui Deus omne iudiciũ dedit, nisi abundauerit iustitia vestra plusquã Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Perinde ac si dicat: Si in cœlũ venire cupitis, amplectimini iustitiã: quoniã per nullam aliam viam eõ venietis, sed arripite verã iustitiam, quã non in externis duntaxat rebus consistat: *Orare.* vt si orare vis, non solũ os loquatur, sed erige cor tuum ad Deum. Si ieiunare vis, abstine non modò à cibis, sed etiã, imò *ieiunare:* multò magis à peccatis. Si confiteri vis, & peccata tua explicare, fac vt id nõ solũ ore fiat, sed vt ex animo proficiatur. *Confiteri.* Si Deum laudare vis, vt illum non solũ ore, sed corde etiam *Laudare* laudes. Summa, si aliquid boni facere extrinsecus vis, cura *Deum.*

Esa. 58.

Matth. 5.

Ioan. 5.

*Vera iustitia.* vt bonus etiam sis in corde: alioqui hypocritis est quã excratur Deus. Hęc vera iustitia est, intrinsecus Deo placere, & extrinsecus proximo exẽplum pietatis pręferre. Intus arde-  
*Ioan. 5.* re per fidem in Christum, & exterius per bona opera lucere erga proximũ. Per hanc iustitiam venit ad regnum cœlo-  
 rum. Deus det nobis suam gratiam, vt veram iustitiam amplectamur, & in ea perseueranter ambulemus, Amen.

## Q V A R T V S S E R M O D E altera parte huius Euangeliij.



**H**ODIERNVM istud Euãgeliũ per totũ agit de Christiana iustitia, sed metã nobis tã lögẽ figit & scopũ tã altẽ, vt diligẽter circũspiciendũ sit, quomodò illũ assequamur. Duo nobis Christus proponit pro speculo. Primò iustitiam Iudaicorũ Pharisęorũ, quę corã mũdo magnę erat existimationis, quia plus laboris sudorisq; extrinsecus impẽdebãt cęteris hominibus. Attamẽ vult Christus, vt iustitia nostra illorũ iustitiã pręcellat. Secũdò proponit nobis mãdata Dei, eãq; exactissimẽ exposita, & summẽ intẽsa. Et hoc etiã precipuũ est, hoc nos omniũ maximẽ vrget, Si nõ alia nobis cogitãda essent, quã quo pacto Pharisęorũ iustitiã superare possimus, nõ ita magno op' esset labore. Licet em̃ iustitia corũ magnã speciẽ habebat extrinsecus, nõ erat tamẽ ea validẽ magna in corde. Quòd autẽ Christus mãdata Dei nõ solũ ad externũ opus sed etiã ad cor, cogitatiões verba & gestus refert & exponit, & tãta cũ seueritate, vt vniciq; suã adijciat pœnã, hoc homini Christiano diligẽter considerandũ est: maxime nũc istis tẽporibus, vbi res omnes tã leniter instituũtur, vt pauci inueniantur etiã inter nos Christianos, qui cum Iudæis paria faciãt in exercenda iustitia: tantum abest, vt mãdata Dei ea diligentia seruemus, vt hĩc indicatum est.

*Ignavia nostra.*

Quærimus quidẽ effugiũ vbicunq;, & quacũq; possumus ratiõc. Si vrgemur exẽplo Iudæorũ, vt probiores, meliores, perfectiores simus, & in omne bonũ maiori studio incumbamus, quàm illi, hoc nostrũ effugiũ est: Ha (dicimus) nostra iustitia posita est non in factis, sed in fide. Si vrgemur mãdatis Dei, hoc nostrũ effugiũ est: Ha (dicimus) mãdata non in hoc nobis data sunt, vt ea seruare oporteat: nec seruare quidẽ possumus. Christus ea pro nobis seruauit: idẽ tantũ nobis re-

bis relicta sunt, vt nos per ea tanquã miseros peccatores agnoscamus. Atq; ita vtrinq; effugium habemus: sed interim videamus ne nos ipsos decipiamus. Facile quidem dici potest, nostram iustitiam nõ in factis, sed in fide sitam esse. Item, per legem cognosci peccatum. At vide vt rectè ea intelligas. Etenim primò, cù loquimur de initio iustitiæ, verù est, eiusmodi nostram iustitiam in viua fide consistere. Solæ enim actiones nostræ nos probos non faciunt seu iustos corã Deo: imò omnis nostra actio inanis est, nisi antea probi & iusti simus; quemadmodum arborẽ prius bonam esse oportet, si bonos fructus ferre debeat. Quòd si hoc modò intelligimus iustitię nostræ initium non in actione sed in fide consistere, nulla est controuersia, Sin sic intelligere lubet & accipere, vt ad perfectam iustitiam nihil pertineat aliud, quàm sola fides, & mox vt quis credat, nõ opus esse, vt amplius circumspectat, Deum non curare actiones seu opera, &c. indubiè falsum est, & à vero remotissimum. Siquidem Scriptura hæc duo passim & simul tractat, nunc fidei, nunc operibus iustitiam transcribēs. Vti cùm Paulus dicit: Iustus ex fide viuit. Et iterũ: Iustificati ex fide, pacẽ habeamus ad Deum, &c. In his & similibus verbis, iustitia fidei transcribitur. Contrà verò quod Paulus dicit, Non auditores legis iusti sunt apud Deum: sed factores legis iustificabuntur. Et quod Ioannes ait. Qui faciunt iustitiam iustus est. Et quod Ezechiel ait, Vir si fuerit iustus, & fecerit iudicium & iustitiam, & vxorem proximi sui non violauerit, & hominem non contristauerit, pignus debitori reddiderit, per vim nihil rapuerit, panem suum esurienti dederit, & nudum operuerit vestimento, ad vsuram non cõmodauerit, & amplius non acceperit: hic iustus est, vita viuet. In his & id genus verbis, iustitia operibus transcribitur. Quã ob rem breuem informationẽ audi de Christiana iustitia. Primò certum est, nos per fidem in Christum ex gratia, per sanguinem quem Christus in cruce & in passione sua fudit, iuxta diuinum propositũ, absq; omni præcedente iustitia, sanctimonia opere, aut meritis, Deo recõciliatos, ab æterna morte redemptos, filios Dei & regni eius hæredes factos esse, ita vt nemo nostrum aliquid habeat, de quo coram Deo gloriari possit, tanquàm ipse primam hanc iustificationem meritus sit. Ex charitate enim nos ad hæc bona adduxit, cùm tamen adhuc inimici essemus, & iaceremus in cœno incredulitatis & pec-

Rom. 7.

Mattb. 2.

Rom. 4.

Rom. 1.

Rom. 2.

1. Ioan. 2.

Ezech. 18.

Eph. 2.

catorum cū essemus filij iræ, tenebrarū & diaboli mancipia: fecit id omne ex mera misericordia, & quò omnibus tēporibus laudaretur prædicareturq; , vt qui diues est in misericordia. Quia ergo hæc omnia credidimus, & etiamnum credimus & accipimus, corā Deo iustificati sumus in Baptismo, hoc est, probi & iusti habemur pronunciamurq;. Hæc prima est iustitia vel iustificatio. Huc pertinēt sentētiæ de fide, gratia & meritis Christi. Quā iustitiam vbi cōsecuti sumus, illud meminisse debemus, Qui iustus est, iustificetur adhuc. En, hīc audis de alia insuper iustitia: Qui iustus est per fidem, iustificetur adhuc per bona opera. Et qui sanctus est per fidem, sanctus fiat adhuc, & sit vita: id quod pertinet ad perfectam iustitiam. Vult enim Deus populum sanctū, vt sanctus & ipse est. Tum Christus sponsam habere vult, non habentē maculam & rugā, sed sanctā & immaculatā. Spiritus sanctus vult

*1. Cor. 6.* templa incontaminata, Christus vult filios industrios, assiduos & zelosos erga bona opera. Imò propterea se Christus

*Tit. 2.* in mortē tradidit pro nobis, vt deinceps nō nobis viueremus

*2. Cor. 4.* sed ei qui pro nobis mortuus est. Idē mortuus est & resurrexit à mortuis, vt in posterū etiā nos peccato moriamur, & iustitiæ viuamus. Huc pertinēt omnes reliquæ sentētiæ, quæ de bonis operibus & vitæ sanctimonia loquuntur, & nos ad eam adhortātur. Hæc duo vbi cōcurrunt, vt primò credamus, & deindē etiā ex fide secūdem voluntatē Dei ambulemus, integra perfectāq; Christiana sit iustitia, quæ per fidē incipit, per charitatē verò & bona opera perficitur. Hīc demū apparet. S. Paulū & S. Ioannē rectē dixisse: Paulū, vbi inquit, Rom. 3. Arbitramur iustificari hominē per fidē sine operibus legis:

*1. Ioan. 3.* Ioannem autē vbi ait: Qui facit iustitiā, iustus est. Hinc intelligere facile est, de qua Christus iustitia in hoc Euangelio loquatur. Sancti Apostoli iam habebāt iustitiā fidei, Deo accēpti erant propter viuā fidem: quemadmodū ipse Christus dicit, Pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis quia ego à Deo exiui. Et iterum: Iam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis. Imò Petrus ob fidem suam etiam beatus dicebatur, Matt. 16. Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, &c. Attamen dicit hīc Christus ad illos: Nisi abundauerit iustitia vestra plusquā Scribarū & Phariseorum, nō intrabitis in regnum cœlorum. Videmus hīc certē, eum nō de fide, sed de bonis ope-

bonis operibus loqui. Id quod totus textus huius Evangelij demōstrat. Nam paulò antè dicit Christus, Sic luceat lux vestra corâ hominibus, vt videant opera vestra bona, &c. Mox sequuntur verba Euāgelij hodierni. Erit itaq; sentētia perinde ac si dicat: Si habetis fidem viuam, & in fide iustitiam, imò Deum & omnia bona; de altera parte etiam cogitate, videre, vt iustitia vestra perfecta sit. In Pharisæis vtrinque defectus erat: Non credebant nos propter Christū acceptos fieri: tum eorū opera nihil erant aliud, quā species quædam & simulationes; id eōq; iustitia eorū nihil valebat corâ Deo. Verū nobiscum alia res est: vtrisq; in locis & meliores & perfectiores nos esse oportet Pharisæis, si modò in regnū Dei venire volumus. Nam sine fide impossibile est placere Deo. Nec quisquā intrabit in regnū Dei, etiamsi semper habeat in ore, Domine domine, nisi faciat voluntatē Dei. Hoc diligenter consideremus, ne nos ipsos decipiamus seducamúsq;. Certa via est, vt primū vrgeamus iustitiam fidei, deindè verò etiam iustitiā operū & vitæ, Sic fecit Christus: sic fecerūt omnes Apostoli, vt in illorum Epistolis clarissimè videre est. Satis de initio Evangelij: audiemus iam quid Christus amplius dicat, & quomodò bona opera doceat: Audistis, inquit Matth. 5. quia dictum est antiquis, Non occides, qui autem occiderit, reus erit iudicio. His verbis incipit Christus mandatum de homicidio explicare & exponere: id quod in alijs quoque mandatis facit similiter. Hoc factum primò propterea est, vt Pharisæorum reprehenderetur præsumptio, eisque indicaretur, etiā ipsos, quantumuis mūdo & sibijs probi viderētur, corâ Deo tamē æquè peccatores esse, & gratia Seruatoris opus habere, atque alios homines. Alioqui enim sibijs benè placebant, boni iustique sibijs videbantur, & ab omnibus tales æstimari & haberi volebant. Hoc sibi volebant lata eorum phylacteria in eorum vestibus, prolixæ eorum preces, quotidiana ieiunia, fastuosæ ac pompaticæ eleémosynæ. Honorificari volebant ab hominibus, inquit Christus. Ideò illis Christus præcepta Dei exponebat, vt peccata sua tanquàm in tabula depicta, melius viderent, & deinceps etiam verba & doctrinam Christi eò citius acciperent: qua quidem in re summus amor & bonitas Christi apparet, vt qui nō solū ægrotos sanat, sed etiā ijs qui sibi sani videbantur, morbū eorum, quē ipsi videre nō poterāt, manifestat, quo etiā citius medi-

Hebr. II.

Matth. 7.

Matth. 23.

Matth. 6.

*Primus gra-  
dus salutis.*

*Apo. 3.  
Psal. 129.*

2<sup>o</sup>

*Augustin.*

*Matth. 15.*

3<sup>o</sup>

*1. Reg. 16.*

cùm quærent. Etenim primus gradus ad sanitatē est, cùm quis morbū suum agnoscit. Primus gradus ad salutē est, peccata sua agnoscere. Nam qui se ægrotum intelligit, hoc citiùs medicū quærit. Qui peccatū suum agnoscit & videt, illicò intelligit, se in Dei iram & pœnā incidisse: incipit itaq; timere. Ex timore autē clamor ad Deū oritur. Nec prius homo iustitiam, remissionē peccatorū, & gratiam Dei accipit, quā fame eius & siti, hoc est, magna cupiditate & desiderio teneatur. Atqui homo peccata sua videre nusquā melius potest, quā in cū mandata Dei sibi ipsi ob oculos ponit. Per legē, inquit Paulus, Rom. 7. cognitio peccati. Proindē quisque vitā suā amā cōferat: cū mandatis quę Christus hīc exponit, videbit quā pauper & egenus, quā cæcus & nudus sit. Vnde cū David dicit & orabit: Si obseruaueris iniquitates Domine, Domine quis sustinebit? Et iterū: Psal. 142. Domine nō intres in iudicium cū seruo tuo, quia nō iustificabitur in cōspectu tuo omnis vis uiuens, Secūdò explanauit Christus mādāta Dei, quò nobis indicaret, quid Deus in talibus mādatis à nobis requirat. Nimirū non solūm externū opus, verū etiam cor, imò totum hominē. Cor enim seruat & transgreditur mandata, & nisi adsit cor, nullum mādātū vnquā impletur. Quapropter etiā Christus dicit ad Iudæos, Ioan. 7. Moyses dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legē. Ideò dicit, quia mandata externis solū operibus, imò specie implebant, cor eorū longē aberat. Cōtrā, nisi etiā cor eorū cum opere coniunctū sit, eiq; cōsentiāt, nulla transgressio ibi est. Ex corde enim oritur bonum & malū. Ad eò nanq; peccatū est voluntariū, vt nisi voluntariū sit, nullū sit peccatū. Quocircā Christus primū ipsam verā radicē attingit. Quippē vbi cor renouatū non est, semper repullulat lolium, quantūcunq; eradicetur, nisi cum radice excidatur. De corde (inquit Christus) exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, &c. E diuerso autē, vbi cor renouatū est & iustificatū, omnia bona inde exeunt. At qui cor à Deo mūdatur iustificatūq; vti David ait: Psal. 50. Cor mun dū crea in me Deus. Quā ob rē qā Christus à corde incipit nos homines rectificare, vult etiā nos ad se inuitare, perindē ac si dicat: Ego sum qui cor mūdo: idcirco petite & accipite illud à me, &c. Tertiò, itē Christus per id, quōd mādāta exponit, indicare voluit, quā magnū sit discrimen inter diuinū & humanū iudiciū. Homo enī iudicat solū secundū externa: Deus au-

Deus autem inspicit cor. Fieri autē potest, ut qui occidit aliquem, coram Deo homicida nō sit. Contrā verò, is qui quidem manum proximo suo nō affert, homicida tamen coram Deo sit. Hinc itaq; liquet, Deum non ad manū, sed ad cor respicere. Alioqui secundum externū opus, nullum discrimen est inter homicidiū quod voluntariē fit, & homicidiū quod ignorāter, & non animo deliberato cōmittitur. Iudicabit igitur Deus potissimū secundum cor. Huc inseruit quod Christus dicit. Non quemuis intraturū in regnum cœlorum, qui *Matth. 7.* dicat, Domine Domine: imò venturos multos, qui magna iactabunt, quos tamen nolit agnoscere. Sed verbā ipsa iam tractando suscipiamus. Audistis, inquit, quia dictū est antiquis. Non occides, loquens indefinitē, nullam nominans personā, quis id antiquis dixerit aut prædicauerit, sed id facit propter eā, quò minus quis verbis istis offendatur. Nam si dixisset, Pater meus hoc ad antiquos locutus est, ego autē aliter dico: cogitare quis posset, eum aliam daturū legem, quā Deus antea dedisset: imò cogitare quis posset, illum velle Dei legem reprehendere & emendare? Quòd si dixisset, Ego hoc ad antiquos locutus sum, rursū homines opinati fuissent, & vellet ipse sui præconium canere, tantōq; contemptibilia eius apud illos fuissent verba. Ideò loquitur indefinitē. Audistis quia dictū est antiquis, Non occides. Hoc inuenis in multis locis legis. Alterum quò sequitur, Qui autem occiderit, *Exod. 20. Gen. 9.* reus erit iudicio, similiter multis inuenitur in locis. Sequitur: Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Hic observa discrimen inter Christum & Prophetas. Erant missi serui: propria authoritate loqui nihil poterant, quin adderent, Hæc dicit Dominus. Christus autem poterat & audebat dicere, Ego dico. Erat enim filius Dei, ipsemet dominus erat. Solus erat venturus interpret legis: solus nouerat voluntatem Dei, & solus erat, cui Pater omnia in manus dederat. Quæ quidem de causa hæc & alia eius *Ioan. 13.* verba, accipere nos tanquā certa & infallibilia verba oportet.

Omnis qui irascitur fratri suo, inquit, reus erit iudicio. Hic vides quòd Christus legem non soluerit: nec enim ideò venerat, ut eam solueret, sed ut impleret. Nam non irasci, haudquaquā contra istud Dei præceptum est, per quòd *Matth. 5.* tale præceptum impletur. etenim quem ira non vincit, is ad homicidium non faciliè peruenit. Imò qui radicem arbo-

ris excidit, securus est, quòd rami non iterum frondescent. Atqui ira vera radix est homicidij: qui enim non irascitur, neminem occidit. Tolle iram, & non erit amplius homicidium. Veruntamen obserua, Christum non de quauis ira loqui.

*Ira à Christo  
damnata.*

Exoritur enim nonnunquàm ira in homine absque animi consensu, sicuti nullus homo sine huiusmodi affectibus & motibus est: sed de illa ira loquitur Christus, in qua quis ita incandescit & efferuescit, vt animo deliberato alterius dñum notabile aut necem appetat, vindictam moliens, atque hoc pa-

*Odiu.*

cto ex ira veniens in odium proximi: quippè cum odium nihil sit aliud quàm ira inueterata. De hac ira loquitur Christus. Nam qui sic irascitur fratri suo, vtique iudicij reus est, quia

*1. Ioan. 3.*

coram Deo homicida est, vt Ioannes dicit. Et non immeritò iudicij reus est, nam primus ad homicidium gradus est ira, vt in Cain apparet, de quo scriptura dicit. Genes. 4. Iratus est vehementer, & concidit vultus eius. Hoc homicidij principium erat. Homicidium quidem nondù perfecerat, sed mortis reus erat coram Deo, quia eadem animo conceperat.

Hoc obserua tu hypocrita, qui in alijs hominibus nonnunquàm vel minima iudicas & condemnas, cum tamen tu peccatore tuo liuorem & odium alas, & idcirco homicida es co-

*Luc. 6.*

ram Deo. Hypocrita, eijce primùm trabem de oculo tuo: & tunc perspicies, vt educas festucam de oculo fratris tui. Sed vnum adhuc obserua, quòd Christus non simpliciter dicit, Omnis qui irascitur, reus est iudicio: sed, Omnis qui irascitur fratri suo. Alioqui bona ira est, qua quis peccatis irascitur.

*Ira laudabi-  
lis.*

Imò si quem non mouet, & ad iram seu animaduersionem non trahit, cum audit Deum blasphemari, is sanè charitatem Patris non habet: si quem porro non mouet, cum videt, quòd proximus per peccatum sese ledit in anima, neque is profectò

*2. Cor. 5.*

charitatem aliquam erga proximum in se habet. Vbi autè vera charitas est, ibi peccatis quidem succensumus, sed tamè pro-

*Luc. 19.*

ximum diligimus. Sic Christus magno ductus zelo eiciebat euentes & vendentes è templo: aliàs verò ex commiseratione

*1. Cor. 5.*

flebat super ciuitatem Hierosolymam. Sic irascebatur Paulus fornicatori inter Corinthios agenti, tradens eum Satanæ: veruntamen adhortans alios Christianos, vt homini illi iam

*Exod. 33.*

correcto, charitatem exhiberent. Sic irascebatur Moyses idolatriæ aurci vituli, vt ira percitus tabulas legis proijceret frangeretque, & supra id quoque viginti tria millia hominum è

num è medio tolli curaret. At nihilominus orabat ad Deum: vt eis peccatum illud cõdonare dignaretur. Quapropter hac in re exemplum tibi cape à cane, qui ignotos allatrat, domesticis verò blanditur. Oues non lædit, non deuorat, etiam famelicus: lupis autem non parcit, etiam satur. Sic & tu facere debes. Proximum tuum diliges, & tanquàm pro domestico & cohærede tuo agnosces. Verùm si quid alieni, quod Christianum non deceat, in illo conspicias, ibi irasci debes, latrare & corripere: & nunquàm ita diligere proximum tuum, vt etiam ad peccata eius taceas. Contrà verò, nunquàm ita peccatis irasci debes, vt charitatis erga proximum tuum obliuiscaris, &c.

*Proximus  
amandus, &  
eius vitia odio  
habenda.*

## Q V I N T V S S E R M O

*de tertia parte Euangelij.*



**C**IRCA hodiernum istud Euangelium, in quo Christus tam significanter & pulchrè loquitur de Christiana iustitia, non immeritò demirari quis possit, quòd inter nos, Christianos tamen, de hoc articulo cõtrouersia adhuc est: imò quòd tot annis, & quandoquè magna bile, nec non multa contumelia & atrocibus conuitijs, de Christiana iustitia disputauimus, scripsimus & prædicauimus: & tamè nihil est, quod minus in nobis videtur, ac deprehèditur, quàm Christiana iustitia. Nihil vtrinq; est, quod pleriq; minus in opus cõferre cogitamus. Vnaquæque pars videtur sibi habere veram doctrinã de Christiana iustitia: interea verò vtrinquè nihil propemodùm, nisi mera iniustitia in vita & moribus apparet. Non est veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra (inquit Osee) sed maledictum & mēdaciū, & homicidium *Ose. 4.* & furtum, & adulterium inūdauerunt, & sanguis sanguinem tetigit. Iniquitates nostras (inquit Isaias) cognouimus, nimirum peccare, & mentiri cõtra Dominum, & auersi sumus ne iremus post tergum Dei nostri, & loqueremur calumniam & transgressionem, concepimus, & locuti sumus de corde verba mendacij. Et cõuersum est retrorsum iudiciū, & iustitia lōgè stetit: quia corruit in platea veritas, & æquitas non potuit ingredi. Circuite vias Ierusalè (inquit Hieremias) & aspici- *Hier. 5.* te, & quærite in plateis eius, an inueniatis virum scientem iudiciū, & quærentē fidē. Non est qui faciat bonū, ait

**Psal. 13.** David, non est vsque ad vnũ. Omnes declinauerũt, simul inu-  
tiles facti sunt, &c. An non autem nunc in nobis Christianis  
idem videtur, & quidẽ omnibus in locis: ita vt nemo non faci-  
lẽ videat hĩc & intelligat, quã probrosum nobis sit apud ex-  
teras nationes, q̃ tam cõtentiosẽ de iustitia disputamus, & ta-  
men omnibus in rebus iniustitiã sectamur? Sed quorsum atti-  
net, aliquẽ rem quãpiam acerrimẽ defendere contra aduersa-  
rium suũ, tãquã rectam & bonã, nec digito tñ eam attingere?

**Luc. 12.** Quorsum attinet, te bona multa scire, nisi ea facias? An non  
Christus expressẽ dicit, Seruus qui cognouit volũtatem Dñi  
sui, & nõ se preparauit, & non fecit secundum voluntatẽ eius,

*Christiana iu-  
sticia eius fa-  
ctis declaran-  
da.* vapulabit multis? Christiana iustitia non solũ disputari, præ-  
dicari, cognosci & credi vult, sed etiam ipso opere exhiberi.  
Tẽpus igitur esset, vt contẽtionibus & disputationibus omif-  
sis, iustitiam ipso opere aggredieremur. Satis vtrinqũ nos in-  
uicẽ intelleximus, ipsum opus & energia adhuc semper re-  
linquitur. Et tamen hoc est, quod Christus potissimum vrget  
in hoc Euangelio: iustitiam à nobis exigit, sed peculiarem &  
perfectam iustitiam, & nõ quandam simulatã iustitiæ speciẽ:  
alioqui varia iustitia est. De Ethnicis quibusdam mirifica legi-  
mus, quanta solertia omni iustitiæ coram mundo studuerint.  
Iudæi sibiipsis fingebãt propriam quandam iustitiam ex frigi-

**Rom. 10.** da obseruatione legis, de qua Paulus dicit: Ignorantes iusti-

**Matth. 23.** tiam Dei, & suam quærentes statuere, &c. Pharisei etiã præse-  
ferebãt quandam probitatem ac iustitiã: sed tamẽ nihil aliud  
erat quam species, vnde etiam comparat illos Christus sepul-

**Matth. 5.** chris dealbatis. Ad nos autem dicit, Nisi abundauerit iustitia  
vestra plusquam scribarum & phariseorum, non intrabitis in  
regnum cœlorum? Atque hĩc obserua, quòd Christus nõ mo-  
dò phariseorum simulatam iustitiam reijcit, sed etiam scri-  
bas cum ipsorum iustitia, quam ipsi sibi temerẽ arrogabant  
ex lege. Cũ itaque Iudaica illa iustitia nulla sufficiat ad re-  
gnum cœlorum, neque Gẽtium iustitiã suffecisse credere par  
est: & eo minus, quia hi in incredulitate erãt, & nihil certi de  
Deo habebãt. Hĩc nobis Christianis circũspectione opus est:

vt veram iustitiam apprehendamus, si modò in regnum cœ-  
lorum venire desyderemus. Rogas quæ illa iustitia sit? Re-  
spondeo: In conscientia mundum esse à peccatis, & cum ala-  
critate ambulare in lege Dei. Hæc vera est iustitia, quæ coram  
Deo valet & subsistit, & cœlum penetrat. Hanc neque Iudæi  
neque Gen-

*Iustitia vera.*

neque Gentes habuere. Iudæi quidē ambulabāt in lege Dei, sed cum rædio & molestia: Gentes nihil sciebant de lege Dei, præterquàm, quòd aliàs in peccatis erant & manebant. Nostra iustitia in corde incipiat oportet, & extrinsecus in opere se declaret. Cor mūdum esse oportet coram Deo. Quicquid porrò secundum legem Dei facimus, id cum alacritate fiat ne cesse est. Ad hæc autem alieno indigemus auxilio, nihil enim horū ex nobis ipsis habemus. Cor mundū crea in me Deus (inquit Dauid.) Et iterum: Viam mandatorum tuorum curri, cū dilatasti cor meū. Vide, propterea nobis Deus Christum dedit, vt per eū ad verā iustitiam peruenire queamus, & deinde etiā peruenire ad regnum cœlorū. Christus enim auferit à nobis peccatum, & sanctū nobis largitur spiritum. Ideo etiā vocatur nostra iustitia. Absq; illo enim veram assequi iustitiam nemo poterat: quia naturā pleni peccatis & filij irę sumus. Quisquis igitur iustitiā habere vult ad regnum Dei ducentem, is ita vt oportet, quærat apud Christū remissionem peccatorum & spiritum sanctū. Quæ duo si habeat, alacriter faciet, quod bonū est, & Deo placet: semper tenebitur amore legis Dei, & cū gaudio curret viā mādatorum Dei. Huc inseruit, quòd nobis Christus statim ad mētionem iustitiæ incipit mandata Dei exponere. Inter illa autē proposuit primū sibi hoc præceptum. Nō occides, & nobis id indicauit, mādatum illud non solū violari externo & corporali homicidio, sed etiā ira, dedignatione & contēptu nostri proximi. In his peccatis aliquot gradus sunt. Primus est, irasci in corde. Alter est, irā & animi indignationem externis verbis & signis exhibere, id quod aliquanto maius est, quam irām solū in corde & clam sentire. Tertius est, apertis verbis proximum conuicijs lacerare: quòd ipsum rursus maius est & grauius, quàm duo illa priora. In primo solū ira est: in altero ira & vox seu signum, ex quo ira deprehenditur: in tertio ira est, & signum iræ, & præter hæc etiam manifesta calumnia & conuicium. Ideoque Christus triplicem ponit pœnam: nominat iudiciū, concilium & gehennam. Hic vtrique semper aliud alio maius est. Qui sistitur iudicio, ei tempus & locus datur defendendi sese. In concilio dicitur sententia, contra quam nulla excusatio amplius valet. Gehenna autem certa condemnatio est.

Ad hæc, pergunt Christus dicere: Qui autem dixerit fratri suo, rhaca, reus erit concilio. Rhaca est interiectio indi-

gnantis, aut vox ab irato prolata, quæ interdum tanta est, efficitque, vt homo verbum rectè proloqui nullum possit: frendet & feruet instar canis. Per hanc voculam intelliguntur, siue signa siue gestus, quo quis iram seu animi impotentiam indicat. Talis proximior est homicidio, quàm prior ille, qui in corde solùm irascitur & cōmotus est: & ob id etiam hic alter non solùm reus est iudicio, vbi adhuc purgare se posset, sed etiam concilij: sententiæ se reum facit, vnde appellare non possit & effugere. Hinc rursus apparet, quantum humanum iudicium plerunquè fallatur. Quis enim cogitasset aut cogitare potuisset, verbum leue, iracundiæ gestum seu signum, tam graue peccatum esse? Iudaici Pharisei non putabunt se hoc mandatum. (Non occides) transgredi, aut in illud delinquere, nisi in fratrem suum Christum potenter manum iniicerent, etsi incredibile, perpetuum, & indefinens odium aduersus illum gerebant: quin etiam verbis illum multifariam conuiciarentur criminarenturque: ac insuper etiam Gentibus illum non solùm tradebant deridendum, sed etiam flagellandum & crucifigendum. In hisce rebus (inquàm) non existimabant se aduersus hoc mandatum peccare, vnde etiam ad proditorem Iudam dicebant: Quid ad nos, quòd sanguinè iustum tradideris in mortem? tu videris.

*Matth. 20.* Christus autem multò aliter loquitur ad Pilatum: Qui me tradidit tibi, maius peccatum habet. Illi verò (vt dixi) pro nullo id peccato ducebant, arbitantes, si Pilatus Christum in sua potestate haberet, in illum solum culpam recidere, & in proditorem. Sed tum peccatum metuebant, si illotis manibus comederent: quòd ipsum etiam in discipulis Christi carpebant. Sic etiam pro peccato reputabant, si in die Paschæ in domum Ethnici ingressi fuissent. Cæterum, quòd sanguinem innoxium per alienas manus effundebant, pro nullo reputabant peccato. Quid autem hoc erat aliud, quàm mentham & cyminum decimare, at verò interim quæ grauiora sunt legis, iudicium & misericordiam & fidem relinquere? Imò quid aliud est, quàm excolare calicem, camelum autem glutire? quemadmodum Christus dicit.

*Matth. 27.* Tales homines adhuc etiam inter nos inueniuntur, qui vehementer timent, vbi nullum aut exiguum periculum est: vbi autem timere meritò debebant, ibi securi penitus sunt, magnam sibi ipsis facientes conscientie angustiam, vbi quan-

vbi quandoq; nullum aut per exiguum peccatum est. At vbi magnum peccatum est, ibi in vtrâque aurem dormiunt. Sed hæc nunc missa faciamus. Nos Christianos obseruare conuenit, quomodo Christus præcepta Dei exponat, quid pro peccato accipiat & interpretetur. hoc nimirum peccatū est, quantumuis exile & pro nihilo id mundus, ducat: qui iuxta suam tantum rationem & proprium iudicium iudicat, quod tamē sæpenumerò etiam in externis rebus fallitur, in spiritualibus autē & diuinis rarè scopum attingit. Siquidem fallere nō potest, quod Deus in Isaia dicit, Cogitationes meæ, non cogitationes vestræ, & viæ meæ non viæ vestræ: imò sicut exultantur cœli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à vijs vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris. Porro circa hanc vocem, Qui dixerit fratri suo, Rhaca, reus erit concilio, docere nos vult, vt erga quosuis simus humani, cōpatientes, non biliosi, & minimè ad vindictam proni: idque totum ex animo. Nam quid alioqui prodest, si verbis quidem confitearis, te nullum habere rancōrē aut odiū in corde tuo erga proximū tuum, & tamen in omnibus tuis verbis & operibus aliter deprehenditur? Itaque suspicionem hanc, hoc est, truculentos tuos gestus, & virulenta ac amarulenta verba pone, quò frater tuus tantò melius possit intelligere & animaduertere, q̄ illi reuera & ex animo condonaris, atque hoc pacto non ipse solū, sed etiā alij per id emendentur. Sequitur in Euāgelio: Qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis. Hæc vox, fatue, signum est extremi contemptus, indicans summam iram, vindictæ cupiditatem, & proximum conuitiandi libidinem. idcirco omne genus ignominie, diffamationis, obrectationis & maledicti, per eam intelligitur. Et est hæc sententia istius verbi: Omnis qui dixerit fratri suo, fatue, hoc est, manifesto conuicio vel contumelia percutit, reus erit gehennæ ignis. Videtur res quidem grauis & horribilis, quòd ad vnicū & nudum verbum talis pœna sequi debeat: cæterum qui cogitat, quanta peccata, probra, & dedecora originē suā trahāt ex his verbis, aliter censebit. Etenim Dei blasphemia & abnegatio Dei, etiā fit verbis, attamē nihilo leuiora peccata sunt. Idē existimare licet de falso testimonio, perfidia, maledictis, criminationibus, obrectationibus, &c. Ea omnia fiūt verbis, vt sanctus Iacobus non frustra dicat, si quis in verbo non offendat, hunc perfectum esse virum. Quin idem ille Apostolus in

Esa. 53.

Dicere Rhaca.

Dicere Fatue.

Iacob. 3.

iam dicto loco comparat linguam igni paruulo, rotam nonnunquam sylvam incendenti comparat item eam gubernaculo navis, quo dirigitur navis, in quamcunque partem lubet: denique comparat eam fræno, quo flectitur: etiam fortissimus equus in quamcunque velis partem, subiciens postremò: *Lingua, ignis est, vniuersitas iniquitatis. Lingua instituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, & inflamat rotam natiuitatis nostræ, inflammata à gehenna. Omnis enim natura bestiarum, & volucrum & serpentium & cæterarum domantur, & domita sunt à natura humana: linguam autem nullus hominum domare potest, inquietum malum, plena veneno mortifero. In ipsa benedicimus Deum & Patrem: & in ipsa maledicimus homines qui ad similitudinem Dei facti sunt. Ex ipso ore procedit benedictio & maledictio, &c. Talibus verbis compluribus vtitur diuus Iacobus loco iam dicto, vt ne interim commemorem, quid Scriptura alioqui multis in locis dicit & indicat, quantum peccati & probri, necis & incommodi quandoque indomita lingua instituat. Itaque non solùm hoc te videre oportet, quòd sit vnica vox, cum ad fratrem dicis, fatue, sed quid periculi sæpenumerò ex tali verbo nascatur. Sermo durus (inquit. Salomon) suscitatur furorem. Nihil est quod homo ferre minus possit, quàm ignominiam. Imò vbi inimicitia sunt, & ira in corde ardet, magna, ex re quamlibet minima, excitatur trægèdia: quemadmodum inter amicos res etsi magnæ, paruæ tamen & leues existimantur. Ab amico magna quidem quis pati & boni consulere potest: ab inimico autem ne minimum quidem sustinere potest: imò etiam si simpliciter quid dicatur, putat tamen id ex inimicitia & maligno animo proficisci. Quapropter quod tu pro simplicibus & leuibus verbis ducis, magnam sæpe cladem attulit, imò magnas sæpe ciuitates & regiones deuastauit: ac euertit. Hæc omnia Christus præuerrere voluit, dum dicit, Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis. Mirum non est, quòd talem constituit super hoc pœnam. Etenim calumniator dissipat charitatē, proximum suum in varia incommoda & mala inducit: lacerat membra Christi: perturbat pacem etiam Deo placentem, & facit diabolo locum latè patentem & viam inter nos. Vnde Paulus non solùm adulteros excludit ex regno Dei, sed etiam calumniatores & obrectatores. hortatur nos in alijs locis multis verbis ad*

*Lingua per-  
uicias.*

*Proverb. 15.*

*Calumniator  
quam exitio-  
sus.*

*1. Corinth. 6.*

verbis ad charitatem & affabilitatem. Blasphemia (inquit) tollatur à vobis cum omni malitia. Estote autem inuicem benigni, misericordes, donantes inuicem, sicut & Deus in Christo donauit vobis. Sol non occidat super iracundiã vestrã, &c.

Nunc verò quisque in suam descendat conscientiam: videbit quoties contra præceptum hoc fecerit, atque ideò etiam iram Dei meritus sit. Attamen desperare non debet. Nam Christus id nobis non propterea ob oculos posuit, vt desperemus, sed vt occasionem nacti, cum Daniele dicamus, Tibi Domine iustitia, nobis autem confusio faciei: & vt humiliter in sacramentali confessione nos accusemus. Talis autem confessio seruit nobis non ad pœnam, sed ad honorem & gloriam. Si enim confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus Deus (inquit Ioannes) vt remittat nobis peccata nostra, &c. *Dan. 9.* *I. Ioan. I.*

## S E X T V S S E R M O D E V L

*timis uerbis huius Euangelij.*



**H**ODIERNVM istud Euangelium breue quidem verbis est, verum tamen multam & insignem doctrinam in se continet, cuius Christiano necessariam, modò beatitudinem cupienti.

*Doctrina multiplex.*

Prima est, sine iustitia perueniri nõ posse in regnum cœlorum. Altera est, non quamuis iustitiam sufficere ad consequendam fœlicitatem. Tertia doctrina est, quòd Christiana iustitia fidem & bona opera postulet. Quarta doctrina est, quòd mandata Dei non solùm manum & opus, sed etiam cor & totum hominem requirãt. Quinta doctrina est, quòd fraterna charitas & vnanimitas Deo gratior est quàm omnia sacrificia, quæ facere possumus ex ijs rebus quæ nostræ sunt. Hæ quinque doctrinæ ita considerandæ sunt, vt eos scire nostra omnium referat: quanquàm (proh dolor) pauci sunt & inueniuntur, qui eas considerēt. Etenim primò pluri mi inueniuntur, qui iustitiam nullam curant, imò in manifesta iniustitia manent: nihilominus tamen pro Christianis haberi, & cœlo potiri volunt. Secundò, eorũ quoque inueniuntur multi, qui quidem tales apparent, tanquã quærant iustitiam, sed veram iustitiam non apprehendunt. Tertio, quoq; eorũ non pauci sunt, qui nostrã iustitiã aut solùm in fide, aut solùm in externis operibus ponunt. Quarto, item multi sunt, qui mandata Dei solùm de externo opere, & nõ de cogitatio-

*Impudentia quorundam.*

nibus aut verbis intelligūt. Postremò, vsus vulgaris est, imò animaduertendus abusus penè apud omnes Christianos, q̄ Deum suis sacrificijs & donarijs volūt & conātur placare, interim charitatem nihil curantes. Sed in omnibus istis rebus defectus est: in omnibus istis partibus erramus. Etenim primò audis in hoc Euangelio, Christū ad fœlicitatē neminem admittere, nisi iustitiam habeat, eamq; præcellentē & abundantem. Et sic etiā Ioannes dicit, nihil intraturū in cœlestem Hierosolymam, quod coinquinatū sit. Beatus Paulus quoq; ponit iustificationem tanquā primum gradū & vnicum mediū ad glorificationē consequendā: Quos Deus prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit: quos autem iustificauit, illos & glorificauit. En, hīc habes totū opus & negotium, quēadmodū nos Deus ad fœlicitatē perducatur. Paulus quatuor nominat, quæ ad eam rē pertinent, aut in ea

*Apoc. II.  
Rom. 8.*



*Prædestinatio.*

*Vocatio.  
Rom. 10.*

*Iustificatio.  
Rom. 8.*

*Glorificatio.*

*Iustitia finitio.*

*Iustus quis.*

peraguntur, attamen omniā transcribēs Deo. Primū est prædestinatio hominis ad fœlicitatē. Hoc autē facit proculdubio solus Deus, & gratuito. Alterum est vocatio: & hoc rursūm facit solus Deus. nemo siquidem credere potest, nisi prius audierit Euangeliū. nemo audire potest, nisi prædicatorem habeat: nec prædicare rectē quis potest, nisi mittat eum Deus. Vide, hoc pacto manet etiā vocatio opus Dei. Tertū est iustificatio. Hoc iterū præcipuè facit Deus in nobis. quia nemo se ipsum iustificare potest: quandoquidē nemo seipsum è peccatis exoluere & legi per se satisfacere potest. Vnde & iustificatio opus Dei est: quamuis etiam nostræ partes accedāt necesse est, si iustitia absoluta esse debet, quēadmodū in alijs sermonibus ostēsūm. Verūtamen re uera dicere possumus, Deus est qui iustificat nos, videlicet primò & principaliter. Hoc, in quā, possumus & oportet nos dicere, nec tamē negligere partes nostras. Iustificationem autē proximè sequitur quartum, nimirū glorificatio, puta in regno Dei. Nisi itaque iustificatio præcedat, glorificatio expectari nō potest. Hoc primū est quod nos Euāgeliū istud docet. Secūdò, audimus in hoc Euāgeliō, quòd Christus manifestè dicit, Iudaicorū Pharisæorū iustitiā nō sufficere ad fœlicitatē. Neq; mirū. siquidem, vt rē ipsam dicamus, non vera iustitia, sed species solummodò iustitiæ fuit. Id quod primò animaduertitur & definitione & descriptione iustitiæ. Iustitia enim virtus est, quæ vnicuiq; quod suum est tribuit. Iustus autē dicitur homo ille, qui primum Deo dat,

Deo dat, quod Dei est: deinde etiã proximo suo, atque etiam sibi ipsi tribuit quod par est. Atqui Iudaici Pharisæi horum nihil faciebant. Nam primum iustitiæ opus est, Deo suũ tribuere honorem, & eum potissimum honorem, quod sit solus essentialiter bonus, sanctus, verax & iustus, omnis autem homo ex natura vitiosa peccator, iniustus & mendax. Imò quod etiam nullus mortalium fieri iustus possit & esse, præter eos tantum, quibus Deus peccata eorũ remittit, quosque per gratiam suam ex iniustis iustos facit, & sibi obtemperantes. Hæc Dei gloria & honos est, quòd solus sit ex seipso iustus, & nos homines iustos faciat. Hunc honorem Deo tribuere obstricti sumus. Honor Christi est, quòd propter illũ nobis Deus remittit peccata & gratiam impartitur, qua freti, secundum eius voluntatem viuamus. Hunc honorẽ Christo tribuere tenemur. Atqui Pharisæi horũ nihil faciebãt. Quippe seipso pro peccatoribus non agnoscebant, neq; credebant se Christo opus habere, hoc pacto neque Deo neque Christo suum reddentes honorem: atq; ideo iusti esse aut vocari non poterant, Ad hæc, etsi videri poterãt seruare mandata Dei (quia nō solũ à crassioribus & scandalosis peccatis abstinẽbãt, sed interim etiã bona multa, licet malo animo, faciebãt) intus tamen pleni erant fastu, ira & liuore. Quæ autem illa esse iustitia potest, vbi non totus homo iustus est? Quapropter mirum non est, quòd Christus iustitiam eorũ reprobat & iudicat insufficientem ad regnũ cœlorum consequendum. Vnde porrò sequitur, etiam civilem iustitiam, vbi ciuis aduersus ciuem bona fide agit, atq; etiã iudiciariam iustitiam, cùm alijs ius dicitur, & iniuria prohibetur, non sufficere ad beatitudinem. hæc enim vtrãque iustitiam habere etiam possunt Ethnici: sed nō ideò salui fiunt, vtpote fidẽ non habentes. Sine fide enim im-

*Eph. 4.  
Luc. 18.*

*Heb. 11.*

*Vera iustitia.*

possibile est placere Deo. Tertiò, ex Euãgelio isto colligere possumus, quòd vera Christiana iustitia posita est in viua fide in Christum, & in obseruatione mandatorum Dei. Id quod ex eo intelligi potest, quòd Christus suis Apostolis fidem iam habentibus, mandata tamen Dei exponit, & eos ad iustitiam in bonis operibus sitam hortatur. Sed de hoc in alijs sermonibus abundè dictum. Quartò, audimus in hoc Euangelio, quòd Christus præceptum de homicidio, etiam de peccatis cordis interpretatur, atque etiam oris. Vbi clarissimè innuitur, quòd mandata Dei nō solũ manum & opus, sed etiam

cor & linguam, ac deinceps totum hominem requirant.

Postremò audimus, quòd Christus præcipit ac docet, vt prius cū proximo nostro recõciliemur, quã veniamus, & donaria nostrã offeramus id quòd sanè argumentũ est, Christũ pluris facere charitatẽ, quã munera nostrã, quẽadmodũ *Ose. 6.* ipse dicit in Osea. Et hoc est quod adhuc in Euãgelio isto explicãdũ restat. Audi igitur quid de hoc Christus dicat: Si ergo offers munus tuũ ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te: relinque ibi munus tuũ ante altare, & vade prius recõciliari fratri tuo: & tunc ve-

*Munerũ oblatio quid sibi voluerit olim.*

*1. Par. 29.*

*Munus.*

*In eos, qui ex ternũ Dei cultum reijciũt.*

*Matth. 23,*

*1. 2. 3.*

niẽs offeres munus tuũ. Munera offerẽdo cõfitebantur anti qui, quòd omnia bona à Deo accepissent, & q̄ det nobis quibus egemus. Vti Dauid dicit: Tua est Dñe magnificentia, & potẽtia & gloria, atq; victoria, & tibi laus: tuę diuitię, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi, &c. Possumus ergo per munus intelligere vnũquodq; opus, quo te speras Deo rem gratã facere posse, vt est oratio, ieiuniũ, castigatio corporis, eleẽmosyna: quin etiam omnis externus diuinus cultus. Hæc bona sunt donaria, Deoq; grata, si tamẽ tu illi prior acceptus sis. Tũ autẽ Deo acceptus es, quãdo capiti tuo Christo & cæteris mẽbris per charitatem adhæres. Hoc sibi vult Christus in his verbis. Obserua autẽ quòd non dicit aut iubet munus omitti, cõtra eos, qui hiscẽ tẽpotibus omnes externas res & cultũ diuinũ improbant, sed vult nos simul & præcipuẽ charitatem præstare & considerare debere. Nam hoc oportet fieri, & alterum non omitti. Secundò, nõ dicit, Si obtuleris aut offerre vis: sed, Si offers, & munus tuũ iam in altari positum est, prius tamẽ reconciliari debes. Quæ res argumento est, reconciliationem per omnia necessariã esse, & nullo modo differri debere. Nam si diu differatur in liuorem & odium vertitur. Ex odio autem homicidiũ nascitur, & alia infanda crimina, quibus ad iram prouocatur Deus, & proximus noster læditur. Proinde nullũ gratius Deo sacrificiũ facere potes, quã præueniẽdo peccata per quæ Deus blasphematur, & proximus tuus læditur, pro quo Christus mortẽ operijt: imò diligendõ eũ quẽ Deus diligit. Contrã, quomodò opera tua & munera Deo grata esse possunt, si nõ illius contumeliam impediãs seu anteuertas, & proximi tui cõdẽnationẽ? imò si tibi cū illo malè cõueniat, propter quẽ Christ' sanguinẽ suũ pfundit? Vult ergo Christ' hoc verbo

nihil

nihil aliud, quàm quod alio in loco ad Phariseos dicit, Eun-  
 tes discite quid est, Misericordiam volo, & non sacrificium. *Matth. 9.*  
 Atque eam ob causam apud Esaiam dicit se Neomeniam, & *Esa. 1.*  
 sabbatū & festiuitates alias Iudaicas nolle: Manus enim ve-  
 stræ (inquit) sunt plenæ sanguine. Hinc apparet, quantū in-  
 uidia & odium homini adferat incōmodi, nimirū q̄ illi om-  
 nia sua sacrificia & Dei cultū inefficacem & Deo ingrātū red-  
 dat. Obserua deindè etiam quæ malitia in nobis hominibus  
 hæreat, & quàm inuiti nos humiliemus ac condonemus, sem-  
 per inueniētes excusationē & effugium. Alius dicit: Ignosce-  
 rem quidem illi, si non tanta me iniuria affecisset: sed maior  
 ea est, quàm vt illi possim ignoscere: O homo tanti facere po-  
 tes, quod tibi facit homo, & non cogitas, quanta Deum con-  
 tumelia afficis? Nunquid credis futurū iudicium? Et quomo-  
 dō audes oculos tuos ad cœlum attollere & dicere, Pater di-  
 mitte nobis debita nostra, cum proximo tuo dimittere nolis?  
 Sed audi quā iudex sententiam ferat: Amen dico vobis, sic & *Matth. 18.*  
 Pater meus cœlestis faciet vobis (intellige, vos æterno suppli-  
 cio & ira implacabili condemnabit) si non remiseritis vnus-  
 quisque fratri suo de cordibus vestris. Est autē longè maius  
 quod contra Deum facimus, quàm quod alij homines con-  
 tra nos faciunt. Imò quantūcunque tibi homo officere po-  
 test, etiam si occidat te, tamen ad id quod contra Deum deli-  
 quisti, tanquàm centum decem denarij sunt ad decem millia  
 pondo. Vide igitur quid facias. Sentētia iam lata est: Dimit-  
 tite & dimittemini. Eadem quippè mensura qua mensi fueri *Ibidem.*  
 tis, remetietur vobis. Qui tibi præcipit ne in proximū ira in- *Luc. 6.*  
 cendāre, multò magis præcipit ne inuidiam & odium in cor-  
 de tuo geras aut serues. O si propria nostra peccata confide-  
 remus, non tam duri & inexorabiles futuri essemus, ad igno-  
 scendum alijs hominibus. Vera Christiana charitas nō igno- *Vera charitas*  
 scit solū, sed orat etiam pro persequentibus se. Alius hoc se  
 modò excusat, dicēdo: Ego nullam feci illi iniuriam, sed ipse  
 mihi æquum est, vt ipse supplex veniam me roget. Super hoc  
 audi quid Christus dicat: Cū frater tuus habet aliquid ad- *Matth. 5.*  
 uersum te (non addit siue causam iustam habeat, siue iniu-  
 stam) recōciliari illi debes. Nō dicit si habueris aliquid aduer-  
 sum eū, &c. Sed cū ipse aliquid habet aduersum te. Illud em̄  
 antea vetuit, vbi vult ne irascamur, &c. sed si ipse aliquid ad-  
 uersum te habeat, iā quidē operā dare debes, vt illū ad amo-

rem & amicitiam reducas. Nam qui tibi præcipit diligere inimicum tuum, is idem cum fratre tuo reconciliationem instituere te iubet, etiam si alius discordiæ ansam præbuerit. Summa, hoc habet Christiana charitas, siue fratrem tuum læseris, necne, si vides, illi tecum non conuenire, efficere debes, ut cum illo in gratiam redeas, ut ipse tecum, & tu cum illo filij Dei & pacis esse possitis, propter eum qui pax nostra est erga Deum, qui

*Philip. 2.* non desinit etiam inimicis suis benefacere, quantumcunque etiam ab illis male audiret. Pater (inquit) dimitte illis, quia

*Luc. 23.* non sciunt quid faciunt. Hic vide quam longè absint ij à Christiana perfectione, qui amicitias & inimicitias aliorum hominum iuxta æstimant dicentes: Nihil mihi cum illius amicitia, siue amicus, siue inimicus mihi sit, sùsque deque fero. Hic autem ex Christo audis, an tua nõ referat. Imò quandiu frater tuus nõ nihil aduersum te habet, neq; operam das, ut tecum in gratiam redeat, tantisper opera tua & munera Deo inuisa sunt. At

*Ioan. 6.* inquis, Durus hic sermo est. Quis hoc præstabit? Respondeo, Vtiq; difficile factum est, at multò adhuc difficilius, à Deo separatum esse. Cogita quod Christus ut id faceremus nobis mandauit, & quod propter eum facere suscepimus, qui propter nos omnia fecit: nihil propter nos tunc facere tunc pati detrectauit. Cogita deinde tua propria peccata, & futurum iudicium: ita facile tibi fiet, quod graue tibi antè videbatur. Hoc discamus circa istud Euangelium. Talia omnia pertinent ad mandatum hoc, Non occides: & horum aliquod si non seruetur, mandato perfecte satisfactum non est. Tantò magis ad Christum nos ut conuertamus decet, veniam rogemus pro eo quod contra mandatum hoc fecimus, & porro Spiritum sanctum petamus, cuius gratia adiuti in posterum facere & seruare possimus, quod Deus in hoc & in alijs mandatis à nobis postulat & requirit, ut demum in vera Christiana iustitia inueniamur, & idcirco cum omnibus sanctis & iustis in regnum cælorum admittamur, Amen.

### Septimus Sermo de Homicidio.



**H**ODIERNVM istud Euangelium ita à Christo dictum, & à Sancto Matthæo descriptum est, ut quiuis ex eo videre facile possit, quam simus infirmi, ad quod Christi domini nostri egeamus, & quomodo illo, uti nos optimè conueniat. Duo

niat. Duo facit Christus in hoc Euangelio: Primò loquitur de iustitia, quæ nos ad cælum transferre potest: Secúndò exponit nobis mandatú de homicidio: & utrobique videmus nostram imbecillitatē, & in quo Christi gratia opus habeamus, & quomodò illo nos vti oporteat. Hoc breuiter docebo. Et primò certú est, coram Deo neminē probum aut iustum esse aut esse posse, qui peccatis mortalibus obnoxius, regi Dei aduersatur. At qui omnes pariter natura peccatores & filij iræ *Ephē. 2.* sumus, adhæc, aliam legē inuenimus in membris nostris, legi *Rom. 7.* Dei repugnantē: ita vt etiam bonum, quod interdum libenter facere vellemus, non faciamus. Semper itaq; ex humilitate cū Propheta dicere possumus: Facti sumus vt immundus *Esa. 64.* omnes nos, & quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ. Si ergo corá Deo pro iustis haberi debemus & probis, à peccatis mundos nos esse oportet, & spiritú habere, quid legi Dei sese nō opponat, sed vtrò se illi subijciat, imò de fide-rio legis Dei teneatur. Quis autē alius est, qui nobis remittere peccata, & nouum spiritum dare possit, præter vnū Deum? *Baruch 3.* Sed quis ascendet in cælum à Deo id accepturus? Profecúo *Ioan. 3.* nullus nostrúm. Nemo ascendit in cælum (inquit Christus) nisi qui de cælo descendit. Quinimò Christus solus est, qui remissionem peccatorum simul & Spiritú sanctum largitur. Hic nobis hac in re quoq; auxilio veniat necesse est: apud hūc querenda remissio pariter & Spiritus sanctus. Sed quomodò quæremus aliter & accipimus, nisi per fidem viam diuinæ voluntati obtemperantem? Ecce propterea primò necessaria est fides ad veram iustitiam. Per fidem enim viam cōsequimur remissionem peccatorum, & nouum spiritum, qui lege Dei delectatur. Et tum etiam verè probi sumus ac iusti, quando conscientia nostra à peccatis purgata est, & nos in lege & mandatis Dei alacriter & cupidè ambulamus, quemadmodum Dauid iustum, imò etiam beatú describit in suo primo Psalmo. Ad id autem fides viua in Christú nos primùm deducat necesse est. Atque ideò, quia neq; Iudæi, neq; Gentes hanc fidem habent, non possunt neq; remissionē peccatorú, neque Spiritum sanctum habere, vsque manentes peccatores, nunquàm legi Dei satisfacere valentes. Quid igitur eorú iustitia coram Deo valeret, etiam si Gentes in moralibus suis virtutibus, & Iudæi in sua lege diligentissimè & diu sese exercent? Sine fide in Christum nemo coram Deo iustus

esse & probus potest. Nam qui nō crediderit, cōdemnabitur, *Ioan. 3.* inquit Christus: imò qui non credit, iam iudicatus est. Quapropter si in regnū Dei venire cupis, iustitiā sectare. Ne autē speciem & hypocrisin pro veritate secteris, quære primū remissionem peccatorū, & Spiritum sanctū apud Christū: tum etiam de foris facere poteris cum alacritate seu gaudio quod rectum ac bonū est. Et quod sic facis ex fide viua & impulsu Spiritus sancti, indubiè Deo placebit. Atq; hunc in modum oportet in nobis iustitiam incipere, augeri & perfici, quæ via recta & certa ad cælum est. Christus hanc rem potissimū adiuuat. Largitur enim Spiritum ad benefaciendum, & ignoscit pœnitentibus si quid minus agamus: imò meritis suis cōpensat, quod ex nobis ipsis non possumus. Et ob id etiam à Paulo nostra iustitia vocatur. Nihilominus verò tamen & nos impulsu fidei & Spiritus sancti sequi oportet in fugiendo malum, & perficiendo bonū. Hoc nos facimus ad iustitiā. *Christo cooperari debemus.* Quod si ergo Christus incipit, & nos sequimur, & illius voluntati per omnia obtemperamus, perfecta ex hoc fit iustitia quæ longè maior & perfectior est, quàm omnium Iudæorū & Gentiū sine Christo iustitia: imò quæ nos certò ad regnū Dei perducit. Et hoc vnū est, ex quo circa Euangelium istud videre possumus, quàm ex nobis infirmi simus, & ad quid Christo eiusq; gratia nos cōfortate opus habeamus, & quomodo vtriusq; his vti nos & possimus & oporteat. *Matth. 19.* Alterū sunt mandata Dei, in quibus idem videre etiā possumus. Si vis ad vitam ingredi (inquit Christus) serua mandata. Tolerabile hoc esset. Hic autē in isto Euangelio multò seuerior est, inquiens, Qui transgrediatur mandatū, siue id fiat opere, siue verbo, siue cogitatione, eum reum esse iudicio, concilio, & gehennæ ignis. Et supra hæc, ita mandata Dei interpretatur, vt nemo faciliè iactare possit ac dicere, se nō aliquo modo deliquisse in ea. Rogas quomodo? Clarè Christus indicat in hoc Euangelio, quòd mandata Dei non solū opus, sed etiam bonos affectus, hoc est bonam voluntatem, animū, cogitationē, desiderium & verba requirant: & q̄ non solū mala opera, sed etiam malam voluntatē, cupiditatē, cogitationem & verba interdican. Quòd si igitur legi Dei in genere, & singulis mandatis speciatim ritè satisfieri debet, nō solū benefacere nos oportet, sed ex animo benefacere: nō solū malū omittre, sed ex animo malū omittre. Hoc (inquam) nobis Christus indi-

flus indicat in hodierno Euangelio. Huc pertinet quod ver-  
 bis tam grauibus dicit, Ego autē dico vobis. Quod tamen nō  
 ita accipiendū, q̄ mādata Dei plus à nobis exigāt quā ab an-  
 tiquis: aut q̄ mandata Dei in veteri testamēto nihil aliud re-  
 quisierint, quā externū opus. Nequaquā. Moyses satis ostendit, q̄ Deus etiā id tēporis nō solūm opus, sed etiā cor & affe-  
 ctus in suis mandatis postularit. Idcirco dicit: Et nunc Israël  
 quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt diligas illū & ti-  
 meas? &c. Et postea: Circūcidite igit̄ præputiū cordis vestri,  
 & ceruicē vestrā ne induretis amplius: quia Dominus Deus  
 vester magnus est & potens, &c. En, hīc Moyses apertē dicit,  
 Deū in præceptis suis nō solūm externū opus, sed etiā charita-  
 tem, timorē, cor mundum, & animū paratū seu bonā volun-  
 tatem requirere. Hoc autē cæcus Iudaicus populus intelligen-  
 re nō poterat. Velamine oculi eorū tecti erant: ad opus tantū  
 externū respiciebāt. Homicidiū pro peccatō ducebāt: irā, in-  
 uidiā, odiū, vnde homicidium plerūq; nascitur, pro nullo  
 peccato reputabāt. Accedebant Pharisæi eorū qui externum  
 opus tantū vrgebant. Hac re motus Christus, legem & man-  
 datum Dei rectē interpretatus est, quò omnes homines, non  
 solūm Iudæi, sed etiam nos Christiani videre possimus, quid  
 nobis desit, & q̄ nondum iusti sumus, aut Dei mandata im-  
 pleuimus, etiam si opere nihil cōtra ea peccauimus, nisi etiam  
 cor & voluntas nostra cum lege Dei consentiat. Primū qui-  
 dem in nobis inuenimus, sed non alterum. Manus quidem  
 continere quis potest, ne quem occidat, sed nullam iram, in-  
 uidiā, indignationem, & vindictæ cupiditatem in animo  
 sentire, imò inimicum æquē ex animo diligere, atque ami-  
 cum, vt Christus docet, hoc supra nostras vires est. Hīc cogi-  
 tur etiam Dauid dicere: Cor mūdum crea in me Deus. Quæ  
 autem illa est iustitia, quòd extrinsecus bene agis, in corde ve-  
 rò nullo boni amore vel desiderio teneris? Aut quòd extrin-  
 secus nihil malū designas, corde autem malis affectibus & vi-  
 tijs quæ sentis, præbes assensum? Vide hoc pacto etiam hac in  
 parte circa istud Euangelium nostram possemus videre mi-  
 seriam & imbecillitatem: nimirum quòd ex nobis ipsis imple-  
 tionem diuinorum mandatorum & iustitiam assequi non  
 possimus. Quod vbi cognouerimus, protinus videbimus ad  
 quid Christi eiúsque gratiæ egeamus: nimirum vt eius gra-  
 tia cooperante efficiamus, quod per nos solos non possemus.

Dent. 20.

Rom. II.

Psal. 50.

Matth. 5.

Ipsè cor & affectus seu naturales motus purgare debet, & spiritum sanctum largiri, vt legi Dei à nobis satisfiat. Ex nobis enim ipsis horum nihil habemus. Tantum in genere de hoc Euāgelio. Quia verò Christus præceptum de homicidio tam exactè & strictè exponit, vt etiam ad vnāquālibet transgressionem peculiare pœnam ponat & denunciet, propter simplices aliquantò fusius de illo præcepto dicendum mihi est, quid in se habeat, & à nobis requirat, siue præcipiendo, siue prohibendo. Nā vnūquoduis præceptum hæc duo in se habet, vt aliquid & præcipiat & vetet facere, non solùm docens nos quid

*Matth. 5.* fugere, sed etiam quid facere & præstare debeamus. Audi itaque quid Christus dicat: Audistis quia dictum est antiquis, Nō occides. Istud præceptum hîc Christus exponit. Ordine

*Exod. 20.* quintum est inter decem præcepta. Hîc primò obseruandū,

*1. Ioan. 5.* qua de causa præceptum istud datum sit. Quāquā Ioannes illud abundè indicat, dum dicit, Totus mundus in maligno positus est. Tum vsus docet, bonos & malos hic in terris cōmixtim viuere, eosque nō omnes eodem modo affectos esse: vnde amicitia inter eos nulla esse firma potest, nā malus odit & persequitur bonum, quod vbi bonus intelligit, naturæ corruptæ impulsu nonnunquā ad iram quoque concitatur, vnde res quādoq; ad homicidiū redit, & sanguinis effusionē.

Quapropter facit Deus in morem benigni parentis, & interponit sese hoc mādato, licè dirimit, ne quis lædatur ab altero: quin hoc præcepto vnūquēque tanquā muro defendere vult, & tueri seruarēque ab alterius ira & malicia. Hæc causa & necessitas est huius præcepti. Secundò obseruandum, quòd etsi præceptum istud simpliciter videatur negatiuum, hoc est, eiusmodi præceptum, in quo solūmodò malū inhibeatur, verissimè tamē etiā est præceptū affirmatiuū, hoc est, tale præceptū,

*Præcepta Dei* in quo etiam bonum à nobis exigitur. Id quod & in alijs præceptis deprehenditur. Vtpotè in primo mandato videtur aliquid *& iubent & vetant quipiam.* cui idololatriam solū prohiberi, cum tamen per omnia sit affirmatiuum, præcipit enim & postulat à nobis: vt Deū diligamus ex toto corde, &c. Itē, vt Deū timeamus, & illi soli seruiamus. Sic à nobis secundū mandatū exigit honorē & sanctificationem, quinetiā inuocationē diuini nominis, cū tamen verba negatiuum tantū sonare videātur, interdicens solū abusum & prophanationē diuini nominis. Summa, omne mandatū, siue affirmatiuè, siue negatiuè detur, aliquid à nobis exigit boni, & prohi-

*Matth. 22.* mus. Sic à nobis secundū mandatū exigit honorē & sanctifica-

*Dent. 6.* tionem, quinetiā inuocationē diuini nominis, cū tamen verba negatiuum tantū sonare videātur, interdicens solū abusum & prophanationē diuini nominis. Summa, omne mandatū, siue affirmatiuè, siue negatiuè detur, aliquid à nobis exigit boni,

& prohi-

& prohibet etiam aliquid mali. Id quod in hoc videmus mādato. Quid prohibet nobis? Nempè homicidium, imò omne dānū, quod personæ proximi nostri inferri potest. Supra hoc interdicit quoque asperitatem verborum, & iram cordis. Contrā verò quid poscit à nobis? Nimirū patientiā, mansuetudinem, misericordiā, charitatē, & mite cor erga oēs hoīes. *Colof. 3.* In his duabus rebus mandati & prohibitionis, cōsistit observatio huius mandati. Hoc utrobiquè aliquāto penitius indagabimus. Et primò, vt dictum est, prohibet mādatum hoc externum homicidium, super quo etiam pœna homicidij ex diuina lege lata est. Qui percusserit & occiderit hominē, inquit Deus, morte moriatur. Et iterum: Quicumq; effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius. Et Christus ipse: *Leuit. 24. Gen. 9.* Omnes qui acceperint gladiū, gladio peribunt. Nemo hīc excluditur præter magistratum, ei enim gladiū commisit Deus *Matth. 26.* ad pœnā improborū. Hoc modo etiā notum est, homicidium sub pœna mortis prohibitum esse. *Rom. 13.* Secūdò verò inhihet nobis *Signa iræ.* hoc mandatum etiam signa iræ, quæ Christus intelligit in hodierno Euangelio per voculam Rhaca. Talia enim signa iræ, vt est, immanis & toruus vultus, auersio oculorum, &c. sæpe numero sunt causa homicidij. Atque ideò etiā nonnunquam Deo pro homicidio reputantur. Tertiò, prohibet nobis *Maledicta.* mandatum istud, ne proximo maledicamus aut imprecemur. Nā quid est, quòd proximū tuum nō occidis, si illi talia precēris, quæ si ei accidunt, viuere non possit? Huc pertinet, quod Christus dicit: Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis. Imò in eo ipso vocabulo etiā calūniatores, diffamatores & obtrectatores dānantur. Eiusmodi enim homines non solum homicidæ sunt corā Deo, sed homicidis deteriores: quia *Obtrectatores peiores homicidis.* tres homines vno ictu interficiunt: nimirū eum, quem traducunt, & eū qui audit, & prætereà seipsos. Qui enim peccatum facit, animā suā occidit. Quartò, prohibet istud mandatū etiā *Ira.* iram & furorē animi, etiā si ad opus nō procedat, aut in verba prorūpat, sic enim neque magistratus contētus est in homine facinoroso, q̄ neminē occidat, nisi gladiū & alia arma ponat. Quādiu enim gladium tenet, vereri eos oportet, ne nactus occasionem, homicidiū etiā cōmittat. Sic etiā licet nō occidas, si tamen gladium geris in pectore, Deo placere non potes, nisi gladiū, hoc est, irā ponas. Neq; porrò sufficit, te in vagina seruare gladiū, & irā in pectore: hic enim semper verendum est,

ne si occasio tibi detur, ad homicidium peruenias. Nam hic ille gladius est, nimirum ira, quo filius Dei occisus est. Quapropter licet neminem occidas, coram Deo tamen homicida es, cum in armis inueniris, quibus occisus est filius eius. Quis enim coram principe securè comparere audet cū gladio, quo principis filius occisus est? Quid autem Christum filium Dei occidit aliud, quam ira & inuidia Iudæorum? Sciebat Pilatus (inquit scriptura,) quòd per inuidiam tradidissent eum. Huc pertinet, quod Christus dicit, Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Quintò interdicit nobis quoque mandatum istud inuidiam & odium, quòd Ioannes apertè homicidium appellat. Qui fratrem odit (inquit) homicida est. Sextò item prohibet omnem conpirationem, consilia & auxilia in perniciem alterius. Non enim mala agentes solùm digni sunt morte, sed etiam consentientes. Septimò prohibet nobis quoque mandatum istud cuncta ad discordias & dissentiones mouendas incitamenta & machinationes. Per hæc enim sæpè ad homicidium venit. Vnde & sapiens dicit: Susurro & bilinguis maledictus: indicans eo in loco, quid tertia lingua mali & incommodi pariat. Quamobrem talis coram Deo homicida est. Octauò prohibet hoc mandatum magistratui, ne pro lubitu, prout alicui addicti vel secus sint, innocentem fundant sanguinem: siquidem scriptum habetur, Infonem & iustum non occides. Et potestas portat gladium solùm malis in vindictam, bonis verò in laudè. Nonò, prohibet nobis istud mandatum etiam durum & inhumanum cor, quod interdum ostendimus in necessitate proximi nostri. Nisi enim proximo tuo succurras in necessitate cum possis, iam erga illum reus es. Pasce fame morientem (inquit bonus quidam ecclesie Doctor.) si non pauisti, occidisti. Eiusmodi duritiè Christus in extremo die malis exprobrabit, & dicit: Discedite à me maledicti in ignem æternum, esuriui enim & non dedistis mihi manducare, &c. Neque poteris te hinc de homicidio purgare, quia proximo tuo charitatis officium negasti, qua vitam suam tueri potuisset. Atque ideò etiam olim dicebat Isaias, ciuitatem Hierosolymam plenam esse homicidis, eò quòd oppresso non subuenirent, pauperi ius non dicerent, viduam & pupillum non defenderent. En, hæc illa sunt quæ in hoc mādato nobis prohibentur. Ea diligenter considera, videbis quàm multifariam contra præceptum hoc deliquit.

deliqueris. Sed audire nos porro oportet, quid præceptum hoc à nobis requirat. Vtpotè primum exigit, vt ita se homo exhibeat & gerat erga proximum suum, quemadmodum vult, vt Deus se erga ipsum gerat, hoc est, mansuetum, humanum, beneficum, misericordem, compatiens, &c. Hoc etiam docet Christus expressis verbis, vt misericordes simus, sicut Pater noster in cœlis misericors est: *Matth. 7. Luc. 6.* vt diligamus inimicos nostros, &c. vt simus filij Patris nostri qui in cœlis est. Secundò, exigit hoc mandatum etiam patientiam à nobis. vult enim Deus, vt illi vindictam relinquamus. Vnde vult Paulus, ne malum pro malo alicui reddamus. Et Christus vult, vt si quis non percutiat in vnâ maxillam, etiam præbeamus illi alteram: hoc est, maiora potius pati debemus, quàm vt ipsi nos vindicemus. Tertiò exigit hoc præceptum etiam à nobis comitatem morum & gestuum, hoc est, vt etiam in moribus & gestibus humani simus erga aduersarios nostros. Quemadmodum Christus docet: *Matth. 7.* Omnia quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis, & Quod tibi nō vis fieri, alteri ne feceris. Sed quiuis desiderat, vt qui contra se irascitur, signa iræ ponat. Quartò exigit hoc mandatum, vt etiam inimicis nostris & aduersarijs beneficiamus, & ex animo condonemus ijs qui aduersum nos peccarunt. Quintò postulat à nobis, vt discordes cōciliemus. Quippè beati pacifici, inquit Christus. *Mat. 5.* Sextò, requirit etiam hoc mandatum moderationem & continentiam linguæ. Qui enim religiosus sibi videtur, & non refrænât linguam suam, huius vana est religio. Postremò exigit etiam à nobis mandatum, vt illis opem feramus, qui in necessitate constituti sunt. Beati enim misericordes, &c. *Matth. 5.* Ex his omnibus vides, quàm longè sese hoc mandatum porrigat, quàm multa, quànque magna à nobis requirat, quæ tamen pleriquè vel minimo digitulo nō attingimus: imò hîc vides etiam, quàm multa bona hoc mandatum doceat. Tandem verò clarissimè vides, quàm necessariò Christo eiusque gratiæ egeamus: vt nobis non solùm fortitudinem supeditet ad eiusmodi bona opera facienda, & ad malum fugiendum, sed etiam ignoscat pœnitentibus, quæ contra hoc præceptum fecimus.

OCTAVVS SERMO DE  
Euangelio & Epistola, oratione & cantu Ecclesie.



**D**E hodierno Euangelio in præcedentibus sermonibus satis dictum: videbimus nunc etiam & audiemus, quomodo hodierna Epistola, ecclesie cantus & oratio cum illo concordent. Non erit hic opus vsque adeò magno labore: qui vel parum rem obseruat, sua spontè & facillè videre id potest. Etenim in iam dicto Euangelio reijcit Christus Iudaicis Phariseis & omnibus hypocritis fictam eorum iustitiam: docet iustitiam nostram meliorem, & perfectiorè esse oportere, si nos modò ad ingressum in regnù cælorù promouere debeat. Paulus ergo in hodierna Epistola indicat & docet, qua in re illa

*Rom. 6.* nostra iustitia sese declarare debeat. Ostendit porrò nobis ecclesia, vbi & quomodo illà quærere debeamus, hodiernis cantibus & oratione. Quatuor sunt magni momèti, ego paucissimis indicabo. Et primò, quare Christus Phariseis iustitiã eorum reijciat, & pro insufficienti iudicet, in alijs sermonibus satis dictum. Triplex causa erat: Prima, quòd in Christù nò credebant, ideò nullã remissionè peccatorum habere poterãt, quæ per solù Christù datur ita vt oportet, credentibus. Secūda causa est, quòd iustitiã suã in proprijs suis operibus collocabãt, quæ tamen neque ex fide, neque ex charitate proficiscebantur. Sed quid Deus magnoperè his operibus delectaretur? Imò quomodo homo suis operibus etiamsi bona essent, Deum ex seipso debitorem faceret? Enimuerò ex illo omnia habemus,


*2. Cor. 4.* quicquid boni scimus & facimus. Nec facere nos tantù possumus, quin ad id obligati simus, & maiora debeamus. Deus ne igitur nobis gratias agat? An Dñs etiã seruo suo gratias agat,

*Luc. 17.* si quæ iussus est faciat? Nequaquã, nam hoc serui est. Sic dicit & Christus, vt etiã si omnia fecimus quæ nobis præcepta sunt, tamen pro inutilibus seruis nos agnoscamus. Si itaque etiam opera quæ bonus ex fide & charitate facit, ex se ipsis eam vim non habent, vt illi Deus propterea aliquid iure debeat, quid Phariseorum iustitia multum posset apud Deum, quæ nihil aliud, quã nuda, frigida & indeuota, imò sine fide & charitate opera habet? Tertia causa, quòd Christus Phariseorum iustitiam reijcit, est, quòd nec sua opera ad verum finem dirigunt, non Dei honorè & volùtatem, sed hominum solùm laudem quæren-

quærentes. His tribus defectibus laborabant. Cor mūdatum non erat, opera sine fide & charitate erant: adhæc, nō Deum quærebant, sed se ipsos. Idcirco docet nos Christus, iustitiam nostram perfectiorem esse oportere. Etenim cor purificatum sit oportet per viuā fidem. Fides extrinsecus exhibere sese debet per opera iustitiæ: tandem Deo transcribendus omnis honor. Hæc Christianorum est iustitia, quæ nobis cælū aperit. Eam Paulus vehemēter vrget in hodierna Epistola, An ignoratis, inquit, quia quicumq; baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? &c. Hæc verba Pauli cū iam dicto Euangelio recitata sunt, & quidem prorsus conuenienter. Nam vt Christus fundamentū posuit, ita superstruit Paulus. Christus docet & loquitur de vera iustitia: Paulus dicit, qua ex re cognoscatur. Christus vult non solū manum & opus, sed etiam cor & linguam mundam habere: Paulus nouam prorsus vitam à nobis exigit, pulchris vtens verbis simul & efficacibus argumentis, nihil intentatum relinquēs, quò ex animis credētium falsam persuasionē eximat, qua sibi quidā ipsi persuadēt, se nullis opus habere bonis operibus: quando quidem meritum Christi omnibus hominibus sufficiat. Itē, quòd peccata & mala opera nihil nobis obsint, siquidem Dei gratia tantò melius agnoscitur, quòd plura nobis peccata remittit. Contra tales homines vratur Paulus sextuplicibus, argumentis & demonstrationibus, quòd homo etiam obligatus sit, & teneatur benefacere. Primum est, qui se alicuius domini fidei dedit, is illius domini inimicis omnibus abrenuntiat. Nos verò in Baptismo Christo nos dedimus: idcirco non decet nos, vt cum inimicis illius, hoc est, cū peccatis, cum mūdo, & diabolo pacē habeamus. Baptizati sumus (inquit Paulus Roma. 6.) in Christo Iesu. Altera demonstratio est, Ramus suapte natura fert fructus suos iuxta indolem suæ arboris, vnde natus est. Nos verò Christo insiti sumus tanquàm veræ viti: idcirco etiam nostri fructus & opera esse debent secundum naturam Christi, qui peccatum nullum fecit, nec inuētus est dolus in ore eius. Tertia demonstratio est, Baptismus signū est pœnitentiæ & mortificationis. Atqui omnes Baptismum accepimus. Quòd si igitur signum pœnitentiæ in nobis habemus, vtique necessarium est, ne in peccatis, sed in perpetua pœnitētia inueniamur. Baptizati sumus (inquit Paulus Roma. 6.) in morte Christi, vt quomodò Christus surrexit à mor-

Roma. 6.

*Cōtra bonorum operum calumniatores.*

I.   
*Sex rationibus obligamur ad opera bona.*

I I.

Ioan. 15.

I. Pet. 2.

I I I.

IIII. tuis, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Quarta demonstratio est. Homo mortuus desinit peccare. Nos autem in baptismo non solum mortui in Christo sumus, sed etiam cum illo sepulti. qua profectò de causa à peccando cessare merito debemus: imò peccato planè esse mortui debemus. Et quemadmodum Christus, postquam à mortuis resurrexit, non amplius moritur: sic etiam nos, postquam semel in Baptismo peccatis mortui sumus, & spiritualem vitam incepimus, æternum in ea manere debemus. Hoc est, sicubi nos diabolus, mundus aut propria nostra natura ad peccata hortatur, mortui esse debemus, id est, nihil vitiosè videre, audire, agere, & tentationi nullo modo cedere. Cæterum vbi Deo & iustitiæ seruiendum, ibi viuere debemus, videre, audire, sentire & sequi. Hoc sibi vult noster Baptismus, hoc considerare semper habemus, nimirum quòd in Baptismo incepimus peccato mori & Deo viuere: cur igitur nunc contrarium faceremus? Summa, quòd Christo crux fuit, hoc nobis Baptismus esse debet. Christus in cruce peccatis & omni mortalitati mortuus est penitus: ita etiam nos in Baptismo peccatis esse mortui debemus. Et quèadmodum sepulchrum mortale corpus Christi recipiebat & occultabat, immortale corpus reddens: ita Baptismus suscipit nos tanquam peccatores, sed alios nos facit, nimirum bonos & iustos. Proinde duabus in rebus nobis Baptismus inseruit. Primò, quòd nobis peccata priora aufert: Secundò, quòd nos etiam præmonet, & abstrahit à futuris. Atque ob id non sufficit, vt consideratione Baptismi nostri nos ipsos cõfortemus in fide pacti, quòd Deus nobiscum iniuit, sed debemus etiam nos eum considerando, ad bona opera &

V. ad nouam vitam hortari ac impellere. Quinta demonstratio est, Viuus homo facit & declarat opera vitæ. Nos autem sumus in Baptismo denuò nati, nouam vitam gratiæ & Spiritum sanctum in eo accepimus: ideò decet, vt opera vitæ, & nõ mortis declaremus exerceamusque. Sexta demonstratio est: Qui bonis frui vult cum alijs, in malis etiam cum alijs communicet necesse est. Atqui desideramus omnes cum Christo bonis eius frui: æquum igitur, vt cum ipso quoque peccatis moriamur. Hæc sententia est huius Epistolæ: in qua clarissimè videmus, Paulum per omnia cum Christo consentire. Quippè ij duo manifestè indicant, iustitiam nobis necessariam esse ad salutem: imò veram iustitiam, quæ intrinsecus per fidem incipit, &

*Baptismus  
quid sibi velit.*

*Baptismi esse  
Eius.*

cepit, & se extrinsecus per, bonos fructus iustitiæ declarat.

Sed inquis: Quomodo ad id peruenire possum? quis se ipsam mundare potest? quis sibi ipsi ita mori potest, ut totus nouus homo sit, & pristina iniustitiæ in se nihil sentiat? Audi quid Ecclesia hodiè ex Davide canat: Dominus fortitudo ple *Psal. 28.*

his suæ, & protector saluationum Christi sui est. Saluum fac populum tuum Domine, & benedic hæreditati tuæ. En, in his verbis habes, quis veram iustitiam nobis instituat, ubi & quomodo illam quærere debeamus, & in quo illa iustitia cõsistat. Dominus Deus noster fortitudo nostra est, qui in nobis operatur quod per nos solos non possumus. Is nobis ad omnia bona agèda gratiam largitur, & salutem Christi vncti sui in nobis conseruat: apud hunc quæramus oportet. Sed rogas, quomodo quærere debeamus? Ad te Domine (inquit David) clamabo, Deus meus, ne fileas à me, ne quando ta-

*Ibidem.*

ceas à me, & assimilabor descendentibus in lacum. Vtique verum est. nã nisi in hoc nos exaudiat, non solùm similes sumus descendētibus in lacum, sed nos etiã ipsi descendimus in lacum inferni & æternæ condemnationis. Quare ardentè clamandum & orandũ pro vera iustitia, quæ cœlũ nobis aperiat. Sed quomodo clamandum? Saluum fac populũ tuũ Domine, & benedic hæreditati tuæ: & rege eos, & extolle illos vsque in æternũ. Quatuor breues petitiones, quarum vnaquæque pe-

culiare quiddã habet: ita tamen, ut omnes ad veram iustitiam pertineant. Saluum fac populũ tuũ Domine (intellige) à peccatis eorum. Primum est quod ad iustitiam pertinet: Benedic Domine hæreditati tuæ, hoc est, da gratiam. Alterum est: Domine rege eos, conforta & confirma eos, da eis fortitudinem, ut in bono procedere possint, & perseuerare. Tertium est: Domine extolle illos vsque in æternum, promoue eos ad æternam gloriam. Quartum est: iam verò vide an non elegans oratio sit, ad id quod Christus & Paulus hodiè in Euãgelio & Epistola docent, & à nobis exigunt. Enimuerò hæc omnia ad veram Christianam iustitiam pertinent. Primò petimus præuenientem gratiam. Secundò petimus cooperantem gratiam. Tertio petimus confortantem gratiam.

*Gratia præueniens, cooperans, confortans, perficiens. Rom. 8.*

Quartò petimus gratiam omnia concludentem & perfectentem. Hæc illa quatuor sunt, quæ etiam Paulus enumerat & commemorat, ubi ait: Quos Deus prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit: quos autem iustifi-

cavit, illos & glorificavit. Hæc omnia præcipuè facit Deus. Hæc omnia apud illum feruenter quærere, & ab eo expectare debemus. Alio item in loco enumerat Paulus ordine multa quædam, quæ Deus in nobis hominibus temporaliter facit. Administrat semen, inquit, seminanti: & panem ad manducandum præstabit: & multiplicabit semen vestrum, & auget incrementa frugum, adducens nos denique ad gratiarum actionem. Et quia omnia bona nobis dat, vocatur in Isaiâ, *Esa. 31.* Dominus liberans, per nos transiens, protegens & saluans, Vide, hunc in modum nobis seruiunt iam dicta verba David, cum ad hodiernum Euangelium, tum ad Epistolâ. Nunquid plura vis quæ ad hanc causam quadrent? Accipe & vtere hodierna Ecclesiæ oratione: vbi rursus tantò melius videre poteris, vbi & quomodò veram iustitiam vnâ cum fructibus eius quærere debeamus. Et hic verus vsus est auditi Euangelij & Epistolæ, si mox oratio nostra sequatur. Quæ nisi sequatur, frustra est, quantumcùnque etiam Euangelium prædicetur & exponatur, legatur audiatur. Id quod in nobis ipsis deprehendimus. Enimuerò nihil in prædicando & exponendo sacram Scripturam, desideratur in sancta Christianitate, sed in effectu & executione non parum desideratur. Legimus & audimus, scimus & intelligimus satis, sed propè nemo secundum illa viuere conatur: & hic defectus nõ minus in ijs est, qui prædicant, & sacram Scripturam interpretantur, quàm in ijs qui eam audiunt solum & legunt. Sed quæ causa? Non dirigimus ad id orationem nostram. Euangelium canitur, nos spaciatur & nugatur: aut si fortè contingit nos stare & audire, frontem cruce signamus, itémque os & pectus. Hoc totum est, nec vltra cogitamus. Prædicatur Euangelium: idè fit, auditione contenti sumus: simulátque finitum est. nõ amplius meminimus. Quomodò autem fructum afferre potest, quod terræ mandatur, nisi è supernis irrigetur? Ego plantavi (inquit Paulus 1. Corinth. 2.) Apollo rigauit, Deus incrementum dedit. Imò (inquit postea) neque qui plátat aliquid est, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus. Vide, hic aperte habes, neque prædicationem neque prædicationis auditionem fructum gignere ac facere, nisi incrementum det Deus. Ego (inquit Deus) scribam legem in cordibus illorum. Hoc iam olim promisit, & quidem impleuit in sanctis Apostolis & primis credentibus: posset id ipsum etiamnum præsta-

*Orandum est nobis.*

*Thulem.*

*Hic. 31.*

præsta.

præstare. Sed quid daret, vbi nemo est qui petat? Legimus de antiquis Iudæis, quòd cum legem ex Esra audirent, incuruati sunt, & adorauerunt Deum proni in terram. Christo in Euangelio prædicanti de viuo & vero manna dicebat simplex populus, Domine, semper da nobis panem hunc. Eodem modo faciebat Samaritana mulier, cum Christus de viua prædicaret aqua. similiter petens illam aquam. Haud segnior Dauid erat in audiendo simul & docendo verbo Dei: sed eo ne contentus erat? Non. Nihil ardentius petijt, quam vt eum doceret Deus, intellectum ei daret, vt duceret eum in via mandatorum suorum, vt cor eius inclinaret ad legem suam, vt tolleret ab eo quod à lege sua eum abstrahere vel remorari posset. Vide, hoc adiungendum est ad prædicationem. Quia verò id non facimus, mirum non est, nullum in nobis fructum apparere, quantumcùnque etiam prædicemus & prædicationem audiamus. Summa, etiamsi per omnem vitam prædicemus & prædicationem audiamus, aridum tamen id omne manet, & infrugiferum, nisi Deum vt nobis præstet gratiam, rogemus. Pluuia & incrementum apud Deum quærenda. Sed quomodò aliter quæreremus, nisi per orationem? Quomodò autem meliorem formam & modum inuenire possimus super singulis Euangelijs orandi, quam quemadmodum sancta & vniuersalis Christiana Ecclesia tot sæculis & antiquitus in vsu habuit? Exemplum petis? Audi quomodò hodiè in catholica Ecclesia in omnium nostrum persona & nomine oratum sit: *Deus virtutum, cuius est totum quod est optimum, infere pectoribus nostris amorem tui nominis, & præsta nobis religionis augmentum, vt qua sunt bona nutrias: ac pietatis studio qua sunt nutrita custodias.* An non tibi apta & hodierno Euangelio & Epistolæ conueniens videtur precatio? Aut rogas, quomodò? Audis in hoc Euangelio, Christum iustitiam à nobis exigere, nec tamen quamlibet. non quemadmodum Ethnici docuerunt, neque quemadmodum Iudaici Pharisei simulabant, & specie sola præ se ferebant: neque quemadmodum Iudæi nunc in vsu habent, sed Christianam & perfectam iustitiam. Audis in Epistola, Paulum ab omnibus baptizatis nouam vitam, imò nouum prorsus hominem exigere, quemadmodum Christus mortuus nouus homo, & ad nouam & æternam vitam resurrexit. Hæc summa est hodierni Euangelij & Epistolæ.

2.Efr.8.

Ioan.6.

Psal.118.

*Non ergo sufficit sola fides.**Precatio Ecclesia.*

Matth.5.

Roma.6.

Quod non vult audiri tantum, sed etiam in opus conferrè. Sed quis est qui id ex semetipso possit? Igitur apud Deum auxiliū quærendum. Idcirco nihil melius facere possumus, quàm vt Deo deferamus honorè & cū catholica Ecclesia dicamus: Domine apud te omne bonū est, à te venit omne bonum, tuū est, quicquid in nobis bonum est, tu ipse summum bonū es. Hoc verè esset Deo suum tribuere honorè. Nōdum verò satis est: sed quia iustitiā à nobis exigit, petere nos oportet, vt det nobis quod ad eam necessarium est. Quemadmodum olim diuus Augustinus faciebat & dicebat: Domine da quod iubes, & iube quod vis. Rogas, quid ad eam pertineat? Responsum: Amor diuini nominis, & affectus religionis. Ex amore & pio affectu omnia fiant necesse est quæcunq; facimus, alioqui non dicitur Christiana iustitia: Quo circa docemur primò rogare, Inscere Deus pectoribus nostris amorè tui nominis, & præsta nobis religionis augmentum, Deinde verò, quia Christus per Apostolum suum Paulum etiam nouam vitam exigit à baptizatis, rursus indigemus gratia Dei & auxilio. Absq; illo enim nihil possumus: qui quod bonum est in nobis orditur, & orsus est, is idem ad colophonem deducat, necesse est. En, propterea amplius rogare docemur, vt Deus in nobis nutriat ac augeat bonum quod in Baptismo accepimus: & illud ita augeat, vt studio pieratis in nobis vsque conseruetur. Sed vide iam an non hæc pulchra esset oratio super hodiernum Euangelium & Epistolam. Quid vera Christiana iustitia exigit amplius, quàm amorem nominis diuini, & religionis affectum? Quid nobis necessarium magis post Baptismum, quàm gratia Dei, quæ nos vsque adiuuet & perficiat? Hæc autem illa aded sunt, quæ Ecclesia hodiè petit. Et quí fieri possit, vt Euangelium istud & Epistola, non ferant fructus in nobis, aut vt Deus non det gratiam si illum sic inuocemus? Sed hoc nobis deest, vt dixi. Audimus multa, sed pro gratia impetranda nihil oramus. Vnde fit vt ijdem maneamus qui fueramus & sumus: imò propterea vniuersus mundus videre cogitur, vitam nostram nullo modo respondere Christianæ nostræ doctrinæ. Hoc hodiè consideremus.

Deus optimus maximus faxit, vt semper in nouitate vitæ & vera iustitia inueniamur, ne illius iudicium nos in veteri vita & iniustitia deprehendat, Amen.

*Augustin.*

*Rom. 6.*

*Vita nostra  
à doctrina  
Christi aliena.*

OCTAVA DOMI-  
NICA POST PENTE-  
COSTEN, EVANGELIUM  
LIVM MARC. VIII.

**C**um turba admodum multa esset, nec haberent, quod manducarent, accersitis ad se Iesus discipulis, ait illis: Misericordia tangor erga turbam, quia iam triduo manent apud me, nec habent quod edant: & si dimisero eos ieiunos in domum suam, deficient in via. *Ioan. 8.* Quidam enim ex eis est longinquo venerunt. Et responderunt ei discipuli sui: Unde istos quis poterit hic satiare panibus in solitudine? Et interrogavit eos: Quot panes habetis? Illi vero dixerunt: Septem. Et precepit turbae discumbere super terram. Et acceptis septem panibus cum gratias egisset, fregit, deditque discipulis suis, ut apponerent. Et apposuerunt turbae, & habebant pisciculos paucos, & cum benedixisset, iussit apponi & hos. Comederunt autem & saturati sunt, & sustulerunt quae superfuerant, fragmentorum septem sportas. Erant autem qui comederant ferme quater mille: & dimisit illos.

EADEM DOMINICA EPI-  
STOLA SANCTI PAULI,  
ROM. VI. CAP.

**F**ratres: Humanum quiddam dico propter infirmitatem carnis vestrae. Quemadmodum enim praevisis mem-

bra uestra serua immunditie & iniquitati ad aliam atque aliam iniquitatem, sic & nunc præbete membra uestra serua iustitie ad sanctificationem. Cum enim serui essetis peccati, liberi eratis iustitie. Quæ igitur fructū habebatis tunc in his, de quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors. Nūc uerò manumissi a peccato, serui autē facti Deo habetis fructū uestrū in sanctificatione, finē autē uitā æternam. Etenim auctoramenta peccati, mors: donū autē Dei, uita æterna, per Christum lesum dominum nostrum.

PRIMVS SERMO DE  
Euangelio in genere.

Ioan. 10.



N hodierno isto Euangelio Christus re ipsa & facto demonstrauit, quod aliās in Ioanne uerbis indicauit annunciauitq; Ego, inquit, ueni, ut oues meæ uitam habeant, & abundantius habeant. Dum enim populum tam mirabiliter pauit, manifestum indicium præbet, eum uitam seruare, atq; etiam dare posse. Quòd uirò incipit ac dicit, Misereor super turbā, argumento est eum uenisse ad auxiliandum nobis hominibus. Quod autē præter hæc omnia etiā prædicat & docet, indicio est, eum uitam abundanter dare & seruare posse, hoc est, nō solum corporaliter, sed etiam spiritualiter, nō modo hīc, sed etiā in futuro sæculo. Quisquis igitur nudo uerbo, ubi Christus ait, Ueni ut uitā habeāt, diffidit, is miraculū addat, uidebit uerba Christi nō inania esse uerba. E diuersò, qui usum huius miraculi nescit, uerbū iam dictū addat, uidebit & intelliget miracula Christi nihil esse aliud quā cōfirmationem uerborum Christi. Hunc in modum etiam cum alijs uerbis & operibus Christi facere nos oportet. Qui dubitat de uerbis Christi, is opera illius intueatur, quæ omnem ei tollent scrupulum, ut dicturus sit intra seipsum: Cur Christo fidem non haberem, cum tamen magnis & mirificis diuinisq; factis declarauerit se præstare potuisse quod loquitur & promittit? Idcirco ipse dicebat ad Iudæos: Opera quæ ego facio in nomine patris mei, hæc testimonium perhibent de me. & si non uultis mihi credere, operibus credite: ut cognoscatis & credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre. Sic dicebat etiam ad

etiam ad discipulos suos: Non creditis, quia ego in patre, & *Ioan. 14.*  
Pater in me est: alioquin propter opera ipsa credite.

Contra, si cogitationes tibi incidat, quã ob rem Deus hoc  
vel illud faciat aduerte ad illius verba, quæ inutiles illas cogi-  
tationes tibi excutient, vt apud teipsum dicturus sis: O homo  
tu quis es qui respondeas Deo? An nõ sufficit tibi, quum au- *Rom. 9.*  
dis q̄ omnia propter salutẽ tuam fecerit, & adhuc faciat? Sic  
& verba & opera in vera sua existimatione mansura essent.  
Quia verò pauci homines sunt, qui id faciunt & cõsiderant,  
fit, vt verbũ Dei nõ secus nec pluris æstimemus, quã hominũ  
verba, & vt quiuis os suum in cœlũ ponere velit, & Deũ iudi-  
care, cur vnumquodque faciat: id quod Deo in summã igno-  
miniam cedit. Hæc dicere volui pro initio huius Euangelij.  
Historiam iam aliquãto latius disquiremus. Cũ turba mul- *Marc. 8.*  
ta esset apud dominũ Iesum, nec haberet quod mãducarent,  
conuocatis discipulis, ait illis, Misereor super turbam: quia  
ecce iam triduo sustinent me, nec habent quod manducant,  
&c. Similem historiam etiam Marcus ante hoc Euange- *Marc. 6.*  
lium scripsit, & cũ illo reliqui quoque Euangelistæ, *Mat. 14.*  
*Luc. 9.* *Ioan. 6.* Quia itaq; etiam alijs temporibus, nimirũ  
Dominica Lætare, de eiusmodi miraculis dixi, hac vice pau-  
cis tantummodò verbis sententiam huius miraculi indicabo.  
Summa autem & præcipua sententia huius miraculi est, q̄  
illis qui Christũ sincero & recto corde sequuntur, & in sua  
vocatione manent seu perseuerant in finem vsque, necessaria  
& corporalis alimonia nunquã defutura sit. Nam qui tan-  
tam turbam etiam non rogatus paut: imò qui adhuc quoti-  
die omnes homines bonos & malos pascit, multò minus de-  
relinquet ipsi viuã fide adhærentes. Quapropter Christus  
hoc loco opere impleuit quod Dauid verbis dixit: Timete *Psal. 3.*  
Dominum omnes sancti eius: quoniam non est inopia timen-  
tibus eum. Diuites eguerunt & esurierunt: inquirẽtes autem *Psal. 36.*  
Dominum non minuentur omni bono. Et iterum: Spera in  
Domino, & fac bonitatẽ, delectare in Domino, & dabit tibi  
petitiones cordis tui. Nouit Dominus dies immaculatorũ,  
non confundentur in tempore malo, & in diebus famis satu-  
rabuntur. Et postea: Iunior fui, etenim senui: & non vidi iu-  
stum derelictum, nec semen eius quærens panem, &c. Sic ita-  
que Christus hoc miraculo docere vult, quod antea verbis  
docuit, vbi inquit: Quærite primũ regnum Dei & iusti- *Matth. 9.*

tiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Ideò ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neq; corpori vestro quid induamini. Scit enim pater vester quia his omnibus indigetis. Secùdò obserua, q̄ Christus in pascèdo hic populum, nō nouos facit panes aut creat, sed paucos panes multiplicat. Habet enim Deus multa media quibus vtitur ad pascèdos suos. Vulgatū medium, per quod nobis dat ea quibus ad sustentationē corporis naturalis opus habemus, est labor manuaris. Hoc medium ipse instituit & ordinauit, vbi ad Adam dicit:

*Gen. 3.* In sudore vultus tui vescēris pane tuo. Cæterū si hoc mediū fallat, habet Deus adhuc alia media, per quæ suis opem ferre

*Exod. 16.* potest. Potest enim de nouo cibū creare, vbi nullus est & erat. Sic Israëlitis dabat panē de cœlo in deserto, eūmq; nō semel tantūm, sed quadraginta totos annos. Sic etiam dabat crea-

*Exod. 17.* bātq; illis aquam ex dura petra, vbi antea nulla aqua erat. Sic

*Iudic. 15.* dabat & procurabat Samsoni aquam è dente aridi ossis asinī

*3. Reg. 16.* demortui. Secundò etiā Deus multiplicare potest, quod modicum est. Hunc in modum multiplicabat viduæ Sareptanæ pugillum farinæ, adeò vt ipsa & eius filius, quin etiam Pro-

*4. Reg. 4.* pheta Elias satis ad manducandum haberent toto tempore famis, quæ tres annos & sex menses durabat. Sic multiplicabat etiam Deus alij viduæ lecithum olei, ita vt nō solūm alienum æs persolueret, sed ipsa & duo filij eius inde viuerēt. Eodem modo quoque pascebat Deus tempore Helisæi centum

*Dent. 9.* homines viginti panibus, quos sic multiplicabat. Tertiò po-

*3. Reg. 19.* test Deus suos etiam sine corporali cibo seruare. Sic seruabat Moysen in monte Syna 40 dies absq; omni cibo. Similiter & Eliam fugientē Iezabel. Sunt autē hæc omnia literis mādā-

ta, ne ilicò animum despondeamus, si manuarium opus nos frustretur & fallat: quādoquidem Christus tot mēdia habet

suos seruandi. Equidem, inquis, scio Deū hæc posse, scio item illum hæc aliquando fecisse: num in me idem facturus sit, id

verò dubito. Hac itaq; obserua historiam, & videbis, eum idē etiam nunc velle facere, nō tibi modò, sed vnicique qui illi

ex animo confidit, Etenim primò vides in hac historia, quòd Christus ipse incipit loqui de cibatiōe populi, omnibus alio-

qui tacentibus: nemo petere audebat, nemo cogitare aut sperare poterat, se in eo loco pastum iri. Misereor super turbam

(inquit.) Et hoc quid aliud est, quā argumentum, q̄ ei cura de nobis est? Ad hæc dicit, Non dimittam eos ieiunos in do-

mmum suam.

num suam. Quod rursus indicio est, quod velit nos alere. Huc pertinet, quod non semel, sed his populum pavit, ad iudicium, quod suos non solum spiritualiter, sed etiam temporaliter alere velit.

Vnde David non ab re dixit: Dominus sollicitus est mei: & *Psal. 38.* hoc nobis etiam promittit Petrus inquit, ut omnem sollicitudinem nostram in Deum projiciamus: esse enim curam et de nobis. Sed quid de Davide solum dico & Petro, cum ipse Christus *Matth. 6.* nos doceat, ne solliciti simus quid manducemus? &c. Deum namque patrem nostrum scire, nos his rebus opus habere. Dicit alibi, nempe *Ioan. 16.* Patrem nos amare. Et *Luc. 12.* hortatur ne timeamus, neque simus pusillanimes, Patrem enim celestem velle nobis dare eternum suum regnum. Quae omnia eodem spectant, ne de Deo unquam desperemus. Non absque causa autem Scriptura tot in locis eodem directa est, ut nobis diffidentia erga Deum ex animis nostris eximatur, quando ea ipsa nihil non mali in terras inuehat. Vnde enim tot leues mulieres, tot fures & latrones, tot mendacia & fraudes in omnibus negotiis & officijs: imo vnde omnis auaritia suam originem habet, quam ex hac diffidentia erga Deum? Omnes timent, ne si probitate & integritate sese deberent alere, inopiam pati cogantur: perinde ac si Deus non opem ferre & alere possit, nisi malae artes adhibeantur. Et diuerso autem, ubi viva fides & religiosa fiducia in Deum est, omnia bona consequuntur, nimirum amor Dei, obedientia, oratio, gratiarum actio, &c. In hoc itaque inseruit nobis historia ista, ut discamus Deo pie fidere & credere. Nam qui quod maius est dedit, non denegabit quod minus est. Nonne anima plus est quam aescula: & corpus plus quam vestimentum, inquit Christus? Quod si igitur Deus sine nostro rogatu, imo sine cogitationibus nostris vitam & corpus largitus est, parum fidei nos esse homines oportet, quod propter cibum & amictum tam sumus pusillanimes & desperabundi. Tertio videmus in hac historia apud exemplum Apostolorum, quam res sit magna, sublimis & difficilis, Deo, ita ut oportet fidere, maxime si nullum externum praesidium adsit. Hoc (inquam) ex Apostolorum exemplo discere possumus. Quippe non pudet eos proprios defectus & imperfectionem literis mandare. Atqui prius viderat, quod Christus quinque pauperibus quinque *Ioan. 6.* millia hominum paueret. Idque non multo antea contigerat, ita ut id ipsum adhuc in recenti memoria Apostoli habere merito debuerint. Attamen quia rursus in necessitate sunt, non am-

plus meminerunt prioris miraculi : perindè se gerunt & faciunt, ac si simile nunquam vidissent aut audiissent: imò simpliciter impossibile esse opinatur tot homines in deserto pasci

*Marc. 8.* posse: id quod verba eorum arguunt. Vnde (inquirebatur) illos quis poterit hie saturare panibus in solitu dine? Et tamè plures nunc panes, & pauciores homines habebat, quàm in prioribus miraculis.

*Iean. 6.* Tum enim nõ nisi quinque panes habebat, & tamè hominũ erát quinque millia: nunc verò duos panes plures, & mille homines pauciores habent. Siquidè hac vice quatuor millia hominũ solũ erant, panes autè septè. Verútamen æquè impossibile ducebát, quatuor millia hominum septem panibus saturari posse, ac prius, cũ quinque hominum millia

*Tentationis natura.* quinque panibus essent pascendi. Sed hæc tentationis natura est, vt hominĩ omnè memoriã & recordationem tollat prioris beneficij. Id ipsum nobis quoque vsu venire solet. Quis est enim inter nos, qui si superiorè vitam animo secum recolat, nõ apud seipsum dicat: Vide, tanto tẽpore me Deus nutrit, ex his atque illis periculis me eripuit, ab hoc vel illo homine immunè me seruauit, hanc & illam mihi fortunã obtulit, &c.

Hoc dicimus & confitemur omnes, attamen si in præsentia aliud nobis obuerfetur periculũ, omnium rerũ præteritarum obliuiscimur: tremimus & pauemus, ac si nihil vnquam boni ab ipso accepissemus: imò etiã nihil boni vnquã de illo audis-

*Num. 14.* semus, vt meritò ad nos quoque dicere possit, quod olim ad Israëlitas nõ sine obiurgatione dicebat: Quousq; non credet mihi in omnibus signis quæ feci eis? Et quẽadmodum Christus in Euangelio dicit Matth. 17. O generatio incredula & peruersa, quousque ero vobiscum? vsquequò patiar vos? Si te hæctenus aluit Deus, quẽadmodum ipse confiteri te oportet, quur igitur nunc de illo dubitas? Quòd si illũ in omni tua superiori vita clemètem, beneficũ Deũ inuenisti & expertus es, cur eum in præsentì necessitate pro immisericordi Tyranno iudicas? Cur nõ illi tribuis honorẽ, q̃ bonus sit? An putas illi placere debere, aut impunè dimissurum, q̃ tam iniquè de illo sentis, qui tamen omnia facit & eò dirigit, vt bonus agnoscat? An nõ peccatũ grande est ignominia, & cõtumelia Dei, si illũ pro duro, infideli, immisericordi ducas, cũ tamè omnia illius verba & opera clament & indicent, eũ bonum esse? imò an non est hoc eum blasphemare & mendacem facere? Attamen tam cæci sumus, vt id pro peccato non reputemus, cùm tamen pec-

tamen peccata eiusmodi grauissima sint, vt quæ contra primum mandatum fiant. Dicit Deus, Ego sum Dominus Deus *Exod. 20.* tuus, non habebis deos alienos coram me. En, hîc Deus ante omnia postulat, vt eû solum pro Deo nostro habeamus, hoc est, omnia bona ab illo piè speremus expectemusque in omni necessitate ad illum curramus, de bonitate illius nunquã diffidamus, &c. Hoc illud est, Ego sum Deus tuus. Sed quomodò illum pro Deo tuo reputabis, si nec ventrem illi credas, & in *Cur affligat* minimo de bonitate eius dubites? Summa, ideò Deus nos in *nos Deus.* præsentia affligit: vt per hoc admoneamur superiorû eius beneficiorum, vt ex illis beneficijs, quæ iã pridè accepimus, etiam in præsentia necessitate discamus omnia bona ab ipso petere & sperare. Nã qui in nobis in multis alijs auxilio fuit, in hoc vno nos nõ deseret. Huc pertinet, quod in Isaia dicit, Noli ti *Isa. 43.* mere, quia redemi te, & vocaui te nomine tuo, meus es tu. Cùm transferis per aquas, tecum ero, & flumina non operiẽt te: cùm ambulaueris in igne, non comburẽris, & flamma non ardebit in te: quia ego Dominus Deus tuus, sanctus Israël, saluator tuus. Et iterum dicit: Noli timere: quia non confundẽ- *Isa. 54.* ris, quia dominabitur tui qui fecit te: Dominus exercituum nomen eius: & redemptor tuus sanctus Israël, Deus omnis terre vocabitur. Et rursum in Dauide Psal. 49. dicit: Audi populus meus, & loquar: Israël, & testificabor tibi, Deus Deus tuus ego sum. Et post, Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me. Quartò obserua circa istud Euangelium, quòd Christus non nisi bis populum corporaliter paut, sæpè autem spiritualiter pane sui verbi. Quo indicauit, se potissimum animarum salutem querere. Simulque docere nos voluit: vt animæ cibum plus & diligentius queramus, quàm cibum corporalem: imò maiorem curam animæ quàm corporis gerere debemus, quando non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Verbum Dei *Deut. 8.* etiam sine externo pane spiritualem simul & corporalem vitam seruare potest: cùm tamen corporalis panis sine recta fide & Dei verbo sumptus, etiam naturalem vitam tueri non possit. Huc pertinet allegorja de spiritali pascendi ratione, qua adhuc Christus in mundo nos pascit, de qua alibi dixi. Vnũ iam addo, qd Christus bis populũ paut. Primò quinq; *Dupliciter pa-* nũc verò septẽ panibus. Duplici enim modo pascit nos Deus *scit nos Deus* spiritaliter, lege & Euangelio. Lex per quinque panes hor- *spiritali cibo.*

deaceos denotatur. Vt enim hordeum intus granum habet, exterius autem hispido folliculo reatum est: ita lex spirituales intellectum intus continet, sed forinsecus multifarijs figuris tecta. Verum in nouo Testamento panes multiplicati sunt. Sed non sunt hordeacei panes cum setosis folliculis: quippe gratia multiplicata est, ceremoniarum & figurarum abrogatarum. Atque hoc pacto vides, Christum eum esse, qui nos corporaliter iuxta *Psal. 33.* & spiritualiter pascit. Gustate itaque & videte, quoniam suavis est Dominus: beatus vir qui sperat in eo.

## S E C V N D V S S E R M O

*de prima parte hodierni Euangelij.*



**A**VDIVISTIS modò, quid nobis Christianis hodie in hac Evangelica lectione propositum sit: nimirum in signe miraculù, quod Christus olim in populo famelico fecit. Non dubito, quin multi vestrum iam nunc intelligant, quorsum tendat historia illa: nulla idcirco pro suis personis *Luc. 8.* opus habituri ampliori explanatione. Attamen quia non *Marc. 10.* omnibus hominibus datum est, mysteria regni Dei tam facile intelligere: & Christus vult, vt sibi etiam pueri adducantur: imò quia predicandi munus propterea in sancta Christianitate institutum est, vt palam & omnibus creaturis prædicetur, quod Christus clam & in aurem dixit, in simplicium *Matth. 10.* gratiam paucis indicabo, quis istius Euangelij sit scopus, & quid ex eo discere debeamus. Primò in genere, deinde speciatim. In genere de hoc Euangelio & historia dicere, nihil est aliud, quam quod David multò antè de Christo dixit: *Psal. 44.* Speciosus forma (inquiens de Christo) præ filijs hominum, diffusa est gratia in labijs tuis propterea benedixit te Deus in æternum, &c. Hic iam aperi oculos tuos o bone Christiane, & vide quomodò Christus stet inter turbam tam misericordi & benigno corde, cum tam humilibus & amabilibus gestibus, manu tam liberali, & tam beneficis operibus: cogaris & tu cum Davide dicere: Domine Christe speciosus es forma præ filijs hominum, certè enim nõ inuenies ei parem pulchritudine inter nos omnes filios hominũ, etiãsi omnes historias euoluas. Aperi deinde aures tuas, & attēde ad verba quæ Christus in hoc Euangelio loquitur, quãquã pauca admodum sunt, fateberis non nisi gratiam esse in eius ore & labijs. Quæ  
duo si

duo si coniungas, verba scilicet & opera eius, videbis Paulum  
 rectè dixisse: vbi inquit? Benignitas & humanitas apparuit sal  
 uatoris nostri Dei. Hoc nos docet istud Euangelium in gene- *Tit. 3.*  
 re: nimirum vt oēs Christum tāquā visu & auditu gratiosum  
 & amabilē, agnoscamus, accipiamus, eūque sequamur. Cæte-  
 rum si quis Euangelium istud per partes explicatum velit, &  
 id faciam quā breuissimè. Etenim primò confirmat Euange *Fides.*  
 lium istud & historia fidem nostrā, quā habemus in Christū,  
 & omnē incredulitatē vel diffidentiam excludit. Secūdò, cor- *Spēs.*  
 roborat & fulcit spem nostram ac fiduciā erga Deum, & tol-  
 lit nobis omnem pusillanimitatem ac desperationem. Tertio *Charitas.*  
 docet verā Christianam charitatē & beneficētiam: simulque  
 dānat superbiam nostrā & auaritiā. Quartò, etiā conditionem  
 nostrā nobis ob oculos ponit, & ostendit nobis verā viam ad  
 salutem. Ea autē talia omnia sunt, quæ scire Christiani refert.  
 Quā ob rem de vnoquoq; aliquantò plus dicā. Primò confir-  
 mat Euangelium istud & historia fidem nostrā in Christum,  
 in quem certò credimus & cōfitemur, quòd is ipse crucifixus  
 Christus verus Dei filius & Deus sit, contra omnes blasphe-  
 mias Iudæorum, Ethnorum, & nonnullorum hæreticorū.  
 Siquidem in hodiernum verum adhuc reprehenditur, quod *1. Cor. 1.*  
 Paulus suo tēpore dicebat: Christum Iudæis esse scandalum,  
 Gentibus autem stultitiam, nihilominus verò tamen is ipse  
 Christus nobis credētibus est Dei virtus & sapientia. Id quod  
 egregiè ex hoc Euangelio cōuinci potest. Increduli Iudæi ten- *Exod. 17. est ne de-*  
 tabant olim Deum probaturique cogniturique num verè in- *in nobis: an nō?*  
 ter ipsos esset, si cibum dare possēt. Interrupit petram (inquit *Psal. 77.*  
 bant.) & eduxit aquā, nunquid, dixerunt, poterit parate men-  
 sam in deserto? perinde ac si dicant: Si hoc potest, vtique Deus  
 verus est: si facit, sine dubio apud nos & inter nos est. Ad  
 quod dico ego: Age vos increduli Iudæi, si vultis eū pro vero  
 Deo habere & ducere, qui populo suo mensam parare potest  
 in deserto, accipite istud Euangelium: isthuc videbitis Iesum  
 Nazarenum id potuisse, fecisseque. Etenim primò stat hīc in  
 deserto, vbi neque ciuitates neque pagi, neque domus neque  
 villa, neq; arca, neq; penu, sed nil nisi lapis & lignum, folia &  
 gramina. Secūdò, non solū stat, sed quatuor millia hominum  
 cum eo, qui omnes esuriebant: triduum eum expectauerant,  
 cōmeatus nihil habentes. Tertio, comperimus etiā discipulos  
 nō amplius septem panibus habuisse, & paucos pisciculos: at-

tamen protinus absq; omni mora populum discūbere iubet, mandans Apostolis, vt de septē panibus illis apponant, donec omnes saturi essent. An non autem hoc parare mensam est in deserto? Quomodò igitur vos Iudæi de illo dicere ausi fuistis. Hunc nescimus vnde sit: Imò sanè mirabile est (vt cæcus dicebat) quia vos nescitis vnde sit, qui tanta fecit miracula. Enimuerò scimus, Deum peccatores non exaudire: ab initio mundi nunquàm auditum est, hominem aliquem tale miraculum fecisse. Quapropter confidenter dicere possumus. Nisi esset hic à Deo, imò nisi ipse esset Deus, non poterat facere quicquàm eiusmodi. Ad hæc, vos Iudæi sepè ad illum dixistis, Quid signi nobis facis, ex quo videre & credere possumus, te à Deo aut Dei filium esse? Imò si signa petitis, ecce in hoc Euangelio inuenitis illa, & nō vnum sed multa, non parua sed magna, non falsa aut fallacia, sed certa & vera signa. Etenim primò magnum signum est, quòd septem panibus quatuor millia hominum pavit: adhuc maius signū est, quòd tot homines tam paucis panibus non solum pavit, sed etiam expleuit. Omnium autem maximum est, quòd ab ijs qui comederant & saturati erant, plus sit reliquum factum, quàm panes primò fuerant. An non hæc tibi sufficiunt signa? Hic vides fieri natura quiddam maius, imò præter omnium spem & fidem. Neque hinc dicere vos Iudæi potestis, id eum fecisse virtute & præsidio diaboli, quemadmodum aliàs calumniabamini. Quia enim diabolus hostis hominum est, non tantum illis fauet, vt eos in fame ipsorum pascat. Atque idè etiam hinc nihil aliud est, quàm digitus & potestas Dei. Sic ergo confirmat hoc Euangelium fidem nostram in Christum: demonstrat & conuincit, eum verum esse filium Dei & Deum. Et propterea etiam dissipat tanquàm dura petra, omnem incredulitatem & contradicendi libidinem Iudæorum, Gentium & Hæreticorum. Hoc lætamur nos Christiani, & alacres dicimus cum Moyse: iste Deus meus, & glorificabo eum: Deus patris mei, & exaltabo eum. Et cum Isaiâ: Ecce Deus noster iste, expectauimus eum, & saluabit nos: & lætabimur in salutari eius. Tantum de primo. Secundò, confirmat hoc Euangelium etiam spem & fiduciam nostram, sicque consequenter etiam consolatur nos in omni necessitate: quod tamen vel solum Euangelium istud nobis commendat: us efficere debebat. Quæ autem est spes & fiducia hominis Christi

nis Christiani? Primò certum est, cum non in seipso sperare aut fiduciam collocare. scit enim omnes homines esse mendaces, & qui hodiè stat, cras potest cadere. Secundò, non fidei suæ iustitiæ aut probitati. scit enim, quòd etiamsi omnia fecimus quæ præcepta sunt nobis, inutiles tamen serui simus, vt habetur Luca 17. Tertiò, non ponit spem suam in mortalibus hominibus. scit enim scriptum esse, Esa. 40. Omnis caro scœnum. Et iterum Hiere. 17. Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum. Quartò, nō ponit homo fiduciam suam in diuitijs huius mundi, quandoquidem eas Paulus. 1. Timot. 6. vocat incertas diuitias. Et Sapiens Prouerb. 11. dicit apertè: Non proderunt diuitiæ in die vltionis. Quintò, non collocat Christianus spem suam & fiduciã in mundana potentia. scit enim omnem potentiam & fortitudinẽ huius mundi nihil aliud esse, quàm baculum ex arundine factum. Sed dicit cum Dauide: Dominus fortitudo mea, in eo sperabo. Et iterum Psal. 51. Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei speraui in misericordia Dei in æternũ, & nomen eius expectabo. Et rursus Psal. 72. Quid mihi est in cœlo? & à te quid volui super terrã? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Hic audis, quòd credentes spem suã & fiduciam in Deo ponunt. Atqui Deus seipsum totaliter & penitus expressit & exhibuit in Christo, quemadmodũ Christus ipse dicit Ioan. 14. Qui videt me, videt & Patrem meum. Omniaque sua bona in Christũ effudit: omnia nobis per illũ dedit, & proposuit eum propiciationem internos & ipsum. & omne iudicium ei tradidit, ideòque nostram spem & fiduciam in Christo nos collocare oportet, quemadmodũ ipse docet & iubet, Ioan. 16. Confidite (inquit) ego vici mūdum. Atque hanc nostram spem seu fiduciam in Christum, constabilit & auget hodiernum istud Euangelium, proponendo nobis Christum, tanquàm potentissimum, cui nihil impossibile, omniumque benignissimum, & qui omnium ad ipsum ex animo sese conuertentium, libenter miseretur. Potentiam eius, & quod omnia possit, miraculum satis arguit. Nam si septem panibus quatuor millial hominum pascere potuit, & ita, vt sint omnes exaturati, & tamen septem cophini panum superfuerint, nihil certè ei impossibile fuerit. Quòd autem etiam omnium sit benignissimus, omnes indicant circumstantiæ. Primò nanque, antequàm homo aliquis ex turba

Psal. 114.

1. Corint. 10.

Ezech. 29.

1. Reg. 22.

Roma. 3.

Ioan. 5.

Bonitas Domini Iesu.

- petebat, pruenit, vltro incipit, conuocat suos discipulos, consultat cum illis, quomodo populo succurri possit. Et quid per hoc aliud indicauit, quam quod curam pro nobis gerat & habeat? Vnde Petrus fidenter nobis acclamat, vt omnem nostram sollicitudinem in eum, hoc est, in Christum proiciamus. Secundò, loquitur Christus tam humaniter & consolatoriè, vt homini præ gaudio cor exiliat meritò. Misereor super turbam, inquit. O verbum consolatorium. Legimus in veteri Testamento, quanto olim Patres desiderio & gemitibus Dei implorauerint misericordiam. Vbi sunt misericordiae tuae antiquae Domine (inquit David) vsque quò Domine auertis in finem: exardescet sicut ignis ira tua?
- Psal. 84.* Item: Nunquid in æternum irasceris nobis Domine? aut extendes iram tuam à generatione in generationem? Ostende nobis Domine misericordiam tuam: & salutare tuum da nobis. Et iterum: Voce mea ad Dominum clamaui: voce mea ad Deum, & intendit mihi. Et post: Nunquid in æternum proiciet Deus, aut non apponet, vt complacentior sit adhuc? Aut obliuiscetur misereri Deus? aut continebit in ira sua misericordias suas? Nunc verò hic stat Christus, & dicit: Misereor super turbam. perinde ac si dicat, tempus iræ præterit, tempus gratiæ adest. Iam cogito non amplius cogitationes afflictionis, sed cogitationes pacis. Et quid iucundius hoc verbo Christi? Tertio, quò omnes videant & intelligant, eum neminem à misericordia sua excludere velle, non dicit, Misereor super meos discipulos, aut, super bonos, qui in hac multitudine sunt: sed in genere loquitur, Misereor super turbam: in qua proculdubio non solum multi pauperes & ægroti, sed multi etiam peccatores fuerunt. Attamen Christus nullum eorum segregauit. & misericordia sua exclusit: sed paratus fuit resipiscentibus & pœnitentibus veniam dare. Et cui verbum hoc non solatium præbeat, qui vel semidesperatus sit? Maxime verò consolatorium est. quò dicit, se scire quid causa sua fecerint, quid nunc paterentur, & quid periculi eis immineret. Triduo sustinent me, inquit: nec habent quò manducent: deficient in via. Quomodo autem Christus spem nostram efficacius confirmare potuisset? An non solatio alicui sit, imò incitamento, tantò firmitus Deo adhærendi, si cogitet, & apud sese possit dicere: Deus scit quid illius nomine & obedientia faciam: Deus scit, quid patiar: Deus scit, quid mihi im-

mihî immineat. Idcò omnes meas cogitationes in illum iacta-  
 bo: ipse enutriet me. Et hoc est quod Christus alio in loco di-  
 cit: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego *Matth. 11.*  
 reficiam vos, & inuenietis requiem animabus vestris. Et ite-  
 rum: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Vide, hoc pacto no- *Ioan. 7.*  
 bis admittit Euangelium istud omnem causam pusillanimitatis,  
 diffidentia & desperationis. Nam si quem pristina peccata plus æquè deterrent, is verbum illud sibi dictum existimet,  
 vbi Christus ait, Misereor super turbã. Imò quis non in pec-  
 catis suis animum despondat, si non sciremus misericordiam  
 apud Dominum Christum esse, & copiosam redemptionem? *Psal. 229.*  
 Porrò qui dubitat, num Deo notù sit, quid eius causa faciamus,  
 is ad verbum animum aduertat, quod Christus dicit, Triduo me sustinet  
 Qui verò dubius est, num Deus perspectam habeat inopiam & indigentiam suam, attendat quod  
 Christus ait, Non habent quod maducent. Atqui si quis ambigit, num  
 Christus auxiliari nobis velit, is consideret verbũ, quod Christus in  
 Matthæo dicit, Dimittere eos ieiunos nolo. Hic audis, quòd Christus nolit nos ope sua destituere. *Matth. 15.*  
 Ecquid amplius vis? Aut quam causam pusillanimitatis habes? Si multum solatii habere possumus in paucis & breuibus  
 verbis, quæ Christus in hoc Euangelio loquitur, quid solatii inuenturi  
 essemus, si omnia eius verba ad animum reuocaremus? Domine (inquit Petrus)  
 verba vitæ habes, ad quem ibi *Ioan. 6.*  
 mus? Tantum de altera parte. De reliquis duabus partibus, in sequenti sermone  
 audiemus. Nunc discamus tum fidẽ tum spem nostram ex hoc Euangelio  
 confirmare, ad eum modũ, vt auditum est. Deus nobis suam largiatur gratiam. Amen.

TERTIVS SERMO DE AL-  
 tera parte huius Euangelij.



**C**IRCA hodiernum Euangelium rectè & merito dicere possum, quemadmodũ & in reliquis, bonum & summè necessarium esset, vt eiusmodi Dominicalia Euangelia summa cum diligentia consideraremus, & nostris inscriberemus pectoribus: siquidem non casu, sed singulari studio selecta, atque ita ordinata sunt, vt super eum tempore cõgruãt. Id quod cum primis in hodierno Euangelio videre est, quod ita ordinatum est, vt plerũque in messem cadat. Et quid con-

gruentius illo tempore legi possit? Ex hoc enim miraculo possunt simplices, qui per totam septimanam in agro laborant & fructus colligunt, discere, cui etiam eiusmodi fructus transcribere debeant, nimirum non terræ, neque proprio suo labori, sed potissimum Deo. neque enim qui plantat (inquit

*1. Cor. 3.* Paulus) aliquid est, neque qui rigat, sed qui incrementum dat: sed hoc facere nemo potest, præter Deum. In hoc Euange-

*2. Corint. 12.* lium istud tempore messis legitur, vt Deo ante omnia simus memores, qui non solum seminanti administrat semen suum, sed facit etiam, vt crescat semen & fructus adferat: quin etiam panem dat ad manducandum, vt Paulus dicit. Adhæc, potest nobis Euāgelium istud & miraculū etiam alijs in rebus

I. circa messem nostram inseruire. Primò nanque audimus & videmus in eo, quid magni Christus promittat & de sese-

II. quentibus. Secūdo discimus ex eo, quomodo fructibus, quos Deus nobis è terra largiatur, vti debeamus: nimirum cū lau-

III. de Dei & gratiarum actione. Tertiò per hoc commonemur mirabilium operum Dei, quæ adhuc semper inter & apud

nos facit: nimirum vt paucis frugibus quadruplo maiorem numerum hominū & pecorum pascat & seruet. Pater meus

(inquit Christus Ioan. 5.) vsque modò operatur: & ego operor. Hoc qui consideraret, non minus admiraretur, gaude-

ret, Deoque gratias ageret, quàm ij fecerunt quos Christus semel pavit corporaliter. En, propterea Euāgelium istud cir-

ca hoc tempus vt legatur ordinatum est. Et quis hoc reprehē-

det aut damnabit, qui modò sanæ mentis est? Deinde quan-

quàm nobis Euāgelium istud multa alia proponit, quæ Euāgelium superioris Dominicæ: attamen vtraque Euāgelia re-

ctè sese consequuntur. Quinimò sic postulat necessitas, vt nō

semper eadem proponantur, sed vicissitudine seruata, nunc quod fidem ædificat & constabilit, nunc quod ad bonos mo-

res & Christianam conuersationem facit: interim quod nos consoletur, interim verò quod terreat. Nam horum si ali-

quod intermittatur, hoc instat periculi, vt in alteram partem nimium procumbamus, aut ad desperationem, aut ad leuitatem. En, propterea sic ordinatum est, vt fermè per totum

annum Euāgelia legantur, nunc quòd solatium, nunc quòd doctrinam præbet: tum verò etiam quòd metum nobis incutit. Imò hoc Christus ita fecit: quandoque nihil aliud quàm

verba consolatoria locutus est: quandoque autem docuit

etiam &

*Nō semper eadem proponēda.*

etiam & indicauit quid nos agere velit. Ita quoque in hoc Euangelio valde consolatorium est, quod dicit, Misereor super turbam: imò quòd turbam tam mirabiliter pascit. Mox verò etiam alia indicantur, vt pote quibus hominibus eiusmodi misericordia contingat, & qui ea digni sint. Nimirum qui è longinquo veniunt, hoc est, peccata deserūt. Peccatum enim diuidit inter hominem & Deum: facit vt procul à Deo & regno eius disiunctus sit, vt etiam in filio prodigo videre est, Luc. 15. & David apertè dicit, Psal. 118. Longè à peccatoribus salus. Deinde etiam ijs misericordia Dei digni sunt, qui apud Christum perseuerant, & non simpliciter, sed triduum, hoc est, initio, medio & fine huius vitæ. Id ipsum & in alijs Euangelij spectare licèt. Inconsultè itaque factū, vbi tam bona tamq; utilis ordinatio temerè reijcitur & contemnitur. Qui hac in re tutissimus esse vult, imitetur Isaac: non effodiat nouos puteos, sed contentus sit ijs quos patres sui foderunt: curet verò vt mudentur, & terra qua eos Palæstini oppleuerāt, perpurgetur. Hoc qui facit, ei aqua cōsolationis & doctrinæ nunquā deerit. Videbimus iam quid Euangelium istud nos porrò doceat. In sermone proximè præterito dixi, bonum quemque Christianum quatuor habere quæ in isto Euangelio cōsideret: quorum duo priora indicaui, nimirum quomodò Euangelium istud nobis fidē confirmet & spem erigat: Duo posteriora nunc audiemus, nimirū quomodò Euangelium istud calcar nobis addat ad veram charitatem, & quomodò in ea conditionem nostram videre & agnoscere possimus. Dico ergo primò, quòd nobis Euangelium istud non solūm fidē nostrā confirmat, spem & solatiū præbet, sed docet nos etiam veram charitatem & beneficentiā, quæ nõ minori diligentiā consideranda & accipiēda sunt, quàm duo priora illa, etū ægrius intrat in animos nostros. Non solūm, inquā, fidē & spem ex hoc Euangelio cōfirmare nos oportet, sed etiā exemplum ex eo capere: non vt conemur miracula facere, vt quod nobis datum non est: siquidem peculiare hoc Dei donum est, vt Paulus ait, sed tale tamen donum, quod ex seipso hominem meliorem non facit. Dicit enim Christus multos pseudoprophetas signa facturos, & venturos, multos in extremo iudicio, ac dicturos: Domine, nõne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Iudex autem non agnoscat illos, sed

*Deus quibus  
benignus sit  
& propitius.  
Esa. 53.*

*Gene. 26.*

*Innouatores,  
meritò cauendos.*

*1. Corint. 12.*

*Matth. 7.*

*Matth. 24.*

cum illis qui iniquitatem operati sunt, ad gehennam mittet. Alia sunt, in quibus Christum debemus ac oportet nos

*A Christo*  
*quid discēdū.* sequi. Non enim dixit, Discite à me mortuos suscitare, & multa milia hominum paucis panibus pascere & explere: sed dicit, discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Et ite-

*Ioan. 13.* rum: Si ego laui pedes vestros dominus & magister: & vos debetis alter alterius pedes lauare. Exēplum enim dedi vobis, vt quemadmodū ego feci vobis, & vos faciatis. Et iterum ibidem: Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos, vt & vos diligatis inuicem. Sic & Christus in hoc miraculo tribus in rebus seipsum nobis exempli loco dedit ac proposuit: nimirum in humilitate morum &

*Christi humi*  
*litat.* gestuum, in comitate verborum, & in bonitate operum, Etenim primò quāuis vnicus naturalis filius Dei, atq; adeò etiam Deus erat, non tamen efferebatur diuinitate sua, egenos homines non contēnebat: non præteribat vidēs eorum defectum, sed consistens vertit se ad illos, compatiebatur illis, & opem ferebat. Si regis aut principis filius similiter faceret, omnes homines demirarentur, & in omnia Chronica

*Superbia ho-*  
*minum.* referretur, quemadmodū à plerisq; factum. Adeò rara & insolita res est apud Adæ filios, cū quis in externa potentia & diuitijs humilis est, & pauperes non contemnit. Hic autem filius Dei exhibet sese omnium humillimum: quo nostra taxatur arrogantia, qui tam leuibus ventis inflamur ad superbiam. Quid magis fluxum diuitijs, ob quas tamen multi homines intumescunt & superbiunt? Quid infirmius mundi potentia, qui neque seipsum, neque amicos à morte eripere potest? Attamen extollimus nos, & superbumus ob talem potētiam. Quid vilius & inutilius quàm generis & nobilitatis gloria? neq; enim hominem probiorem facit in anima, neq; in corpore saniolem, neq; viuaciorem: attamen mirum, quàm hinc Adæ filij efferantur & turgeāt. Sed quid superbis terra & cinis? cū in hoc Euangelio filium Dei tam humilem videas in promiscua multitudine agentem, perinde ac si nihil maius sit ac habeat quàm ipse

*Phil. 2.* Deinde etiam pro exemplo accipere debemus quod Christus tam humaniter & cōpatienter loquitur. Misereor super turbam, inquit. Vtinam omnes homines hunc haberent affectum. Atqui vult Paulus vt omnes hoc animo simus, atque illud in nobis sentiamus, quod in Christo videmus, & de illo

Illo audimus. Cùm esset in forma Dei (inquit Paulus) neq;  
 illud haberet ex rapina, sed natura, attamen exinaniuit se, for-  
 mam serui accipiens, humiliavit semetipsum, factus obediens  
 vsq; ad mortem, mortem autem crucis. Hic discite iam pri-  
 mum vos Prælati, Pastores & Moderatores Ecclesiæ, vt &  
 vos secundum exemplum Christi misereamini super turbam.  
 Siquidem profectò periculosis his tēporibus, imò in hac ma- *Hæreses & se-*  
 xima perturbatione sanctæ Christianitatis, omnis populus *etæ in Eccle-*  
 in vos respicit, à vobis auxiliū desiderant, vos expectāt, quā- *sia.*  
 do semel expergiscamini: etsi dormire pergitis, succumbent  
 in via. nō habent enim quod amplius manducant, adeò peni-  
 tus illis Satanas omnē panis & spiritualis cibi cōmeatū sub-  
 straxit, aut erroribus perdidit. Cogitate quā malè nunc aga-  
 tur in sancta Christianitate: quā sit miserè scissa in tot sectas  
 & errores: quā multa millia hominū iam pridē interierint, *Ezech. 33.*  
 & quā innumeri adhuc diaboli laqueis captiui teneantur.  
 Ne finite rem eò devenire, vt horribilis sententia Dei in vo-  
 bis compleatur, qua indiligentibus Pastoribus & custodibus  
 minatur, se sanguinem omnīū eorū qui per ipsorum negligē *Officiū seculari-*  
 tiam pereunt è manibus eorum requirere velle. Discite de in- *ris Magistra-*  
 de etiam vos Principes & Regentes, quibus secularis gladius *ius.*  
 commissus est, Discite (inquam) vt etiam vos misereamini su-  
 per turbam. Officij vestri est, vt malos prohibeatis, eisque re-  
 sistatis, bonos adiuuetis, iustitiam exequamini, viduas & pu-  
 pillos defendatis: videte quo pacto illud faciatis, explore *Sap. 5.*  
 quomodò præfecti vestri hic sese gerant. A vobis ratio posce-  
 tur, potestas vobis diuinitus data est, & fortitudo ab altissi-  
 mo: is interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur:  
 quoniam cùm essetis ministri regni illius, non rectè iudica-  
 stis, nec custodistis legem iustitiæ, neque secundum volunta-  
 tem Dei ambulastis. Horrendè & citò apparebit vobis: quo-  
 niam iudicium durissimum in his qui præsumunt, fiet. Quapro- *Amos 6.*  
 pter caute, ne hæc verba Prophetæ in vobis compleantur,  
 Væ qui opulenti estis in Sion, & confiditis in monte Sama-  
 riæ, optimates, capita populorum, qui dormitis in lectis ebur-  
 neis, & lasciuitis in stratis vestris: qui comeditis agnū de gre-  
 ge, & vitulos de medio armenti. Qui canitis ad vocem psalte-  
 rij, bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti,  
 & nihil patiebantur super contritione Ioseph. Misereor su-  
 per turbam, inquit Christus: hunc imitamini. Discite tertio,

vos sacerdotes & ministri Ecclesiæ, vt misereamini super turbam, quæ iam tam multifariâ errat. Studete verbis & exemplis errantes in verâ viam reducere. Vos enim estis sal terræ, *Matth. 5.* lux mundi, & ciuitas super montem ædificata. Non comperiatur in vobis quod in Propheta legitur: Sicut populus, sic *Esa. 42.* sacerdos, &c. Discite quartò etiam vos diuites, vt misereamini super ingentem pauperum multitudinē, qui in vos respiciunt, vestrum auxilium implorant, ne super vos veniat *Matth. 19.* quod Christus dicit, Difficilè diuites intrabunt in regnum *Prou. 11.* cœlorum: & quod Salomon ait. Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur.

Discite postremò vniuersi Christiani, vt etiam cum Christo dicere possitis, Misereor super turbam. Alter alterius onera portate: alter alteri succurrat, compatimini inuicem, mutuo auxilio vos iuuate, & sic implebitis legem Christi. *Gal. 16.*

Tertiò, exemplum esse nobis quoque debet, quòd Christus & Apostoli eius, etsi non plures septem panibus habebant, qui illis vix sufficiebant, ad propriam ipsorum necessitatem, illos tamen volentes cum alijs qui nihil habebant, partiebantur. Quo quidem insatiabilis nostra auaritia notatur, qui grauamur etiam in summa necessitate, pauperibus largiri de eo quod nobis superest, & alio qui perire sinimus: imò præterquàm quòd alijs non subuenimus, & illis de nostro nihil erogamus, pauperes etiam grauamus, ad nos rapientes quicquid possumus, siue cum Deo siue cõtra Deum: haud curantes, quo id modò consequamur, & quibus surripiamus, modò ad nos trahamus. Est enim auaritia tam truculentum animal, auarus autem tam durus & immisericors, vt nec parenti suo parcat, matrem non agnoscat, neque fratres, neque sorores curet, nullam amicitiam consideret, nullus misereatur pauperis. Hoccine autem Christianum dicitur? O homo

*Habac. 2.* infœlix, quid aggrauas contra te densum lutum seu diuitias, tibi ipsi ad æternum exitium? Siquidem tandem in hoc hæ-

*Luc. 9.* rebis & submergêris. An nescis cuius spiritus sis? An nescis habitationem nostram, patriam nostram, municipium nostrum in cœlis esse? An nescis, quòd propterea te Deus dispensatorem super bona sua constituit, vt tibi facias amicos. de mammona iniquitatis, qui te in æterna recipiant tabernacula? Et postremo annon cogitas, quòd Christus hîc famelicis

*Luc. 16.* tam benignè succurrit? similiter & Apostoli non grauati suam cum il-

cum illis partiuntur? Quomodo autem speras cum illis te saluari posse, quibus hic tam dissimilis es, & inæqualiter viuis? Vide, hoc modo posset nos Euangelium istud etiam veram charitatem docere. Ad hæc omnia autem ponit nobis etiam ob oculos nostram ipsorum conditionem. Nam si nos ipsos verè consideramus, nihil differimus à populo huius Euangelij. Primò longè absumus à patria nostra. Quandiu in hoc corpore sumus, peregrinamur à Domino. Secundò, sumus in magna deserti vastitate, vbi pauci homines, sed multè ferè sunt. quippè in mundo parum boni, multum autem mali videtur. Deus quidem bonum semen seminauerat, sed diabolus lolij tantum insperfit, vt bonum semen impediatur. Tertio famem quoque patimur in hac solitudine, & nunc hoc, nunc aliud nobis deficit. Postremò quoque tandem in hoc deserto nobis pereundum est, nisi Christus nobis succurrat, & ipse apud nos sit ac maneat. Hæc nostra conditio est. Quod cum ita habeat, non solum vtilitas nostra postulat, sed etiam necessitas, vt ad Christum curramus, illum sequamur, illi obtemperemus & adhæreamus, quò ab illo consequamur gratiam in præsentem, & æternam fœlicitatem in futuro sæculo: id quod nobis concedat Deus, Amen.

2. Cor. 5.

Matt. 13.

### Q V A R T V S S E R M O D E Euangelio & Epistola.



**H**ODIERNVM istud Euangelium totum consolatorium est, à capite ad calcem vsque. Atque ideo dignum vt pius quisque, qui hic in terris tanquam peregrinus & advena versus cœlestem patriam proficiscitur, aliquantum circa illud moreretur, & Dei bona seu gratiam animo secum recolat. Hic mos in mundo est, & hæc conditio filiorum Adæ, vt cum longum sint facturi iter, primum & ante omnia considerent, vt viaticum & comæatum habeant in via: & vbi de viatico & cibo certi sunt, tantò alacrius itineri sese committant. Quæ itineris adiumenta si illis desint, inuiti domos suas exeunt. Ethæc, mea quidem sententia, præcipua causa est, quòd Adæ filios tenet ac moratur, quòd tam inuiti se itineri versus cœlum & æternam salutem committant. Nam si carnalem suam flagitiosamque vitam, ex qua antea non solum cibum & potum, sed etiam pecuniam & bona, voluptatem & gaudium, fauq-

*Quid plerisque  
 que à salute  
 remoretur.*

rem & amicitiam hominum, & vitam planè voluptuariam habuerunt, omittere debent, & in posterū in via virtutis ambulare, protinus incipiunt cogitare & vereri, ne famē & inopiam pati eos oporteat. Et propterea ne in tale periculum veniant, imò priusquā volunt famem & inopiam pati, malunt in antiqua sua domo manere, hoc est in peccatis suis, & moriuntur etiam in illis. Et tamen hac cura minimè opus habent, si modò hodiernum Euangelium intueantur. Voluit enim Christus hīc eiusmodi inanem & inutilem metū praevertere. Nam per miracula promisit omnibus ijs qui ex animo in illum credunt, eiúsque vestigia sequuntur, quod nunquā eos velit relinquere, etiam si in deserto & summa necessitate ac egestate sint. Et ne quis dubitet, hoc manifesto miraculo indicavit, quod hoc facere & possit & velit. Vides enim hīc clarè, Christū dare posse vbi nihil est, & multiplicare quod per se nimis parum est. Ad hęc, vides quoque in hoc Euangelio, quod

*Luc. 1.* pro nobis sollicitus sit, etiam si nos non cogitemus. Summa, quod Christus hīc dicit, Misereor super turbā, id ipsum adhuc

*Psal. 102.* dicit, eundem animū semper retinēs: Misericordia enim eius manet in aternū de generatione in generationē super timentes eum. Et hoc videre clarissimè possemus, si vellemus. Quis enim dat & multiplicat fructus in campo quotannis, & ita, ut de illis omnes edamus, & tamen superat adhuc? Quis facit id, nisi Deus? Et quid mouet eum? Nostrū meritum? Nequaquam, sed eius misericordia, quod miseretur nostri: alioqui propter mala merita nostra, sæpè auxilium & manum suam abstracturus esset, nisi tam bonus & misericors esset. Nunc autem observa, si Deus non sinit nos fame perire tot peccatis obnoxios, multò minus bono timenda fames est, in via Dei ambulanti. Respiciite volatilia cœli, quoniam non serunt, ne-

*Matth. 6.* que metunt, neque congregant in horrea: & pater vester cœlestis pascit illa (inquit Christus.) Nonne vos magis pluri estis illis? Proinde hīc simul habemus speculum humanæ inopiæ, atque etiam speculum diuinæ misericordiæ, & vtraque hęc tam clarè, ut clarius non possimus. Quod enim ad nos attinet, quid aliud sumus, quā numerosā multitudo pauperum, egenorum, famelicorum hominum? qui sibi ipsi opem ferre nō possent: imò perire omninò deberent, nisi de supernis illis succurreretur. Et quid Deus aliud est, quā benignus pater, qui curam indefinentem gerit pro suis creaturis,

*Quid nos sumus ex nobis ipsis.*

*Quid Deus.*

ne fame

ne fame intereant? Non enim odit aliquid eorum quæ fecit. Sacra scriptura indicat nobis hæc duo, & quotidie ea cõperimus. Nõ itaq; optare necesse est, vt etiam Deus apud nos talia miracula faciat. Saltem oculos & oues aperiamus, videbimus & audiemus eiusmodi miracula & gratiæ opera quotidie apud nos fieri. Quod ita se habere, multifariã David demonstrat in suis Psalmis. Dominus inquit, regit me, & nihil mihi deerit. Super aquam refectionis educavit me. Parauit in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me. Impinguauit in oleo caput meum: & calix meus inebrians quàm præclarus est? Et misericordia tua subsequitur me omnibus diebus vitæ meæ. Et vt inhabitẽ in domo Domini, in longitudinem dierum. En, in hisce verbis cõfitemur David apertè, Deum omni die apud ipsum miracula facere & gratiã operari. Similiter & in alijs Psalmis confitemur, vti cũ inquit: Domine probasti me, & cognouisti me: tu cognouisti sessionem meam & resurrectionem meam. Intellexisti cogitationes meas de longè: semitam meam & funiculum meum inuestigasti. Et omnes vias meas præuidisti: quia nõ est sermo in lingua mea. Ecce Domine tu cognouisti omnia nouissima & antiqua: tu formasti me & posuisti super me manum tuam. Quo ibo à spiritu tuo? & quo à facie tua fugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in infernum ades. Tu possedisti renes meos: suscepisti me de utero matris meæ. Nõ est occultatum os meum à te, quod fecisti in occulto; & substantia mea in inferioribus terræ. Imperfectum meum viderunt oculi tui, &c. Et quid David omnibus hisce verbis aliud facit, quã q̃ palam confitemur, & prædicat gratiam & miracula quæ Deus quotidie apud nos facit? Ne quis autem cogitet, Deum tantum curam gerere pro ijs, qui Dauidi pares sunt, indicat in alijs Psalmis, Deum id ipsum quoque erga alios homines facere. Alleuat Dominus omnes (inquit) qui corruunt, & erigit omnes elisos. Oculi omnium in te sperant Domine: & tu das escam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, & imple omne animal benedictione, &c. Et in sequenti Psal. Dominus facit iudicium inuitiam patientibus: dat escam esurientibus. Soluit cõpeditos, illuminat cæcos, erigit elisos, diligit iustos, custodit aduenas, pupillum & viduam suscipiet. Et alio in Psalmo: Misericors & misericors Dominus: longanimis & multum misericors. Non secundum peccata nostra fecit nobis: neque secundum ini-

Sap. II.

Psal. 22.

Psal. 138.

Psal. 144.

Psal. 85. 144.

Psal. 20.

*Curam nostri  
gerit.*

*Thren. 3.*

quitates nostras retribuit nobis. Quomodo miseretur pater  
filiorum, misertus est Dominus timentibus se: quoniam ipse  
cognouit figmentum nostrum. Recordatus est quonia puluis  
fumus, homo sicut foenum dies eius: tanquam flos agri sic ef-  
florebit, quonia spiritus pertransibit in illo, & non subsistet: &  
non cognosceret amplius locum suum. Ex hoc, opinor, videre qui-  
nis posset, Deum adhuc quotidie curam nostri gerere, & in ho-  
diernum dicere, Misereor super turbam. Et reipsa id declarat:  
imò nisi Dei misericordia semper apud nos, super nos, & cir-  
ca nos esset, iam dudum funditus perissemus. Quapropter non  
est, quod quaeramus, quod Deus non amplius apud nos facit,  
quod apud alios fecit: quemadmodum forte aliqui facere pos-  
sent: sed imprudenter & iniquè. Alio qui quidem dici vulgo solet,  
nec fallit, nihil infelicius esse, quam si quis cogitet, se aliquando  
beatum & felicem fuisse. Nec ulli paupertas grauior est, quam ei  
qui aliquando diues fuit. Talis enim, cum cogitat quid habue-  
rit, & quibus eum nunc carere oporteat, vix continere se po-  
test, quin apud se ingemiscat, & conqueratur de sua paupertate,  
priors suas diuitias cupiens. Circa hodiernum Euangelium  
id plerique forte faciunt, cum audiunt Christum olim tam be-  
nigne sequentibus se subuenisse in famis necessitate: ceterum  
vident, & videtur illis, quod nunc non idem faciat, sed contrarium,  
inmittens famem & annonae caritatem, aut permittens, vt no-  
bis per bella aut tempestates eripiantur perdanturque ea, qui-  
bus ad corporis nostri necessitatem opus habemus. Hoc qui  
experitur, & interim Euangelium hoc audit, vix continebit se,  
quin ingemiscat, & deploret infelicitatem huius temporis.  
Sic olim faciebant Iudaei, suis miseris considerantes tem-  
poribus, quod patres eorum & maiores tam clementem Deum  
habuissent. Deus (inquiiebant) auribus nostris audiuimus: Pa-  
tres nostri annunciauerunt nobis, opus quod operatus est in  
diebus eorum, & in diebus antiquis. Manus tua Gentes disper-  
didit, & plastrasti eos: afflixisti populos, & expulisti eos. Nec enim  
in gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non sal-  
uauit eos: sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vul-  
tus tui: tunc autem repulisti & confudisti nos, &c. Eodem mo-  
do dicebant & in Isaias, aut Isaias eorum nomine: Domine  
Deus, ubi zelus tuus, & fortitudo tua? Tu enim pater noster.  
Eundem in modum loquitur etiam Dauid sub eorum perso-  
na: Usquequo Domine auertis in finem: exardescet sicut ignis  
ira tua?

*Psal. 43.*

*Isa. 63.*

*Psal. 88.*

ira tua? Vbi sunt misericordiæ tuæ antiquæ Domine, sicut iurasti Dauid in veritate tua? Tales homines etiãdum inueniuntur, qui causam infœlicissimi huius tēporis in Deũ reijciunt. Mirantur, quòd Deus, vt ipsi opinãtur, nõ amplius talia opera facit, quẽadmodũ aliquando fecit, non aduertẽtes, quòd Deus adhuc quotidie apud nos operatur, nec considerãt, culpam esse nostrã, Deo interdum famem & annonæ caritatem immittente. In nobis situm præcipuè est, benè an malè habemus. Ante hominẽ (inquit Sapiens) vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi. Eodem modo dicit & Moyse: En propono in cõspectu vestro hodie benedictionem & maledictionẽ: benedictionẽ, si obedieritis mādatis Domini Dei vestri: maledictionem, si non obedieritis. Sic & Deus ipse dicebat in Isaia: Si volueritis, & audieritis me, bona terrę comedetis. Quòd si nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit vos. Si ergo eos fœlices censes, quibus Christus tam benignè tãque mirabiliter auxilium præstitit in famis necessitate, quemadmodũ Euangelium hoc indicat, fac & da operã, vt tu similiter ita clementẽ Christum habeas & consequare: quandoquidem certum est, in ipso nihil desiderari, neque in potentia & viribus, neque in bona voluntate. Inquis: Quid mihi faciendum? Respondeo. Audi S. Paulũ in hodierna Epistola, & dictis illius morẽ geras. Humanum dico, inquit, propter infirmitatẽ carnis vestræ. Sicut enim exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati, ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem, &c. Hæc hodierna fuit Epistola. Atque hĩc videmus primum, vnde nobis prosperitas & aduersitas veniant, & quomodò mala vitare queamus, bona verò consequi. Scire ergo vis, vnde mala, fames, caritas, & aliæ Dei afflictiones veniant? Stipendia peccati (inquit Paulus) mors. Hĩc habes, quòd omne malũ, & mors ipsa è peccatis pueniat. Contrã verò, Dei gratia est vita æterna. Hĩc vides, ex gratia Dei omne bonũ proficisci, etiã vitam æternã. Ais: Sed quomodo mala effugere, & bona adipisci potero? Respondeo: Sicut exhibuisti aliquando membra tua seruire immunditię & iniquitati, ita nunc exhibe membra tua seruire iustitiæ. Hæc via est, per quam mala declinare, Dei verò gratiam & misericordiam æternam conseruare possimus. Hanc rem reputare nobiscum nos oportet. Nam vñ nobis, si non Dei gratiam

Eccle. 15.

Deut. 11.

I/4. 1.

Rom. 6.

Causa malorum qua patimur.

Gratia vt obtineatur.

Thren. 3.

perpetuò habeamus seruemusque: quandoquidem misericordiae Dei transcribere oportet, quòd subsistimus & viuimus. Atqui verò Deo retribuere nihil dignum possumus pro tali eius miseratione. Nec quidem eget nostrae retributionis. At tamen aliquid à nobis exigit, nò aurum nostrum & argentum, sed iustitiã & pietatẽ. Sanctus est, ideo sanctos filios & domesticos habere vult. Et quid pater minus à filijs suis requirere possit, quã si ad illos dicat: Probitatẽ sectantini filij, ego vobis omnium rerum quibus indigeris, abundantiam creabo? Hoc verò est, quod Deus à nobis requirit. Quærite regnum Dei & iustitiam eius, pro reliquis non est, quòd solliciti sitis? omnia enim adijciuntur vobis. Scit enim Pater vester, quibus indigeris: & is tam bonus est, vt etiã volatilia cœli absque eorũ labore alat. Et quis potest, vel etiam audet queri se hac in parte grauari? Si diabolo tanto tempore seruiuimus, in perniciem nostram semper vigilantis, qua ob rem etiam non libenter Deo nostro & patri seruiremus, qui tanto tempore nos absque meritis nostris aluit, & adhuc alit? Hoc Paulus persuadere conatur hodierna Epistola, nec quicquã prætermittit, quod ad rẽ facit. Primò, describit nobis cū iustitiam tum iniustitiã, indicans simul, quid fructus horum vnũ quod que adferat. Cū serui essetis peccati, inquit, liberi fuistis iustitiæ. En, híc habes, quid iniustitia & impia vita sit: nimirũ miseria, dura & pudẽda seruitus, cuius pudere nos meritò debebat, vt potè nihil aliud fructus nobis adferentis, quàm inquietudinem in consciẽtia, dedecus coram mundo, diabolo gaudium, Deo displicentiam & fastidium, nobis verò tandẽ mortẽ & æternam cõdẽnationẽ. Hi sunt fructus iniustitiæ. Contrã autem dicit Paulus amplius: Nunc verò liberati à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finẽ verò vitam æternam. En, híc habes quid iustitia & pietas sit: nimirũ sancta & gloriosa libertas, quæ cõscientiæ nostræ certam pacem, gaudium & gratiã, honorẽ corã mundo, diabolo fastidiũ pariat: Deo verò gratissima sit & delectabilis, & nobis deniquè salutem & æternam vitam adferat. Iã verò vide, vtrum ex his duobus tibi eligendum & amplectendum sit. Mors & vita, malum & bonum, ignis & aqua tibi apposita sunt: vtrũcunq; elegeris, id dabitur tibi. Si te verteris ad iniustitiam, expectandum tibi erit, quod inde sequetur, nimirũ inquieta conscientia, probrum, mors, & diabolus ipse, cui per iniustitiam serui-

*Deus quid poscat à nobis.*

*Matth. 6.*

*Vita pia finis.*

*Eccle. 15.*

seruitur. Nam ista omnia cohæret, & qui vnum habet: omnia habet. Ceterum si ad iustitiam te vertis, consequeris certè oīa bona quæ inde promanāt, vt est gaudiū, pax, honor, vita, salus, & Deus ipse. Paulus suadet nobis, vt iustitiæ seruituti nos dedamus. Nè quis autem retrocurrat, & dicat: Durus hic sermo est, quis eum audire potest? Deo & iustitiæ seruire nimij laboris est, &c. hoc Paulus vult præuertere, mitigans seu temperans verba sua, rem quã leuissimè proponens. Humanum dico (inquit) perindè ac si dicat: Homo, non est, quòd hac mea doctrina graueris. Non sum ex ijs, qui graua & importabilia onera faciunt, & hominibus imponunt, quæ ipsi tamen nullo digito attingunt. Scio te hominem esse & infirmum. Possem quidem multa à te exigere (siquidè multa & magna Deo debemus: vt qui de nobis optimè meritus est) sed ob imbecillitatem carnis vestræ parco. Imò hoc solū à vobis peto: vt Deo & iustitiæ tantū seruiatis pro vita æterna, quantū diabolo & peccato seruistis pro inferno, & gehenna. Atq; hic fate- *Matth. 23.* ri vos ipsi cogimini, me nihil præter æquum postulare. Nā si diabolo tanto tempore, & tam fideliter seruiuistis, par est, vt quod reliquum est temporis vitæ vestræ, Dei seruitio nūcupetis. Neque impossibile aliquid à vobis requiro: nam si tot Dominis, vel potius Tyrannis simul seruire potuistis: vt potè diabolo, mundo, carni, superbix, auaritiæ, &c. poteritis etiā vnico Domino Deo, eius adiuti gratia, seruire. Et si spes magnæ mercedis & lucri, (quòd tamen nonnunquàm incertum est) omnè laborem leuè facit, cur tibi vera & certissima promissio Dei, omnem laborem non leuem faciat? Cogita porrò, quid fructus sequatur, nullus tibi labor in seruièdo Deo & iustitiæ grauis erit. Habet enim pieras promissionem cū præsentis *I. Tim. 4.* tum futuræ vitæ. Quod quia sic se habet, nullā excusationem habebis: imò pudere te meritò debet, si de difficultate vel austeritate huius doctrinæ conqueraris. Videte igitur fratres, quò tēdat Paulus, & quomodò vrgeat bona opera, ita vt profectò omnem excusationem nobis ademerit. Quid enim prætexere possumus ad excusandam otiosam nostram vitam? Ais, Fides me iustificabit. Vtiquè Paulus fidè & Dei gratiam *Non tibi de sola fide blandiaris.* vehementer commendauit. Sed hīc vides, quantoperè etiā iustitiam vrgeat: imò iustitiā, ad quā exercendam vti etiam mēbris nostris possumus. Quare vocationem nostram considerare mus. Deus quidè promittit nobis suum amorè, curam mise-

ricordiam, benignitatem, & omnia bona in hoc Euangelio: videamus, ne peccato & iustitiæ seruiamus, atque ita nos ipsos omnibus Dei bonis spoliemus. Deus nobis suam largiatur gratiam, Amen.

Q V I N T V S S E R M O D E  
historia simul & allegoria huius Euangelij.



ODIERNVM istud Euangelium breue est in verbis, sed homini pio multa considerata præbet, & multifariam ei conducere potest: ut potè ad cognitionem sui ipsius, ad cognitionem Dei, ad confirmationem fidei, ad solatium in tribulatione, ad doctrinam, & deniq; etiam ad pœnam. Eæ autem omnes res tales sunt, quæ nostra plurimùm intersunt, si modò Christiano nomine digni esse volumus. Atqui Euangelium istud nobis ad hæc inservire omnia potest: & præterea etiam pulchram allegoriam habet. Hęc ordine audiemus. Initio huius Euangelij videmus nostram paupertatem & egestatem in populo, quem Christus pascebat. Erāt in deserto longè à suis domibus: nihil habebant, quod manducarēt: domus suas iam laesi assequi nō poterant: succūbendum illis fuisset in itinere: nihil reliqui erat solatij, nisi à Christo expectandum. Hæ autem sunt conditiones, quæ nobis omnibus adhærēt. Quis homine egenus magis? Quis sibi ipsi minus auxiliari potest, quàm Adæ filius? Quid in toto orbe sub sole est, quod homini suam famem & cupiditatem explere possit? Quis longius à sua domo & vera patria abest, quàm peccator? Tres dies in terris habemus: est ingressus in mundum, progressus in mundo, & egressus ex mundo. Pauperes & egeni venimus in mundum, quemadmodùm Paulus dicit: Nihil intulimus in mundum: laboriosè & ærumnosè viuimus in mundo, tristes & cum dolore emigramus ex mundo. Vbiquè nobis succūbendum esset, nisi nostri Deus misereretur. Hoc vnum est, verùm ad externam tantùm vitam pertinens. In anima multò magis egeni sumus. Omnes siquidem quotquot sumus, peccatum nobiscum inferimus in terras, omnes filij iræ nascentes.

*Inopia hominis.*

*Tres dies in terris.*

*2. Tim. 6.*

*Ephes. 4.*

*Isa. 59.*

Peccatum autem diuidit inter nos & Deum, quemadmodùm  
Isaias dicit. Et nisi Christus ilicò interueniat ac prohibeat sua gratia, peccatū nos semper longius abducit ab Deo: abducit à malis cogitationibus animo incidentibus ad consensum: à consen-

consensu ad opus, ab opere in malam consuetudinem, à mala cōsuetudine in necessitatem, vt putemus nos peccare oportere, nec continere nos posse: à tali necessitate ducit nos peccatum porrò in contemptum, vt Salomon dicit: Impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit. A contemptu venit in desperationem, à desperatione autem in infernum & condénationem. Tum impletur quod Dauid dicit, Psal. 118. Longè à peccatoribus salus. Sic in filio prodigo compertum est. Is suam proteruitatem ducebat in terrâ peregrinam, longè à domo patris sui, vbi omnium bonorum suorum dispendium faciebat, & tantam patiebatur famem vt etiam siliquis vesci cuperet, quæ porcis dabantur. Qui tam longè à Deo recedit, per seipsum reuerti non potest: nimis longè abest à patria sua, nec inuenit quicquã quod illi famem sedare possit: imò nihil ibi videt, præter æternum exitium. Talis peccatorum status est, & conditio, si Christus non succurrat. Atque eius admonemur per populum, de quo Euangelium istud dicit. Sic possemus nos ipsos cognoscere. Porrò quando audimus quid Christus loquitur & facit in Euangelio, videre quoq; possumus quid Deus sit. Misereor super turbã, inquit Christus, etiam non rogatus & monitus. Sed non contentus his verbis mox interrogabat suos Apostolos, quos panes haberent: & quod illis deerat, hoc ipse diuina sua virtute supplebat. En, hîc habes quid Deus sit, faciat ac possit. Natura misericors est, opere beneficus, virtute omnipotens. Dominator Domine Deus, misericors, & clemens, patiens & multæ miserationis, ac verax, qui custodis misericordiam in millia: qui aufers iniquitatẽ, & scelera, atque peccata, clamabat Moyses, cum Deus semel coram facie eius prætergrederetur. Omnem sollicitudinem vestram (inquit diuus Petrus) proiicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. Domine Rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita, & non est qui possit tuæ resistere voluntati, si decreueris saluare Israël. Tu fecisti cœlum & terrã, & quicquid cœli ambitu continetur: Dominus omnium es, nec est qui resistat maiestati tuæ, inquebat Mardocheus, Hester 13. cap. Nomẽ eius est Omnipotẽs, dicebat Moyses, Exod, 15. En, hæc omnia certissimè tibi de illo promittere debes. Nõ obliuiscitur suarum creaturarum, licet nos non recordemur illius. Dat nobis etiam non petentibus, & plus etiã quàm cupimus: & dare potest vbi nihil est: mul-

Proverb. 18.

Luc. 15.

Deus quid sit.

Exod. 34.

1. Pet. 5.

tiplicare, vbi parum est. Hæc omnia vides in ista historia. Et sic te docet istud Euangelium etiam Deum cognoscere. Alterum hoc est. Vis porro tertio videre, Christum non solum hominem, sed etiam verum Deum esse, contra omnem objectionem & blasphemiam Iudæorum, Gentium & hæreticorum, rursus tibi propone Euangelium istud: tibi tale opus vides, quod certè nemo potuit vel adhuc potest facere, præter vnū Deum: imò tale opus, in quo etiam olim Israëlita volebāt experiri, an Deus ipsorum, qui eos ex Aegypto duxerat, verus & omnipotens Deus esset. Percussit petram & fluxerūt aquæ (inquirebant) nunquid & panem poterit dare, aut parare mensam in deserto? Equidè arbitror Christū hoc præstitisse & ostendisse in isto Euangelio. quemadmodum supra prolixè in alio sermone indicaui: abundè ergo se per hoc probauit verum Deum. Quid autem nobis Euangelium istud & historia solatij præbeat in omni necessitate & defectu, in alio itidem sermone demonstratum est. Hoc solatij præbet nobis, quòd nobis Deus etiam in necessitate & defectu auxiliari possit & velit, sed eo modo quo hic facit. Ducit populum primum in desertum: deinde tacet, donec hora, qua cœnare vt plurimum moris est, præterlapsa esset: tum primum quærit ex discipulis suis, quomodo populus pasci posset. Quia autem id discipulis impossibile videbatur, duabus de causis: primò quia pecunias nullas habebant, & longius à ciuitatibus aut vicis erant disiti: deinde quòd panes quos habebant, nō sufficiebant pro tanta multitudine, suadebāt igitur, vt turbā dimitteret, ne fortè fame periclitātes conarentur, quod Israëlita in Mosem conabantur, lapidaturi eum, ni cibum & potum eis dedisset. Post hæc omnia (inquam) dicit Christus: Afferte panes vestros, & deinde præcipite turbæ discumbere. Quæ omnia vbi facta essent, tum demum pauit eos. Eodem modo Deus nobiscum agit: dando nobis vitam, etiam illud promisit, quod ad sustentationem eiusdem pertinet. Nonne anima (inquit) plus est quàm esca? Perinde ac si dicat: Qui vobis maius, nempe vitam dedit, paruum, id est, cibum nō denegabit. Certum autem est, quòd nos Deus alere velit. Sed ducit nos prius in solitudinē: differt nonnunquam opem suam vsq; ad summā necessitatem, quòd illius potentia tantò melius cognoscatur, vbi alioqui nullum auxilium amplius apparet. Vrgente necessitate, idem nobis accidit, quod Apo-

Psal. 77.

Matth. 14.

Exod. 1

Matth. 6.

quod Apo-

quod Apostolis: hoc solum consideramus, quod copiosa populi multitudo est, & panes pauci, hoc est, reputamus solum nobiscum, quod domus nostra liberis plena est: contra verò, erumena & granarium vacuum: tum ad est pusillanimitas, cù ratio nostra non videt, quod nos vertamus, & quomodo alere nos possimus. Cùm igitur ita fluctuamus, dicit Christus ad nos: O vos parvæ fidei, an nescitis me pro vobis curâ gerere? An nescitis, munus meum & opus esse alere & cõservare quod creavi? Quid igitur respicitis ad multitudinẽ prolium, & ad granarij vestri vacuitatem? Cur non respicitis in me? Afferte mihi paucos vestros panes: sine me enim vobis nihil sufficiet, quantum cùmque etiam habeatis. Tantum modò sedere, vacate vestræ vocationi, pro reliquo curare me finite. En, hoc solatium est, quod nobis Evangelium istud præbet. Et hunc in modum loquitur Deus etiam in Isaia: Quare dicis Jacob, Abscõdita est via mea à Domino, & à Deo meo iudicium meum tranibuit? Nunquid nescis, aut non audisti? Deus sempiternus Dominus, qui creavit terminos terræ: non deficiet, neq; laborabit, nec est inuestigatio sapientiæ eius. Qui dat lassio virtutem, & his qui non sunt, fortitudinem & robur multiplicat. Ee inde ac si dicat: Curam gero pro toto mundo & omnibus creaturis: & licet multæ sunt, non est tamen mihi labor omnes alere & servare: & quavis hoc diu & iam ab initio mundi feci, nõ tamẽ defatigor. Age ergo, & tu me expecta: etenim vniuersi qui sustinẽt me, non confundentur. Et hoc quartum est, quod Evangelium istud nobis considerandum præbet. Ad hæc omnia, etiam doctrinam nobis præbet. Principio nanque, quando cogitamus, quàm comiter & compatienter se Christus erga populum famelicum declararit, & quanta promptitudine sancti Apostoli omnem suam cõmeatum in pane & cibo tradiderint, pulchrè ob oculos nobis positum est, quomodo etiam nos erga necessitatẽ patientes gerere debeamus. Imò si veri Christiani sumus, hic affectus potissimum in nobis apparere debet, vt miseria & necessitas pauperum corda nostra moueat: imò vt non solum affectum sentiamus, sed eum etiã cum effectu reipsa exhibeamus. De hoc quoq; superius prolixius dictum. Quod porrò circa Evangelium istud discendum est, Christus ipse indicavit, cùm ad Iudæos, qui eum ob tam mirabilem pascendi modum Regem constituere volebãt, diceret: Amen amen dico vobis, quæritis me: non quia vidi-

Esa. 40.

Psal. 24.

Erga miseros  
vt nos geremus.

Ioan. 6.

distis signa, sed quia máducaſtis ex panibus, & ſaturati eſtis. Operamini non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis. hunc enim pater ſignauit Deus. En, híc docet nos Chriſtus, vt per hoc corporale miraculú, etiá ſpiritualis cibi memores ſimus, idque in primis. Atque híc pulchris vtitur verbis. Primò, remittit nos à corporali cibo ad ſpiritualé, dicens, eum nobis potiffimum quærendum eſſe. Neque tamen prohibet, quò minus pro corporali cibo laboremus. Non. ſiquidé hoc omnibus mandatú eſt. In ſudore vultus tui (inquit Deus) veſcèris pane tuo. Sic vult & Dauid, vt labores manuum noſtrarum manducemus. Imò Paulus vult, vt qui furatus eſt: iam non furetur, ſed potius laboret, operádo manibus ſuis, quod bonú eſt, vt habeat vnde tribuat neceſſitatem patienti. Alio in loco dicit: Qui nõ laborat, non manducet. Chriſtus communia illa media, per quæ nos Deus paſcit, propterea non ſuſtulit, quod ſui imitatores aliquoties abſque labore eorum pauit. Nequaquã. Qui promiſit dare, iuſſit etiam quærere & orare. Et niſi quæſieris, ac quod tuum eſt feceris, nihil accipies, quantumcunque etiam Deus promiſerit. Vtranque manum plenam habet. In dextera manu habet longitudinem vitæ: in ſiniſtra manu, honorem & diuitias. Et ſempet paratus eſt dare, verùm nõ otioſis, ſed laborátibus, quærentibus & petentibus. Quapropter quod Chriſtus híc dicit, Operamini non cibum qui perit, cõtra eos ſolùm dictú eſt, qui aut nimium ſoliciti ſunt ob téporalem alimoniam, quaſi non poſſet Deus illos alere, niſi vnde cunque iniuſta bona ad ſe traherent: aut corporalem cibú tantùm quærunt, & nõ animæ cibum. Atque ideo etiam nominat Chriſtus corporalem cibum qui perit: verũtamen non ſolùm intelligit cibum, ſed omnes res temporales, quæ quidé paſcunt & fouent corpus, ſed non durant. Summa, quicquid in mundo iucundú & deſiderabile eſt, cibus eſt qui perit, idcirco docet Chriſtus, ne theſaurizemus nobis theſauros in terris, vbi ærugo & tinea demolitur. Porrò Ioãnes dicit: Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. Mundus enim tranſit, & concupiſcentia eius. Et Paulus, Gala. 6. Qui ſeminat, inquit, in carne ſua, de carne & metet corruptioné. Et Iſaias cap. 55. Quare appenditis argentum non in panibus? Operamini non cibum (inquit Chriſtus) qui perit, ſed qui, permanet in vitã æternam. Híc cibus omne id eſt, quod

ad vitam animæ feruit, vt gratia, iustitia, fides, charitas, &c. Hæc non pereunt. Imò et si corpus corrumpitur, spiritualia tamen manent bona. Eò remittit nos Christus: ea ante omnia quærenda sunt. Hæc nobis Christus æquè dare potest, ac corporalem panem seu cibum. Et huc pertinet, quòd nos in sua oratione ante & post quotidianum panem spiritualia *Matth. 6.* iubet petere. Atque vtinam vel dimidiatam partem curæ impenderemus rebus spiritualibus, quam impendimus temporalibus, nullam profectò in anima quoque inopiam passuri essemus. En, multa bona nos docet istud Euangelium. Hæc autem omnia nisi præstemus, istud ad eò Euangelium sempiterna pœna erit in conscientia nostra, & graue testimonium contra nos. Hæc capita illa sunt, quæ litera huius historię secum fert. Allegoria in Apostolis apparet: his *Sensus allego-* commisit Christus, vt famelicum populum pascere, & id *ricus.* quidem fecerunt. Ipse verò dedit eis panes. Et qui sunt illi *Panes mysti-* panes? Vobis (inquit Lucas 8.) datum est nosse mysterium *cè.* regni Dei. Et iterum Ioan. 13. Vos dixi amicos: quia omnia *Ioan. 15.* quæcunque audiui à Patre, meo, nota feci vobis. Et rursum ibidem: Dedi illis verbum tuum. Et ad quid illis dedit? Vt illud dispensarent. Sicut misit me Pater (inquit Ioannes 20.) & ego mitto vos. Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c. Et iterum: Ego elegi *Act. 1.* vos, vt fructum afferatis. Item: Eritis mihi testes in Ierusa- *Matth. 15.* lem, & in omni Iudæa, & vsque ad vltimum terræ. Vbi autem Christus hoc illis mandati dedit, ad panes suos distribuendos? Primò cum illos conuocaret, & potestatem daret in omnes malos spiritus, atque etiam morbos, & regnum Dei iuberet eos annuntiare in terra Iudaica. Secundò, cum eos in ascensione sua mitteret in vniuersum orbem prædicare *Mar. 16.* Euangelium omni creaturæ. Tertiò, cum per Spiritum sanctum diceret: Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus *Act. 13.* ad quod assumpti eos. Et quid Christum mouit, vt suis Apostolis hoc mandaret? Videns turbas (inquit Matth. capit. 9.) quia erant vexati & iacentes sicut oues non habentes pastorem. Sed quomodo sancti Apostoli panes istos distribuerunt? Illi autem profecti (inquit Marcus cap. 16.) prædicarunt vbi- *Act. 4.* que. Et iterum, Acto. 2. Petrus stans cum duodecim Apostolis, dicebat: Certissimè sciat omnis domus Israël, quia & Dominum, & Christum fecit Deus, huc Iesum, què vos crucifi-

xistis, nec est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cælo datū hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Et rursus, Act. 13. Paulus & Barnabas missi à spiritu sancto, nauigauerūt Cyprū, &c. prædicātes verbū Dei, &c. En hunc in modū sancti Apostoli panem ipsis à Christo cōmissum in populū famelicū distribuerunt, non vno in loco, sed per vniuersum orbē, quæadmodum etiā David illud ipsum multò antè prædixit, in omnē terram exiturum sonū eorū & in fines orbis terræ verba eorū. Vnde consecutū est vt nō solum quatuor millia, sed innumeri famelici homines sint saturati, vt Paulus etiā suis temporibus scriberet ac diceret, *Gratias ago Deo meo semper pro vobis, quòd in omnibus diuites facti estis, in omni verbo & in omni scientia, ita vt nihil vobis desit in vlla gratia, expectātibus reuelationē domini nostri Iesu Christi, &c.* Hæc dispensatio spiritualis cibi, durat in hodiernū diem inter nos Christianos. Et in hodierna Epistola indicat Paulus, quid hæc spiritualis cibatio per Sanct. Apostolos fructus in terris attulerit & adhuc adferat, nimirum quòd ea rectè vtentes redimimur à peccatis, Dei serui fimus, in hac vita sanctificationē, & in futuro tēpore vitā æternam habituri sumus. En, hæc omnia in isto Euangelio præfigurata sunt. Vnde intelligere quiuis potest, quomodò Euangelium istud nobis inseruire ad multa bona possit, Faxit Deus, vt rem diligenter perpendamus.

Ioh. 6.

I. Cor. I.

## S E X T V S S E R M O D E Euangelio & Epistola.



**I**N hoc Euangelio supra modum consolatorium est, quòd Christus tam facile tamq; citò, etiam tam paucis panibus tantam hominum turbam pavit, atque ita, vt non modò omnes explerentur septem panibus, sed etiam multum reliquum facerent, & plus etiam quàm fuerant antea panes. Hæc (inquam) supra modum consolatoria sunt. Multò autem plus consolationis habet, quòd Christus aperte dicit, *Misereor super turbam.* Hoc verbum (inquam) multò plus, cōsolationis habet, quam ipsum per se opus. Primò propterea quòd omnibus Euangelistis non nisi bis inuenitur ac legitur, quòd Christus ita & corporaliter populū pauerit, primū quinq;, deinde septē panibus. In veteri quidē Testamēto eius-

to eiusmodi exempla plura inueniuntur, quàm in nouo. Sum-  
 mum & gloriosissimū fuit, quod Deus Israëlitas in tanto nume- *Deut. 8.*  
 ro & tanto tēpore, nempe sexcēta millia virorū, & totos qua-  
 draginta annos manna pavit. Alioqui quidē homines quos- *1. Reg. 17.*  
 dam speciales etiā pavit mirificè & cōseruauit. Vtpotē Eliam *3. Reg. 19.*  
 primò per coruos, qui cibū ei ad tempus apportabāt: deindē *3. Reg. 17.*  
 quadraginta dies pane cinericio: viduā Sareptanā vnā cum *Daniel. 14.*  
 filio suo tres annos cū dimidio, per exigua farina & modico *Deut. 10.*  
 oleo: Daniele vnico pulmēto, quod ei asportabat Abacuc.  
 Quin etiā Moſen quadraginta dies absq; vllō humano cibo,  
 idq; nō ſemel, ſed bis. Cæterū eiusmodi exempla non multa  
 inueniuntur, quod Deus homines nouis miraculis pauerit. E re-  
 gione verò in tota Scriptura vulgatius, quā quod Deus miſeri-  
 cors ſit. Miſericordia Domini (inquit Dauid, Pſal. 32.) plena  
 eſt terra. Et iterū Pſal. 56. Magnificata eſt vſq; ad cœlos miſe-  
 ricordia tua Domine. Et rurfus, Pſal. 102. Miſericordia Do-  
 mini ab æterno, & vſq; in æternū ſuper timētes eum: imò ſe-  
 cundum altitudinē cœli à terra corroborauit miſericordiam  
 ſuam ſuper timentes ſe. Secūdo, multò plus cōſolationis ha-  
 bet in hoc Euāgelio, quòd Chriſtus loquitur, quā quod cum  
 miraculoſa cibatione fecit. Opus talis cibationis magnū qui-  
 dem & conſolatoriū eſt, ſed iam pridem factū eſt & præteriit.  
 Sed miſereor ſuper turbā, ſemper manet, & vſq; in æternū  
 in animo Patris noſtri cœleſtis. Eſt em̄ hoc ex præcipuis que  
 Scriptura paſſim de Deo prædicat, canit & dicit, nimirū quod  
 miſericors ſit. Et quidē id deprehēdimus, nō in nobis ſolū,  
 ſed etiā in alijs, quod miſeratio illius, omnia eius opera ſuperat,  
 vt Dauid ait Pſal. 144. Atq; hoc etiam ſummū noſtrum ſola-  
 tium eſt. Quādiu enim ſcimus, Deum miſerix & neceſſita-  
 tis noſtræ miſereri, nullā deſperandi cauſam habemus. Qua-  
 propter verbum iſtud benè conſiderandū nobis eſt: imò gau-  
 dere hoc verbo quiuis Chriſtianus meritò deberet, vbi Chri-  
 ſtus ait: Miſereor ſuper turbam. Etenim primò perſona non  
 vulgaris eſt, quæ hoc loquitur: alioqui etiam vnusquisque no-  
 ſtrūm compati poteſt pauperibus, & hæc verba dicere. Sed  
 non propterea cuiuſuis eſt auxiliari poſſe, tum etiam homo  
 aliter loqui ore poteſt quam in corde habet. Hic autem ſtat  
 filius Dei, imò Deus ipſe, cui omnia poſſibilia, & apud quem  
 nullus eſt dolus: dicit ſe compati nobis & noſtri miſereri: imò  
 non ſolū dicit, Miſereor ſuper probos inter turbam: ſed

loquitur in genere, Misereor super turbã. Atqui non obscurum est, quisturbæ sit status, non omnes scilicet, imò minorem vix sæpè partẽ bonos esse. Christus ipse dicit: Nõne ego *Ioan. 6.* vos duodecim elegi: & ex vobis vnus diabolus est? Et ad Samaritanum: Nõne decẽ mundati sunt? & nouẽ vbi sunt? &c. *Luc. 17.* Sic & aliàs inueniemus in promiscua multitudine, quæ Christum quandoq; secuta fu it, q̃ rarò vel nunquã eiusdem fuerint animi. Id quod Euangelistæ clarè indicant. Alios enim fides & charitas impellebat ad Christum, vt eum sequerentur, quemadmodũ *Luc. 8.* Lucas dicebat de pijs nonnullis mulieribus, quæ eum etiam à Galilæa Hierosolymã vsq; sequebantur, eique temporalibus suis bonis seruirent. Alij propterea aderant, vt audirent eum, quemadmodũ Nicodemus faciebat: *Ioan. 3.* alij, de quibus *Luc. cap. 15.* dicit, ei appropinquabant, vt eum audirent, licèt publicani & peccatores essent. Alij ob id tantũ sequebantur eum, q̃ sperabant eum præbiturũ semper eis victum sine ipsorũ cura & labore, quemadmodũ ipse *Ioan. 6.* dicit: Quæritis me, nõ quia vidistis signa, sed quia mãducaistis ex panibus, & saturati estis. Alij sequebantur eum studio tantũ curiositatis. Sic vice quadam etiam Ethnici quidam veniebant videre eum propter nouitatẽ cupientes, quãdo tam *Ioan. 12.* multa de illo audierant. Hoc item animo videre eum *Luc. 23.* Herodes desiderabat. Alij sequebãtur eum tantummodò ex inuidia, si fortè ex ipso videre vel audire possent, quò occasionem captarent eum traducendi accusandiq;. Sic ergo imperfectorum, qui tẽporalia in Christo quærebant, semper maior fuit numerus, quã perfectorũ, quemadmodũ etiam aliàs semper palarũ plus quã tritici, & mali semper plures quã boni. Multi sunt vocati (inquit ipse *Mat. 20.*) sed pauci electi. Attamen illos hĩc Christus nõ separat, sed dicit in genere, Misereor super turbã. Neq; enim nunc tempus iudicij est, sed misericordix. Ecce (inquit Paulus *2. Cor. 6.*) nunc tẽpus acceptabile, nunc dies salutis, de quo Deus per Esaiam *cap. 49.* dixit, tẽpore accepto se exauditurũ nos, & in die salutis adiuturum nos. Quapropter etiã dicit hĩc Christus in genere, Misereor super turbã. Alioqui quidem certũ est & verũ, q̃ misericordiam suam Deus potissimũ corroborat super timẽtes se, quemadmodũ primò David *Psal. 102.* dicit: & deindè etiam *Rom. 2.* Maria confitetur & cõfirmat. Nihilominus verò, tamen videmus hĩc Deum etiam peccatorum misereri, vt respiciant.

Primò enim, an non insignis & mera misericordia est, q̄ Deus nō protinus pœnā infligit, sed cunctatur? Paulus certè magnæ gratiæ loco ducit: Ignoras (inquit) quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? An diuitias bonitatis eius, & patientiæ & longanimitatis contemnis? Secundò an non magnæ misericordiæ est, q̄ Deus non solùm peccatoribus parcat, & pœnitentiam eorū expectat, sed etiã eis benignè facit? An nō tertio magna gratia est & misericordia, q̄ peccatores in gratiam recipit, quãdo ad eum ex animo conuertuntur? Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis *Ezech. 18.* quæ operatus est (ait apud Ezechielem) & fecerit iudicium & iustitiam, omnium iniquitatū quas operatus est, nō recedabor. Imò in hoc Euangelio habetur, q̄ Christus eorū potissimū sit misertus, qui de longinquo venerāt. & hi qui sunt alij, quàm qui à magnis peccatis ad Deum sese conuertunt? quippè magna hi opus habent misericordia, ne succumbant, pereant, & moriantur in suis peccatis. Sed quid dicit Christus? Misereor super turbā: & quemadmodū hæc verba dixit, ita in animo sensit, imò sic opere declarauit. Hoc nobis circa Euāgeliū istud cōsideradū est: meritò nos exhilarare hoc debet: hoc nobis etiã nunc & semp̄ occasionē dare debet nō solùm Deo gratias agendi pro eiusmodi beneficio, sed etiã tantò diligentius talem gratiam quærēdi: quãdoquidem cōfiteri nos omnes oportet, nos sine Dei gratia in via succumbere & nihil posse, & neminem nostrū sine Dei præsidio ad æternā *Ioan. 17.* patriam peruenire posse. Atq; ita opinor, videre quiuis posset, quã magnum & exuberans solatium bonus Christianus ex hoc Euangelio haurire possit, quãdo cogitat, q̄ Christus nō solùm tam citò, tam facilè, citra omnē laborem & iustitiã tantam multitudinem pauerit, sed etiam, quod maius est, intereã & potissimū, animum suum, & charitatem, & cōpatientiam erga nos ostenderit in verbo, vbi ait, Misereor super turbam. Et maximè, q̄ in eo verbo neminem excludat, sed omnes comprehendat. Hic liberet optare, vt non solùm Reges, principes, p̄lati cū Ecclesiastici, tum sæculares, vt qui Dei vicem gerunt, & Christo quàm simillimi esse debebant, sed omnes credentes hunc affectum & animum haberent, talem charitatem & cōpatientiam erga alios homines sentirent, *Inhumilitas nostra notatur.* vt verbum hoc semper in animo & ore haberet, Misereor super turbā. Quis autem non videt, quã longè absumus ab hac

parte in omnibus statibus? Quàm pauci inueniuntur inter potentes, quibus miseria & necessitas pauperum cordi est? Quàm pauci inueniuntur in promiscua multitudine, qui sic compatiuntur afflictis suis vicinis, & conciuibus, quemadmodum

*Gen. 10.* Christus fecit: Inter potentes non raro Nemrod aliquis, fortis venator, hominum belluo, aut Nero aliquis prodit: in promi-

*Gen. 4.* scua multitudine semper inueniuntur qui Cain, Chan, &

*Gen. 9.* Esau similiores sunt, quam Abel, Sem & Iacob. Cain occide-

*Gen. 39.* bat suum ipsius fratrem, Chan deridebat & dehonefatabat optimum suum patrem. Esau persequebatur suum fratrem. Tales ho-

mines semper plures inueniuntur quam boni. Non esset id mirum, si in Ethnicis inueniretur: Quid enim Gentilis impius aliud cogitare & facere potest, quam quod eum diabolus, cuius mancipium est, trahit & impellit? In nobis autem Christianis non admirandum solum est, sed grauius etiam animaduertendum, quod tam longe ab exemplo Christi discedimus, imò tanto opere misericordiae eius confidimus, & tamen nullam commiserationem erga proximum nostrum declaramus: quod tam libenter audimus, quando Christus & Deus dicit, Misereor super turbam, & nos nihil huius affectus amoris pleni, nostris in pectoribus crescere sinimus & exurgere. Vult autem Christus, nos non solum admiratores, sed etiam imitatores esse debere charitatis, &

*Christo sumus  
dissimilimi.*

commiserationis, quam in nos ostendit: hoc est, nos non modo de eius charitate loqui posse debere, praedicare, canere, & eam laudibus uerere, vel etiam admirari, & ea gaudere, sed illum etiam imitari. Scitis (inquit) nimirum, quod ego vobis pe-

*Christus imi-  
tandum.*

*Ioan. 13.* des lauerim dominus vester & magister, & quod seruus non sit maior domino suo: sed beati eritis, si feceritis. Et iterum, *Ioan.*

15. Hoc mandatum meum, ut diligatis inuicem, sicut dilexi

*Eph. 5.* vos. Et Paulus: Estote imitatores Dei, sicut filij charissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo.

Mirum itaque non est eum Euangelio isto talem Epistolam ordinatam esse, in quo Paulus ad eiusmodi imitationem Christi, ut modo dixi, mirifice hortatur & urget. Humanum dico (inquit *Rom. 6.*) Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiae & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiae, in sanctificationem, &c. Ea fuit hodierna Epistola, pulchre nimirum consentiens Epistolae Dominicae praecedentis: Siquidem in utraque idem spe-

ctat Apосто-

Etat Apostolus, licet multifarijs vtatur rationibus & argu-  
 mentis. In illa superioris Dominicæ præcipuè vrgebat mor-  
 te & resurrectione Christi, atque adeò etiam Baptismo no-  
 stro, in quo cum Christo peccatis emortui sumus, & simul  
 cum eodem in nouam vitam resurgimus. In hac verò id vult,  
 vt geminam eam seruitutem mutuò componamus, perpen-  
 damúsque quàm difficilis, periculosa, probrosa, pernicialis,  
 & detestabilis seruitus sit, vitijs esse deditum & addictum: con-  
 trà autem, quàm honestum, laudabile, compendiosum ac sa-  
 lutiferum sit, Deo & iustitiæ militare. Hæc duo, inquam, Pau-  
 lus à nobis considerari vult. & ita, vt apud nosmetipsos pon-  
 deremus, quid ex ijs amplectendum, quid, quid fugiendum  
 nobis sit. Serui eratis peccati (inquit.) Hic vides peccatum esse  
 seruitutem. Liberi eratis iustitiæ, porrò dicit. Hic audis peri-  
 culosam esse seruitutem. *Peccatum ser-*  
*uitutis.* Quem ergo fructum habuistis (ait  
 tertio) in illis, in quibus nunc erubescitis? Hic audis, quòd  
 peccare etiam fœda & ignominiosa sit seruitus. Stipèdia pec-  
 cati (inquit quarto) mors est. Hic audis quod peccare etiam  
 exitiosa sit seruitus. E diuersò dicit: Nunc verò liberati à pec-  
 cato. Hic audis, q̄ Deo & iustitiæ seruire, libertas sit, & hone-  
 sta libertas. Habetis fructum vestrum (amplius dicit) in san-  
 ctificationem. Hic audis rem esse vtilem. Finem verò vitam  
 æternam (ait tertio.) Hic vides q̄ Deo & iustitiæ seruire, sum-  
 ma sit & certissima fœlicitas. Nunc verò res omnis in delectu  
 posita est, atque is nobis committitur, seruire esse malimus,  
 & cum omni nostra seruitute nihil aliud reportare quàm  
 probrum & mortem: an potius velimus liberi esse filij Dei,  
 honorem & æternam vitam habere ac possidere. Hunc in mo-  
 dum pius ille Iosue olim populo suo optionem dedit, mal- *Iosue. 24.*  
 lèntne vero suo Deo seruire, an prophanis Gentium idolis.  
 sed mox subiicit: Ego autem & domus mea seruiemus Do-  
 mino. Hic quod optimum erat eligere nouerat, & acceptare.  
 Hic vide, & considera quàm res sit insana in filijs Adæ, quòd  
 tam cupidè ad peccatum currant, vnde nihil aliud reportant, *Amētia eorū*  
 quàm ignominiam & mortem: contrà verò tam tardè ad ius- *qui vitijs ser-*  
 titiam adduci possint, vbi honorè & æternam vitam habere *uiuant.*  
 queant. Contra hoc scribit Paulus in hac Epistola, vtranque  
 seruitutem peccati simul & iustitiæ, sibi inuicem opponens,  
 suamque admonitionem rectà eò dirigens, vt homo cogitet  
 ita apud seipsum: Agè, siquidem res ita habet, auertā me ab

Hoc fac, & vi  
ues.

eo, quod mihi non solum probro, sed etiam incommodo esse potest: & amplectar id, quod honorem & vitam confert. Si hactenus peccato seruiui, post hac Deo seruiam. Si antehac membra interne dedi seruituti peccati, deda nunc ea seruituti iustitiae. Si porro antehac nullam commiserationem habui erga proximum meum, sed multifariam illum grauavi, exhibebo nunc illi charitatem. Ea, hoc quaerit Paulus: hoc Christiani est: hoc exigit exemplum Christi, ubi inquit, Misereor super turbam. Et hoc etiam verbum istud Christi verum audiuisse dici posse, si non modo crederemus, sed in opus etiam conferremus. Hoc verum esset Christum accipere, si illam non solum tanquam saluatorem & auxiliatorem, sed etiam tanquam nostrum exemplum, cui nos conformare debeamus, acciperemus. Deus nobis suam det gratiam, Amen.

### SEPTIMVS SERMO

de Euangelio & Epistola.



**L**ONGE alia hodierni istius Euangelij ratio est, quam proximi, quod valde seuerum erat: istud autem prorsus consolatorium est. Illic multa praecipita erant, quae homini carnali non ita multum placent: hic autem mera est misericordia Dei. In illo Euangelio exigit Christus a nobis, hic dat. Vtrumque nobis praescriptum est, & vtrumque aequum in Ecclesia legitur, ea mente atque consilio, ut vnusquisque, pro ut ratio salutis eius postulat, vel necessarium solatium, vel meritam reprehensionem & terrorem exinde haurire debeat. Quippe mundus horum nihil verum habet, neque sincerum solatium, neque timorem: gaudens vbi nulla gaudij causa est, timens & pauens, vbi nulla causa timoris & terroris est, uti etiam David ait.

*Psal. 13.* Nostrum autem Euangelium & verbum Dei, est speculum veritatis, afficit solatio & terrore, prout quisque constitutus est, nemini adulatur, neminem decipit. Qualis quisque est, tale in eo se inuenit. Si est pusillanimis, inuenit solatium: si est animosus & effrenis, habet quod illum terreat: idque adeo ut qui Euangelium & verbum Dei recte legit, nunquam gaudebit cum malefecerit, neque timebit, vbi timor nullus est. Id quod clarissime apparet in duobus Euangelij, quae iam proximè habuimus. Lege Euangelium praeteritae Dominicae, nunquam sine terrore eris & metu, etiam in rebus secundissimis. Lege hodiernum istud Euangelium, nunquam pusillanimis fies, aut animum despon-

mum despondebis etiam in summa paupertate & miseria. Illic veram vides causam, quamobrem timere quis debeat. *Causa timendi.* Peccatum est. Hic veram vides causam, quam ob rem gaude- *di.* re quis debeat. Est Dei gratia & misericordia. Nusquam pec- *Gaudendi.* catum magis apparet, quam cum præcepta Dei nobis exponuntur: nusquam gratia Dei videtur melius, quam in verbis eius & operibus. Ea autem in hoc Euangelio tam egregia & præclara habemus, ut optari meliora non possint. Etesm quot verba in hoc Euangelio sunt, tantum quoque solatij haurire quis ex illis potest. Rogas quomodo? Videmus in illo primò, **I.** quòd Christus sit Deus, & talis Deus, qui non solù creaturas suas conseruare possit, sed etiam de nouo creare, quod nõ est. Hoc autẽ quantum homini credenti solatij præbeat alibi dixi. Tum passim in sacris literis exempla inueniuntur, quæ illud demonstrant. Videmus id in Dauide, Iosaphat, Ezechia, Machabæo, Iuda Machabæo, Iudith, &c. ita ut summum eorum solatium esset, cum cogitabãt, necessitatis tempore se Deum habere, qui in omni necessitate opitulari & erigere potest. Secundò videmus in hoc Euangelio, & certò persuasum habere **II.** re debemus, Christũ suorũ nuquã obliuisci. Tertiò, quòd in **III.** omni tẽtatione illis adest & assistit. Quarto, quòd semper ha **IIII.** bet, q̃ det, etiam si aliàs vbiq; inopia sit. Nã cellarium eius & arca semper plena sunt: diuitiæ eius æstimandæ nõ sunt: quãtũcunque largitur, non habet tamen minus. Summa: semper nos alere potest. Quintò videmus in hoc Euangelio, Deum **V.** etiã non opus habere magno apparatu ad creaturas suas conseruandas. Nam ut suos nõ in exercitu, nec in robore liberat, *Zach. 4.* sed in spiritu suo, & tam illi proliuè est à multis hostibus liberare, quã ab vno. Dñe (inquit Rex Afa) nõ est apud te vlla di- *2. Par. 14.* stantia, vtrum in paucis auxiliieris, an in pluribus: tua omnis fortitudo, in tuo nomine habemus fiduciam, &c. Sic se habet etiã cum passione: Deus paucis panibus æquè potest pascere, atque multis. Sextò videmus in hoc Euãgelio, quòd Christus **VI.** plus etiam dat, quam nos petimus, vel etiam opus habemus, quẽadmodũ populo quẽ pascebat, sportæ septẽ supererant fragmentorũ. Deniq; quantũcunque liberaliter dat, nihil tamen vicissim petit, quã ut illũ agnoscamus, veneremur, colamus, atque ei etiã alijs in rebus credamus. An non autem hæc omnia consolatoria sunt? maximè cũ sciamus, videamus, experiamurque, quòd ista omnia adhuc quotidie facit: *Quamdiu*

enim in deserto huius mundi ambulamus, & in miseria huius vitæ hæremus, non desinit Deus misereri & benefacere, pascens nos corporaliter & spiritualiter: quod tamen ij potissimum sentiunt, qui illi obtemperant eumque sequuntur. Mundus non credit, Deum omnia dare. Diues existimat & credit, diuitijs suis & temporalibus bonis se ali, quas si congreget, nihil sibi deesse posse, quemadmodum ille in Euangelio, cum cellarium & horreum dilataffet, & omnia impleuisset, cogitabat intra se: Anima, habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare: ignarus, quod ipse tam parum bonis suis vsurus esset, imò quod tam breui sibi moriendum esset. Ad hæc videmus, Deum quandoque multa largiri bona alicui, sed tantum ei non permittit, vt de illis comedat, quemadmodum Salomon id multis ostendit. Est & aliud malum, inquit, quod vidi sub sole, & quidem frequens apud homines. Vir cui Deus dedit diuitias, & substantiam, & honorem, & nihil deest animæ suæ ex omnibus quæ desiderat: nec tribuat ei potestatem Deus vt comedat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud: hoc vanitas & miseria magna est. Si genuerit quispiam centum liberos, & vixerit multos annos, & plures dies ætatis habuerit, & anima illius non vtatur bonis substantiæ suæ, sepulturæque careat, de hoc ego pronuntio, quod melior illo sit abortiuus. Frustrà enim venit, & pergit ad tenebras, & obliuione delebitur nomen eius. Non vidit solem, neque cognouit distantiam boni & mali, etiam si duobus milibus annis vixerit, & non fuerit perfruitus bonis. Contrà verò videmus & legimus, quod Deus antiquitus aliquot homines mirabiliter pauerit, vbi neque bona, neque pecuniæ erant: vt in Elia, Moysè, & alijs videre est. Et quid ita? Quò manifestum fiat, etiam in externa passione verbum

*Luc. 12.* Dei plus facere, quàm panem. Vtique certè viuunt homo non in solo pane, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.

*Psal. 135.* Idcirco etiam scriptura Deo assignat: illi honorem transcribit, quod dat escam omni carni. Et certè quidem solus est, qui dat escam timentibus se, idque in tempore opportuno, quemadmodum Dauid alio in Psalmo dicit. Vnde & eorum

*Psal. 110.* omnia oculi & corda in eo sperant. Quapropter etiam nos certam fiduciam habere debemus, nec dubitare, quin Christus adhuc adsistat nobis & inter nos, ac dicat. Misereor super turbam. Etenim sic nobis promisit, se fore nobiscum vsque ad

vsque ad consummationem seculi itémque nobis testatus est, Deum scire necessitatem nostram, & curam gerere pro nobis. *Matth. 6.* Tum verò Paulus Hebr. 4. apertè dicit, Christum esse talem nobis Pontificem à Deo Datum, qui compati nobis possit. Ideò factus est homo, ideò miseriam & calamitatem nostram expertus est, vt posset compati infirmitatibus nostris. Hoc solatium nobis præbet istud Euangelium, quod ipsum etiam in superioribus sermonibus prolixè indicauit: nunc saltem paucis repetere visum fuit. Enimuerò nunc tempus est: vt tali Deo opus habeamus: nunc Deum tali modo nobis proponere debemus. Quis alioqui non pusillanimis fiat his temporibus deploratissimis? cùm videt quid hac tempestate geratur, pauperibus fructus in agris perdi, illud autem, quod collegerant, diripi: imò panem vnde viuere debebant, veluti è faucibus tolli? Cõtra eiusmodi pusillanimitatem nullum melius & certius solatium habere possumus, quàm hoc Euangelium: quod qui animo suo benè infixerit, nunquàm pusillanimis fiet, etiamsi rerum omnium semel iacturam faciat: præsertim si reputet secum, quod Christus dixit, Misereor super turbam. Hoc verbum memoria tenere cùm primis debemus: hoc verbum nos exhilarare præcipuè debet: huius etiam verbi nunc potissimùm Christum admonere debemus: vt nostri misereatur, quemadmodùm populi famelici in Euangelio misertus est. Atque vtinam possem hoc verbum omnibus mortalibus infigere. Cæterùm non credere id solum, sed etiam exempli loco accipere debemus. Nemo dubitat quin Christus hæc verba locutus sit, nemo potest & debet dubitare, quin adhuc eius animi sit, nouerit ac sciat necessitatem nostram, & cupiat nobis auxiliari. Non est enim apud eum transmutatio, nec vicissitudinis obubratiõ, quemadmodùm sanctus Iacobus dicit. *Iacob. 1.* Creaturæ mutantur, & non Deus, semper manens qui est fidelis, verax, & fide dignus, seipsum negare non potens. Et hoc est, quod sæpè admonui, *2. Tim. 2.* summum nostrum solatium: scimus, quòd Deum tam potentem, compatiemem patrem, beneficum Dominum, sollicitum pastorem habeamus, qui non cessat necessitatem nostram considerare, nos amare, pro nobis curam gerere, nos alere & tueri. Hæc eius natura est, eamque retinet perpetuam: si modò nos eundem quoque animum haberemus, nos quidem ex promiscua multitudine erga conciuēs nostros, principes

nostri & primates erga suos subditos : vt quilibet alterius miseriam & calamitatem miseretur. O quantum mali per hoc intermitteretur? Quantum boni fieret.

Quàm mox de pace cogitaturi essemus? Quàm libenti animo etiam nostrum priuatum incommodum passuri essemus, ne tot pauperes pessum irent? Quàm faciliè concordiam inuenturi essemus in nostris Comitijs, Concilijs, & Congregationibus, si omnes eo animo accederent: vt cogitarent, Misereor super turbam? Isthic effici aliquid posset: alioqui si quisque cogitet solum, quomodò factum suum, profapiam & bona conseruet, vtut alioqui res habeat, nihil effici potest, etiamsi multò plura Comitia, & Concilia instituantur. Cæterùm si quisque rempublicam consideraret, iam pridem omnia pacata essent. Sed hic affectus non intrat in animos nostros. Hoc exemplum Christi nemo vult considerare.

*Neronis crudelitas.*

Exemplum Neronis plerisque multò magis arridet. Is omnibus suis præfectis hoc mandati dabat, Scis quid mihi opus sit: & hoc agamus, vt nemo quicquam habeat. Talibus Neronibus omnes congregationes, omnes Principum aulæ plenæ sunt, qui nihil aliud cogitant, quàm quid adhuc ad factum ipsorum desideretur: vident tantummodò ne quid illis desit & pereat: imò vt hoc plus consequi valeant, haud existimantes vnde. Atque hoc pacto fit, vt populus semper in fame uiuat & miseria sine omni solatio. Deus qui in cœlis habitas, isti mundo prauo hunc affectum & cor infunde, vt considerent etiam miseriam pauperum. Imò de cœlo prospice, & miserare populum tuum: quia super terram nemo est, cui curæ sit. Tibi Domine derelictus est pauper:

*Psal. 9.* orphano tu eris adiutor. Exurge Domine Deus, exaltat manus tua: ne obliuiscaris pauperum. Iudica pupillo & humili: non apponat vltra magnificare se homo super terram. Imo nisi tu opem tuleris, iam oportet nos succumbere in via. Non enim longè abest, quod etiam dicitur de nobis: Non habent, quod manducent. Vtinam saperemus & intelligeremus, ac nouissima prouideremus, & tantò ardentius clamaremus ad Deum in cœlum. Et erit hoc vnicum medium hoc tēpore, (siquidē hominibus nō fidendū, neq; misericordia neq; compatiētia ab illis speranda est, neq; ipsi cuiquam parcunt) vt tantò magis Deo adhxreamus. Melius est

me inci-

me incidere in manus Dei (inquit sanctus David, & post il- 2.Reg.24.  
 lum religiosa Susanna) quàm vt in hominũ incidam manus: Dan.13.  
 magna enim Dei misericordia & inæstimabilis, modò ipsi nõ  
 obstemus, sed ita faciamus, vt decet probos ac morigeros Dei *Misericordia*  
 filios. Est enim hoc considerandum circa istud Euangelium. *Dei vt concì-*  
 Si Christum volumus esse in nos compatiens, ac beneficũ *lianda.*  
 Patrem, illi nos adiungamus oportet, ei adhæreamus, eumq;  
 sequamur. Cõuertimini ad me (inquit in Prophetis) & con- *Zach.1.*  
 uertar ad vos. Et iterum: Quæretis me & inuenietis, cũ quæ- *Hier.29.*  
 seritis me in toto corde vestro. Plerique conqueruntur, &  
 malè se habent in sua paupertate: irascuntur & murmurant,  
 & tantum non erubescunt dicere, sacram Scripturam falsam  
 esse. Quinetiam Deo irasci libenter vellent, quòd non auxi-  
 liatur & noua miracula apud illos facit, haud vidètes se ipsos  
 in culpa esse, dum nõ ad Deũ, sed à Deo fugiũt. Frater, si vis,  
 vt tibi Christus auxilietur, non ab illo, sed ad illum te fugere  
 oportet, quemadmodum populus in hoc Euangelio fecit.  
 Alioqui hanc tam admirabilem passionem nunquam sensis-  
 sent. Imò licet multi homines in terris erant, nemo tamẽ hoc  
 cibo grauisus est, præter eos, qui Christo adhærebãt eumque  
 sequebantur. Quapropter Christum te sequi oportet, nec te-  
 ipsum remorari. Christus nunquam faller nos, si nos nobis- *Vt frui beni-*  
 ipsis non fuerimus impedimento. De Dei queri misericordia *gnitate Chri-*  
 non possumus, sed de nostra queri iniustitia rectè possumus. *sti? imitare*  
 Hoc nos impedit in omnibus bonis. Nostra peccata auertũt *Christum.*  
 à nobis bona, ait Hieremias: imò diuidunt inter nos & Deũ, *Hie.5.*  
 inquit Isaias cap.59. Alioqui manus Dei nondum abbrevia-  
 ta est, vt auxiliari amplius non possit. Non. Tam fortis est &  
 tam bonus, quàm aliàs vnquam. Tantò diligentius hodiernam  
 considerare Epistolam debemus, in qua nos Paulus tam  
 diligenter hortatur ad seruiendũ Deo, & iustitiæ. Cuius Epi-  
 stolæ summa tribus potest verbis comprehendere, tanquàm di-  
 cere voluerit Apostolus: Iustitiæ ac pietati operam nauate, &  
 à Deo habebitis quicquid volueritis. Estote sancti & integri *Philip.4.*  
 filij Dei, & omnia vobis porriget, Dominus prope est, nolite  
 solliciti esse. Non tantum tẽporaliã vobis dare vult, sed etiã  
 æterna. Inquis: Quid igitur nobis faciendum, vt talem Deũ  
 reseruare possimus? Respondeo: Deo & iustitiæ seruiendum. *Iustitia vt co-*  
 Porrò rogas, quomodò illud fieri necesse sit? Respondeo: *lenda.*  
 Membra tua assuefac ad bonum, quemadmodum ea prius

assuefecisti ad mala. Si prius oculis tuis vidisti quæ mala fuerunt, iam ad pauperes eos deflece, &c. Verum inquis, magni hoc laboris est. Responsum: Sine labore res non agitur. Sed tamen labor est tolerabilis: non erit tibi impossibilis. Si seruire peccato potuisti ex tuo proprio spiritu, poteris etiam iustitiæ seruire adiutus spiritu Dei. Membra tua tantum & voluntatem eò accommoda, videbis tibi non impossibile fore. Alioqui nihil tam facile est, quod non difficile fiat, si inuitus facias. Contrà, nihil tam difficile, quod si volens ac lubens facias, non facile fiat. Cogita tibi non modò non impossibile, sed etiam honestum ac vtile esse iustitiæ & Deo seruire: quemadmodum tibi etiam turpe & perniciosum est, si peccato seruias. Fructus enim peccati est, ignominia: finis verò, mors & dolor perpetuus. Fructus vtrò & finis iustitiæ, est honor, sanctificatio, gaudium, vita, Deus ipse, & omnia bona.

*Roma. 6.* Hoc trahere Christianum ad pietatem debet. Ea enim ad omnia utilis est (inquit Paulus) promissiones habens cum presentium futuræ vitæ. Deus nobis omnibus suam aspi-  
ret gratiam, Amen.

*1. Timoth. 4.*

OCTAVVS SERMO ECCLĒ  
*sic cantus, orationes, & adhortationes com-  
 ponit cum Euangelio.*



**N** præcedētibus sermonibus de hodierno Euāgelio satis dictū est, quid de promere debeamus ex eo cum iuxta textum & historiam, tum iuxta allegoriā. Hac vice audiemus quomodò cantus, orationes, & admonitiones, quæ hodie in Ecclesia vsurpātur, cū Euāgelio concinant. Quæ cōsideratio haud inutilis erit: imò iudiciū dabit, maiores nostros Dominicalia Euangelia lōgè maiori studio considerasse, quàm nos nunc facimus: Nos solo auditu contenti sumus, illi verò auditu nō contenti, occasionē quoque exinde capiebāt laudandi Deum, Deum orandi. atque etiam vitā emendādi. Euāgelia, inquam, eorum fundamētum erant, quibus orationes suas & laudem Dei accommodabāt. Id quod omnes fatebuntur, qui rem paulò diligentius considerauerint. Hoc exemplum sequi meritò omnes Christiani debebant, & quasdā sibi preces laudētique Dei Euangelijs auditis elicere, formare atque exercere. Cuius rei singulis diebus Dominicis nobis forma datur  
 & mo.

& modus. Veteres Christiani nobis præiuerunt labore. Si ex teipso videre non potes, quomodo circa vnumquodque Euāgelium orationē tuam, laudem Dei atque etiam vitam tuam instituere debeas, doceat te Ecclesia, vtere forma & modo, quem tibi Ecclesia præscribit: satis occasionis habebis orandi, Deum laudandi, necnon vitam tuam Christianè instituendi. Quare nemini res non necessaria videri debet, quòd circa Euangelium etiā indicē, quibus in Ecclesia singulis Dominicis diebus, catibus, orationibus & adhortationibus vtamur.

Enimverò primò æquum est, vt promiscua multitudo discat quid sibi velint quæ in Ecclesia gerūtur: Quomodo alioqui vnanimis, vnòque ore, iuxta doctrinam Pauli, Deū orare & laudare possemus? Atque expediret id semper factū fuisse, & adhuc idem fieri omnibus in locis. Ecclesiæ ritus & ordinationes nulla alia magis ex causa in eiusmodi contemptū venerunt, quàm quòd vulgus hominum ignorat quid significant. Et si illum desiderium aliquod & deuotio erga illa, quæ in Ecclesia geruntur, mouere debeat iterū, vnicū erit mediū, vt illi clarè ostendatur, quæ sit eorū mens & significatio. Nam qui fieri potest, vt quis desiderio alicuius rei teneatur, si non intelligat? Quomodo res aliqua magni fieri potest nō nota? Atqui in hoc Euangelio audiuius, quòd Christus quatuor millia hominum septem panibus pauerit & exaturauerit, idque nullius hominis hortatu aut instinctu, sed ex mera gratia & compatiētia. Misereor super turbam (inquit.) Hoc miraculo & gratiæ opere primū diuinam suā potentiam declarare voluit illis, qui eum hominem tantūm censebant. Deinde etiam omnibus suis seruis & imitatoribus per id consolationem dare voluit, nunquàm ipsis temporalē defuturam alimoniam, quatenus ipsum sequantur, & apud ipsum perseuerēt. Ad hæc, etiam fidelibus suis indicare voluit, quòd eos etiam spiritualiter & æternū velit pascere & cōseruare. Hæc omnia nobis in isto Euāgelio promissa sunt. Quid igitur iustius ad hanc rem pertinet, quàm quod hodie ex Dauide canitur: Omnes gentes plaudite manibus: iubilare Deo in voce exultationis. An non egenus meritò gaudeat, si ex aliquo audiat, qui ipsius paupertati & egestati, & velit & possit propediē opitulari? An non autem tali etiā gratias debet? Quis verò tam potens est, qui nobis in omni necessitate auxiliari possit? Quis tā bonus & benignus est, vt nemiāem desolatū relinquat? In

Roma. 15.

Mar. 9.

Psal. 46.

Psal. 33.

hoc Euangelio & videndum & audiendum se præbet. Is est

*Pfal. 46.* Dominus excelsus, terribilis, Rex magnus super omnem terram, de quo David canit: Excelsus est in sua potètia, magnus est in sua bonitate. Misereor super turbam. Hic vides, quòd fit mitis & benignus Dominus. Quatuor millia hominū pascebat vna vice sine difficultate. Hic vides quòd fit potēs Dominus. Quòd porrò David dicit de illo, terribilem eum esse super omnem terrā, de malis accipiendum est. Suis est & manet excelsus Dominus in potentia sua ad auxiliandum illis, & Rex magnus in bonitate & misericordia ad necessitatē eorū considerandam. Meritò itaque sublatis manibus esse hilares debemus, Deūmque laudare. Vt autem videat vnusquisque, quomodò Deum circa istud Euangelium laudibus ornare

*Pfal. 33.* debeamus, alius insuper Psalmus nobis proponitur ex sancto Dauide, ex quo veram habemus formam Deum laudandi. Benedicam te Domine in omni tempore (inquit David) semper laus tua in ore meo, &c. Hæc verba quiuis Christianus circa hodiernum Euangelium dicere debet: sed interim etiam considerare, quod statim sequitur, Gustate & videte quoniā suavis est Dominus, &c. Et postremò, quod David sub finem addit: Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos.

*Tria consideranda.* Hæc tria, inquam, Christianus circa hodiernum Euāgelium considerare habet, & exercere. Nimirum Deum laudare pro

- I. eo quod dedit, ac omnibus diebus dat: Deo fidere, & credere
- II. eum deinceps daturum quoque: Deum timere & præ oculis
- III. habere, qui suorum tam clementer rationem habet. Atque hinc, meo iudicio, verus esset vsus huius Euangelij. Et qui hæc tria non discit ex eo, & exercet, nondum is sanè rectè illud audiuit. Iam verò nihil magis in votis habeo, quàm meam conferre operam, vt multos fructus ex Euangelij nostris referre possimus, & ne vllum sine fructu abiret nobis: quippe cum ad nostram vtilitatem, imò ad æternam nostram salutem literis prodita sint & prædicentur. An non autem esset ingens vtilitas, si vna vice & ex breui Euangelio discere possimus, Deū laudare, Deo piè fidere, & Deum timere? Inquis: Quomodò id ex eo discam? Enimverò neque de laude Dei, neque de fide, neque de timore Dei loquitur. Agè, breuem tibi dabo instructionem, quomodò Euāgeliū istud ad, eiusmodi res inseruire possit. Primò, nō solum ob oculos nos ponere oportet, quid Christus hac vice miraculi in populo fame periclitante fe-

tante fe-

tante fecerit, idque ex mera compatiētia & commiseratione: sed considerare prætereà, quomodo & à quo etiã nos hactenus à famis necessitate seruati simus. Comperiemus nimirũ, quòd is ipse nos pascat, qui illos pauit: & quòd in hac nostri passione primũ gratiam suam & amorem, deinde etiam diuinam suam potentiã & miracula non minus in nobis declararet, ac in illis declarauit. Oculi omnium in te sperãt Domine; *Psal. 144.* inquit Dauid, & tu das escam illorum in tempore opportuno. Et iterum: Dante te illis, colligent. Et quis dare posset, nisi Deus? Quid curæ nostræ possent, nisi Deus pro nobis curaret? Quid labor noster posset, nisi Deus daret incrementum; Vnde terra vim suam haberet multiplicandi semen, & tantò cum fœnore reddendi, nisi id Deus sua benedictione fœcundasset? Nullus igitur alius est præter Deum, qui etiã nos pascit. Sed id solũ propterea facit, quòd commiserationis affectu erga nos tangatur. Misereor super turbam (inquit Vnigenitus filius Dei:) quo docet, etiã in Deo nihil aliud esse, quã merã charitatem, cõpatientiam, seu misericordiam erga nos, quatenus illi (Christo) credimus & per charitatem adhæremus. Qui videt me, ait idẽ ipse, videt & Patrẽ. Cũ itaque audis hęc, quòd Christus miseretur populi famelici, idẽ à Deo speres licebit. Nemo quidẽ Deũ vidit vnquã, sed Vnigenitus filius Dei manifestauit nobis, quæ spes à Deo nobis esse possit. Agẽ ergo, duo illa iam habemus, quòd Deus nos pascit, idque ex cõpatientia & misericordia. Scit enim figmentũ nostrũ, & quibus egeamus. Tum verò tertium quoq; manifestum euadit, q̃ nos æquẽ miraculosẽ pascit, ac in Euangelio fecit, si res bene expendatur. Septem panes exiguus cõmeatus erat pro quatuor millibus hominum, attamen omnes ex ijs comedebãt, saturabãtur, & plus illis supererat, quã primò habuerãt. Sic Christus panes multiplicauerat sua benedictione, Semen quod in terram proijcis, exiguum sanè est, si cum illo conferas, quod tẽpore messis in horreũ cõuehus. Imò manibus spargis, plaustris onustis iterũ illud colligis. Sic Deus multiplicat etiam nobis dormientibus. Imò si consideramus hominũ multitudinem, & quantum vnus homo per annum fructuum absumat, sique consideramus, quã multæ regiones sint, vbi fruges nullæ crescunt, quantum fructuum nonnunquã pereat & dissipetur in agris, in granatio, per ignẽ & aquam, per clades, per vermes, comperimus omnes pro-

*Psal. 144.**Psal. 103.**I. Corin. I.**Ioan. 14.**Ioan. I.**Psal. 102.*

uentus nostros nihil aliud esse, quàm septē panes ad septem millia hominū:attamē omnes ex ijs comedimus,saturamur, & adhuc superest. Eiusmodi miracula Deus adhuc quotidie

*Augusti.* facit:quāquā ea nemo pro miraculis agnoscit & acceptat, quia quotidie fiūt. Si rarò, aut nō nisi semel fierēt, æquē admiraturi essemus, atq; illud quod Christus in hoc Euāgelio fecit. Quia ergo manifestum est, quòd nos Deus pascit, idq; ex cōpatientia & mirabiliter: & nō semel, sed sæpe, nō vnum diem: sed per omnē vitam nostram: æquū certē est, vt vnus-

*Psal.33.* quisq; & pro seipso cū Dauide dicat: Benedicā Dominū in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Et deinde alteri acclamet: Magnificate Dominū mecū: & exaltemus nomen

*Ibidem.* eius in idipsum. Gustate & videte quoniam suavis est Dominus: Beatus vir qui sperat in eo. En, hoc pacto nobis Euangelium istud occasionē dare, possit laudandi Deū. Fidem nostram & fiduciā erga Deum, similiter cōfortare potest, quan-

*Isa.59.* do quidem scimus Deum æternū manere, qui est. Ego dominus (inquit) & nō mutor: & quòd manus eius nō abbreviatur, neq; potētia eius decrescit, sed quod semel fecit: id facere semper potest: imò quòd omniū operū suorum hanc causam indicat & reddit, vt sciatis quia ego dominus. Sic itaq; Deus omnia sua opera propterea facit, vt ex ijs cognoscatur tanquā verus & vnicus dominus in cœlo & in terra, & nos etiā eorū operū vnum habeamus in hodierno Euāgelio, certē iterum nobis occasio data est, Deo fidēdi, & in nulla necessitate de illo dubitādi. Atq; hoc pacto possit nobis istud Euangelium etiā fidē nostram & fiduciā corroborare, vt omnes læti

*Psal.33.* ac alacres ad alios dicere possint: Gustate & videte quoniam suavis est Dominus: beatus vir qui sperat in eo. Itēmq;: Accedite ad eum & illuminamini, & facies vestræ non confundētur. Tertiò quoniā audimus, Deum adhuc quotidie apud nos facere quod semel in hoc Euangelio fecit, & nos etiam

*Amandus, commendus, colendus Deus.* similia in futurum nobis confidenter possimus promittere: imò quia omnia bona ab illo habemus, omniāque bona ab illo expectamus, certē æquum est, vt illum præ oculis habeamus, talem patrem amemus, talem dominum timeamus, & talem Deum colamus. Timere dominum ait David *Psal.33.* omnes sancti eius. Addit prætereā ad quid conducat: quo-

*Psal.32.* nam non est inopia timentibus eum. Et in alio *Psalmo:*

*Psal.127.* Oculi Domini super metuētes eum. Et iterum Beati omnes qui ti-

qui timent Dominum, qui ambulant in vijs eius. Huc pertinet hodierna Epistola, quæ nihil aliud habet, quàm seriam exhortationem ad timendum Deum, & seruiendum iustitiæ. Pulchrè itaq; ad hodiernum Euangelium adiuncta est: quin hîc demû rectè discere possumus, quomodò nobis miraculum istud vtile facere possimus. Tria hîc facièda sunt. Primò I. considerandum in famelico populo, quales fuerimus, priusquam Deus miseretur nostri. Secûdò II. in benignissimo opere Christi contemplatione perpendendum, quid etiam nobis gratiæ exhibuerit. Et tertio, omnis adhibenda diligentia, III. ne rursus ex tali gratia excidamus. Hæc omnia indicat nobis in hac Epistola Paulus. Primò probat, nos fuisse populum illum famelicum, qui de longinquo ad Christum venit, cuiq; haud dubiè pereundum fuisset, nisi Christus fuisset auxiliatus. Quid magis famelicum anima, quæ Deo caret, eiusque gratia & cõsolatione vacua est? Quis lōgius distat à Deo, quàm peccator? Nostra peccata (inquit Isaias cap. 59.) diuidunt inter nos & Deû. Et David Psal. 118. Salus longè à peccatoribus. Atqui dicit Paulus in hac Epistola, nos nõ tantum peccatores, sed etiam seruos peccati fuisse: atq; ideò nobis nihil congruisse magis, quàm Dei iram, pœnam & mortè. Stipendia enim peccati (inquit) mors est. Tam longè aberamus à Deo, & tanta tenebamur fame ac inopia, non panis, sed diuinæ gratiæ & iustitiæ. Christus autem nostri misertus est, & nobis talem gratiam declarauit, vt nunc à peccatis liberati, serui ipsius ac ministri simus facti, fructû nostrum habentes, nimirû sanctificationem, finem verò vitam æternam. Hæc est misericordia, quã nobis Christus declarauit. Quia verò eiusmodi bona per nostram ingratitude facillè amittere possemus, insignem Paulus adhortatione facit, nimirû vt membra nostra tradamus seruituti iustitiæ, quemadmodum illa prius tradidimus seruituti peccati. Atq; hoc pacto, opinor, videre quiuis facillè possit, etiam hanc Epistolam pulchrè ad hodiernum Euangelium adhibitã esse. Ecclesiæ oratio quartum est, eodẽ spectans & seruiens. Deus (dicimus) cuius pro-

Peccator quã miser.

Rom. 6.

Precatio Eccle siæ.

*videntia in sui dispositione non fallitur, te supplices exoramus, vt noxia cuncta submoneas, & omnia nobis profutura concedas.*

Optimè precatio hæc quadrat ad hodiernum Euangelium, indicans nobis primò, quid potissimum in Euangelio obseruare debeamus, docens nos etiam postea, quomodò illo vti-

liter possimus ac debeamus. Quid aliud videmus in hoc Euāgelio, quàm prouidentiam Dei, quæ omnia disponit, neque vnquàm fallitur? In verbo, Misereor super turbam, Dei vides prouidentiam. Etenim hîc audis, quomodò Christus omnia præcogitauerit & perpenderit, nimirum quæ multitudo populi non haberet quod manducaret, vt qui longè aberant à suis domibus, vt illis Apostoli subuenire non possent, & quòd in via succubitori essent, si ieiunos eos ita dimisisset. Hoc est

**Prouidentia  
Dei.**

**Heb. 4.** prouidentia Dei. Sic omnia à Deo prouisa sunt & pòderata: quecūque in terris fiunt & fient vsque ad consummationē seculi. Nostri oculi tam procul prospicere nō possunt. Deo autem conspicua sunt omnia. Omnia sunt nuda, & aperta oculis illius. Omnes capilli capitis nostri apud eum numerati sunt. Domine (inquit Dauid, Psalm. 138.) tu cognouisti sessionem meam & resurrectionem meam. Quare igitur dicit Sion (inquit in Isaia cap. 49.) Dominus dereliquit me, & Dominus oblitus est mei. Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum? & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. Hæc omnia confirmata sunt in isto, Misereor super turbam (inquit Christus) scio enim quid illis desit, & melius multò quàm ipsi. Et quomodò exemplū habere melius possemus diuinæ prouidentia? Quòd autem eiusmodi prouidentia Dei in sua dispositione nō fallatur, ex hoc etiam Euāgelio demonstrari potest. Christus iubebar, populum sedere: perindè se gerebat ac si pascere eos veller. Nec videbat tamen quisquam, quomodò & qua re id posset facere. Erat enim populi magna multitudo: tum Apostoli non plus commeatus habebant, quàm septem panes. Hæc est dispositio prouidentia Dei. quicquid ab æterno apud illum constitutum, cognitum & perpensum est, id etiam disponere nouit ad suam gloriam & nostram vtilitatem. Sed tam humilia interdum sunt principia, vt dubitet quisnum secuturus sit euentus. Exempli

**Gen. 12.** gratia: Abrahæ & semini eius dare volebat terram Chanaan pro hæreditate, sed per omnem eius vitam vagari illum in ea sinebat tanquàm peregrinum, & non illum solū, sed etiam

**Gen. 23.** filium eius Isaac, quin etiam filij eius filium Iacob, vt nihil proprij in ea terra haberent aut consequerentur, quàm partem agri, in quo sepulchrum suum habebant, & id tamen

**Exod. 3.** mercari argento cogebantur. Hæc certè nihil magnificū præ se ferebat dispositio. Sic etiam Israëlitas ex Aegypto liberare vole-

volebat. hæc erat eius providentia: sic constitutum & decretum erat. Sed humiliter admodum negotium incipiebat, mittens non nisi vnum virum, eique nihil aliud dans in manus quàm baculum. Imò eo ipso viro utebatur, qui antea in suo ipsius negotio fugam inire coactus fuisset. Humanum genus Deus quoq; redimere volebat ab æterna morte: apud illum deliberatum erat & conclusum: & ad id mittebat quidem filium suum, verum nulla externa potentia, seu in summa humilitate, eumque in crucem suffigi sinebat. Et quis cogitasset, quòd talis efficere aliquid potuisset, in re præsertim tanti ponderis? Sic facit etiam hic, significans se pascere velle populum, cum tamen neque panes, neque pecunias haberet: ita vt populus cogitare potuisset, Quid hic faciet? quid conatur? Promittit nobis se nos pascere velle, quod tamen impossibile est, &c. Veruntamen inuenimus, quòd providentia Dei in sua dispositione non fallitur. Populus enim comede-  
bat & saturabatur, & multum supererat adhuc. Sic etiam Abraham non est frustratus terra Chanaan: quod ipse non accipiebat, hoc familia eius consecuta fuit. Ita quantumcunque imbecilis Moyses videbatur, attamen liberabat populum ex Aegypto. Idem actum cum Christo est, qui quantumlibet contemptus erat, nos tamen liberavit. Non ergo sine causa factum, quòd in hodierna Ecclesiæ oratione Deo cum honorè tribuimus, quòd providentia eius in sua dispositione nūquam fallatur. Hinc tantò certius orare possumus ac dicere: Deus, cuius providentia in sui dispositione non fallitur, te supplices exoramus, vt noxia cuncta submoueas, & omnia nobis profutura concedas. Hæc duo docemur hodie orare circa hodiernum Euangelium & Epistolam, atque ea interim exerceamus & in vsu trahamus. Audis quidem in Euangelio quòd Christus miseretur & dat: sed tu rogare attentius debes, vt det tibi quæ profutura sunt. Audis præterea in Epistola quòd Paulus enumerat miseriam, in qua iacuumus: roga erga Deum, vt noxia cuncta à te submoueat, præcipue peccatum. Alioqui enim nihil homini nocere potest peccatum non habenti, quemadmodum alia habet precatio Ecclesiæ: Nulla nocebit aduersitas, si nulla nobis dominetur iniquitas. Deus det nobis suam gratiam, Amen.

DOMINICA NONA  
POST PENTECOSTEN,  
EVANGELIUM MAT-  
THAEI VII.

**C**Auete verò vobis à Pseudoprophetis, qui veniunt ad vos in vestitu ouium, sed intrinsecus sunt lupi rapaces. A fructib<sup>9</sup> ipsorum agnoscetis eos. Nūquid colligūt de spinis vuas? aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona, fructus bonos facit: putris autē arbor, fructus malos facit. Nō potest arbor bona fructus malos facere: neq; arbor putris fructus bonos facere. Omnis arbor quę non facit fructū bonū, exciditur, & in ignē conijcitur. Igitur ex fructibus ipsorū agnoscetis eos. Nō quisquis dicit mihi: Domine domine, introibit in regnū cœlorū: sed qui fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est.

EADEM DOMINICA EPI-  
STOLA SANCTI PAULI,  
ROM. VIII. CAP.

**F**Ratres, debitores sumus non carni, ut secundum carnem uiuamus. Nam si secūdum carnem uixeritis, moriemini. Quòd si spiritu facta corporis mortificetis, uiuetis. Etenim quicumque spiritu Dei ducūtur, hi sunt filij Dei. Nō enim accepistis spiritum seruitutis iterum ad timorem, sed accepistis Spiritum adoptionis, per quem clamamus, Abba pater. Idem spiritus testatur unā cū spiritu  
tu no=

tu nostro, quòd simus filij Dei. Quòd si filij Dei, igitur  
& heredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.

PRIMVS SERMO DE  
initio Euangelij.



**V**L G A R I quidem inter nos sed verissima fer- *Eccle. 9.*  
tur sententia, Bonum amicum omni præstare *Amici boni*  
auro & argento: quin multò satius esse, sine pe- *quantartili-*  
cunia, quàm sine amico viuere. Hinc apud mun- *tas.*  
di sapientes prouerbiū est, Vnus Deus, plures  
amici. Etenim vbi boni amici, ibi bona & diuitiæ. Vnde con-  
cludunt, fidum amicū necessarium magis esse, quàm ignem  
aut aquam. Et ita res planè habet. Nam nemo tam diues aut  
potens est, qui non aliquando bonorum amicorum consilijs,  
ope & admonitione opus habeat: quin sæpè aliquis in magna  
pericula & damna, imò etiam in mortem casurus esset, si non  
haberet amicos, qui illum monerent. Rectè itaq; benè verèq; *Fidus amicus,*  
dictum est, Boni amici esse fœlicem occursum. Vnum deest, *rara avis in*  
quòd fidorum amicorū pauci inueniuntur in mundo. Tan- *terris.*  
tò gratius nobis esse debet, cum audimus in nostro Euange-  
lio, q̄ Deus nobis fidum amicum de cœlo miserit, nimirum  
vnigenitum filium suum: & quòd filius ille Dei, fidem suam  
& amicitiam perfectissimè & in summo gradu erga nos de-  
claraue rit: id que non solùm verbis & beneficis operibus, sed  
etiam patiendo ac moriendo. Lege illius opera, attende ad ip-  
sius verba, haud in illo aliud inuenies, quàm longè fidissimū  
amicū, qui nos ex animo dilexerit, & in omnibus rebus vti-  
litatem nostrā quæsiuerit: nec intermiserit quicquam, quod  
ad salutem nostram conducatur. Etenim primò, veritatem no-  
bis manifestaui, & mendacium detexit. Secundò, viam no-  
bis salutis indicauit, & omnia impedimenta sustulit. Tertiò,  
quoque consolatione nos & prædicatione gratiæ exhilarauit,  
& magnis promissionibus confortauit. Quartò, præceptis  
nos instituit, & exemplis erudiuit. Postremò, ne quicquam  
prætermitteret, futuri quoq; periculi nos admonuit, quem-  
admodum cū primis in hodierno videmus Euangelio. Et quid  
posses vel ab optimo amico tuo amplius postulare? Summè  
igitur miserandū deplorādūmq; q̄ ex tam magna charitate  
& gratia tam parum aut nihil meliores reddimur, licèt quo-

*Christi erga  
nos fides &  
charitas.*

I.  
II.  
III.  
IIII.  
V.

ridie de illa audiamus legamúsque. Id autem non aliundè fit, nisi quòd animum nostrum ei rei non dedamus, sed ex còsuetudine solùm audiamus, & cù tædio, haud amplius postea memores. Hinc fit, q̄ multũ & omni die audiamus, nec vnquàm tamen profectum faciamus. Quotidiè discimus, nec tamen vnquàm ad cognitionem veritatis peruenimus. Omitto nũc, quòd via nostra talis est, tanquàm de Euangelio & Christo nunquàm audiuissemus. Quapropter (vt timendum) in multis impletur, quod Christus in Isaia conqueritur: In vanum laboravi, sine causa, & vanè fortitudinem meam consumpsi. Quam ob rem pro initio huius sermonis vos admonitos volo, vt verba hodierni Euangelij cum diligentia consideretis. Quorsum enim alioqui bonum consilium, si ei non obtempèretur? Atqui monet nos Christus in hoc Euangelio fideliter, prædicens quid periculi nobis imminebit, idq; omne verbis tam expressis: vt nemo possit prætexere, se non monitum.

*2. Tim. 3.* Idcirco Euangelium hoc aggrediemur. Principiò autem necessarium nobis erit, vt consilium Hieremiæ sequamur, quod olim suis dabat Iudæis, monens ac docens: vt interrogarent de semitis antiquis. Sic etiam nobis necessarium est: vt verum intellectum, quem Christus spectauit, quæramus, nec quiuus proprium intellectum pro suis affectibus fingat. Non hoc temerè dico. Nam primò Euangelium istud ex ijs vnum est, quæ pro cuiusque opinione torquentur, quia vnaquælibet pars tam veterum quàm nouorum Christianorum (vt nunc vocantur:) inò etiam sectarij alij contra alios ijs vtuntur. Secundò, vix est Euangelium toto anno, circa quod huius tēporis pleriquè prædicantes & scribètes, suos affectus, hoc est, iram, inuidiam, indignationem, & animòs acerbos crassius declarent. Vnusquisque enim Euangelium hoc in alios detorquet & interpretatur, vocàs alios lupos & animarũ laniones, & enumeràs seu obijciens alijs malos fructus eorum quã contumeliosissimè, & exaggeràs eos supra modum. Quid autem fructificant eiusmodi prædicationes, aut ad quid aliud conferunt, quã quòd per hoc auditores incéduntur instiganturque contra aduersarios, & compotoribus inter vini pocula occasionem præbeant, nũc hos nunc alios calūniãdi? Atqui multò præstaret, vt priuatos nostros affectus, proprium emolumentum, fauorẽ & odium, iram & liuorẽ seponeremus, & sententiã huius Euanglij vnanimis quæreremus. Nihil enim Christi in

stus in hoc Euangelio spectauit minus, quã alicuius famã denigrare, aut auditores suos cõtra quẽquam instigare aut exasperare, sed discipulos dũtaxat suos præmonere. Facit autem Christus tria in hoc Euãgelio. Etenim primò annuntiat præmonendi more pseudopphetas venturos, docens simul, quibus notis eiusmodi pseudopphetæ agnosci debeant ac possint. Et postremò, quò omnes in eiusmodi rebus melius iudicare possint, summã & præcipuam sententiam Christianę doctrinæ vno verbo cõprehendit. Et si rem penitus introspicimus, totum Euangelium eò destinatum est: primò, ne nos Christiani vnicique fidem habeamus facilè aut quãlibet doctrinam recipiamus: deinde in doctrina aliud quæramus & cõsideremus, quã veritatem & salutẽ nostrã, non priuatos nostros affectus, neq; temporale aliquod commodum aut emolumentum. Tertiò, vt de fide nostra & Christiana doctrina tam certi simus, & tam fortiter ei inhæreamus, vt ne Angelo quidẽ de cœlo (vti Paulus loquitur) credamus, aliter nos docturo. Et postremò, vt eiusmodi nostram fidem & Christianã doctrinã, non solũ intellectu capere ac retinere debeamus, sed etiam ipso opere & factis declarare. Hæc vult Christus in isto Euangelio docere: quæ si obseruarentur, meliorẽ ecclesię faciem & ædificationem reducere possent. Primò igitur, cum verba Christi inspiciamus, videtur Christus loqui de Iudaicis Pharisæis, dum non dicit, Venient: sed, Veniunt, in præsentem, tanquã significet, q̃ iam præsentem erãt. Et certè dubitare nemo potest ac debet, quin Christus illos Phariseos intellexerit. Erant enim veri lupi eo ipso, quòd populum à Christo abstraherent, persuadentes simplicibus, legem sufficere illis ad felicitatẽ, nihil ad eam opus esse Christo, quæ omnium perniciosissima erat seductio. Atque ideò etiam dicebat Christus alio in loco de illis: Sinite illos, cæci sunt, duces cæcorum. Et iterum: Cauete vobis à fermento Phariseorum. Christus itaque per falsos Prophetas primò & ante omnes alios, Iudæos Phariseos intellexit: neq; tamẽ eos solos, siquidem & alijs in locis de futuris seductoribus loquitur: Surgent pseudochristi & pseudopphetæ, &c. Similiter & Petrus ait: Fuerunt pseudopphetæ in populo, sicut & in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, &c. Et Paulus, Ego, inquit, scio, quoniam intrabũt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi, &c. Ex his vtiq; ver-

*Euangelij huius summa.*

*Gal. 1.*

*Matth. 15.*

*Matth. 16.*

*Matth. 24.*

*2. Pet. 2.*

*Act. 20.*

bis clarissimè videre est, quòd Christus nò solùm de Iudaicis Pharisæis locutus sit. De illis enim, quia extra sanctam Christianam ecclesiam & cõmunionem sunt, nò est, q̃ periculum aliquod pertimescamus. Alij in eorũ locum successère, iique non pauci, qui & inter nos sunt. Ab ijs nobis imminet periculum. Rogas, qui illi sunt, à quibus cauere nos iubet Christus? Primò, loquitur Christus nò de præstigiatoribus, ariolis, magicis, astrologis, & id genus alijs, qui nunc ex his, nũc ex alijs signis & obseruationibus futura prædicare conantur. De his *Impij cõcionatores cur falsi Prophetæ.* (inquã) non loquitur Christus: sed potius de peruersis prædicatoribus, qui propterea Prophetæ appellantur in sacra scriptura, quòd verbum Dei profitentur & prætexũt. Falsi autem vocantur, & sunt, eò quòd aut verbũ Dei adulterãt, aut suum sensum & cõmentum pro verbo Dei tradunt. Ab huiusmodi hominibus periculum nobis timendum est. Etenim verbum Dei animi cibus est, sine quo anima viuere nò potest. Quẽadmodũ ergo qui corporalem cibum aut nobis penitus subtrahit, aut eũ nobis veneno inficit, certò nos ad corporalem mortem promouet: ita etiam, qui nobis verbum Dei aut prorsus tollit, aut erroribus adulterat, is occidit animam nostrã.

*Psal. 10.* De talibus animarum occisoribus Dauid multum cõquestus est in Psalmis suis, & præcipuè vbi ait: in Domino confido: quomodò dicitis animæ meæ, Transmigra in montem sicut passer? Perindè ac si dicat: Vos pseudoprophetæ, nũc huc, nũc illuc me remittitis: nunc hoc, nunc aliud mihi promittitis: ego autem in Dño confido, & non in montibus vestris quos mihi monstratis. Mox subiicit: Ecce peccatores intenderunt arcũ, parauerunt sagittas suas in pharetra, vt sagitent in obscuro rectos corde. Per arcum intelligit linguam: per sagittas verò, verba pseudoprophetarum: illis namque vulnerant & interimunt animas rectorum corde, nec tamèn apertè, sed clàm. Videntur quidè verba eorũ mollia & suauia, & non nisi plumæ & puluilli: sed reuera nihil aliud sunt, quam venenati ac mortiferi arcus, & tela. *Psal. 44.* Contrà, verba Christi etiam acutæ sunt sagittæ, vt Dauid ait: at nò letales, sed salutiferæ sagittæ, tangentes & sauciantes cor, sed homini ad æternam ipsius salutem. Pseudoprophetarum autè sagittæ feriunt, vulnerant & occidunt animas. Eiusmodi homines olim Pharaonem deciperunt: vt verbo Dei, quod ei Moyses denũciabat, quin etiam *3. Reg. 22.* tot manifestis diuinis signis, quæ faciebat Moyses, nollet crede-

credere, nec posset. Tales homines seducebant Achab, vt Michæam, qui ei optimè cōsulebat, audire recusaret. Eiusdem fa-  
 rinæ homines seducebant populum Israël, vt à templo Dei ad aureos vitulos sese transferrent: & vt postea etiam Hieremiã,  
 qui eos omnium fidelissimè ad pœnitentiam hortabantur, au-  
 dire nollent, imò vt etiã Christum suum diu desideratũ Mes-  
 siam, nollent recipere: quin etiã vt illum deteriorè & morte di-  
 gniorè iudicarent, quã insignè homicidam. Tales homines  
 seducebãt diuo Paulo suos Galatas, vt omnium obliuisceren-  
 tur, & ex animo eijcerent quæcunquè antea eos docuerat.  
 O insensati Galatæ (inquit) quis vos fascinauit non obedire  
 veritati? Et postea: Currebatis benè: quis vos impediuit? Per-  
 suasio nō est ex eo qui vocat vos, qui autem cōturbat vos, por-  
 tabit iudicium, quicūq; est ille. Tales homines deinceps etiam  
 maiorè partem Christianorum à vera fide in varios errores  
 perduxerunt. Atque idè vocat eos Christus non immeritò  
 lupos rapaces, præmonens suos non immeritò, vt sibi à tali-  
 bus lupis caueant. Oues hostem maiorem non habent quã lu-  
 pum: vtpotè nihil quærentem aliud quã exitiũ earũ. Imò hæc  
 vnica causa est, cur ouibus se adiugat, vt eas iugulet & perdat.  
 Eodem modò res habet cùm hæreticis & pseudoprophetis.  
 Nihil perniciosius falsa doctrina. Imò quantūcunquè Turca  
 immaniter agit cum Christianis, tantū tamen nocere non po-  
 test, quantū hereticus, falsus & infidelis Dector. Nam Turca  
 bona diripit & corpus occidit: hic verò occidit animã, & pri-  
 uat eam omnibus bonis Dei. Itaque mirũ non est, quòd vt ab  
 eiusmodi cauemus, nos Christus monuit. Sed dicat híc aliq;:  
 Si pseudoprophetæ homines sunt tã perniciosi, cur Deus tam  
 diu coniuuet, patiens vt tot errores & seductiones suscitent?  
 Respondeo: Cur Deus non prohibet Turcam: vt Christiani-  
 tatem non persequatur? Cur non prohibet feras: vt nos homi-  
 nes illæfos relinquant? Occulta, sed tamen iusta Dei sunt iu-  
 dicia: magis nobis metuenda, quã curiosè exploranda.  
 Attamen causæ aliquæ indicari possunt, Cur Deus pseudo-  
 prophetas patiat. Primò, vult Deus etiam suos electos  
 per hoc probare, num firmiter veritati & suo verbo inhæreãt.  
 Quemadmodum Moyses dicit: Si surrexerit in medio tui  
 Prophetes, & prædixerit signum atque portentum, &  
 euenerit, quod locutus est, & dixerit tibi, Eamus & sequa-  
 mur Deos alienos quos ignoras, & seruiamus eis, non audies

3. Reg. 11.

Hier. 28.

Matth. 27.

Gal. 3.

Gal. 5.

Falsa doctrina, quàm exitialis.

Hæreticos cur diu tolerat

Deum.

Deut. 18.

verba Prophetæ illius aut somniatoris: quia tentat vobis Dominus Deus vester, ut palam fiat, utrum diligatis eum, an non in toto corde & in tota anima vestra. Dominum Deum vestrum sequimini, & ipsum timete, & mandata illius custodite, & audire vocem eius: ipsi seruietis, & ipsi adheretis. Secundò, id idè etiã fit, ut causam habeat aliorum Doctores & pastores, tantò diligentius gratiam & illuminationem petendi, necnon sacram scripturam tanto profundius indagandi. In hoc errores & hæreses cõferunt. Quò enim plures hæreses oriuntur, hoc diligentius catholici Doctores & pastores scripturam legunt, ad fidem suam & subditorum cõfirmandam. Nisi error Arrii fuisset, Catholici Doctores mysterium sanctæ Trinitatis nunquam tam profundè & diligenter in scriptura scrutati fuissent. Sic se habet etiam cum alijs erroribus. Tertio, permittit Deus pseudoprophetas & errores ori, in pœnam peccatorum nostrorum & ingritudinis. Quèadmodum in Isaia dicit: Eò, quod appropinquat populus iste ore suo, & labijs suis glorificat me, cor autem eius logè est à me, Dominus claudet oculos vestros: & prophetas & principes vestros, qui videt visiones, operiet. Et erit vobis visio omnium, sicut verba libri signati, &c. Et in Ezechiele: iuxta iniquitatem interrogatis, sic iniquitas prophetæ erit, &c. Sic dicit itè Paulus: Eò, quod charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent: ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credat mendacio, ut iudicetur omnes qui non crediderunt veritati, sed cõsenserunt iniquitati. Et iterum: Quia cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, tradidit illos Deus in reprobum sensum, &c. Quapropter ne mirerè, quod tot homines in errorem incidant, predicatorum simul & auditorum. Deus permittit id iusto suo iudicio: ut cadant, eò, quod catholicæ doctrine & veritati nolunt credere. Tanto iustius timere possumus, debemusque circumspicere & orare: Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. Dirige me in veritate tua, & doce me: quia tu es Deus saluator, &c.

*Secundus sermo docet, unde pseudopropheta cognoscatur.*



**P**OSSENT nonnulli ex hoc Euangelio ceu asperius & inhumanius dictum accipere, quòd Christus quosdam homines in eo pseudoprophetas, quin etiam lupos rapaces nominat: dicturi fortassis, quemadmodum olim etiam Iudæus legis peritus ad Christum dicebat: Magister, hæc dicens etiam con-

etiam contumeliam nobis facis. Sic quis, inquam, fortassis contumelie loco accipiat, quod Christus hic loquitur: Cæterum quisquis Euangelium rectè intuetur, inuenit, nihil esse illud aliud, quàm fidelè admonitionē, qua Christus omnes eos qui pastorali & prædicationis munere funguntur, horratur ac monet, ne ipsi sese cõtaminent ac polluant sanguine subditorum: ostendens deinde quid illis periculi imminet. Et quis fidelem hanc admonitionem non boni consulat, qui modò animo pio præditus sit? Deinde etiã monet nos Christus vniuersim, vt diligenter attendamus, cui animas nostras credamus, indicans nobis, non omnes quærere salutem nostrã, qui doctores sese profitentur. Et quis ob id Deo non gratias agat? Imò si veri essemus Christiani, talis admonitio nobis chara rarãque futura esset, siue pastores simus, siue subditi. At vide, quò deuenimus. Nostra natura ad eò deprauata est, & ad seipsam reflexa & propensa, vt non modò non reprehensi, sed ne admoniti quidem esse velimus. Sic vsu veniebat diuo Paulo cum suis Galatis. Ergo inimicus vobis factus sum (inquit) verum dicēs vobis? Idē accidit sancto Hieremiã: Omnes subfannant me, ait, quia iam olim loquor, vociferans iniquitatē, & vallitatem clamito. Et iterum: Nunquid redditur pro bono malum, quia foderunt foueã animæ meæ? Recordare Domine, quòd steterim in conspectu tuo vt loquerer pro eis bonū, & auerterē indignationem tuam ab eis. Christus ipse dicit: Me odit mundus, quia ego testimonium perhibeo de illo, quia opera eius mala sunt. Idē adhuc rerū status est in mūdo. Bonus verò quisque accipit non solùm admonitionē, sed etiã reprehensionē grato animo, eãque sibi vtilē fecit, quemadmodum omnes admonitiones diuinæ & increpationes ad nostram vtilitatem & salutem sunt. Sed de hoc aliã. Christum amplius audiemus in hodierno Euangelio. Attendere nos iubet à pseudoprophetis, verūtamen nō simpliciter dicit, Cauete vobis ab illis, aut obseruate illos, sed: Attēdite, omnium diligentiã illos obseruate, perinde ac si dicat: Diligenti animaduersione opus erit: non enim exhibebant sese quales sunt, idcirco etiã difficulter agnoscentur: Quod enim certū est, id videtur: quod incertum, id diligēter considerandū, donec certò cognoscatur. Mendacium & falsitas non vt est sese ostendit, alioqui facilè proderet sese. Idcirco semper quærit speciem & fucum quēdam, quo tegat sese, quia fugit lucem.

Galat. 4.

Hierem. 20.

Hierem. 18.

Ioan. 7.

Quam cauetis  
di pseudoprophetas.

**Ioan. 3.** Veritas autem nullo opus habet ornatu, per seipsam satis speciosa, minimè reuerita lucem. Quàdo lupus in propria specie apparet, facile eum oves agnoscent, eúmque fugient. Qui palàm mendacem se & seductorem profiterur, ei nemo facile adhæserit, & crediderit. Verùm hoc falsi prophetæ nõ faciunt: nolunt esse mendaces & seductores, etiam conuicti. Venient

**Matth. 7.** (inquit Christus) in vestimentis ouium, tegent se & transformabunt, vt lupina eorum natura & animus non facile sit appariturus: imò nemo agnoscit illos, nisi gratiã habeat & domũ à Spiritu sancto, quod Paulus vocat discretionẽ spirituu.

**1. Corin. 12.** Hinc intelligi potest, eum non loqui de Iudaicis aut Ethnicis doctoribus, sed de ijs, qui vestimentis ouium induti sunt, hoc

**2. Timoth. 3.** est, qui Christianos se profitetur, speciem pietatis habentes, cæterum virtutem eius abnegantes. Christus cum primũ

**Luc. 10.** Apostolos suos mitteret, dicebat ad illos: Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporũ. Hac illis similitudine indicabat, vt per omnia innocentes essent, simplices, innoxij, imò omnibus vtiles & cõducibiles. Quicquid igitur sancti Apostoli extrinsecus habuerunt, quod doctrinæ illorum & prædicationi auctoritatem & existimationem conciliabat coram hominibus, id erat & est vestimentum ouium, vt quòd Apostoli dicebantur à Christo vocati, sacra Scriptura vtentes, Dei nomen inuocantes, miracula facientes sanctè viuentes, & patientes in omni aduersitate, & id genus plura, quæ homini auctoritatem conciliant. Hæc omnia, inquam, ad vestimenta ouium pertinent: sunt enim externa quædam indicia, quòd is, in quo talia apparent, ovis & non lupus, hoc est, verus Apostolus & non seductor est. Neque tamen certa omninò & infallibilia signa sunt, vt vnumquẽque in quo talia signa apparerent, verum esse Prophetam oporteat. Non. siquidem hæc omnia fermè signa etiam in falsis prophetis cernuntur. Principiò nanque semper Scripturam sacram, Dei verbum & nomen in ore habent: Prophetas & Legatos Dei se profiterunt, interdum etiam edunt miracula, aliqui eorum austeram duxerunt vitam, omnia temporalia reliquerunt, tum verò etiam patienter varias pœnas ac mortes perpessi sunt. Quapropter ex eiusmodi rebus falsi prophetæ à veris dignosci nõ possunt. Quippè inueniuntur, qui horum multa in se habent, & tamen falsi prophetæ sunt. Inueniuntur itè alij, quibus horum multa desunt, sed synceri sunt in sua doctrina. Vnde ergo cognosci-

**Vestes ouium.**

**Heretici vt se  
tegant vesti-  
bus ouium.**

gnoſci-

gnoscitur, quis verus aut falsus propheta sit? Ex fructibus eorum (inquit Christus) cognoscetis eos. Hæc probatio longè *Math. 7.* certissima est. Lupi & oues nulla re melius internoscuntur, quàm ex ipsorum natura. Lupus non relinquit naturam suã, similiter & ouis. Sic bona arbor & mala, nulla re discerni melius possunt, quàm ex cuiusque fructibus. Sic res habet quoq; cum bonis & falsis prophetis. Primò, quemadmodùm ouis multò aliam naturam habet, aliòsque fructus affert, quàm lupus: sic etiam verus Propheta longè aliam naturam habet, longèq; alios fructus adfert, quàm falsus Propheta. Naturã verorum Prophetarum indicatam satis inuenimus in Euan- *Veri Prophe-*  
 gelio, quinetiam fructus eorum. Vti cùm dicit Christus: Si- *ta.*  
 cut me misit Pater, & ego mitto vos: hoc est, quemadmodùm *Ioan. 20.*  
 ego nihil aliud facio & expedio, quàm voluntatẽ Patris mei: sic & vos facietis. Et iterum: Principes Gentium dominantur *Math. 20.*  
 eorum. Non ita erit inter vos: sed quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister, &c. Et rursus: Thesauriza- *Math. 6.*  
 te vobis thesauros in cœlo, vbi neque ærugo, neque tinea demolitur. Et iterum *Math. 10.* Nolite timere eos, qui occidũt corpus, animam autem non possunt occidere. Et rursus. *Math. 5.* Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderũt vos, &c. Ex his & similibus sententijs abundè apparet, quæ sit vera natura, virtus, & opera verorum Apostolorum: nimirũ animus omnibus benefacere paratus: animus nulla temporalia bona, nullos honores, nullasque voluptates curans, sed semper esuriens & sitiens veram pietatem, neque aliud quærens quàm Deum eiúsque honorẽ: animus nullam afflictionem recusans, saltem vt Dei honor & salus hominum promoveatur: animus non ambitiosus, non arrogans, non vindictæ cupidus, sed humanus & lenis, nullam mercedem in mundo cupiens, & omnibus bene volens ac faciens. Hæc natura ouis est, hoc est, veri Prophetæ. Eam autem lupus, falsus propheta non habet, quantumcunque ouium lana sit tectus. Ad tempus quidem simulare se talem potest, perindè ac si nihil aliud quærat, quàm Deum & animarum salutem, cæterùm nactus occasionem se palàm facit. Natura enim eius est (vt *Pseudopro-*  
 Christus ait) quòd multa doceat, & nihil faciat, primos accu- *pheta.*  
 bitus amãs, ambitiosus, avarus, &c. Et quantumcunque eius- *Math. 23.*  
 modi naturã occultate conatur, tamen aliquando sit palàm. Nam nisi consequatur quod quærit, clamat, conqueritur, &

calumniatur: imò condemnat omnes eos, qui eius studium præpediunt. Ac tum impletur quod Christus dicit: Ex fructibus eorum cognoscetis eos: Veruntamen verba illa Christi magis ad doctrinam quàm ad personam prædicatoris referenda sunt. Quantum ad personam attinet, parui referre arbitramur, modò doctrina iusta sit. Nec semper sequitur, Hic homo malè viuit, ideò quoque docet malè. Non fallit hoc. Plurimos inuenias, qui turpiter quidem viuunt, & tamen bene rectèque docent. Rursum sunt alij, qui inculpatâ quidè ducunt vitam, cæterùm perperam docent. Quapropter hæc verba Christi potissimum intelligenda de fructibus doctrinæ: qui si boni sunt, vtique etiâ doctrina bona & iusta est. Nulla enim mala doctrina bonos afferre fructus potest. Contrâ, si fructus mali sunt, certè neque doctrina bona est. etenim bona arbor nõ fert fructus malos. Inquis: Qui sunt ergo fructus bonæ & malæ doctrinæ? Inueniuntur iam hîc homines, qui protinus ad hoc & vno verbo respondent, eum esse fructum veræ & bonæ doctrinæ, conscientias hominum consolari, & pacatas reddere: Fructus autem falsæ doctrinæ esse, conscientias conturbare & intricare. Id quod ex parte certum & verum est. Primus nanque & præcipuus fructus Euangelij est, pœnitentium conscientias consolari, quemadmodum Christus ipsemet in Isaia dicit: Spiritus Domini misit me, ad annuntiandum mansuetis, & ad medendum contritis corde, &c. Qua etiam de causa in Matthæo omnes homines ad se vocat, cum ea promissione, se consolaturum eos, & inuenturos in ipso quietem animabus eorum. Facile itaque admiserim, quòd conscientias hominum consolari, sit fructus Euangelij & veræ doctrinæ. Cæterùm si vrgcas, hunc esse vnicum fructum veræ doctrinæ, conscientias consolari, & eam solam esse veram doctrinam, quæ semper & vnumquemlibet hominem consoletur, id autè quæ nõ faciat, id est, nec semper consoletur, nec quolibet homines, eam esse falsam doctrinam, nequaquam admittere possum: quia nullum Prophetam inuenio, qui semper, & *Ibidem.* omnes homines consolatus sit. Ioannes Baptista id non fecit, què tamen Christus ipse tantopere cõmendat. Quin nec ipse Christus id fecit. Verùm hoc me inuenire memini, quòd omnes Prophetæ, Ioannes, Christus, eiusque Apostoli, sæpe peccatores seuerissimè reprehenderint & terruerint. Neque tamen dubitat quisquam, quin veri fuerint prædicatores, qui rectè do-

rectè docuerint. Vnde consequitur, quòd conscientias conso-  
 lari, non est solus & vnicus fructus veræ doctrinæ: siquidem  
 longè alios plures fructus habet & affert. Vnde dicit Chri- *Fructus vera*  
 stus, non ex fructu, sed ex fructibus eorum. Qui sunt ergo *doctrinae.*  
 fructus veræ doctrinæ? Primò, perterrefieri & compungi ad I.  
 pœnitentiam, quemadmodùm illi qui Ioannem audiebant. *Luc. 13.*  
 Secundò, à peccatis desistere, spem haurire, vitam emendare, *11.*  
 quemadmodùm illi faciebant qui Christum audiebāt: cuius  
 rei exempla hinc inde inueniuntur in Euangelio. Sic ex Apo-  
 stolorum doctrina veniebat is fructus, quòd omnes credentes *Act. 4.*  
 vnum cor, & animam vnã habebant, nemine dicente, hoc  
 meum est, sed omnibus omnia communia habentibus. E do-  
 ctina Philippi hinc veniebat fructus, quòd ij qui curiosas ar- *Act. 8.*  
 tes tractassent, suos libros comburebant. Ex Apostolorum  
 prædicatione hinc veniebat fructus, quòd homines à malo ad *Act. 19.*  
 bonum, à diabolo ad Deum conuertebantur. In summa, bona  
 arbor veræ doctrinæ hos affert fructus, attollit & erigit cor  
 ad Deum per agnitionem, atq; etiã gustum cœlestium & æternorum bo-  
 norum: facit lætã & tràquillam conscientiam, facit cor securum  
 in spe & fiducia erga Deum: excitat in homine filialem timo-  
 rem ad obseruationem mandatorum Dei, accendit charitatẽ, Fa-  
 cit hominem misericordem erga egenos & inopes, & mitẽ erga  
 quoslibet. Et ex talibus internis fructibus fluunt deinde etiam  
 externi fructus, utpote, Christiana pia vita, contẽptus mudi,  
 scandali vitatio, & exercitatio ac studiũ operum misericordiæ,  
 imò omnis boni. Quæ doctrina tales in te fructus profert,  
 aut te ad eiusmodi trahit, ea indubiẽ bona est & recta, & cui  
 securẽ fidere possis. Mala enim arbor tales fructus non fert. *Fructus falsa*  
 Doctrina verò falsa alios, & suprã nominatis prorsus contra- *doctrinae.*  
 rios fructus fert, utpote leuitatẽ cordis, lætã & minimẽ solici-  
 tam ac irreligiosam conscientiam, quæ etiã magna peccata pro-  
 paruis & vilibus censeat: contemptum Dei eiusq; madorum,  
 diminutionem charitatis Dei, durum & impatiẽs cor erga pro-  
 ximum, inobedientiam & rebellionem erga magistratum,  
 diuisionem Christianæ concordie, seditionem inter Chri-  
 stianos, contemptum & contumeliam proximi, scandalum  
 infirmorum, &c. Hæc omnia, inquam, & id genus alia, sunt  
 fructus falsæ & vitiosæ doctrinæ. Etenim bona arbor & ve-  
 ra doctrina tales fructus nõ affert. Diuus Paulus omnes fru- *1. Corint. 14.*  
 ctus veræ doctrinæ cõprehendit tribus verbis. Qui propheta,

inquit, hominibus loquitur ad ædificationē, & exhortationē, & consolationē. En, hīc habes tres fructus veræ doctrinæ ædificare, exhortari, & cōsolari. hinc autē quā primū cognoscis errare eos, qui tantū modò de cōsolatione cōscientiæ loquuntur. Aedificatio cōprehendit in se capita Christianæ doctrinæ: quæ vbi proposita sunt, exhortatio sequatur oportet. Quòd si qs præoccupet interim peccato, aut alioqui opprimatur tétatione & tribulatione, & is cōsolandus est. Ad structurā & ædificiū quinq; pertinet, puta fundamentū, ædificij corpus, parietes, tectū & ornāmēta. Fides est fundamētum, Spes, ædificij corpus, charitas muros cōglutinat, Christiana & pia vita ornat ædificiū, patiētia est tectū auertens pluuias & tēpestates. Hæc quinq; quisq; ordine docet, is ædificat: ceterū qui horū aliquod omittit: is non ædificat: quocirca verus propheta non est, sed impostor. Quod vt verū cognoscatur, paulò clarius indicabo. Primò qui verū fundamentum

*Fundamentū  
Christus.*

*1. Cor. 3.* nō ponit, falsus est propheta. Atqui Christus verū fundamentum est, cui nos superstruere debemus. Quisquis igitur hoc fundamentū nō iacit, sed docet homines suā fiduciā in proprijs dūtaxat operibus, aut alijs in reb<sup>9</sup> collocare extra Christū, is nō ædificat, sed seducit, dū docet hominē arenē super-

*Matt. 16.* struere. Nā nullum opus nostrū, imò nulla creatura tale est fundamētū, cui sine Christo fidere possimus: solus Christus petra est, quæ cōtra omnes portas inferorū subsistit. Secūdò, etiā si quis fundamentū bene ponat, & fidē in Christū rectē

*Doctōris  
catholici stru-  
dia.*

& fideliter erigat, verū non trahat te à peccatis ad iustitiam, & à terrenis rebus ad cœlestes, sed eleuat & excusat peccata, peinde ac si credēti non nocent, is rursus falsus propheta est: nō ædificat, sed seducit. Tertiò, qui nō omnē diligētiam cō confert, vt inter credētes sit vnū cor & anima, charitas & cōcordia, sed dirimit cōcordiā, sectas instituit, bella, & seditiones mouet, is æquē est falsus propheta: etenim nō ædificat: muros & parietes, lapides & ligna nō cōpingit & vnit. Quartò, qui non vna cum fide, etiam pietatē & Christianā vitā & bona opera docet, is itidē falsus propheta est, & nō ædificat, quia nō ornat domū, sed facit è domo Dei, harā. Quintò qui cūq; etiā nō patiētiā, obedientiā & subiectionē docet, sed ad impatiētiā & inobediētiā prouocat, & is falsus propheta est, nec ædificat, q̄a nullū tectū imponit ædificio. Verus autē Propheta (vti Paulus ait) ad ædificationē prouocat: siquidē primò

docet fi-

docet fidem rectā in Christum. Secundò, trahit homines per spem à peccatis & terrenis rebus. Tertiò, promouet semper & conseruat Christianā charitatē & concordia. Quartò, veget semper bona opera. Postremò docet etiam patientiam & obedientiam. ij fructus sunt veræ doctrinæ. Hoc loqui demū est ad ædificationē & emendationē. Quod vbi factū est, tum loquitur etiā verus Propheta quæ ad exhortationē faciunt, que madmodū S. Paulus dicit in eum finem, vt credentes sint *Philip. 2.* sine querela, & irreprehensibiles in medio nationis prauæ atq; *2. Tim. 2.* peruersæ: & vt perfecti sint ad omne opus bonū instructi, vtq; *1. Thes. 3.* integer spiritus eorū, & anima, & corpus sine querela in aduentu Domini nostri Iesu Christi cōseruetur. Postremò, verus Propheta consolationis nō obliuiscitur, sed adhibet eam suo tepore, & vbi necessariū est: nō tamen erga eos, qui in peccatis suis spōtē & proteruē manēt, sed erga eos, quos peccasse pœnitet, quiq; Dei misericordiā & gratiā implorāt, sentientes grauitatē peccatorū suorū, aut etiā afflictioibus, & aduersitatibus circūdantur. Tales homines inquā, cōsolatur verus Propheta. Itaq; qui ad malum hortatur, aut impœnitentes consolatur, is indubiè falsus propheta est. Et ex his fructibus potissimū cognoscitur qui veri aut falsi Prophete sint. Verus Propheta ædificat, hortatur, & consolatur, falsus propheta horum rectē nihil agit. Deus Opt. Max. aperiat nobis oculos nostros & corda, vt rectē videre possimus, cui credere, quem asequi, & que m fugere debemus, Amen.

## TERTIVS SERMO DE VERBO,

*Omnis arbor bona, fructus bonos facit.*



**Q**UISVIS Euangelium istud legit, circāq; illud considerat, quantū ex eo depromi possit, quod ad verā pietatē facit: cæterū videt & audit interea, quā quidam temerarij ineptē se circa illud gerant, is nō poterit nō dolore affici. Et enim nullum Euangeliū toto anno est, quod maiori cū offendiculo auditorū prædicetur & exponatur: vnusquisque torquet illud in suos aduersarios, & nō cogitat, quomodò populum meliōrē reddat, sed solū quomodò doctrinā suā defendat, & aduersariū suum hereseos & factionis notet. Hic affectibus remittitur habena: hic calūniæ & cōuitia effrenatē iactatur: hic omnis Christianæ disciplinæ & charitatis obliuio

mentes occupat. Hæc vbi populus audit, instigatur, incéduntur, inflammaturq; ira & inuidia cōtra eos, de quibus Euangeliū istud expositū est: ex prædicatione recedunt animis tam accensis, ac si iam in præliū eundū sit: quò fit, vt finē faciente prædicatore, incipiat populus in foro, in tabernis ridere, illudere, calūniari, cōuiciari, maledicere & condemnare. Hi fructus iam ex hoc Euāgelio nascuntur, imò potius ex virulenta & liuoris plena interpretatione eiusdē, qua quidā vtūtur. Interim inueniuntur aliqui, qui sibi ipsi bene placēt, si auditores eorū egregiè norint illudere, calumniari, maledicere, & condemnare: dolent, q̄ nō etiā manū iniiciāt in eos quos perditos cuperēt: profus verò obliuiscūtur omniū eorū, quæ ex hoc Euangelio vtiliter desumi possent. Tantū incōmodi nūc nascitur circa hoc Euangeliū. Veruntamen aliquid etiā boni inde prouenit, nimirū q̄ Stentorei illi buccinatores, cū omnium immanissimè sequunt ac furiant, aliōsq; conuitijs profcindunt, seipfos produnt, q̄ sint verè lupi rapaces, dum populo reticēt quod illis cōmodo esse possit, ea tantū effutiētes, per quæ ad irā, inuidiā, seditionē & homicidium incitantur.

Sed quid facitis vos, vos prædicatores? An nescitis cuius spiritus estis? An nescitis cuius vicē obitis? Dei, an vestrum honorem queritis? Animarū salutem, an proprium vestrū com modum aucupamini? An non cogitatis, q̄ prædicare, res longè alia est, & esse debet, quàm calumniari & conuiciari? Scire vis quid ad veram Prophetā pertineat? Audi quid Paulus dicat: Qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationē, & exhortationē, & consolationē. Hic tria simul audis. Tu verò non nisi vltimū accipis, consolationē scilicet: hanc tu vsurpas, ædificatione & exhortatione omissa. At enim, inquis, & ego ædifico, iacio fundamentū, & prædico Christum. Bene factū. hinc incipiendum. fundamentū primò ponendum. Etenim Christus fundamentum est, cui nos superstruere & niti debemus. Nec est aliud nomen sub sole datum hominibus, in quo oporteat eos saluos fieri. Sed & Christus ipse dicit, Neminē venire ad patrem, nisi per illum. Porrò nihilne aliud ad ædificium pertinet, quā vt fundamētum ponatur? Aut potēstne ædificium dici, quod nihil aliud quàm fundamentum habet? An nō ædificium in altū ducendū est? An nō muros coniūgi & copulari oportet? An non etiā tectū imponēdum? An non illi etiā verus ornatus addendus? Iam verò vide, num hæc facias. Nam

*In contumeliosos concionatores.*

*Luc. 9.*

*1. Cor. 1.*

*Audi Euangelice.*

*1. Cor. 3.*

*Act. 4.*

*Ioan. 14.*

cias. Nam si horū vnum vel plura omiseris, non ædificas: atq;  
 eam ob rem non es verus Propheta, quia Prophetæ est ædi-  
 ficare. Ais, Prædico Christum. Rectè: hunc prædicare oportet. Sed erigis ne etiã corda hominū à peccatis ad iustitiam, à temporalibus ad spiritualia, à terra ad cœlū? Num illa etiã præparas & instruis ad bona opera, quæ sunt verū ornamentum spiritualis ædificij? Num illa etiã contines in Christiana charitate & concordia? Imò quid si cōtrarium facis? Prædicas Christum, sed interim populum in omni peccatorū genere iacere sinis; imò ita leuia illis peccata facis, vt etiam nihil amplius illa formident. Secundò ita contemptim loqueris de bonis operibus, vt eorum studium neminem amplius delectet. Tum quæris & cogitas nihil aliud, quàm quo pacto Christianam cōcordiam dirimere & præpedire possis, vt ad concordiam aliquam res deduciam non possit. Postremò, nūquàm nō vulgus extimulas ad iram, inobedientiam, & seditionem. Hòccine autè ædificare est? An non satis lupus sese prodit in his rebus? Hunc in modum eiusmodi seipsum perscrutari debebat, visurus esset, quid sibi deesset: tantūmq; in seipso inuenturus esset emendationi dignum, vt aliorū facile obliuisceretur. Sed falsos prophetas relinquemus, & reliqua verba huius Euāgelij audiemus. Nunquid colligunt, inquit, de spinis vas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona, fructus bonos facit: mala autem arbor, malos fructus facit, &c. Hanc similitudinem bonæ arboris, & malæ arboris, Christus hoc loco dixit de bona & falsa doctrina. Nam vt vnaquæque arbor fructus affert, prout bona vel mala est: ita etiã quælibet doctrina qualis est, tales fert fructus. Et quemadmodum bona arbor non ex folijs, non ex pulchritudine, robore aut proceritate (siquidem hæc omnia etiã mala arbor habere potest) sed ex fructu cognoscitur: ita etiã doctrina non ex folijs verborum, non ex facie personæ, neque ex quadam diuturnitate (quia hæc omnia etiã falsus doctor habere potest) sed ex fructibus cognoscitur. Qui autem sint illi fructus, in superiori sermone dictum est. Nihilominus verò, quia Christus hac similitudine etiam alijs in locis vsus est, & maxime in Luca, vbi tamen nihil de bona vel mala doctrina, de bonis & falsis Prophetis dicit: sed de veris & falsis Christianis: similitudo isthæc de bona & mala arbore, latius disquirenda est.

Concionatorū  
quid agendū.

Hæreticorum  
cōcionandi ratio.

Luc. 3. 6. 13.

Homo cur arbori comparatur.

Obserua igitur primò, hominē arborei cōparari. Nam ar-

bor si crescere debet, succū necessariò ex radice habeat oportet, & præterea etiã pluuiam & rorē de cœlo. Ita etiã q̄ homo corporaliter crescit, venit ex virtute naturæ insita, per verbū

*Gen. 1.* Dei inquentis, Crescite & multiplicamini. Quòd autē homo subrigit sese supra se ad diuinas & cœlestes res, atq; etiam bonos fructus fert, nō aliundè venit, nisi ex ciemēti & beni-

*Psal. 67.* gna pluuiā, quā Deus hæreditati suæ mittit, hoc est, ex verbo & gratia Dei. Et quemadmodū arbores, etsi omnes in terra stant, atq; vniusmodi pluuiam & rorē de cœlo accipiunt, tamen nō omnes fructus faciunt bonos: ita etiã cū hominibus res habet. Atq; ideò etiã solet Scriptura bonū hominē bonæ arbori, impiū verò malæ arbori cōparare. Beatus vir (inquit

*Psal. 1.* S. David) qui nō abiit in cōsilio impiorū, & in via peccatorū nō stetit, & in cathedra pestilentiæ nō sedit, &c. Et postea: Et erit tanquā lignum quod plantatū est secus decursus aquarū: quod fructum suum dabit in tēpore suo. Non sic impij, non sic: sed tanquā puluis quē projicit ventus à facie terræ. In Hie-

*Hier. 17.* remia simile inuenimus: Maledictus homo qui cōfidit in homine. Erit enim quasi myricæ in deserto, & nō videbit cū venerit bonum. Benedictus vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius. Et erit quasi lignum quod transplāratur super aquas, &c. Huc pertinet, q̄ Christus pios & ritè cre-

*Ioan. 15.* dentes vitibus frugiferis: cōtrā verò impios & incredulos cōparat ficui sterili, quę etiam diligenter culta fructum nō fert, &c. Eodem quoque modo Christus hīc loquitur de bonis & malis hominibus. Omnis arbor bona, inquit, fructus bonos

*Luc. 13.* facit, &c. Ex his verbis primū colligere est, quòd quemadmodū nulla arbor bonos aut malos fructus facere potest, nisi ipsa prius bona sit aut mala: ita quoque nullus homo bonum aut malum facere potest, nisi ipse prius bonus sit aut malus. Vnde quicquid homo extrinsecus boni facit, hoc reuera bonum est, si homo sit bonus: malum verò si homo sit

*Opera nostra* malus. Etenim externa nostra opera nomen merentur, quòd  
*ut bona vel* bona aut mala sint, prout intrinsecus boni vel mali simus. Ex  
*mala sint.* his conijcere possumus, quæ sint verè bona opera. in his enim

Deus multò secus indicat, quàm nos. Homo tantū ea quæ foris sunt videt, Deus autē cor inspicit. Multa homines pro

*1. Reg. 15.* bonis aut malis dæcunt, de quibus tamen Deus longè aliter iudicat. Coram mundo bonum & laudabile opus videbatur,

*1. Reg. 16.* quòd Saul optima armenta Amalechitarum seruabat ad sacrifici-

crificium Domini. Et tamen quia id fecit contra præceptum Domini, ob illud ipsum opus à Deo reijciebatur. Sic coram mundo speciem vtcunque bonã habebat etiam post Christi aduentum, & Iudæi sua festa Sabbatha, ceremonias & sacrificia seruabãt: Deus autẽ dicit in Isaia, sibi post Christi nouam *Esa. 1.* legem ea omnia abominationi fore, &c. Contrã malum est furari, & aliena bona diripere, innoxios homines interimere, &c. attamen Israëlitæ nõ malè faciebant, & Aegyptijs *Exod. 21.* aurum eorũ subtrahebant: neq; malè faciebant, & cum Chananaeis etiam eorũ filios occidebãt. iusserat enim hoc illis Deus. Ergo opus externũ non est simpliciter bonũ, nisi homo bonus sit: nec semper malum est, nisi homo malus sit. Hinc sequitur primò, & nulla opera externa quantumuis in speciem bona, hominem probum aut bonũ faciant, sed indicant, eum bonũ esse, quemadmodũ opus artẽ indicat artificis, & fructus arborem. Et vbi homo non est intus, qualem se vult haberi ex opere suo externo, hypocrita est, completurq; in eo quod Hieronimus dicit, Simulata sanctitas, duplex est iniquitas. Secundò sequitur, & nullum opus per se bonum & Deo acceptum est extra fidem, & & soli credentes bona opera faciunt. Causa est, quòd homo extra fidem & diuinam gratiam nihil aliud est, quàm sterilis & mala arbor: quomodò ergo bonos fructus afferret? Vnde licèt Ethnici multa faciant speciem boni habentia, reuera tamen & coram Deo bona non sunt aut accepta: quia non ex bona arbore proueniunt, sed solùm ex studio & cupiditate, seu spe humanæ laudis, aut ex metu humani probri. Non solùm autem homo extra gratiam nihil boni & Deo accepti facere potest, sed nihil etiam facit nisi quod malum est. Omnes enim cogitationes hominis pronæ sunt ad malum à iuuentute. Dicit porrò Isaia, omnes *Gen. 6.* homines ex nihilo esse, & omnia opera eorum vana esse. *Esa. 41.* Et rursus: Omnis hypocrita est & nequam, & vniuersum os *Esa. 9.* locutum est stultitiam. Et David: Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum, &c. Ex his vides, non solùm non esse bonum, *Psal. 13.* sed etiam malum, quicquid extra Dei gratiam & fidem facimus, maximè si secundum seuerã Dei iustitiam iudicari debet: qui in Dauide dicit se etiam iustitias iudicaturum. Hæc *Psal. 74.* dicitò omnia dixerim, quòd videri melius possit quæ verè bona opera sint: necnon ad increpationem hominum eorum,

qui studēt quidem bona quędam extrinsecus facere; sed nunquam curant: vt ipsi quoque boni fiāt. Hoc autem quid aliud est, quā hypocrisis? Sic itaque in hoc verbo vbi Christus ait, Omnis arbor bona, fructus facit bonos, &c. duo hominum genera reprehenduntur. Primò, illi qui opinantur opera sibi sufficere ad iusticiam, etiam sine fide. Secundò, etiam illi qui volunt fidem solā sufficere absque bonis operibus. Quoniam enim Christus ait, Omnis arbor bona, fructus facit bonos, clarè inibi indicatum est, neminē verè iustum esse, nisi faciat

*Ioan. 8.* & exhibeat bonos fructus. Quęadmodū Christus ad Iudęos

*Ioan. 6.* dicebat, Si filij Abrahę estis, opera Abrahę facite. Et rursus:

Quid vocatis me Domine Domine, & non facitis quę dico?

Quòd autem Deus bona opera à nobis requirat, sequentia scriptis indicant verba, vbi ait, Omnis arbor quę nō facit fructum

*Exigit Deus bona opera.* bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Hęc verba obserua.

Primò dicit, Omnis arbor, nam nemo hic excipitur. Secundò, non dicit, Omnis arbor quę non facit fructum: sed, quę

non facit fructum bonum. Deus nō solū fructus à nobis petit, sed bonos fructus. Tertiò obseruandum, quòd nō de magnis & splendidis fructibus loquitur, sed solū de bonis fructibus,

per quos peculiariter opera charitatis & misericordię intelligi possunt, quę Deus ante omnia petit: atque hęc proximo nostro summam adferunt vtilitatem. Quartò non dicit,

Omnis arbor quę non fecit fructum bonum in tempore preterito, sed quę, in præsentis tempore, fructū bonum nō facit,

excidetur, &c. Quippè non satis est, nos bis tēre bene egisse, nisi semper benè faciamus, inq; eo perseueremus. Postremò

non dicit simpliciter, Arbor infrugifera excidetur, sed dicit

etiam, in ignem mittetur. Quibus verbis minatur pigris Logochristianis geminā pœnam, nimirum gehennā & excidiū.

Atque hoc vltimum omnium terribilissimum est, à Deo excidi & separari. Horribile est, à Deo puniri, multò terribilius est in pœna nullum finem aut mitigationē videre. Omnium

autem terribilissimum, à Deo deseri & seiungi. Hinc vides, quàm longè erremus, si solū per nudam fidem nos Deo putemus placere posse. Nam si bona opera non sunt necessaria ad

foelicitatem, quàm ob rem igitur Christus tantā, imò summam pœnam hominibus minatus est, qui nullos fructus bonos adferunt? Deus det nobis suam gratiam: vt semper rectè

credamus, & omni bono operam nauemus, Amen.

*A Deo separari, pœna omnium grauissima.*

Q V A R T V S S E R M O  
de ultimo uerbo Euangelij.



OSSET hodiernum istud Euangelium nobis ad multa prodesse, si probè à nobis consideraretur, adeò tum fidelem admonitionem, tum certam doctrinam habet. Miserandum itaque, quòd hostis Dei & omnis boni diabolus tatum lolij insperferit, ut fermè toto anno Euangelium nullum sit, quo crassius abutimur. Eò enim res redijt, ut circa hoc Euangelium propemodùm nihil aliud fiat, quàm quòd alter alterius vestimenta ouium derideat, & lupina facta in lucem proferat & euulget: alter alterum insectetur, quilibet digito suum aduersarium monstret, ut quem Christus in hoc Euangelio dånauerit: & qui istiusmodi optimè, maximòq; cum clamore & cõtumeliosissimè efficere potest, is pro eo habetur, qui Euangelium Christianissimè sit interpretatus. Interim vtrinq; vnusquisque sui ipsius obliuiscitur: nullus cogitat, illud ipsum ride re, conuiciari, calumniari, & temerè iudicare, ipsissimos esse malos fructus malæ & putridæ arboris: quapropter etiã nullo bono viro placere possunt & esse accepta. Quòd Christus in hoc Euangelio dicit, lupos etiam nonnũquàm sese abscondere sub vestimentis ouium, non ita intelligendum accipiendũque, quasi per hoc omnia vestimenta ouium, hoc est, omnem speciem bonam exteriorem reiecerit aut damnauerit, Non. Ideò ne ieiuniũ, oratio, eleemosyna mala & à Christiano fugienda sunt, q̃ olim Iudaici Pharisei & Hypocritæ quidam, sub eiusmodi ouium vestimentis, hoc est, specie bonorũ operum, suum fastum, auaritiã & hypocrisim occultarunt texeruntque? Aut ideò ne malum cẽsendum est, Deum & sanctum eius uerbum, Christum & eius Euangelium in ore habere, q̃ etiam hæretici talibus ouium vestimentis, hoc est, tali specie sese obtegunt? Minimè, nulla ratione: neque enim ea Christi mens fuit. Cæterũ hoc uult, ne propterea statim quãlibet doctrinam certã iudicemus acceptemũsq;, cũ uestimẽta ouium, hoc est, externã bonam speciẽ in illo qui doctrinã tradit, uideamus. Scriptum est, Probate spiritus nũ ex Deo sint. Et iterũ: Omnia probate, quod bonum est tenete. Ouiũ vestes hoc est, bona species externa, nullũ nõ Christianũ decet: imò necessariz illi sunt, maximè cõcionatori. Vult em̃ Christus, ut etiam

*Externa ple-  
tatis species  
non abijciem-  
da.*

*Matth. 6.*

*1. Ioan. 4.*

*1. Theff. 5:*

*Matth. 5.*

- 1. Pet. 2.** lux nostra luceat corā hominibus. Itē diuus Petrus vult etiā vt corā mundo honestē ambulemus. Verū vt omnia mox approbemus & recipiamus quæ dicuntur, & propterea solū, q̄ is qui dicit, vestē ouis gerit, hoc est, q̄ doctus est, p̄bus videtur, bonā speciē p̄ se fert, Deū & eius verbū in ore habet, legitime vocatus est, sine scādalo viuit, &c. Hic nos cautos vult esse Christus: etenim oēs has conditiones etiā malus in se habere potest, id quod sancta Christianitas experta sæpē est, & quidē magno suo dāno. Vult itaque istud Euāgelium, vt diligenter aduertamus, cuiusmodi doctrinam recipiamus, & cui animas nostras credamus, quādoquidē certum est, non quēlibet verā viā docere posse, & experientia docet, non oēs eos qui p̄dicant, nostrā quærere salutem. Summa, alijs deest scientia, alijs
- 1. Cor. 4.** deest fides, & bonā voluntas. Idem hoc diuus quoque Paulus expertus est. Si decem millia p̄dagogorum habeatis, inquit,
- Philip. 2.** sed nō multos patres. Et iterum: Quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi: hoc est, quærunt diuitias, honores, fauorem hominum, voluptatē, &c. & nō honorē Christi, & animarum salutem. Quapropter aperiēdi oculi: quāquā etiā hac in parte iudicare non difficilē esset, si ipsi vellemus. Nemo tā simplex est qui nō vitē à vepribus, acinū à spineolo dignoscere possit: nimirū si vtrūque degustet, & altero videt se lædi ac sauciari, altero verò non. Ita quoque nemo tam simplex est, qui nō possit lupum ab oue discernere, nimirū cum videt lupum s̄uientem, discerpentē & interimentē, ouem verò tacentē, nec quēquam lædentē, &c. Tam quoque facilē in p̄dicatoribus videre possumus, quis p̄prium suū aut Dei honorē, proprium suam cōmodum aut animarū salutē, ecclesiæ & Christianitatis ædificationem & emendationē, aut deuastationē quærat. Fructus enim arborem declarāt. Atque hæc sentētia est Christi in hoc Euangelio. Porro autē in fine ponit Christus generalem quandam regulam, quæ nos omnes cōprehendit, & nostra refert. Nō (inquit Christus) qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorū, sed qui facit voluntatē Patris mei. Hęc vocula terrere illos meritò debet, qui sibi ipsis & alijs viam ad cœlum & fœlicitatem tam facilem & mollem faciunt: quin palā dicere non verentur, Deū nō curare, qualem ducamus vitam, & quid agamus, siue bonum siue malum, sed respicere tantūmodò ad fidē & incredulitatem, quandoquidem Hieremias dicit, Domine, oculi tui respiciunt fidem. Sed quid Chri-

quid Christus dicit hîc? Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum: sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. Atque hîc obserua verba. Non dicit, qui audit voluntatem Dei, scit & credit, sed qui facit voluntatē Dei. Imò sciēti bonum facere, & non facienti, peccatū est illi. Melius etiam erat alicui non cognoscere viam iustitiæ, quàm post agnitionem, retrorsum conuerti. Tum Christus ipse dicit: Seruus *Iacob. 4.*  
 qui cognouit voluntatem Domini sui, & non fecit secundum *2. Pet. 2.*  
 voluntatem eius, vapulabit multis. Hinc primò apparet circa *Luc. 12.*  
 postremum istud verbum hodierni Euangelij, quid discrimi-  
 nis sit inter iudicium Dei & hominum, quin etiam inter re-  
 gnum Dei & mundi. In regno mundi adulescentes locum ha- *Regnum mō-*  
 bent, qui ad blādiuntur, demulcent, arridēt, ad omnia tacent, *di.*  
 imò laudare omnia possunt. Contrā vero, qui ad iniusta tace-  
 re non possunt, sed veritatē sequuntur, & peccata redarguūt,  
 locū non habent apud potentes & in regum aulis. Quemad- *Matth. 11.*  
 modum Christus ipse de S. Ioanne innuit: Ecce (inquit) qui  
 mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. Ioannes autē,  
 quia veritatem dicebat, & iniustitiam corripiebat, in deserto  
 habitabat, nullum in Herodis domo locum habebat, nisi in  
 carcere. Et quis non videt, quā id animaduersione dignum sit  
 etiā in mundanis & Ethnicis regibus? Quantò igitur magis  
 animaduertēdum in Christianis & Ecclesiasticis principibus,  
 si suos adulescentes, licet idiotas, quin etiam malæ vitæ homi-  
 nes in supremo loco reponant, bonos verò & doctos penitus  
 non curent? Multò autem aliter erit in regno Dei, hoc est, vbi  
 Christo omnia subijcientur, & regnum Deo patrique tradet.  
 Tum enim cor rectum pluris erit, quàm verba phalerata, *1. Cor. 15.*  
 bonā conscientia pluris erit, quàm crumena nummis onusta:  
 imò tū nihil valebit aliud, quàm bona conscientia, quia  
 iudex non secundum aspectum oculorum, aut externam fa- *Isa. 1.*  
 ciem iudicabit, neque donis aut muneribus à iusto se auerti  
 patietur. Secundò, ex his vltimis verbis Christi videre  
 possumus & intelligere, quòd etiam inter eos qui nomen  
 Christi profitentur, quin etiam inter eos qui prophetant,  
 prædicant, & miracula faciunt, non omnes salui fiant. Multi *Matth. 7.*  
 (inquit Christus) dicent mihi in illa die, Domine Domi-  
 ne, nōne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine  
 tuo dem onia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas feci-

mus? Et tunc confitebor illis, Quia nunquam noui vos: discedite à me qui operamini iniquitatem. Quia miracula facere, neminem saluum facit: alioqui salui quoque facti fuissent

*Exod. 7.* Aegyptij præstigiatores, qui etiam quædam ædebant miracula. *Num. 12.* Vaticinari & prophetare, ne hæc quidē saluum aliquem faciunt: alioqui Balaam ariolus, imò etiam asinus eius: simili modò Rex Saul & Caiphas salui facti fuissent, de quibus tamen sacra scriptura multò aliter sentit. Neque etiam nomen

*1. Cor. 4.* & titulus, aliquem probum & beatum faciunt. Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute. Alioqui si nomen & titulus Christianum faceret, non dubitarem affirmare, nos omnes saluos fore: quandoquidem inter nos nemo est, qui Christianus dici non gaudeat, & nomen Christi non in ore habeat. Christus autem aliud nobis tradit signum, ex quo verus Christianus cognoscitur. Qui facit, inquit, voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. Non dicit, Qui meam facit voluntatem, ne quis

*Matth. 7.* cogitaret, eum sibi ipsi nimium tribuere. Hæc est autem *Ioan. 6.* voluntas Patris qui in cœlis est, vt credamus in eum quem *Matth. 17.* misit, & eum audiamus. In Christum autem credere, est *Credero in* Christum induere, vti Paulus docet. *Christu quid* *fit.* *Ephes. 4.* Vt nouum hominem induamus secundum Deum creatum: imò vt *Rom. 13.* minimum Iesum Christum induamus: id quod fit, cum adiuti spiritu ipsius, accingimus nos ad mortificationem & crucifixionem carnis nostræ & malarum cupiditatum: & si animum quoque illius induamus, ad compatiendum proximo nostro, sicuti Paulus docet *Philippens. 2.* Hoc sentire in vobis, quod & in Christo Iesu, qui cum in forma Dei esset, exinaniuit semetipsum, & humiliavit, &c. Tertio, hoc etiam Christum induere est, si cor illius induamus, ad honorem Dei in omnibus quærendum, quemadmodum

*Ioan. 8.* Christus faciebat. Ego (inquit) non quæro gloriam meam, sed honorifico Patrem meum. Quarto, etiam hoc Christum induere est, cum per illum omnia à Deo piè speramus, quemadmodum Christus de se ipso dicit: Ego sciebam

*Ioan. 11.* quia semper me audis ô Pater. Postremò & illud *Christu quid* *fit.* *Phil. 2.* Christum induere est, cum in omnibus Christo obedimus, quemadmodum Christus obediens fuit vsque ad mortem: imò

*1. Ioan. 2.* cum exemplum & vestigia Christi sequi contendimus. Qui enim dicit se manere in Christo, ambulare quoq; debet sicut *Christi*

Christus ambulabit. Etenim Christus nobis exemplum in vita & morte prætulit, ut vestigiis eius insistamus, uti Petrus ait prioris Epistolæ cap. 2. Et Christus ipsemet Matt. 11. Discite à me quia mitis sum, & humilis corde. Et iterum Ioan. 13. Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita vos faciatis. Hæc omnia apud te ipsum considera, videbis sententiam veram esse, quam Christus protulit: Multi sunt vocati, pauci vero electi. Omnes quidem confitemur unum Deum ore, interim vero alius sectatur avaritiam, quam diuus Paulus Ephes. 5. nominat seruituræ idolorum: alius ventrem suum colit pro Deo suo: alius mundanum honorem, alius corporis voluptates aucupatur, &c. Imò omnes confitemur, Deum esse patrem nostrum, & tamen non concedimus illi ventrem, quod possit nos pascere. Omnes fratres nos profitemur, sed quis est qui fraternam charitatem declaret? Idcirco certò in nobis cõpletur quod Deus in Isaia dicit: Populus iste labiis suis glorificat me, cor autem eius longè est à me. Et quod Dauid dicit Psal. 77. Dilexerunt Deum in ore suo, & lingua sua mentiti sunt illi. Rogat quis, quam ob rem igitur Deus tam longanimis sit, & talem hypocrisim non puniat? Indicat Dauid causam ibidem: Ipse est misericors, & propitius fiet peccatis eorum. Dissimulat enim peccata hominum propter poenitentiam. Sempérne autem iram suam continebit, & tam longanimis erit? Audi quid in Propheta dicat: Tacui semper, filii, patiens fui, sicut parturiens loquar: dissipabo & absorbebo simul. Et paulò antè dicit Propheta: Dominus sicut fortis egredietur, sicut vir præliator suscitabit zelum: vociferabitur, & clamabit: super inimicos suos confortabitur. Sic dicit etiam Dauid Psal. 49. Peccatori dixit Deus, Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos retrorsum. Si videbas furem, currebas cum eo: & cum adulteris portionem tuam ponebas: Hæc fecisti, & tacui. Existimasti iniquè quod ero tui similis: arguam te, & statuam contra faciem tuam. Et hæc quando fient? In illa die, inquit Christus paulò post istud Euangelium. Nunc enim dies salutis est & gratiæ: postea veniet dies iræ & reuelationis iusti iudicij Dei. Beatus vir, cui peccata in die nunc gratiæ teguntur, & per poenitentiam abolentur, ne in illa die ob oculos ei statuantur. Tantò diligentius considerandum nobis est, quod Christus in fine hodierni Euangelij dicit, eos tantum venturos

Matth. 20.

Phil. 3.

Esa. 29.

Sap. 11.

Esa. 42.

Mat. 7.

2. Cor. 6.

Rom. 2.

Psal. 51.

in regnum Dei, qui volūtatē Patris cœlestis faciunt ac perficiunt. Deus det nobis omnibus suam gratiam, Amen.

**QVINTVS SERMO DICIT**  
*in genere, quid ex hoc Euangelio*  
*sumendum sit.*

*Mat. 5. 6. 7.*  
*Doctrinam*  
*suam vt à no-*  
*bis accipi ve-*  
*lit Christus.*



**HODIERNVM** istud Euāgelium pars est prolixi illius sermonis, quē Christus olim in mōte corā discipulis suis & alio populo habuit, adeoque cōclusio est prædicationis illius, qua Christus omnibus hominibus indicare voluit, quo-

- Gal. 1.* I. modò doctrinā suam accipi & vsurpari velit: nimirū primò, tanquā doctrinā, cui tam fortiter & firmiter adhærendū est, vt ab ea quis non se patiat abducti, etiāsi Angelus de cœlo veniret, & aliter doceret: imò vt omnia mala, pernicioſa, & exitialia iudicentur, quæ eiusmodi doctrinæ contraria sunt, quantumcunq; bona apparent & proponuntur. Secundò, ita doctrinam suā accipi vult, vt nō modò in ore habeatur, & verbis iactetur, sed vt opere declaretur. Ad primū pertinet similitudo de lupo & ouiuū vestimēto: ad alterum pertinet similitudo de bona & mala arbore. Et in his duabus parabolis summa huius Euangelij sita est. Prima docet, quomodò Euāgelium & doctrina Christi accipienda & custodienda sit. Altera docet, quomodò Euāgelio & doctrina Christi vtī debeamus. Vtrobique consideratione opus est: etenim hostis salutis nostræ, diabolus non feriat: scit doctrinam Christi sincerā & rectā esse, & certam viā ad cœlum docere ac monstrare. Qua quidem de causa omnē adhibet diligentiam, vt aut nos à tali doctrina amoueat, aut vt in nobis pereat & infrugifera maneat. Vtrobique periculū est. Nam si à doctrina Christi amoueri te finis, certè erras, saluari non potes, quandoquidē Christus veritas & via est: neque ad Deum quisquam venit, quàm per illū. Sin verò doctrina Christi in te perit aut sterilis manet, idē damnū est. Hoc Christus silētio prætere nō voluit, perindè ac si dicat: Agè vos mei discipuli & credentes, lōgum sermonē feci: & doctrinā meā in lucē satis dedi: vestrū erit, vt eam seruetis, vtilēmq; vobis faciatis. Pro certo enim habebitis, q̄ hostis nō quiescet: circuit sicut leo rugiēs, quærens quē deuoret. Si versutia sua & malitia semper in id vsus est, quomodò homines à verbo Dei audiendo & exequendo possit abstra-

*Ioan. 14.*

*1. Pet. 5.*

abstrahere: facit idem certè nunc quidem, & plus etiã quàm antea vnquàm. Cùm primùm Deus loqueretur ad hominem in Paradiso, illicò aderat hostis; circúueniebat mulierem sua asturia, vt dubitare inciperet, nũ ita esset, quẽadmodũ Deus dixerat: neque cessabat inimicus, donec ei præceptum Dei ex animo excussisset, è diuerso autẽ sua mendacia instillaret. Sic deinceps semper fecit. Quotiescũque olim in veteri Testamẽto Deus suos Prophetas mittebat, toties diabolus falsos suos prophetas cõtrã excitabat. Quomodò igitur nũc feriretur, luce & veritate per me vobis affatim propalata & propalanda? Si pati nõ potuit, vt aliquibus paucis hominibus verbum Dei antehac manifestaretur, quomodò nũc patietur vniuerso orbi deinceps verbum Dei prædicari? Si inuidiam, suã occultare non potuit, ne aliqui pauci homines salutiferẽt, quomodò nunc demum inuidia eius exardescet, cùm æterna salus omnibus hominibus per annuntiationem Euangelij mei offeretur? Quapropter certi estote, quòd falsos prophetas excitabit, & iam præsentis habet: vestri quidã Pharisei & Scribæ primi sunt, quibus vritur, ad doctrinam meã euertendã, & vos à me auertendos. Et ij tamẽ tales sunt, quos non existimares mali quippiã in animo habere aut conari: quandoquidẽ tam probi, tam deuoti, & tam docti videri volũt: quin etiã patres vestri & pastores sunt. Attamẽ indubiẽ falsi prophetæ sunt: imò veri lupi, & animarum interemptores, posteaquàm conãtur vos à me & mea doctrina abducere, Tales homines diabolus semper in mundo habebit. Itaque monitos vos volo, diligenter circúspicite, ne decipiat vos bona species, vbi verbũ meũ non videtis, & auditis in vero intellectu eius. Omni quidẽ doctrinæ autoritatẽ facit, si is qui iam profitetur, honestè ambulet, si doctus sit, si Scriptura vtatur, si de rebus benè loqui possit, si admodum serium & deuotũ se foris exhibeat, & teneat doctrinam suã vsq; ad mortem. Sed nondũ certa signa sunt, omnia fallere possunt, lupo se ijs tegere potest. Probatũ est, sancta & vniuersalis Christiana Ecclesia sæpè experta est. Legantur veteres Ecclesiæ historię, res ita habere intelligetur. Falsos prophetas mundus semper habuit: ij omnes ornarũt se sacra Scriptura & verbo Dei. Aliqui eorũ eximie docti fuerũt: aliqui item bene honesteq; extrinsecus vixerunt. Alij propter doctrinã suã expelli se & occidi passi sunt. Christus ipse dicit, eos homines aliquot magna facturos mi-

Gen. 3.

Falsi Prophetæ excitantur à diabolo.

Verbum Dei etiam heretici tractant.

Matth. 24.

racula, &c. Artamen falsi fuerunt prophetæ. Quare solam eternam speciem morari non debemus, sed ad Verbū Dei respicere: & tamē non ad nuda verba, sed ad verū intellectū eorundē, qui est in sola Christi catholica Ecclesia, non apud sectarios. Id quod nō ab re addo. Audiuistis enim modò, quòd falsi prophetæ & hæretici etiam ex sacra Scriptura & verbo Dei fucum quærant. Quocircà de vero intellectu dispiciendū est. Est autem hic verus intellectus verbi Dei & sacre Scripturæ, non quem vnusquisq; ex seipso capit, aut quē hic vel ille spiritus ei inspirat: sed quem spiritus sanctus iam inde ab initio dedit, & in quo sancta vniuersalis Christiana Ecclesia iam inde ab Apostolorū tempore ad nos vsq;, vnanimis & concors fuit, & mansit. Hic (inquam) verus intellectus est sacre Scripturæ. Hoc verum & cerrū est signū veri Prophetæ, cum non solūm verbū & doctrinā Christi profitetur, sed etiā illius interpretationi acquiescat & assentiatur, quam omnes sancti Patres & catholici pij iam inde ab initio habuerunt. Alioqui vt maximè quis doctus & probus insigniter sit, citet Scripturas quotcunque volet, si proprium & nouum intellectum sacre Scripturæ afferat, quem vera, vnica, vniuersalis & Apostolica Ecclesia nō habet, suspectus est, & meritò suspectus haberi debet. Vt enī certò doctrina Christi vna doctrina est quę nos ad cælū ducit: ita certò quoq; in vero illo intellectu relinquēda est, quę Spiritus sanctus ipsemet suæ Ecclesiæ iā olim manifestauit. Et hoc est, quod Christus in initio huius Euangelij dicit: Attēdite à falsis prophetis, qui veniūt ad vos in vestimentis ouiuū, intrinsecus autē sunt lupi rapaces. Nobis hoc dictū est (inquā) Siquidē in hodiernū adhuc inueniūtur, quos bona species & vestimentū ouiuū decipit. Heus bone, inquiūt, sunt tamen isti viri docti, quomodò tam crasse hallucinarentur & errarent? Et iterum: Sunt certè viri probi, qui propter fidem suam in exilium agi, & interimi se patiūtur: quomodò Deus tā periculosè eos errare sineret? Hic autem audis, quòd Christus ipsemet dicit, lupum sub eiusmodi bona specie occultare sese posse, ita vt nemo illi certò fidere possit. Ad verbum Dei respiciendum est, & ad intellectū, quem sancti Patres & omnes boni atque catholici iam inde ab initio vnanimiter habuerunt, ne fallamur, etiamsi nulla externa species magnę doctrinæ, eloquentiæ, vel etiam simulatę sanctitatis accedat. Hoc primum est, quod circa Euangelium istud considerari debet, ne

*Genuinus scripturarum sensus quis sit.*

*Signum veri propheta.*

*Vide Irenæum li. 4, Cap. 43. & Epiphaniū in Amorto.*

*Mat. 7.*

debet, ne vlla ratione nobis verbum & doctrinam Christi eripi sinamus, aut ab ea auerti. Sed nondum hoc totum est. Christus adhuc aliud etiam in hoc Euangelio nobis indicare vult: nimirum vt sanctum illius verbum, & doctrinam etiam apud nos & in nobis ipsis non sinamus perire. Tum autem in nobis ipsis perit, cum id aut auribus solum, & non corde accipimus, aut tentationibus nimium terremur, aut verò occupati nimium sumus curis & negotijs huius mundi, suffocantes hoc pacto verbū Dei, vt nullū afferre fructū possit. Atqui verò vult Christus non solum vt in doctrina ipsius tanquam vera certaq; via maneamus, nec ab ea abduci nos villo modo sinamus, sed etiā vt rectè ea vtamur. Quare nihil est quod dicis, Audio & credo, & habeo, & diligo verbū Dei & doctrinam Christi, & quòd apud illud manes, si in teipso pereat, nec illi conuenienter viuere studeas. Idē enim ille Christus, qui in initio huius Euangelij dicit, vt attēdamus à falsis prophetis, in fine dicit, neminem intraturū in regnū Dei, nisi qui faciat voluntatē Patris. Dicit in medio: Omnē arborē quæ non faciat fructum bonum, excidi denique, & mitti in ignem. Et hoc postremū nō minus serió dicit, atq; primū. Quinimò affirmat, neminē Christianū se profiteri posse, nisi Christianam quoq; & piā vitam ducat: vt arbor bona non censetur, quæ non quā bonū fructū facit, etsi multa & pulchra folia habeat. Fert deinde sententiam, quòd quemadmodum infrugifera arbor, etiam si longo tempore feratur, postremò tamen exciditur & in ignem mittitur: ita etiam Christianus, in quo semen diuini verbi fructum nullum affert, non est quòd expectet aliud quā irā & indignationem, vt maximè diu incolumis maneat. Iq; non in hoc tātum loco dicit. In Matthæo scriptum habetur, quòd Christus infrugiferæ arbori maledicebat, quæ etiam continuò exaruit. In eandem quoque sententiam loquitur Paulus: Terra (inquit) sepè venientem super se bibens imbrē, proferens autē spinas ac tribulos, reprobā est, & maledictō proxima, cuius cōsummatio in combustionem. Atque hoc alterum est, quòd circa Euangelium istud cōsiderari debet. Hoc nos docere Christus voluit similitudine bonæ arboris. Summa, vult vt verbū illius & doctrinā non solum in ore & lingua geramus, sed etiam opere præstemus. Arbores frugiferas habere vult in sua Ecclesia, idēq; neque sumptibus neque labori parcat. Ipse curat vt colatur, ipse pluuiam

*Verbum Dei  
vt pereat in  
nobis.*

*Luc. 13.*

*Mat. 21.*

*Heb. 6.*

*Hoc fac & vi  
ues.*

dat, ipse mittit operarios Apostolos & prophetas: ipse largitur Spiritum suum & gratiam, ut merito irasci possit & irascatur, sicubi tales sumptus & labores frustra impendantur. Hoc primum videmus in Mose, qui id populo suo satis seuerè obijcit. *Deut. 4.* Hæccinè reddis Domino (inquit) popule stulte & insipiens? Nūquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creauit te? &c. In Isaia queritur, Deus ipse: *E/4.5.* Iudicate inter me & vineam meam. Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei? an quod expectaui ut faceret uvas, & fecit labruscas? Et nunc ostendam vobis quid ego faciam vineæ meæ. Auferam sepem eius, & erit in direptionem: diruam maceriam eius, & erit in cõculcationem: & nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem. Ex his & similibus verbis vides, quomodo Deo placere possint ij, qui verbum & doctrinam eius in seipsis perire & infrugiferum manere sinunt. Atque ideo etiam huic Euangelio Epistola assignata est, in qua Paulus illud ipsum agit, quod Christus in Euangelio à nobis postulat. *Rom. 8.* Fratres (inquit) debitores sumus: non carni, ut secundum carnem viuamus, &c. In hac Epistola vides, nū propterea in sanctam Christianitatem vocati simus, ut otiosi viuamus: & num propterea ex potestate & seruitute diaboli liberati simus, ut posthac pro omni nostra libidine viuamus. Nullo modo (inquit Paulus) *Ioan. 8.* Quia enim debitores etiam adhuc sumus. Sed inquis: vbi ergo nostra libertas? Putabam Christianum liberum & nemini obstrictum. Respondeo: Vtiq; nos Christiani liberi sumus. Christus ipsemet dicit: Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis: & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos. Dicit item in Matthæo, liberi sunt filij Dei. Similiter & diuus Petrus dicit: potissimum verò Paulus ad *Rom. 6.* Et ad *Gal. 3. & 4. cap.* Verum non ita accipere nos libertatem oportet, quæadmodum eam accipit mundus. Is eum liberum censet, qui nemini obnoxius, nemini debitor, nullius seruitio obligatus est: qui neminem vereri aut metuere, nemini parere & obsequi cogitur, sed facere & omittere quod lubet. Sed hac ratione homo Christianus liber non est. Imò qui Christianam libertatem ita intelligere velit, is sanè erraret, seque ipsum & alios seduceret. *Rom. 6.* Nemo honorificètius de Christiana libertate scripsit quam *Gal. 4.* Paulus. Attamen is ipse Paulus dicit ad nos Christianos, nos debitores esse. indicans tamè interim, cuius simus debi-

tores.

ores. Non carni (inquit) sed Spiritui. Hæc enim duo in nobis habemus, carnē & Spiritum, naturā & gratiam, quorum vnum quodlibet nos agit & trahit. Caro & sanguis, ad peccata: Spiritus verò & gratia ad pietatē. Iam verò vult Paulus & docet, nos impulsū Spiritus & instinctū iustius sequi debere, quā impulsū & instinctū carnis seu naturæ. Et quo id cōmodius fiat, mirificè loquitur de Spiritu, quē accepimus, & dedignitate quā nacti sumus, & de æterna hæreditate quam expectamus. Ad hæc cōprehendit & cōplectitur totū negotium vno verbo: Si secundum carnē vixeritis (inquit) non memini: si autē Spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Hic nullum medium est. Vita & mors nobis proponitur: vtrum elegerimus, id dabitur nobis. Quocirca quod Christus in hodierno Euangelio infrugiferæ arbori minatur, id ipsum minatur Paulus in hac Epistola ijs qui secundum carnē ambulant & viuunt. Vtrobique periculum est, & certū exitium. Infrugifera arbor excidetur: qui secundum carnē viuunt, æterna morte morientur. Vndè meritò rogare debemus Deū, & cū Ecclesia dicere: Largire nobis domine, quę sumus, semper Spiritū cogitādi quę recta sunt propicius & agēdi, vt qui sine *precatio Eccle* te esse non possumus, secundum te viuere valeamus, Amen. *sia.*

S E X T V S S E R M O D O C E T Q V O =  
 modò Euangelium istud intelligi debeat,  
 cum adiuncta Epistola.



VI Euangelium istud penitiùs introspicit, & quid præcedat, sequaturq;: & præterea legit vel audit, quomodò id Buccinatores, vel Clamantes quidā & Scribentes nunc interpretentur, is demirabitur, obstupescet, & peruerso illorum

animo indignabitur, qui verba adeò clara & luculenta tam temerè, nō solūm cōtra omnes antiquos Ecclesiæ doctores, sed etiā ex diametro cōtra mentē & sententiā Christi audent interpretari, saltem vt errorē suum tueri possint, & habeant, in quo aduersarios suos calumniētur cōuiciēturq;. Rogat quis, quomodò? Certū est, q̄ Christus discipulos suos & nos omnes in hoc Euāgelio hortatur ad bona opera, vt quæ veri & genuini fructus sunt, ex quibus bona arbor, hoc est fides recta & salutaris doctrina cognoscitur. Bona opera (inquam) exigit Christus in hoc Euāgelio ex bono semine lux

*Impudētia hæreticorum.*

*Opera bona, veri fructus.*

doctrinæ. Attédere nos iubet ab omnibus ijs, qui nos ab eius modi fructibus impediunt, aut malos fructus è diuerso nobis inserút & infundunt. Hanc in sententiam Euangelium istud dictú est, id quod primò verba ipsa præ se ferút. Præ se ferunt illud ipsum secúdo omnes circumstantiæ, quæ præcedunt & sequuntur. Terriò item præ se fert tota prædicatio, vnde verba hæc desumpta sunt. Primò namq; videre quiuis potest, qd Christus totum & prolixum illum sermonē vel concionem, quam Matthæus in tribus capitibus describit, maiore ex parte de bonis operibus locutus sit. Beati pauperes mansueti, misericordes, &c. dicit in initio. Deindè dicit ad suos discipulos: Sic luceat lux vestra corâ hominibus, vt videant opera vestra bona. Et postea: Qui facit ea quæ docet, magnus erit in regno cœlorû, &c. Post illa interpretatur mandata Dei, docet charitatem: docet item quomodò orandum, ieiunandum, & eleémosyna danda sit. Hæc certè omnia bona opera sunt. Tum in hoc Euangelio manifestè dicit, non venturos eos in regnum Dei, qui nudis verbis Deum confitétur, & in ore habent, sed qui faciunt voluntatē Dei. Quo autem vnusquisque videat, verbú istud (facere voluntatē Patris) hoc loco non ad fidē, sed ad bona opera spectare: mox subiicit Christus: Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo demonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, Quia nūquã noui vos: discedite a me qui operamini iniquitatem. Hic audis quam ob rem tales homines à se ablegabit: nō qd illis aliquid desit in fide, sed propter mala ipsorum opera. Huc pertinet quod in fine concionis illius dicit: Ergo omnis qui audit verba mea hæc, & facit ea, similis erit viro sapienti, qui ædificauit domum suam super petram: & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit, fundata enim erat super petram. Omnis autem qui audit verba mea hæc, & non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificauit domú suam super arenam. En hoc pacto cōperimus, Christú in hac tota concione bona opera requirere à suis credentibus: itaq; dubitare nemo potest, quin etiam istud Euangelium eò spectet, præsertim cum Christus paulò antè dicat, Intrate per angustam portam, quia lata porta, & spaciola via est quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam. Quoniam angusta por-

**A** porta & arcta via est quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam. Et Paulò antè: Omnia quæcunque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc est enim lex & Prophetæ. Hæc proxima sunt verba ante hodiernû Euangelium. Quia ergo mox subiicit quædã Christus de falsis Prophetis, & deindè etiã de bona & mala arbore vnã cû fructibus earû: certè referrî aliò nõ possunt (nisi textui vim inferre velis) quàm ad doctrinã & conciones, quæ homines vel ad bona opera instigêt, vel à bonis operibus abducât, ita vt bona arbor nihil sit aliud, quã doctrina, per quã homo post fidem simul ad bona opera dirigitur ac prouocatur. Et qui cû tali doctrina venit, hunc Christus pro vero Propheta habet. Cõtrã verò, mala arbor nihil est aliud quã doctrina nõ ad bona, sed ad mala opera ducens, Talem doctrinam qui adfert, falsus proculdubio propheta est, à quo vt attendamus, nos monet Christus. Hæc sententia istius Euangelij est, quemadmodum cõtextus sermonis egregiè id conuincit. Sed adsunt noui isti Clamãtes, & hoc inuertit ad eò, inquietantes, doctrinam de bonis operibus esse malam arborè, & qui bona opera docent, esse falsos prophetas. Et quod fundamentû habent eius modi interpretationes? Doctrina de fide (inquiunt) adfert conscientia pacem, tranquillitatè & gaudium. Id autem doctrina de bonis operibus non facit: imò quò plus de operibus prædicatur, hòc conscientia minùs conquietit. Imò frater Euangelice, nõ ignotum est, illud esse tuum propositû, consolari tuam turbã, qualis qualis ipsa sit. Sed nondû demonstrasti, neq; demonstrabis vnquã, verbum Dei & puram doctrinam non alios adferre fructus, quàm consolationem solam. Quantum equidem intelligo iuxta tuam sententiam, qui ad huius leuissimi sæculi homines dicere potest, Nolite timere in peccatis vestris, Credentè nullum peccatû condemnare potest, Deus non curat vitam, sed fidem tantû, ratione vitæ nihil est periculi, fides absorbet & consumit omnia peccata, & c. hinc adfert veram & purã doctrinam, verus propheta est. Quid ita? Consolatur eos, omnem nobis adimit metum, latam nobis facit conscientiam, quæ nunquã nos mordeat: quantumcûque malè & impiè viuamus. Contrã, qui ad peccatorem cit, Pœnitentiam age, casurus alioqui in æternam condemnationè, is pro falso propheta habebitur: quãdoquidè hominem nõ consolatur, sed terret. Sed quã tandè hinc cõsequetur?

*Vide hominũ  
cacitatem.*

**Deut. 28.** Primò, q̄ Moyses falsus propheta est. Quid ita? Docet bona opera: imò promittit illis Dei benedictionē & omnia bona: cōtrā verò maledicit malefacientibus, & minatur illis omnia mala. Secundò, cōsequitur indè, legē Dei malam esse arborem. Quā ob rem? Non consolatur, sed terret & condem-

**1. Cor. 3.** nat hominē. Vnde à Paulo vocatur Litera occidens, & ministratio mortis. Hic veteres hæretici triumphum canent, qui præter hoc olim dixerunt, Legem nō esse à Deo, sed à diabolo datā. Sic etiam omnes Prophetæ falsi doctores erunt, quia hoc nomen habebant, q̄ peccatoribus mala omnia nunciabant: & nihil aliud faciebant, quā q̄ carpebāt, quemadmodū

**1. Reg. 22.** Achab de bono Michæa cōqueritur. Quinimò hac ratione etiam ipse Christus & Ioannes Baptista, falsi erunt Prophetæ, quia pœnitentiā & bona opera docuere, peccatores verò

**Matt. 3. 4.** corripuerūt. Similiter & Paulus falsus Propeta dicendus erit qui tam seuerè suos Corinthios arguit, dicens porrò, non pœnitere se, etiam si contristasset eos. Quos autē veraces prædicatores censebimus, si Moyses & Prophetæ, Ioannes & Apostoli, quin etiam ipse Christus, falsi sunt Prophetæ? At qui falsos eos esse Prophetas oportet, si dogma illud verū est, q̄ operum bonorū doctrina mala arbor est, & qui bona opera docet, eum falsum esse Prophetam: imò q̄ omnis doctrina non cōsolans, mala sit arbor. Cuius iam partes sequi mauis? Christiane, Ioannis, Moysis, nec non Prophetarū & Apostolorum, qui nō semper consolantur, sed vbi res postulat, etiam increpant, docent, instant, vrgent bona opera: an nouorū clamantium, vel potius seductorū, qui semper consolantur etiā sceleratissimos homines, nec vnquā increpant, nullam probantes doctrinam, quæ non semper consoletur, nec prædicatorem eum admittentes, qui nō semper vel maximè effrænibus meram gratiam & pacē annunciet? Si bonus Christianus es,

**1. Tim. 3.** fac apud Christū inueniāre. Accipe quicquid tuæ saluti utile esse potest, siue doctrina sit, siue solatium, siue obiurgatio. Et scito sacram scripturam nō solum consolari, sed etiam utilem esse ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus, vt Paulus ait. Quapropter eos omnes fuge tanquā certos seductores, qui tibi in peccatis tuis ad blandiuntur, promittentes tibi gratiā absq; præuia pœnitentia: pollicentes tibi cœlum absque omni conatu & opera

*Cuiusmodi doctores fugiendi.*

tua: eleuan-

tua eleuantes & erigentes omnia bona opera credentium: prædicantes & docentes nudã ac otiosam fidem, &c. Ij namque sunt illi à quibus vt attendamus, peculiariter nos monet Christus in hoc Euangelio. Quanquã id etiã accipere possumus tanquã generalem admonitionem, vt ab omnibus falsis Prophetis caueamus nobis, etiã in alijs partibus Christianæ doctrinæ. Summa: Christus vult, vt non solùm doctrinam ipsius acceptemus, eãque mordicus teneamus, sed vt ornemus eam quoque bonis fructibus. Hæc duo in sua Ecclesia & Christianitate habere vult, veram doctrinam, & bonos fructus, bonos Prophetas, & bonas arbores. Plurimum momenti habent isthæc duo, & vtrobique periculum imminet. Si enim doctrina bona non est, & sana, ædificamus super arenam, cadimus in foueam cū illis qui nos ducūt, *Luc. 6.* rareis lupis prædæ sumus. Et vt maximè doctrina bona sit, nos verò infrugiferi maneamus, excidimur & in ignem mittimur, quemadmodum Christus nõ solùm hic, sed etiam in Ioanne dicit: Omnem Palmitem (inquit) in me nõ ferentem *Ioan. 15.* fructū, tollet eum Pater meus, & in ignē mittet. Iam si Prædicatores infideles sint, non vacat ea res magno periculo: sin verò auditores in suis vitijs maneant, rursus periculum est. Prædicatori non satis est, q̄ Scripturam intelligit & vsurpat, sed officium eius est, vt fidelis sit. Neque auditori satis est, vt audiat & credat, sed etiam officium eius est, vt fructus afferat. Prædicator qui infidelis est, perniciosus lupus est: *1. Cor. 4.* Christianus qui voluntatē Dei nouit, & nõ facit eam, aridū & putridum lignū est, ad nihil vrile, nisi vt in ignē mittatur. Tantò diligentius vtrinque aduigilandum est. Christus non sine causa nos monuit, vt à falsis Prophetis attendamus. Neque frustra similitudinē de bona & mala arbore dixit. Nam nec omnes esse Prophetæ possumus, nec est id quidem necesse: sed omnes arbores frugiferas nos esse oportet. Bonos fructus Christus exigit cū in Prophetis tum in auditoribus. *Bonorum operum studiosi omnes esse debemus.* Docere, monere, increpare, cōsolari, ædificare, emendare, & erudire in iustitia, vt homines perfecti fiãt & instructi ad omne opus bonū, ij sunt fructus veræ & puræ doctrinæ, vt Paulus ait. Charitas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, *2. Tim. 3.* *Galat. 5.* *Ephes. 5.* fides, castitas, cōtinentia, &c: fructus sunt bona arboris & spiritus. aut, vt Paulus alio in loco dicit, fructus lucis est in omni bonitate, & iustitia, & veritate. Nulla itaq; opus disputatiōe,

qui sunt fructus boni bonæ arboris. Paulus id iam olim indicavit. Isthinc sumatur iudicium, tum apparebit, qui boni aut mali prædicatores atq; etiã Christiani sint. Qui sapit, & seipsum decipere nolit, is attendat: vt Christus in eo tales fructus reperiat, ne maledictionem suam in eum fulminet, quemad-

*Matth. 21.* modum illic in Matthæo infrugiferam ficum sua maledictio-

*Heb. 6.* ne aridam faciebat. Lata enim iam est sententia: Terra sæpè venientem super se bibens imbrem, proferens autem spinas ac tribulos, reprobata est, & maledictio proxima. Maledictio autè Dei oĩa arefacit, vt spes ibi nulla sit, nec esse possit. Huc etiam

*Luc. 13.* pertinet similitudo de sterili ficu in Luca. Ecce (inquirebat cultor Christus) anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio. Succide ergo illam: vt quid etiam terram occupat? Super hoc audi etiam, quid Paulus in hodierna Epistola dicat, Debitorum sumus (inquit) Rom. 8. non carni, vt secundum carnem viuamus, &c. In hac Epistola audis verum Prophetã: is docet, quomodò & quales fructus adferre debeamus. Nimirum vt carnem nostrã & prauas cupiditates mortificemus crucifigamusque: contra verò sequamur spiritus ductum. Quomodò autem caro crucifigenda sit,

*Caro vt mortificanda.*

*Ephes. 4.*

docet Diuus Paulus alio in loco. Hoc dico & testificor in Domino (inquit) vt iam non ambuletis, sicut & Gentes ambulante in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam quæ est in illis propter cœcitatē cordis ipsorum: qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitæ, in operationem immunditiæ omnis, in auaritiã. Vos autem nõ ita didicistis Christum: si tamen illum audistis, & in ipso edocti estis, (sicut est veritas in Iesu) deponere vos, secundum pristinam conuersationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris. Renouamini autem spiritu mentis vestræ: & induite nouum hominem qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis. Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem vnusquisq; cum proximo suo, &c. per totum illud caput. Similem quoque in modum loquitur ad Colossenses:

*Col. 3.* Mortificate mēbra vestra quæ sunt super terrã, fornicationē, immunditiã, libidinem, concupiscentiã malã, & auaritiã, quæ est simulachrorum seruitus. Deponite iram, indignationem, malitiã, blasphemiam, rurpem sermonem de ore vestro, &c.

En, hoc vocat Diuus Paulus carnẽ crucifigere. Indicat autem ibi-

ibidem quoque, quomodo instinctu spiritus sequi debeamus. Induite (inquit) vos, sicut electi Dei, sancti, & dilecti, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes inuicem, &c. Super omnia autem haec, charitatem habete, quod est vinculum perfectionis. In eandem ite sententiam dicit ad Philippenses: De caetero fratres, quaecumque sunt vera, *Philip. 4.* quaecumque pudica, quaecumque iusta, quaecumque sancta, quaecumque amabilia, quaecumque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae, haec cogitate, &c. Et ad Ephesios: Estote imitatores Dei, sicut filij Charissimi: & ambulate in dilectione, &c. *Ephes. 5.* per totum illud caput. Vide, hoc est spiritus instinctum & impulsum sequi: ij etiam sunt fructus bonae arboris. Haec urget Paulus multis & serijs ac grauibus argumentis & probationibus. Inquit primò, nos debitores esse, quemadmodum etiam ante ea de re dixit, nos esse seruos & ministros iustitiae & Dei. Nemo autem non scit, quid duo haec verba in se habeant. Seruus seruire debet, debitor soluere. Rogas vndenam seruus sis? Responsum. Christus te redemit, quin etiam pro te mortuus est, ne posthac tibi ipsi viuas, sed ei qui te redemit. Scire porro *1. Cor. 4.* etiam desideras, vnde debitor sis? Considera tuam creationem, tuam redemptionem, tuam vocationem, & quotidiana beneficia Dei, quinetiam propria tua peccata, videbis te multifariam debitorem esse. Imò eò vsque Deo obligatus es & debitor, *Luc. 17.* vt etiam si omnia facias quae tibi praeccepta sunt, dicere debeas, te seruum inutilem esse. Verum si nondum videre potes quantum Deo debeas, audi quid Paulus dicat: Non accepistis *Rom. 8.* spiritum seruitutis iterum in timore: sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamabus, Abba pater. En, hic audis quid acceperimus: & haec adeò sunt, quae nos impellunt vt nos Dei debitores agnoscere debeamus. Nam quomodo nos obligare magis potuisset? Dedit nobis spiritum suum. Is autem spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filij Dei. Facit vt Deum patrem nostrum appellare auisimus, promittitque nobis aeternam hereditatem. Itaque fratres charissimi, debitores sumus, non mundo, non carni, non diabolo, sed Deo. Consideremus & agnoscamus quid ab illo acceperimus. Omnem adhibeamus diligentiam: vt grati erga eum simus, eiusque voluntatem faciamus, vt etiam consequi possimus, quod promisit, Amen.

## S E P T I M V S S E R M O D O

*cet undè ueri & falsi Propheta cognoscendi sint.*



**M**ODIERNVM istud Euangelium licet non valde prolixum sit, si verba numerantur, attramen multa consideranda præbet ad verba ipsa diligenter attendentis: imò tantum, vt in vna cõcione indicari omnia non possint, quemadmodum ex præcedentibus sermonibus facile, & tamen abundè intelligere est. Quocircà tribus verbis hac vice ostendã, quid bono Christiano circa Euangelium istud considerandum sit. Etenim primò magna disputatio est hoc tẽpore, qui falsi Prophetae sint, à quibus vt attendamus, nos monet Christus. Nemo sibi hoc nominis assignari vult; & falsus Propheta dici, licet ipso opere sit. Oes horrent nomẽ, oes alios demonstrant, suos nimirum aduersarios. Et vt verum fateamur, difficile cognitu est, quis verus Propheta sit: id quod facit ouilla pellis,

*Impostores vt se simulent vt ras Doctores.*

sub qua tales lupi sese occultant. Sæpè enim deprehensum est, & adhuc deprehenditur, q̃ mali & versuti impostores, multis in rebus veris Prophetis sese assimilent, quẽadmodum magister eorum Diabolus etiam nonnũquam transformat sese in

1. Cor. 11. Angelum lucis. Id quod exemplis aliquot indicabo. Balaam Num. 22.

olim ariolus erat, & diabolicus Propheta apud Gentes: is reuelationes suas habebat à Diabolo, & hunc etiã cõsulebat: verũtamen cũ à Moabitarum Rege Balach vocaretur: vt Israëlitico populo malediceret, perindè se gerebat, ac si verus Propheta Dei esset, cui nihil cum Diabolo cõmertij esset: dicens se nihil loqui posse nisi esset iussus à Deo. Simulabat se voluntatem Dei explorare velle: tribus continuis diebus altaria sibi extrui, & peculiaria institui sacrificia sinebat priusquã incipiebat loqui aut prædicare. Hoc erat vestimẽtum ouium, sub quo lupo latebat. Animus eius & mēs mala erat. Ethnicis regi, qui ei pecunias & magna munera promittebat, seruire maluisset, quã Deo & veritate: maluisset innoxio populo Dei maledicere, quã quòd contra volũtatem suam illis benedicere cogebatur. Et eam ob causam venerat. En, hunc nemo nõ putasset esse Prophetam: sed Angelus Dei personam ei detrahebat & laruam, vero illum nomine appellans. Veni (inquit) vt aduersarer tibi, quia peruersa est via tua, mihi que contraria: & nisi asina declinasset de via, dans locum resistenti, te occidissem, &

*Ibid*

diffem, & illa viueret. Sic erat quoque cum Moyses & Aaron *Exod. 7.* incipiebant inter Aegyptios prædicare & miracula facere. Nonnulli surgebant præstigiatores qui eis aduersabantur: & quod illi faciebant, idem ij quoque faciebant. Moyses & Aaron aquam in sanguinem vertebant: itidē faciebant malefici. Moyses virgā abiciebat, & in serpentē vertebatur: itidē quoque faciebāt malefici. Aarō ex mādato DEI, & iussu Mofi, *Exod. 8.* extendebat manum suā super aquā seu fluuios Aegypti, vnde ranæ prodibant, totam Aegyptum tegentes: itidē faciebāt malefici. Et hoc erat vestimētum ouīū, quo præstigiatores istiusmodi sese tegebant: sed nō facile illic apparebat, quis inter has duas partes veri aut falsi Prophetæ essent, vsque ad quartum miraculum. Hic confundebantur præstigiatores, palā fatentes ipsimet digitum & potentiam esse DEI, quicquid Moyses & Aaron faciebāt. Similiter res sese habebat tēpore Elię, Isaię, Hieremię, Ezechielis aliorūmq; Prophetarum. Quēadmodum plerūquē conciones suas incipiebant hoc verbo, Sic dicit Dominus: Aut, Hæc dicit Dominus: idem hoc falsi Prophetæ imitabantur, similem in modum loquentes, vti plurimis in locis videre est, præcipuē in Hieremia. Et quemadmodum veri Prophetæ interdum nō solum verbis, sed etiam externis signis futura prædicebant, vt iterum in Hieremia videre est, necnon in Ezechiele: sic illud idē quoque dicebant falsi Prophetæ. Vt cū Achab in bellū proficisci deberet, erat quidam inter falsos Prophetas, qui sumebat sibi ipse cornua ferrea, promittens regi, fore vt talibus cornibus hostes suos contereret deleretque. Sic, cum Hieremias catenam ligneā in collo gestabat, ad iudiciū, populum venturum in captiuitatem, erat falsus quidā Propherā, qui ei rūpebat catenam ligneam: per hoc animans populum, nullam ipsis captiuitatem timendam esse. Neque tum facile apparebat, vter inter hos duos verus aut falsus Propherā erat: id quod faciebat vestimentum ouium, quo impostor æquē indutus erat, ac verus Propherā. In sancta Christianitate idem accidit, & adhuc. Quicquid veris Apostolis & Prophetis auctoritatem cōciliabat, id etiā imitari falsi Prophetæ studebant. Petrus, Paulus & alij à Christo missi, nominabant se in suis scriptis Apostolos & Legatos Iesu Christi (quæ res illis auctoritatem faciebat.) Idem hæretici & impostores faciebant. Et sub pelle ouilla aut falso titulo multis hominibus imponebant, vti in Epistolis

- 1. Cor. 15.** Pauli ad Corinthios & Galatas videre est. Sãcti Apostoli ministros se nominabant **C H R I S T I**: itidem faciebant illi. Sancti Apostoli relinquebant omnia, vtebantur sacra scriptura, pro doctrina sua affligi se & occidi patiebãtur, &c. Illi falsi Prophetæ idem faciebant: vtebantur & ipsi sacra scriptura, austeram quãdoquẽ ducentes vitam: nõnulli etiam eorum miracula faciebãt, quemadmodũ Christus prædixerat, & quẽadmodũ in Simone Mago videre est, qui eiusmodi virtutem miracula faciendi, pecunijs à diuo Petro libenter redemisset, quò maiorem sibi pararet existimationẽ, & homines melius seduceret ac deciperet. Nõnulli hæretici & impostores ob doctrinam suã expelli, condẽnari, spoliari, affligi & occidi se permiserunt. Hoc erat vestimentum ouium, sub quo occultebat sese lupo. Neq; tum facile apparebat, qui veri & falsi Prophetæ essent. Quò Catholici gloriantur, eodem gloriantur & hæretici. Vtrobique scientia est, vtroubiquẽ adhibetur sacra scriptura, nomen Dei & honor Christi prætenditur, ecclesia iactatur: vtroubiquẽ citantur & producuntur antiqui Patres & ecclesiæ Doctores, quamuis ferẽ corruptẽ ab hæreticis? Quomodò igitur distinctẽ cognosci potest, qui sint veri aut falsi Prophetæ? Ex fructibus eorum cognoscetis eos, inquit Christus. Et qui sunt illi fructus? Nunquid est bona aut mala vita Prædicatorum? Non: vtroubiquẽ enim inueniuntur, qui benè & malè forinsecus viuunt. Qui sunt igitur fructus, ex quibus cognosci certò potest, qui veri aut falsi Apostoli sint? Hoc ex quibusdam exemplis discemus. Cũ Ioannes Baptista in deserto prædicaret, omnes metu corripiebantur, & desiderio salutis, ita vt cateruatim ex omnibus ciuitatibus & vicis ad eũ confluere, consilium quærentes, atque etiam consilio eius obtemperantes. Cũ Christus prædicaret, concipiebant publicani quoque & meretrices, quin etiam latrones, spem salutis, peccata deferentes, poenitentiam agentes, conuertentes sese ad Deum, vt videre est in Matthæo, Zacchæo, peccatrice
- 1. ut. 7.** in Luca, & in Latrone in Cruce. Lucæ 19. & 23. Cũ sancti Apostoli prædicarent, hic inde proueniebat fructus: vt omnes credentes vnanimis essent, nemine dicente inter illos, hoc meum est, sed omnia communia habentes, bona sua vendentes, & in commune ea conferentes: quotidie versantes in Templo, orantes & laudantes Deum: talem conuersationem ducentes, vt omnes magnificerent eos, &c.
- Cũ Pau-

Cùm Paulus in Epheso prædicaret. hic inde fructus nasceba- *Act. 19.*  
 tur, vt qui malis vfi erant artibus, suos libros flammis trade-  
 rent: Cùm Apostoli Euangelium per orbẽ prædicarent, vbi-  
 que locorum conuertebantur homines, non solùm ab idolis  
 ad verum & vnicum Deum, sed etiam à peccatis ad iustitiam.  
 Cùm antiqui nostri Ecclesiæ Doctores prædicarent & scri-  
 berent, deprehendebatur in hominibus nõ solùm fides, spes,  
 & charitas erga Deum, sed etiam amor, fides, misericordia,  
 compatiencia, humanitas, & veritas erga proximum. Simili-  
 ter etiam disciplina, honestas, pudor, pietas, iustitia & probi-  
 tas vniuscuiusq; hominis erga seipsum aut apud seipsum: & ad  
 hæc etiam obediẽtia & reuerẽtia erga magistratum, imò etiã  
 desiderium erga deuotionem, ad orationem, ad cultum Dei:  
 similiter etiam contemptus omnium rerũ temporaliũ, odiũ  
 & reprehensio omnis iniustitiæ. Hæc deprehendebãtur apud  
 antiquos Ecclesiæ nostræ Doctores: tales fructus sequeban-  
 tur ex eorum doctrina. Et eò tendunt etiam in hodiernum  
 omnia scripta illorum. Atque hoc etiã est quod Paulus dicit:  
 Qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, & ex- *1. Cor. 14.*  
 hortationem, & consolationem. Et iterum dicit: Omnis scri-  
 ptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum, ad arguen-  
 dum, ad corrigendum, ad erudiendum in iustitia, &c. En, hic  
 habes simul & qui veri Prophetæ sint, & quæ sit vera doctri-  
 na. Sed diligenter obserua quid Paulus dicat. Tria exigit à  
 Propheta, nimirum ædificationẽ, exhortationem, & consola-  
 tionẽ. Nũc verò isto sæculo fructus vnicus est veræ doctrinæ,  
 si conscientia cõsoletur. Si quid est quod non semper cõsole-  
 tur, sed interdum mordeat ac doleat, id pro falsa & adulteri-  
 na doctrina habetur. Quapropter nihil iam aliud sit, quàm  
 quòd cõsolatio adhibetur. Omnibus pax & gratia promitti-  
 tur, nemo ob peccata obiurgat, nemo terretur iudicio Dei,  
 nemo ad pœnitentiam impellitur, nemo ad bona opera exti-  
 mulatur, &c. Sic autem neque Moyses, neque Christus, neq;  
 Prophetæ, neque Apostoli fecerunt. Consolati sunt quidem  
 etiam homines, vbi res poposcit, sed interim etiam alios ter-  
 ruerũt, docuerũt, adhortati sunt, increpauerunt, prout cuiq;  
 necessarium fuit. Id ipsum quoque vult Paulus in supradictis  
 verbis. Et qui non tam diligenter ædificat, & exhortatur,  
 quàm diligenter redarguit, quàm diligenter consolatur, haud du-  
 biè falsus propheta est iuxta verbum Isaia, vbi dicit: Popule *Esa. 3.*

meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt. Sic etiam Paulus altero dicto indicat, Scripturam non solum utile esse ad consolandum, sed etiam ad edificandum & exhortandum. Et qui hæc duo posteriora non æquè exercet, atque illud prius, certè falsus propheta est, lupus & animarum interemptor. Promittit enim hominibus pacem, cum tamè pax nulla est: promittit illis fidem solam sufficere ad salutem, cum tamen Deus alia insuper etiam postulet. Has duas sententias qui sibi proponit sacre Scripturæ, & interim videt, quos vnaquæque doctrina fructus ferat melioresne an deteriores inde fiamus: quam primùm videbit, num antiquis Ecclesiæ doctoribus, an novis clamantibus subscribere debeat. Hæc prolixius indicare libuit simplicibus ad bonum. In hodierna Epistola videmus verum & integrum Prophetam, Paulus ipse facit quod alios docuit. Docet, edificat, & consolatur. Et quidem tria illa simul, nec vllum ex ijs solum. Quicumque Spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei. Et iterum: Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore: sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum. In his verbis docet & edificat. Spiritus quem accepimus, dat spiritui nostro testimoniùm, nos filios Dei esse, & cõfidèter ad illũ dicere posse, Abba, pater. His verbis consolatur Paulus. Debitorum sumus (inquit amplius) non carni, vt secundũ illam vivamus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini. si autem Spiritu facta carnis mortificaveritis viuetis. His verbis Paulus impellit ad bonum. Si iam per aliquot annos sic prædicatum fuisset, non tot mali fructus apparerent: nec futurum esset, vt aliqui tam graviter audirent, quòd seducant populum & quòd pro falsis prophetis habeantur. Summa, omnia verba huius Epistolæ eò directã sunt, vt bonam arborem, bonam radicem, bonum semen non sinamus in nobis perire. Etenim

*Rom. 11.* Deus nos ex infrugifera terra in bonam, ex degenerate oleastro

*Ioan. 15.* in bonam oliuam inseruit: imò in veram & genuinam vitem

*Ioan. 1.* Iesum Christum, ex quo gratiam & veritatem, lucem & vitam habemus ac haurimus. Ideòq; Paulus fortiter instat, ne quicumquam talem plantationem vel insitionem Dei, per negligentiam suam perire sinat: Hic nihil intermittit & intentatum relinquit, quò id nobis persuadere possit: quatuor egregijs & efficacibus argumentis utitur & calcaribus, quò nos impellat. Primũ:

*1. Corin. 6.* I. Is qui liberatur, & ab exitio redimitur, redemptori suo gratitudinem debet. Christus autem magno nos pretio redemit ab æter-

Argumenta  
quatuor.

ab æterno exitio, atque ideò etiam seruire illi & grati esse tenemur. Alterum argumētum Pauli: Cui multa credita sunt, I I . ab eo multa exiguntur. Nobis autem longè alius Spiritus datus est, quàm veteri Israëlítico populo: hi enim seruitutis spiritum habebant, vt metuere cogerentur: nos autem habemus Spiritum adoptionis, idcirco etiã tanto studiosiores omnis esse boni debemus, quàm illi fuerūt. Tertium argumētum Pauli: I I I . Filius suo patri plus fidei, honoris & amoris debet, quàm seruus: verùm non sumus amplius serui, sed filij Dei, sic vt cōfidēter illū patrē nostrū appellare possimus. Quapropter etiã æternū illū diligere, laudare, eiusq; parēre præceptis & voluntati debemus. Quartū argumentū Pauli, quo nos ad bonū impellit, est: Qui gratuitò splendidā h. hereditatē expectat, tantò maiorē adhibet diligentia, ne tali h. hereditate indignus inueniatur. Sumus autem hæredes Dei, cohæredes verò Christi: tantò circūspiciendum magis, ne tali h. hereditate indigni & ingrati reperiamur. En, hunc in modum diuus Paulus in hac Epistola verum, integrum, & fidum Prophetam Prædicatoremque se exhibuit. Reliquum erit, vt eius dictis morem geramus. Deus det nobis omnibus suam gratiam, Amen.

O C T A V V S S E R M O C O M P O  
nit præter Epistolam, etiam Ecclesie orationem  
& cantus cum hodierno Euangelio.



IRCA iam dictum Euangelium optandū quidē foret, vt omnes Prædicatores æquē studiosi essent ad mentem Christi eiusque verba rectē & fideliter indicanda, quàm sunt studiosi ad alios per id traducendos. Nemo dubitat, quin Christus suos discipulos bono animo, & ex vero amore monuerit & iusserit attendere à falsis prophetis, quemadmodū reliqua omnia etiã docuit & fecit. Contrà verò vident & audiunt omnes, quomodò factiosi nunc super hoc Euangelio iram suam, indignationem, inuidiam odium & affectus effundant, & sæpè verbis tam virulentis, ac importunis gestibus, vt id omnes boni horreant. Neque id iniuria, quid enim rixæ eiusmodi, & virulenta conuitia atque contumeliæ magnoperè possint prodesse? Cui placeat, si loco diuini verbi humanam vlciscendi libidinem audire cogatur? Et quid Legatum peius decet, quàm si Domini sui negotium ob quæd

missus est, tradat obliuioni, & quæ sua sunt tantùm expediat?

- 2. Corin. 5.** Legatione fungimur pro Christo (inquit Paulus) tanquàm Deo exhortante per nos. Hoc nostrum officium est. Nostra instructio est sacra Scriptura, quam debemus non ad nostros trahere affectus, sed vti ea ad ædificationem, ad exhortationem, & ad consolationem, quæ admodùm Paulus dicit. Item vti debemus ea ad docendum, ad arguendum, ad corripiendũ, & maximè ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus, sicuti rursus dicit Paulus. Hæc suggestui cõpetunt, hæc in Ecclesia audienda essent, hæc fructũ afferre possent, quã ad rem animus meus semper propensior fuit, quã ad cõtentiones. Alioqui ei qui cõtentiosus est, hoc Euangelio optatius esse nihil potest: imò nihil etiam aliàs tam bonũ in Scriptura est, quin id in suum aduersarium torquere quis possit, & alter vicissim in hunc, quemadmodũ in hoc Euangelio fit. Hic clamat, hæretice, lupe, & animarũ occisor: idẽ alter regerit. Hic alteri enumerat malos eius fructus: idem & alter nititur. Nihil aliud est, quàm Echo, inanis clamor, perpetua oblatratio. Cæterùm non est hoc Scripturam interpretari, sed Scriptura abuti. Non est hoc Dei, sed suum honorem quærere. Non est hoc ædificare, sed destruere. Qui prophetat (inquit Paulus) hominibus loquitur ad ædificationẽ, & exhortationem, & consolationem. Quocircã tribus verbis accipe summam istius Euangelij. Primò, quia Christus hæc admonitionẽ appendit proluxæ prædicationi, quam aliquãdo in monte quodam fecerat, indicium præbet, eum velle, vt doctrinã ipsius certã & infallibilẽ habeamus, vt super eam nos penitus ædificemus fundemúsque, vt quæ certò est à Deo, & diuinis operibus confirmata. Secúndò, vt nihil ab ea distrahi nos sinamus, sed omnem nauemus operam, vt in finem vsq; eam synceram seruemus: neque permittamus, vt vel tyrãni nos deterreant, vel hæretici eam vitient, aut nos ab ea abducant. Tertio, vt ornemus eã bonis fructibus. Hoc vult Christus in isto Euangelio. Primum apud nos qui Christiani sumus, non eget multa demonstratione. In doctrina Christi educati sumus: scim⁹ eã nõ ex hominibus, sed ex Deo esse, vti Nicodemus dicit, alioqui tam diu durare non potuisset. Si est ex hominibus (inquit Gamaliel) dissoluetur, si verò ex Deo est, non poteritis dissoluere. Scimus Christũ dixisse:
- Ioan. 3.** Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me. Et iterum:
- Acl. 5.**
- Ioan. 7.**

Sermonem quem audistis, non est meus: sed eius qui misit *Ioan. 14.*  
 me. Scimus item mysterium istud doctrinæ & Euāgelij Chri- *2. Timo. 3.*  
 sti prædicatum esse Gentibus, apparuisse Angelis, creditum  
 in mundo, & assumptum in gloria. Hæc omnia scimus. Nul-  
 lum itaque apud nos dubium est, quin doctrina Christi vera  
 sit. Vt autem in ea doctrina permaneamus, hic opus est cura  
 & labore, quādoquidem tam multæ tentationes sunt tamq;  
 vehementes: quinimò ad hanc rem opus habemus fortitudi-  
 ne & prudentia: fortitudine cōtra Tyrannos, prudentia con-  
 tra hæreticos. His enim duabus vijs doctrina Christi impu-  
 gnata est, iam indè ab initio, & adhuc. Primò à Tyrannis vi:  
 deindè ab hæreticis astutia & fraudulentia. Vtrunque nobis  
 prædixit Christus, utrobique monuit nos, utrobique nobis  
 auxilium & fortitudinem promisit. De tyrannis, & eorū per-  
 secutione legis Matthæi decimo, Lucæ duodecimo, & Ioan-  
 nis decimo sexto. De hæreticis eorūmq; fraudulentia loqui-  
 tur hic Christus. Vult ut prudentes simus, & oculos aperia- *Matth. 7.*  
 mus: ostendit nobis vno verbo, quales sint homines, præterea  
 dat nobis signa quædam, quibus dignoscatur. Veniūt ad vos  
 (inquit) in vestimentis ouium, intrinsecus autē sunt lupi rapa-  
 ces. Hæ veræ illorum conditiones sunt. Veri Prophetæ ex se-  
 ipsis non veniant, sed mittuntur, & habent suæ vocationis cer-  
 ta indicia: habēt doctrinæ suæ certum traducem, hoc est, in- *Veri Prophe-*  
 dicare possunt, quo modo doctrina eorū ab initio ad eos vsq; *ta.*  
 deuenerit, idque multò certius, quā cultor mundi genus  
 suum & originem probare possit. Secundò, non solū no-  
 men & speciem Prophetarum habent, sed etiam opus & rem  
 ipsam. Nominant Deum, & hunc in pectore gerunt. Ni-  
 tuntur Scriptura, & huius genuinum habent sensum vel sen-  
 tentiam. Dei honorem & hominum salutem non præten-  
 dunt modò, sed etiam ex animo quærunt. Postremò, omnis  
 eorum doctrina ad ædificationem spectat. Clamant cum  
 Moysè, Audi Israël, Dominus Deus noster, Deus vnus est. *Deuter. 6.*  
 Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. Clamant cum Dauid: Seruite Domino in timore, & exultate ei *Psal. 2.*  
 cum tremore. Clamant cum Propheta: Conuertimini, & nō *Ezech. 18.*  
 erit vobis in ruinam iniquitas. Docent cū Christo *Matth. 4.*  
 Pœnitētiā agite, appropinquauit enim regnum cælorum.  
 Dicunt cum Petro: Sagite vt per bona opera certā vestram  
 vocationem & electionem faciatis. Exhortantur cum Pau- *1. Pet. 1.*

lo Rom. 6. Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiae & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiae, in sanctificationem. Clamat cum S. Ioanne:

**I. Ioan. 2.** Nolite diligere mundum neque ea quae in mundo sunt. Nam mundus transit, & concupiscentia eius. Atque hoc pacto omnis illorum doctrina ad aedificationem destinata est: quae quidem

**Falsi Prophetarum.** sequitur in iis, qui doctrinam eorum accipiunt. Hi veri Prophetae sunt. Contra dicit Christus de falsis prophetis: Veniunt ad vos, & nemo scit unde: non habet doctrinae suae certum traducere, non possunt indicare, eiusmodi doctrinam antiquitus ad ipsos devenisse. Cum illis oritur, cum illis iterum evanescit. Omnis Haeresiarcha caput & cauda est sui erroris. Secundo, non habet suarum rerum certam aliquam & ordinariam vocacionem. Currebant (inquietabat Deus olim de talibus hominibus)

**Hier. 23.** & non mittebant: prophetabant & non loquebar ad eos. Tertio, nomen tantum & speciem prophetarum habet, re vero ipsam & opus minime, Deum in ore habet, & non in corde, Scripturam iactant, & agunt contra Scripturam, nominant se Dei ministros, sed suae tantum avaritiae serviunt, veteri & inani gloriae. Praetendunt Dei honorem, animarum salutem & veritatis studium, caeterum seipsum duntaxat quaerunt. Et postremo omnis illorum doctrina eorum tendit, ut non meliores, sed deteriores, non devotiores, sed leviores, non diligentiores, sed negligentiores inde fiamus: non abstrahunt nos a mundo, sed in mundum inducunt: non ad Deum, sed a Deo nos trahunt: loquuntur placentia & quae auditu iucunda sunt: pulvillum consuunt sub omni cubito peccatorum, ut molliter sine omni morsu conscientiae in peccatis suis quiescant: condemnant, & occidunt animas, quae non moriuntur, & vivificant animas quae non vivunt, idque pro pugillo hordei, & fragmine panis: & si quis in ore eorum non dederit quippiam, sanctificant super eum praedium, & caetera. Huc pertinet quod Christus dicit:

**Mat. 3.** Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Vult ut species & dulcia verba nos nihilo plus abducant, quam potentia & persecutio Tyrannorum. Haec altera pars est, quae in hoc Evangelio considerari debet. Sed nondum satis est. Christus vult non solum ut doctrina eius pro certa & vera habeatur, eique innitamur, sed ut eam etiam opere & factis exhibeamus declaremusque. Inde loquitur in fine tam prolixè de bona & mala arbore. Atque hoc pacto summa

istius

istius Euangelij tribus in rebus consistit. Primum postulat fidem, alterum prudentiam, tertium verò diligentiam & studium. Hæc tria obserua & fac, tum Euangelium istud non sine fructu audieris. Tantùm hac vice de Euangelio. Porro pro reliqua parte huius sermonis audiemus, quomodò etiam Epistola vnà cum Ecclesiæ oratione & cantu cum iam dicto Euangelio concinat. Et quidem quantũ ad Epistolam attinet, non opus est multis verbis, quæ facilè cũ iam dicto Euangelio concordari potest. Etenim primò quemadmodum nos Christus monet, vt à falsis Prophetis attendamus, qui sub specie diuini nominis & verbi, nihil aliud quàm pestiferum venenum effundunt in corda hominum, nihil ædificantes, sed perdentes quod bonum & verum est: ita sese declarat Paulus in hodierna Epistola tanquã verus propheta & doctor, dum non aliter loquitur, quàm vt per se & reuera est, omnem adhibens diligentiam, vt ex ipsius concione nemo deterior, sed omnes meliores fiant. Secundò quemadmodum Christus in Euangelio dicit de bona & mala arbore, & quales quæque fructus afferat: ita indicat Paulus in Epistola, quid sit bona & mala arbor. Duo nominat, Carnem & spiritum. Nostra caro & natura est mala illa arbor: secundum carnem ambulare, sunt mali fructus: ij enim certam mortem adferunt. Spiritus autem bona arbor est: secundum illum Spiritum viuere & illius instinctũ sequi, sunt boni fructus, in quibus certò vitam habemus. Tertiò, quemadmodum Christus in Euangelio vult, vt simus bonæ arbores, & bonos afferamus fructus, hoc est voluntatem Dei faciamus, si modò in regnum Dei venire velimus: sic dicit Paulus in Epistola, nos debitores esse non carni, sed Spiritui, vt non secundum carnem, sed secundum Spiritum viuamus. Hoc pacto, opinor, vnumquemque videre posse, hodiernũ Euangelium & Epistolã bene inter se conuenire. Hodierna Ecclesiæ precatio etiã non inconcinne cõcordat cum his duobus. *Largire nobis Domine quasumus* (dicit Ecclesia) *semper Spiritum cogitandi quæ recta sunt propitius & agendi, vt qui sine te esse non possumus, secundum te viuere valeamus.* Sic oratur hodiè in catholica Ecclesia. Et talis oratio cũ hodierno Euangelio & Epistolã non malè quadrat: imò necessariò ad illud pertinet. Nam si nolumus seduci à falsis prophetis, vt Christus monet, bonæ esse arbores debemus, & bonos fructus afferre, vt Christus exigit: si opera carnis suppri-

Caro.

Spiritus.

mere debemus & mortificare, gratia & opere diuinitus opus habemus. Quis autem talem gratiam, opem & Spiritum dare potest nisi Deus? Rectè igitur Ecclesia ad Deum confugit, sed non rogat tamen dari sibi quemlibet spiritum, sed Spiritum cogitandi & faciendi quæ recta sunt. Id enim Deus præstat. Et est etiam bonus ille Spiritus, quem Deus dat inuocantibus se: imò verus filiorum Spiritus est, de quo Paulus in hodierna Epistola loquitur. Atq; hoc verum ipsius opus est, cogitare & facere quod rectum est. Humanus Spiritus per se horum nihil potest. In seipso & ad seipsum reflexus est: seipsum querit, & non Deum: quod delectabile est id sequitur, & non quod salutare: nihil boni cogitat, tantum abest, ut boni aliquid agat. Tali spiritu qui præditus est, facile decipitur, est & man et infrugifera arbor, nunquam eò peruenit, ut à spiritu Dei impellatur, & impulsus illius sequatur ad salutem & vitam æternam. En propterea docemur hodie in sancta Christianitate alium spiritum petere: & nimirum eum spiritum, qui nos ducat & impellat ad bonum cogitandum & faciendum. Hæc namque duo coniuncta esse debent. Bona cogitare tantum, nihil prodest, nisi bona facias. Et parum est, extrinsecus bona facere, nisi bonæ cogitationes præcedant, hoc est, nisi ex animo proficiatur, & veniat. Nos hæc duo docemur petere à Deo, & etiam in hoc verum seruare ordinem. Si volumus videri bona facere, intus & in corde incipiendum est. Etenim

*Gen. 4.* Deus opus non curat, nisi adsit cor, ut in Cain videre est, qui quidem sacrificabat, sed sacrificium eius acceptum non erat, quia inimicus Dei erat. Præbe fili mi (inquit Sapientia Dei) cor tuum mihi. Vbi cor Deo deditum est, ibi quoq; placet opus extrinsecus. Quapropter docemur primò orare pro spiritu bona cogitandi: sed non contentus hoc est Deus: quia palam est, quòd totum hominem habere velit in suo seruitio, quem ad modum totum hominem creauit, & liberauit, & saluum facturum est. Et ad quid, aut in quem finem docemur Spiritum hunc, aut duplicem operationem vnici huius Spiritus petere? Scilicet, ut secundum voluntatem Dei viuamus, qui sine Deo esse non possumus: hinc finis est quæ querere debemus, secundum voluntatem Dei viuere, quia sine illo esse non possumus. Largitur ille nobis vitam: vitam eam illi rursus impendere debemus. Non desinit vitam quam semel dedit in nobis conseruare: nec nos debemus desinere, per totam nostram vi-

*Cogitare bonum, & facere debemus.*

*Gen. 4.*  
*Prom. 23.*

fram vitam illi seruire. Hic scopus est, ad quem dirigere omnia debemus: Prædicare & prædicationes audire, bona cogitare, & bona facere, vt secundum Deum & eius voluntatē viuamus. Hunc scopum qui nō semper ob oculos habet in sua prædicatione facile errare potest, & falsus fieri Propheta: tum qui nō tali animo & mente prædicationē audit, nec denique in prædicatione quærit, vt secundū Dei voluntatē viuat, is facile deceptus est. Atq; hoc modo videre quiuis posset, q̄ etiā hæc Ecclesię oratio pulchrè cū hodierno Euāgelio cōueniat.

Cæterum quod etiam circa iam dictum Euangelium canitur: *Suscipimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui: secundum nomen tuum Deus, sic & laus tua in fines terra: iustitia plena est dextera tua.* Tales cātus, & laudes Dei (inquam) prima fronte mihi videntur habere simile cū verbis hodierni istius Eangelij, vel etiam hodiernæ Epistolæ. Verum qui rem diligentius perpendit, inuenit melius ordinari non potuisse. Quoniam enim nos monet Christus, vt caueamus à falsa doctrina, certè tantò magis Deo gratias agere debemus, quod veram doctrinam dedit & dat. Nihil peius & perniciosius falsa doctrina: imò nulla alia in re, siue pecunia sit, bona merces, amicitia, verba & opera, malus dolus, seu infidelitas perniciosior est, quàm in doctrina. Vbi que quidem nocumento est, sed hîc potissimum, Si quis tibi adulterinam præbet monetam, vitiosas merces, falsa dat verba, &c. incommodat tibi, sed tēporaliter solū, puta, in bonis tuis, aut in corpore tuo. Sin verò qs te decipit falsa doctrina, nocet tibi in anima tua non tēporaliter, sed æternaliter. Quanquàm nos Christiani nulla in re dolum minus curamus, quàm in doctrina. Omnibus alijs in rebus experimentum capimus, vel probamus antè, ne decipiamur: & si quid ex nobis ipsis nō intelligimus, id ex alijs quærimus. Tantummodò in doctrina nullum iudicium habemus, imò nullam curam: quicquid benè sonat, & in animos nostros libèter intrat, hoc cupidè accipimus, perinde ac si talibus in rebus nullus dolus esse aut fieri possit: cum tamen diabolus iam indè ab initio nulla in re maiorem & perniciosiorem dolum instituerit, quàm in doctrina. Imò tali dolo primos homines paradiso priuauit, & Israëlitas terra ipsorum, quam eis Deus dederat.

Tantò iustiùs nos Christiani veram & synceram catholicamq; doctrinā pro singulari Dei munere ducimus, gaude-

*Psal. 47.*

*Doctrina falsa quàm perniciofa.*

*Gen. 3.*

mus & confitemur, quòd eiusmodi doctrinam ex singulari gratia Dei in templo eius, hoc est, in sancta Christiana Ecclesia accepimus, & adhuc quotidie accipimus: laudantes itaque Deum, quòd tam magnus est & gloriosus, se ostendit in ciuitate Dei, & monte sancto eius. En hoc modo conueniunt etiam Ecclesie cantus cum hodierno Euangelio: imò primum omnium ad id requiritur, Deo gratias agere, quòd talem eius gratiam & misericordiam in templo eius, hoc est in sancta vniuersali Christiana Ecclesia inuenire datur, vbi alij miserè errât, vt seipso in æternū exitiū conijciunt. Reliquum erit, vt sic faciamus. Deus det nobis suam gratiam, Amen.

DOMINICA DECI-  
MA POST PENTECO-  
STEN, EVANGELIUM  
LVC. XVI.  
CAP.

**I**N illo tempore dixit Iesus discipulis suis: Homo quidam erat diues, qui habebat dispensatorem: & hic delatus est apud illum, vt qui dissiparet bona ipsius. Et vocauit illum, & ait illi: Quid hoc audio de te? Redde rationem dispensationis tuæ, non enim poteris posthac dispensare. Ait autem dispensator intra se: Quid faciam, quia Dominus meus aufert à me dispensationem? fodere non valeo, mendicare erubesco: scio quid faciam, vt cum amotus fuero à dispensatione, recipiant me in domos suas. Conuocatis itaque singulis debitoribus domini sui, dicebat primo: Quantum debes domino meo? At ille dixit: Cen-

Centum baros olei. Dixitq; illi: Accipe cautionem tuam, & sede citò, & scribe quinquaginta. Deindè dixit alteri, Tu verò quantum debes? Qui ait: Centum coros tritici. Ait illi: Accipe cautionem tuam, & scribe octoginta. Et laudauit dominus dispensatorem iniquum, quòd prudenter fecisset. Quia filij huius sæculi prudentiores sunt filijs lucis in natione sua. Et ego dico vobis: Facite vobis amicos ex mammona iniusto, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.

EADEM DOMINICA EPI-  
STOLA SANCTI PAU-  
LI I. CORINTH.

X. C A P.

**F**RATRES: Non simus concupiscentes rerum malarum, quemadmodum & illi concupierunt. Neque simulachrorum sitis cultores, sicut quidam illorum, quemadmodum scriptum est. Sedit populus ut ederet ac biberet, & surrexerunt ad ludendum. Neque stupris inquinemur, sicut quidam illorum stupris polluti sunt, & conciderunt uno die uiginti tria millia. Neque tentemus Christum, sicut & quidam illorum tentauerunt, & à serpentibus extincti sunt. Neque murmuretis, sicut & quidam illorum murmurauerunt, & interempti sunt ab extinctore: Hæc autem omnia figura contigerunt illis. Scripta uerò sunt propter admonitionem nostri, in quos termini ætatum inciderunt. Proindè qui sibi uidetur stare, uideat ne cadat. Tentatio uos non cepit nisi humana. Sed fidelis est Deus,

Judith. 8.

Num. 12.

Num. 25.

Exod. 23.

qui non sinet uos tentari supra id quod potestis : imò faciet una cum tentatione prouentum, quo possitis sufferre.

P R I M V S S E R M O  
de Euangeliò in genere.



**I**SI Christus Dominus noster, Parabolam & similitudinem hodierni istius Euangelij fuisse ipse interpretatus, fieri posset, vt quidam ex eo desumerent quippiam, quod bonum non esset: præsertim vt mundus nûc constitutus est, vt ferme in omnibus prædicationibus & scriptis nihil aliud obseruetur retineaturque quàm quod ineptissimum est, & minime omnium ædificat. Sic fieri etiam apud hodiernum istud Euangelium posset. Quia enim nobis Christus infidelem œconomum pro exëplo proponit, existimare aliqui possent, recta omnia esse, quæ fecisset. Verùm nihil hîc boni sequeretur. Multa enim mala Euangelium de illo dicit, quæ nullum Christianum decet. Vt potè primò de illo dictum & scriptum est, quòd domini sui bona nò solum malè custodierit, sed etiã inutiliter dilapidauerit dissipaueritque. Secundò, quòd aliena bona in suum commodum verterit. Tertiò, quòd alijs etiam occasionem dederit, debita ad plenum non præstandi. Hæc autem omnia si iusta rectaque dici deberent, & ex Euangelio defendi, quàm multos infidos œconomos vel dispensatores hæc res primùm datura esset, quàmque grandem turbam infidelium ministrorum & debita malè soluētium? quorum tamen mūdus aliàs plenus est, vt queri satis nemo possit. Quid tum fieret, si prætextum quendam ex Euangelio habere possent, & infidelitatem suam verbis Christi excusare? Sed non est hæc Euangelij huius sententia. Sacra scriptura nullæ infidelitati adblanditur: nullum excusat peccatum: imò si ea esset sententia, vt id omne rectum esset, quod œconomus hic fecit, multas alias scripturas falsas esse oporteret, quæ planè contrarium docet. Etenim primò generalis regula est, quam **Matth. 7.** Christus in se credentibus dedit: Omnia quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis: & quæ vobis fieri non vultis, ea alijs ne feceritis. Tum docet Diuus Paulus, **Rom. 13.** omnem animam potestati subditam esse debere, non solum propter via-

propter vindictam, sed etiam propter conscientiam. Ille idem *Ephes. 5.*  
 Paulus docet & vult, vt serui Dominis suis carnalibus pareat  
 cum timore & tremore, in simplicitate cordis sicut Christo:  
 non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed vt  
 serui Christi facientes voluntatem Dei ex animo: cum bona  
 voluntate seruientes, sicut Domino & non hominibus: scien-  
 tes quoniam vnusquisque quodcumque fecerit bonum, hoc  
 recipiet à Domino, siue seruus, siue liber. Eodem modo do- *Rom. 12.*  
 cet idem Diuus Paulus, vt omnibus demus quæ debemus:  
 imò vt nihil cuiquam debeamus, præter mutuam charitatem.  
 Et præter hæc omnia, docet lex & mandatū Dei, ne cuiquam *Exod. 20.*  
 sua furemur aut diripiamus: imò nec bona aliena concupisca-  
 mus. Has & id genus sententias falsas esse omnes oporteret,  
 & inanes, si probanda omnia essent, quæ dispensator hic fe-  
 cit. Quapropter ne quis in hoc Euangelio hallucinetur, &  
 malum apprehendat, bonum autem omittat, Christus ipse  
 similitudinem hanc interpretatur. Ego vobis dico (inquit)  
 facite vobis amicos de mammona iniquitatis: vt cum defece-  
 ritis, recipiant os in æterna tabernacula. Hic audis, quo con-  
 lio Christus nobis hunc dispensatorem proposuerit. Nequa-  
 quam mens illius est, vt alijs infideles simus, surripiamus, aut  
 eos circumueniamus: sed vt circa hanc parabolam conside-  
 remus, qui & vbi simus, quid nobis concreditum sit, & quid  
 securum sit, & idcirco tanto meticulosiores, diligentiores  
 & prouidentiores simus. Hoc vult Christus in isto Euangelio.  
 Primò namque, quanticumque nos ipsos facimus, nihil tamen *Dispensatores*  
 sumus aliud quam dispensatores in domo Dei. *sumus.*  
 Dispensator autem scit & scire debet, primò quòd non ipse Dominus, sed  
 seruus sit. Secundò, quòd non sit conductus aut susceptus ad  
 otium, sed ad laborè. Tertiò, quòd non sit suum, quod ei con-  
 creditum est. Quartò, quòd omnium ratione reddere debeat,  
 quæ expendit & recipit. Quintò, quòd de suo supplere cogat-  
 ur, si quid deest. Sextò, quòd multos habeat qui eum obser-  
 uant. Et septimò, quòd omni die dimitti possit, & domo ex-  
 pelli. Ista autem omnia nostrarum rerum sunt: hac còditiõne  
 in domo Dei sumus. Magna bona sub manibus habemus,  
 temporalia, corporalia & spiritualia: sed nostra non sunt:  
 Aliena sunt & mutuò accepta bona: qui dedit, recipere idè ille  
 potest. Vtique, reposcet ea, quemadmodum ex parabola & si- *Matth. 25.*  
 militudine colligere est de bonis & malis seruis, quos omnes

Dominus vocabat, & ex vnoquoque sciscitabatur, quem in  
 vsum bona sibi concredita collocasset: & vnicuique prout fide-  
 lis aut infidelis fuerat, mercedē dabat. Deus nobis dedit cor-  
 pus & animā, & quicquid ad ea pertinet, vt est, quod ad cor-  
 pus, valetudo, robur, vita, ingenium, ratio, scientia, habilitas.  
 Et extrinsecus temporalia bona, honores, pax, fœlicitas, & mi-  
 nisterium omnium creaturarum. Ad animam verò nobis de-  
 dit suum spiritum, gratiam, Euangelium, sua sacramenta, tem-  
 pus gratiæ, &c. Hic opus est diligenti cura, ne eiusmodi res  
 inutiliter profundamus, sed secundum voluntatem Dei ijs  
 vtamur. Et hîc codicillos in manus accipe & ob oculos pone:  
 sede, cogita de singulis, quæ tuæ fidei commissa sunt, & in  
 quem finem ea receperis, sat negotij habebis. Si te inuenis  
 infidelem, time. Accusatores enim tui non tacent, nec celare  
 Deum potes quicquàm, & præter hoc iudicij dies indictus  
 est. Accusator autem tuus primò est propria tua conscientia.  
 Secundo, sunt creaturæ, quibus abuteris. Tertiò, sunt ti-  
 neæ, quæ vestes tuas arrodunt, & absumunt. Potissimum  
 autem sunt pauperes, quos aut vi & iniustis rationibus op-  
 primis, aut quos fœnore exhauris, aut fraude & dolis cir-  
 cumuenis, aut verò tua immisericordia fame periclitari si-  
 nis. Hi clamant contra te, & clamor eorum in aures Do-  
 mini sabaoth introit. Aduenam non contristabis (inquit  
 Exod. 22. Deus per Moſen.) Viduæ & pupillo non nocebitis. Si læse-  
 ritis eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eo-  
 rum: quia misericors sum. Hîc vide quid agas. Tam commo-  
 dè non sedes, quin cedendum quandoquè sit: non te diuitiæ,  
 non honores, non potentia tuebitur. Non enim proderunt  
 diuitiæ in die ultionis: neque Deus timet humanum factum,  
 vel etiam mundanam potentiam. Audite (inquit Sapiens)  
 Reges. Horrendè & citò apparebit vobis: quoniam iudicium  
 durissimum in his qui præsumunt, fiet. Non enim subtrahet  
 personā cuiusquàm Deus nec verebitur magnitudinē cuius-  
 quàm: quoniam pusillum & magnum ipse fecit, & æquali-  
 ter cura est illi de omnibus. Fortioribus autem fortior instat  
 cruciatio. Vbi ergò dispensatio temporalis tuæ vitæ finem ha-  
 bet, & tibi non parasti amicos, quibus curæ sis væ tibi in æter-  
 num. Post hanc enim vitam operari nemo potest. Nec tum  
 mendicare proderit quicquàm: id quod vides in diuite illo,  
 qui in inferno & pœna sua magnis precibus ab Abraham &

Lazaro guttulam aquæ medicabat petebátque, quam tamen impetrare non poterat. Si quis igitur tum vel vnicum Lazarum amicum haberet, is potior illi esset, quàm totius mundi fauor & amicitia. Itaque si tales amicos habere vis in illo sæculo, facias tibi eos oportet in hac vita. Id faciebat hic dispensator: prudens erat, cogitare nouerat nemini se fore curæ, si ab officio suo depositus esset, nisi priùs beneficijs aliorum hominum amicitias conciliaret. Idcirco festinabat, dum dispensandi munus adhuc gerebat, amicos sibi comparabat, antequàm illis opus habebat. Pauperum rationem habebat, à quibus rursus deindè iuuabatur, vbi alioqui fames patienda fuisset. Hæc solertia & prudentia huius dispensatoris, nobis ad exemplum proponitur, & non si quid aliud de illo dicitur. Melius facere aliud nihil possumus, quàm vt pauperes nobis amicos faciamus ijs ipsis rebus, quos nobis Deus dedit. *Pauperibus gratificandis.* Illorum enim est regnum cælorum. Et quod illis fit, hoc *Matth. 5.* Christo fit: quod illis datur, hoc Deo in manus datur. Atque *Matth. 25.* ibi in loco tutissimo est. Nam nihil nos comitabitur, præter opera bona, maximè opera misericordiæ. Eò nos remittit istud Euangelium. Hoc consideret quiuis Christianus, nec nimium credat temporali fœlicitati. Quicquid enim videtur, ad tempus modò durat, instabile est. Quocirca confidera ac memor esto nouissimorum tuorum, & ea quæ sequentur, non facile in peccata incidet. Quapropter necessarium est, vt ante omnia, & benè obseruemus, qua in re dispensator hic ad exemplum nobis propositus sit. Nam alioqui mala multa quis per id excusare posset maximè ijs, qui similia munera gerunt. Christus autem docet nihil mali, sed bona omnia. Quam ob rem (vt dixi) nihil aliud vult in hac parabola & similitudine, quàm vt quisque videat, & cogitet, quomodò in domo Dei viuat, & quomodò Dei bona tractet: & sicubi inuenit se hactenùs indiligentem & infidelem fuisse, vt quàm primùm meditetur breuitatem vitæ suæ, & futurum iudicium, vbi pariter omnes & de omnibus rebus rationem reddere cogentur. *Matth. 13.* Consideret etiam æternam egestatem & ignominiam eorum omnium, qui in hac vita æterna non quæsierunt: quæ res illi haud dubiè terrorem incutiet, & deinceps etiam impellet & sollicitum faciet, quomodò futurum incommodum euitare possit. Hoc vult Christus in isto Euangelio: facitque prin-

cipiò id vsque adeò seriò, vt omnes meritò expauescamus: quandoquidem pleriquè non meliores, imò sæpenuerò deteriores sumus, quàm hic seruus. Atqui in primis seuerum est, quòd Christus dicit, clamorem & querelam super eiusmodi homines in cœlum vsque pertingere, Deumque exauditurum, rationem exacturum, infideles seruos depositurum, & sua domo pulsurum. Hæc (inquàm) horribilia sanè sunt homini sibi malè conscio, quemadmodum nos omnes pro talibus debitoribus humiliter agnoscere possumus. Veruntamen nobis Christus contrà solatium dedit: imò non vnum, sed geminum solatium. Nimirum primò vt in breui (si tamen voluerimus, & non pigri, negligentes & soluti curis sumus) nobis ipsis magnam, imò æternam vtilitatem parare & consequi possumus, quemadmodum dispensator hic vix horam habebat, vt res suas conficeret: hoc tamen in tempore tam breui impigra sua prudentia efficiebat, vt perinde per omnem suam vitam haberet, quod manducaret.

**Luc. 23.** Simili quoque modo, sed multò clariùs videmus in latrone, qui iuxta Christum in cruce pendebat: parum admodum temporis habebat ad considerandam animæ suæ salutem: serò Christum agnouerat, & veluti iam in extremis agebat, sed tanto magis properabat: mox vertebat sese ad Christum: quem primum in pœna agnoscere didicerat, tanquàm verum seruatorem, pia cum fiducia sese in illum conijciebat: confitebatur primùm propria sua peccata, iniustitiam, & benè meritam pœnam: è diuerso autem innocentiam quoque Christi. Dicebat deindè plena & viua fide & fiducia: Domine memento mei cum veneris in regnum tuum. Atque hac sua pœnitentia & viua fide efficiebat, vt Christus diceret: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Alterum solatium, quod nobis Christus in hoc Euangelio dat, est, quòd non solùm in breui tempore magnam vtilitatem nobis ipsis comparare possumus, sed etiam pro

**Luc. 16.** rebus paruis temporalibus æterna bona adipisci. Facite vobis amicos (inquit) de mammona iniquitatis: vt cum defeceritis, recipiãt vos in æterna tabernacula. Quid autem vilius pecunia? Inter omnia ea quæ habemus, nihil minus nostrum est, quàm pecunia. Cōtrà, quid melius & beatius est, quàm coram iudicio Dei amicos habere, & tales amicos, qui nos in æterna tabernacula possunt recipere? Atqui verò tam magna bona vili pe-

vili pecunia consequi possumus. Magna itaque demerita in *Amētia filio-*  
nobis Adæ filijs, quòd vili pecunia non solum nullum ami- *rum Adæ.*  
cum, sed supra hoc etiã, & quidem sæpenumerò Deum om-  
nēsq; homines inimicos faciam⁹. Si frugij denarius est (vt di-  
ci solet) qui aureū lucratur, maledicta certè pecunia sit oportet, quæ ab æternis bonis nos impedit. Atque hoc pacto habemus ex Euangelio, quod nos terreat, contrà etiam habemus quod nos contoleretur. Si sequeris dispensatoris infidelitatem, subeas periculum cum illo æternæ indignationis Dei: sin verò illius imitaris prudentiam, potes, vt dixi, paruo tempore, & paruis sumptibus æternum emolumentum facere. Hoc vult hodiernum istud Euangelium. In hodierna Epistola indicat Paulus, qui sint infideles serui, quibus iudiciū Dei metuendum est, citans aliquot exempla ex veteri Testamento, quomodò Deus quandoque impias puniuerit. Non semper res agitur bonis & pecunia. Possumus & alijs in rebus infidelis esse, & indignationem mereri. Super hoc monet nos Paulus, ne malo deliniri, idola colamus, aut etiam fornicemur: ne  
*1. Corint. 19.*  
murmuremus Deūque tentemus, quemadmodum Israēlita olim fecerunt, & ob id verò multis modis puniti sunt: dicit omnia illa exempla ad nostri correptionem scripta esse, addēs interim nos esse in quos fines sæculorum deuenierint. Quod si verum est, vti dubium esse nemini potest, tantò minus feriandum nobis est, & in otio agendum, ne totum tempus nobis frustra præterlabatur. Quòd si etiã omnia illa quæ diuinam in hominum peccata animaduersionem commemorant, nobis ad correptionē & admonitionē scripta sunt: meritò nobis etiam dictum esse putare debemus quod Paulus initio Epistolæ docet, & dicit: Non simus concupiscentes malorum, sicut & illi concupierunt, &c. Si enim Deus illis non pepercit, qui sub lege id fecerunt, multò minus nobis parceret, si tempore gratiæ impiè viuamus. Hunc enim in modum argumentatur & concludit diuus Paulus alio in loco: Irritam *Heb. 10.*  
quis faciens legem Moyfi (inquit) sine vlla miseratione, duobus vel tribus testibus moritur: quantò magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem Testamenti pollutū duxerit, in quo sanctificatus est, & Spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Horrendū est incidere in manus Dei viuentis. Hoc cōsideremus fratres: sit nobis admonitioni infidelis dispensator. Terreant vnumquémque

iudicia Dei, quæ Paulus commemorat. Caueat vnusquisque ne in similem poenam & iudicia incidat. Deus nobis suam aspiret gratiam, Amen.

SECUNDVS SERMO ITEM  
de Euangelio in genere.



**S**IMILITUDO istius Euangelij ita à Christo dicta est & proposita, vt vnicuique qui sibi malè conscius est, metum incutiat, sed interim etiam & quamprimùm rursus solatium & doctrinam præbeat, per quæ periculum omne effugere possit, dummodò ipse velit. Vnicuique homini, inquam, sibi malè conscio, nemine excepto: pertinétque hæc parabola ad solos homines. Alioqui quidem omnia à Deo sunt, quæ omnes creaturæ habent, pecora, homines & angeli. Homo autem solus villicus est, à quo Deus rationem exigit & postulat. A brutis animantibus rationem nullam postulat, quia verò intellectu carent, licet omnia etiam à Deo habeant. A sanctis Angelis rationem exigere necesse non est, quia in bono confirmati sunt, nec possunt à bono ad malum declinare. Contrà mali angeli & spiritus in malo obdurati sunt: quineriam in eo condemnati, vt à malo ad bonum sese vertere non possint: ideòque non opus est rationem ponere cum illis. Homo autem rationem habet & liberum arbitriū, quæ bruta animantia non habent. Porrò potest homo etiam profectum facere & bona operari, mediante diuina gratia, id quod mali spiritus non possunt. Et præter hæc, potest homo à bono declinare, quod confirmati Angeli non possunt. Idcirco solus homo est inter omnes creaturas, à quo Deus acceptorum bonorum rationem requirat. Hic ille dispensator est, de quo Euangelium istud dicit. Nec hic quisquam excipitur, neque summus Pontifex, neque Cardinalis, neque Episcopus, neque Præpositus, neque Cæsar, neque Princeps, neque Comes, neque Nobilis, neque Prætor, neque Rusticus, neque Ecclesiasticus, neque sæcularis, neque vir, neque vxor, neque iuuenis, neque senex, neque seruus, neque dominus, & quomodocunque nos homines in omnibus statibus numerari possumus & nominari: omnes serui & dispensatores sumus vnius Domini, qui vocatur & est Deus. Hunc honorem sibi soli vindicat, quòd sit solus Dominus & Deus.

Ego sum

*Homo qui libet, villicus vel dispensator.*

*Homo solus Deo rationem reddet.*

**Ego sum Dominus (inquit) & gloriam meam alteri non da-** *Esa. 48.*  
**bo mihi flectetur omne genu. Et iterum: Ego sum Dominus** *Esa. 55.*  
**Deus tuus, fortis & zelotes. Hic nobis multa suorum bonorum** *Exo. 20.*  
**concredidit in commune & speciatim. In commune dedit**  
**nobis corpus & animam, & quicquid pertinet ad sustentatio-**  
**nem corporis, vitæ, necnon animæ, corporaliter, temporali-**  
**ter & spiritualiter, vt Paulus meritò de nobis dicat: Homo** *1. Cor. 4.*  
**quid habes, quod non accepisti? Imò meritò dicimus & gra-**  
**tias agimus cum sancto Dauide: Domine Dominus noster,** *Psal. 8.*  
**quid est homo, quòd memor es eius, & filius hominis quo-**  
**nam visitas eum? Minuisti eum paulò minus ab Angelis: glo-**  
**ria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera**  
**manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues**  
**& boues vniuersas: insuper & pecora campi. Volucres cœli &**  
**pisces maris, qui perambulant semitas maris. Domine, Domi-**  
**nus noster, quàm admirabilia est nomen tuum in vniuersa** *Psal. 8.*  
**terra? Et iterum: Benedic anima mea Domino, & noli obliui-**  
**sci omnes retributiones eius. Qui propiciatur omnibus ini-**  
**quitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates tuas. Qui redi-**  
**mit de interitu vitam tuam: qui coronat te in misericordia &**  
**miserationibus. Qui replet in bonis desiderium tuum: reno-**  
**nabitur vt aquilæ iuuentus tua. Quomodò miseretur pater**  
**filiorum, misertus est Dominus timentibus se. Et rursum:** *Psal. 115.*  
**Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?** *2. Paralip. 29.*  
**Et iterum: Benedictus es Domine Deus Israël patris nostri**  
**ab æterno in æternum. Tua est Domine magnificentia, & po-**  
**tentia & gloria, atque victoria, & tibi laus: cuncta enim**  
**quæ in cœlo sunt, & in terra tua sunt: tuum Domine re-**  
**gnum, & tu es super omnes principes. Tuæ diuitiæ. & tua**  
**est gloria: tu dominaris omnium: in manu tua virtus, & po-**  
**tentia: in manu tua magnitudo & imperium omnium. Nunc**  
**igitur Deus noster confitemur tibi, & laudamus nomen**  
**tuum inclytum. Quis ego, & quis populus meus, vt possi-**  
**mus hæc tibi vniuersa promittere? tua sunt omnia: & quæ de**  
**manu tua accepimus, dedimus tibi. Peregrini enim sumus**  
**coram te, & aduenz, sicut omnes patres nostri, &c. Huius-** *Bona nobis*  
**modi verbis & gratiarum actione meritò vtimur, si cogita-** *diuinitus pra-*  
**mus, quàm multa & magna Deus nobis bona concredide-** *stica.*  
**rit, vt est vita, fortitudo, sanitas, intellectus, ratio, peritia, ho-**  
**nores, bona, pax, fortuna, ministerium omniû creaturarum:**

& quantum ad animas attinet, Dei cultus, gratia, & fauor, Euangelium, veneranda Sacramenta, & tempus salutis: Hæc & id genus dona omnibus communia sunt hominibus, maximè spiritualia dona, quæ pauperibus æquè ac diuitibus dantur. Præter hæc, alia insuper dona sunt & gratiæ, quæ hominibus aliquot speciatim commissæ sunt. Eæ sunt primum animæ quas Christus pretioso suo sanguine à morte æterna redemit: Sancta Ecclesia & Christianitas, quam aqua & Spiritu sancto sanctificauit. Hæc Ecclesiastico cœtui, Romano Pontifici, Episcopis, Pastoribus & Prædicatoribus commissa sunt. Secundò, viduæ sunt & pupilli, homines miseri & afflicti: Hi Imperatoribus, Regibus & Principibus commissi sunt. Sunt tertio omnis generis proles & familiæ, quæ unicuique patrifamiliâs commissæ sunt. Et si quæ id genus ree plures sunt, quas homo sub manibus habet, Dei dona omnia sunt: omnia mutuò data & commissa bona, quorum causa, quòd deorum multa sub manibus habeat, non est quòd ququam se iactet. Cui enim multa data & commissa sunt, ab eo multa exigentur.

Ephs. 5.

Luc. 9.

Si Ecclesiastico Prælato multæ animæ curandæ sunt, tantò maiorem rationem dabit. Itidem fit cum sæculari potestate erga pauperes subditos, viduas & pupillos. Itidem res habet cum quouis patrefamiliâs erga suos liberos & familiam. Sic omninò res habet: dispensatori homini, quicūque ille sit, siue magnus, siue parvus, dictum est, eum rationè dare oportere, non posse hoc muneris semper administrare. Hoc cuius Christiano considerandum est. Et si cui conscientia sua dicat, quòd illud, quod sibi à Deo datum & commissum est, mala fide tractauerit, is pòt ac debet meritò timere. Etenim primò iudicem habet, qui omnia videt & nouit. Putásne (inquit in Hieremia capite vigesimo tertio.) Deus è vicino ego sum, & nõ Deus de longè? Si occultabitur vir in absconditis, & ego non videbo eum: Nunquid non cœlum & terram ego impleo? Sic etiam dicit sanctus Daud: Psalmo 93, Qui plantauit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat? Qui corripit gentes, non arguet, qui docet hominè scientiam? Dominus scit cogitationes hominum quoniam vanæ

Psal. 7. sunt. Et iterum: Scrutans corda & renes Deus.

11. Secundò, habet dispensator infidelis iudicem qui iustus est. Mihi vindictam (inquit) & ego retribuam eis. Item Psal.

I.  
Timendū meritò Dei donis malè utenti.

**Pfal. 49.** Existimasti iniquè quòd ero tui similis: arguam te, & statuam contra faciem tuam. In eandem quoque loquitur sententiam **Isaias** capite vigesimo sexto. Ecce dominus egredietur de loco suo, vt visitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum, & reuelabit terra sanguinè suum, & nō operiet vltra interfectos suos. Hac quidem de causa à **Dauid** nominatur **Deus vltionum**. Ad hæc, infidelis dispensator habet **Psal. 93.**

quoque suos accusatores qui non tacent, nec cessant restari. Horum testium & accusatorum vnus est interitus tot animarum, quas **Christus** tanto pretio, imò proprio suo sanguine redemit: is clamat in cœlum contra omnes **Ecclesiasticos Pastores** & animarum curatores, per quorum socordiam negliguntur. Huc pertinet quod **Deus** ad tam indiligentes, & infideles pastores & speculatores dicit in **Ezechiele**, se sanguinem eorum, qui per illorum negligentiam pereunt, è manibus ipsorum posciturum. **Accusatores malorum dispensatorum.** **I.** **Ezech. 33.**

**Secundus accusator**, sanguis est pauperum & oppressorum: imò suspiria & gemitus viduarum pupillarumque, qui protectorem nullum habent. Hic clamat contra omnem sæcularem potestatem, qui aut **Tyranni** sunt, opprimunt & grauant pauperes, deglubunt: imò carnes eorum deuorant, laniant, & conterunt ossa eorum, vti **Michæas** tertio cap, dicit: aut verò calamitatem pauperum ad animum non reuocant, non indicant pupillo, & non defendunt viduam, sed amant dona, & sequuntur retributiones. Huc pertinet quod dicit **Sapiens**, **Sapientia 6. cap.** Audite reges, & intelligite: discite iudices finium terræ. Præbete aures vos qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data est à **Domino** potestas vobis, & virtus ab **Altissimo**, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur: quoniã cum essetis ministri regni illius, non rectè iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ, neque secundum voluntatem eius ambulastis. Horrendè & citò apparebit vobis: quoniam iudicium durissimum in his qui præsumunt, fiet. **II.** **Esa. 1.**

**Tertius accusator**, est paupertas & necessitas, fames & sitis inopum. Hic clamat in cœlum contra omnes diuites & auaros, contra omnes sceneratores & immisericordes homines: imò cōtra oēs eos qui pauperibus subuenire possent, nec faciūt: imò dissipāt inutiliter & superflud, aut perire sinunt, quo pauperibus possent succurrere. Huc pertinet quod **S. Ia.** **III.**

- Jacob. 5.** cobus dicit: Agite nūc diuites, plorate, & ululantes in miserijs vestris quæ aduenient vobis. Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt & vestimenta vestra à tineis comesta sunt. Aurum & argentum vestrum æruginauit: & ærugo eorum in testimonium vobis erit, & māducabit carnes vestras sicut ignis. Ecce merces operariorum qui messuerūt regiones vestras, quæ fraudata est à vobis, clamat: & clamor eorū in aures Domini sabaoth introiuit, &c. Tot tamq; efficaces accusatores infidelis œconomus habet, exauditque Deus clamorem eorum. Ecce (inquebat Deus ad Cain) vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Sic dicebat ad Abraham de Sodomitis, **Gen. 4.** peruenisse ad se clamorem eorum, & ita, vt pœnam differre diutius nec posset nec vellet, si res ita haberet. Eaque propter monebat Moyses suos: **Gen. 18.** Israëlitæ, ne viduas & pupillos læderent aut eis nocerēt. Nam si læseritis eos (inquit Deus) vociferabūtur ad me, & ego audiam clamorem eorum: & indignabitur furor meus, &c. Similiter quoque dicit Sapiens: **Ecclesiastici 35. cap.** Dominus iudex est, & nō est apud illum gloria personæ. Non accipiet Dominus personam in pauperem. Non despiciet preces pupilli: nec viduam si effundat loquelam gemitus. Nōne lachrymæ viduæ ad maxillam descendunt, & exclamatio eius super deducentem eas? Hæc **Luc. 18.** omnia confirmat Christus exemplo impij iudicis, qui dicebat, et si Deum non metueret, nec homines reuereretur, se tamē viduæ ad futurum, quæ ei tantum negotij facefferat, vt gemitu & clamore eius liberareretur. Audite (ait Christus) quid iudex iniquitatis dicit. Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantiū ad se die ac nocte, & patientiam habebit in illis? Dico vobis, quia citō faciet vindictam illorum. Sed quid terribilius, quàm si quis qui sibi male conscius est, coram iusto iudice, tā potentes cōtra se testes habet? Atq; hoc pacto, opinor, videre quiuis posset (quemadmodum nitiō dicit) quòd Euangelium istud omnibus hominibus in omnibus statibus metum incutiat, posteaquàm nemo est, qui semper & in omnibus rebus confideret, quid à Deo acceperit, & qui eo semper rectè sit vsus. Veruntamē doctrina simul & solatium interim nobis datum est, per quod periculum cuitare possumus. Ea est prudentia villici vel œconomi, quæ nobis doctrinam & solatium præbet. Ea autem prudentia quatuor in rebus consistit. Primò, quòd

quòd verba & iram Domini sui nò pro ioco, sed pro omninò I. ferijs ducebat. Secundò, q̄ protinus seipsum explorabat, & Prudentia vil. reperiēbat sibi in reliquum aut labore, aut stipe emendicata *lici Eūāgelici.* viuendum esse: quorum alterum, nimirū labor nimis graue II. futurum esset: alterū verò, nimirum mendicitas, turpis esset III. futura. Tertiò, q̄ secum diuersa cogitabat, quid amotus à di- IIII. spensandi munere, agere vellet. Et quartò, q̄ amicitiam pauperum, & beneuolentiam erga eos optimum & certissimum medium arbitrabatur ad euitandam famem. Hæc ea prudentia œconomi est, quam laudat Christus: hanc nos Christiani pro exemplo accipere debemus, atque hoc vnicum medium est, per quod euadimus. Quapropter si à Deo & regno eius *Scrutari volē-* nolis æternum excludi & submoueri, cōsidera primò, dispen- *ti quæ conside-* sationem tuam, quam in hoc sæculo obis, mox finem habi- *randa.* turam. Noli tu tibi ipse promittere diuturnionē vitam: me- *Eccle. 7.* morare nouissima tua, & in æternum nō peccabis. Siquidem *Eccle. 10.* omnis etiam potentatus, breuis vita est: Hodie aliquis rex est, cras mortuus est. Cogita secūdò, te in hoc mundo nunc multa habere, & posse, quæ in futuro sæculo non habebis aut poteris. Nunc enim operari potes, deinceps non poteris. Nam vt Christus dicit Ioan. 9. Nox veniet, cum operari nemo poterit. Vnde & Sapiens vnicuique credenti acclamat, Eccle. 9. Quodcūque facere potest manus tua, instāter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas. Neq; hīc in terris dedecus est, à Deo aliquid petere & mendicare. Illic verò & post hanc vitam de- *Matth. 23.* decorosum erit, & præterea res inanis: vt videre possumus in *Luc. 16.* quinque faris Virginibus, quæ deridebantur, cum oleum *Luc. 16.* tum primū mendicare volebant, cū iam sponsus adesset. Et in diuite, qui in inferno frustra guttulam aquæ petebat, qui Lazaro in vita, etiam micæ de mensa sua inuiderat. Ideoque dicit Sapiēs Prou. 20. Propter frigus piger arare noluit: mendicabit ergo æstate, & non dabitur illi. Terriò, semper hoc hoc verbum habe in corde tuo & ore, quòd hic dispensator dicit: Quid faciam, quia Dominus meus aufert à me villicationem? vbi manebo post hanc vitam? &c. Quartò scito, & pro indubitato habe, non esse certius medium ad euitandam futuram famē: quā beneficētiā & cōmiserationē erga paupe- *Matth. 25.* res. Quicquid enim illis fit, Christo fit, & qui misericors est, *Matth. 5.* misericordiam consequetur: qui dat, ei vicissim dabitur. *Luc. 6.*

**En**, hoc nos docere Christus voluit in hoc Euangelio. Sic nos perterrefacere solet significatione peccatorum nostrorum: nec tamen propterea nos conijcit in desperationem, sed semper interim admiscet solatium & doctrinā. Eodem etiam modo facit diuus Paulus in hodierna Epistola: multa nobis horrenda exempla diuini iudicij ob oculos ponit: dicit pro nostri admonitione omnia scripta esse: id quod exaggerat eo verbo, quo ait: qui se existimat stare, videat ne cadat: dans interim bonis hoc solatij, q̄ Deus fidelis sit, nō patiens suos vltra quàm ferre possint tentari, sed faciat etiam cum tentatione prouentum. Atq; hoc pacto videmus vtrobique summum nobis periculum imminere, si in malo perseueremus: contra verò nullam gratiam denegari, si ad Deū ex animo conuertamur, eique cōstanter adhæreamus. Is nobis omnibus suam gratiam præstare dignetur, Amen.

**TERTIVS SERMO DE EVANGELIO**  
*in genere, cum adiuncta Epistola.*



**N** hoc Euangelio Christus nō apertè, sed per parabola & verbis testis locutus est. Attamen non multa opus est quæstione & disputatione, quem per villicum vel œconomum intellexerit. Mox enim dicta parabola, vertit se ad discipulos suos & auditores his verbis: Et ego vobis dico, facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cū defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. His verbis clarè ostensum est, q̄ nos omnes intelligat, & nos omnes œconomos suos nominet. Perindè ac si dicat: Nō est quod circumspectiatis vbi dispensator hic sit, qui sic fecerit, & cui hoc acciderit. Vos estis, & ad vos dico, vt vobis etiam amicos faciatis è bonis vestris temporalibus, dum ea sub manibus habetis, &c. Quia ergo dispensatorem habemus, facilè inuenire est, quis diues paterfamiliàs sit. Imò quis esse alius potest, nisi Deus? Quis illo iustius paterfamiliàs nominatur? Quis Deo ditior? Hinc videre facilè quiuis potest, quàm quis prolixè hac de re loqui possit. Primò de magnis diuitijs diuinę gratię & glorię. Deinde etiam de officio, statu, vocatione, in qua vnumquemque collocauit, quin etiam de ingratitude, infidelitate & malitia hominum. Vt enim certò Christus non absque singulari causa, Deum verum & diuitem patrem familiàs nominat: ita certò etiam

peritò etiam nos homines, non temerè infideli dispensatori comparauit. Tempus autem non patitur hæc omnia, & ad longum enarrare: caput huius parabolæ attendendum est. Duo nos Christus docere vult in isto Euangelio. Primò, ne quis diuitijs suis, officio, & præfenti statui, aut fœlicitati fidat, quia eiusmodi res nulla diuturna esse potest aut perpetua, quantumuis in speciem magna. Secundò, vt quiuis operam det, quò diuitijs, munere & functione sua ita vtatur, vt eius fructum etiam post mortem sentiat: nec idcirco timere habeat iudicium Dei. Hæc præcipua sententia est huius parabolæ & similitudinis. Duæ sunt necessariae doctrinæ, sed quæ (heu dolorem) parum considerantur. Quàm pauci inueniuntur inter diuites & potentes, qui reputent secum, diuitias eorum & potentiam finem habituram, id que opinione fortè citius ac spe? Quàm pauci sunt qui in bonis suis, potentia & muneribus ita sese gerant, vt multam propterea laudem & mercedem à Deo expectent, nec timere necesse habeant iudicium Dei? Imò quis non videt, diuites ac potentes pro maiore parte, ita diuitijs ac potentiæ fidere, tanquam perpetuò duratura sint, atque ita ijs vt, vt certè non multum laudis hoc nomine apud homines, multò minus verò mercedis à Deo, sed nihil aliud quàm horredum iudicium & pœnam expectare habeant? Quia sacra scriptura non frustra dicit: Iudicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam. Et iterum: Iudicium durissimum in his qui præsumunt fieri. Quare vigilantia opus est. Si munus obis, potestatemque habes præ alijs hominibus, cogita non semper duraturum id, futurumque vt ea de re summo patrifamiliàs sis daturus rationem. Quocirca ne efferare tua potentia, & bonis: ne fidas illis, non propterea sis iactabundus & gloriosus, quia fundamentum malum est. Vana & fallax fœlicitas est: hodiè diues es, cras pauper, hodiè princeps es, cras mortuus. Stulte (inqt vox de cælo) hac nocte animam tuam repetit à te: quæ autem parasti, cuius erunt? Contra condemnati dicent in inferno: Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus. Quid nobis profuit superbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Tranfierunt omnia illa tanquam vmbra. Et hoc vnū est quod circa Euangelium istud considerandum venit Non semper esse villicus poteris. Quare sequere consilium sancti Davidis,

*Nō fidendum  
prosperis suc-  
cessibus.*

*Iaco. 2.  
Sap. 6.*

*Luc. 12.*

*Sap. 5.*

*Psal. 61.* vbi inquit: Nolite sperare in iniquitate, & rapinas nolite concupiscere: diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. Veruntamen hoc non sufficit, vt diuitijs & potentia non efferamur,

*Diuitiarum vsus optimus.* sed vti ita debemus illis, ne post mortē, & coram iudicio Dei nobis ob sint, sed magis profint. Nihil autem facere melius & certius potes, vt tibi diuitiæ tuæ & potentia etiã post mortem tuam conducibilis sit, quã si tibi amicos inde cõpares. quam ob rē si tēporalia bona habes, eroga in pauperes, certos ea re habiturus amicos corã Deo. Nam et si etiã pauperes non sem-

*Eccle. 29.* per boni sunt, tamen ipsa elemosyna pro te orat, Quemadmodũ Sapiēs dicit: Si potes ergo opitulare, pauperibus prege & promoue bonos, arce malos, libera oppressos, iudica in angustia constituto, &c. rursus certos amicos habes illo sæculo, & muneris ac potestatis tuæ corã iudicio Dei honorem & mercedem recipies. Facite vobis amicos (inquit Christus)

*Luc. 16.* de mammona iniquitatis. Hæc summa est istius Euangelij: cõ omnia tendunt, Qui sibi in futurũ bene prospectum vult, ne in futuro sæculo deficiat, is videat & conciliet sibi amicitiam pauperũ. Sed posset hoc non immeritò paradoxum videri & dici: rarus hic est & insolitus sermo, qui mundo & Adæ filijs difficulter pertuadeatur. Non enim illi assentiunt, sed cõtrarium adeo sentiunt: nimirum q̃ homini optimè prospectum sit, amicitias habenti & cõparenti diuitum ac potentũ. Hoc (inquam) mundus summæ prudentiæ & fortunę loco ducit, si quis fauorẽ & amicitiam captet & consequatur apud eos, qui potestatem & honores, bona & pecunias habēt. Et mundus etiam planè sic facit: videmus hoc in filijs illius, quomodo vnã currant, adulentur, seruiant, ingerant, quãta faciant & patiantur, donec fauorẽ & amicitias sibi parent apud diuites. Deindè quomodo inflentur, securi prorsus & animosifiant, vbi eiusmodi fauorẽ & amicitiam sibi pepererunt. Ibi tum viuunt sine cura, neminẽ amplius curãt, putãt se frustrari nõ posse: cõtemnunt pauperes, illorũ fauorẽ & amicitiam nihili faciunt: omninò sic opinantur, qui pecunias nullas aut bona habeant, ex ijs percipi commodum nullum posse. Sed Christus longè diuersum sentit. Iubet nos non amicitias ambire, & fauorem quærere diuitum, sed pauperum. Ait pauperes plus posse prodesse in necessitate, & plus etiam ex ijs emolumentum haberi posse, quàm ex diuitibus & potentibus. Sed hoc non credit mundus: est paradoxũ, sed probabile tamen:

imò iam

*Pauperum potius quam diuitiũ expetenda amicitia.*

Imò iam pridem probatū est in hoc dispensatore. Nemo dubitare potest, quin fauorē & amicitiam habuerit apud diuites & potentes. Cæterū cū iam amouēdus à munere esset, nullus illorū inuentus est, qui ei succurrere cuperēt. Nec illorum quenquā alloqui audebat: ad pauperes se se vertere cogebatur: hos sibi amicos faciebat, ex quibus etiā postea sentiebat cōmodum. Per diuites illi fame pereundū fuisset. Res eodem modo se nunc habet: qui diuitibus fidit, se penuriam de- *Fallax homi-*  
cipitur. Dominorū fauor nō est hæreditarius, facile amitti- *num gratia.*  
tur. Et licet alicui benè volunt, nihil tamen aliud præstāt, quā temporale auxilium. In spiritualibus rebus ipsimet plerūque pauperes sunt: auxiliari sibi ipsis non possunt, tantū abest, vt amicis suis in illo sæculo profint, vbi nihil habent. Quid enim diues in inferno positus, suis fratribus in terris proficit, vbi ipse & æternū orat ac clamat pro guttula aquæ, quā tamen impe- *Luc. 16.*  
trare nō potest? Quid igitur de istiusmodi hominū amicitia tibi possis polliceri? Quā ob rem Dauid rectè dixit: Vana salus hominis. Monet alibi omnes homines, ne cōfidāt in prin- *Psal. 59. 3*  
cipibus: quoniā in filiis hominū nō est salus. Cōtra qui amo- *Psal. 145.*  
re, beneficijs, & eleemosyna pauperes amicos facit, is tutissimus omniū est: thesaurū certissimū habet in futurū. Eleemo- *Tob. 4.*  
syna em̄ à peccatis & à morte liberat, & nō patitur animā ire in tenebras. Imò eleemosyna fiducia magna erit corā Deo, omnibus faciētib; eam. Si hic nō repēditur, rependit illic: si id facere pauperes nō possunt, faciet illorum loco Deus. Venite benedicti Patris mei, possidere paratū vobis regnū, &c. *Matt. 25.*  
esuriui enim & dedistis mihi manducare. Et postea: Quod vni ex minimis meis fecistis. Et iterum: Quicumque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, tantum *Matt. 10.*  
in nomine discipuli: amen dico vobis, non perdet mercedem suam. Rectè itaq; Sapiens, dixit Prou. 19. Qui miseretur pauperum, cum Deo scenerari. In summa: tu quidem temporalia *Matth. 5.*  
bona habes, at pauperibus regnum cœlorum promissum est. Si ergo impartiris illis tēporalia, dabit tibi quoq; Deus partem cum illis regni cœlorum. Facite vobis amicos (inquit Christus) qui vos recipiant in æterna tabernacula: Et hi veri amici sunt, qui nobis in illa vita & æternū viles esse possunt. & quomodò tales amicos nanciscimur? largiendo, auxiliando, benefaciēdo, mutuū dando, dimittendo, consulendo, cōsolando, docendo & instituendo. Talis amor, condolentia, &

beneficentia erga proximum, nunquã peribit aut inanis erit.

1. Pet. 3. Charitas enim operit multitudinem peccatorum, in-  
 1. Jacob. 5. quit Diuus Petrus, & Iacobus. Tum dicit Christus. Matth. 5.  
 Beati misericordes, quoniã ipsi misericordiam consequentur.  
 Et iterum. Luc. 6. Dimittite, & dimittentini: date, & dabitur  
 Dan. 4. vobis. Idcirco etiam dabat olim Daniel Regi Babylonie hoc  
 cõsiliũ, vt peccata sua redimeret eleemosyna & beneficẽtia,  
 aut misericordia erga egenos. Nam qualis es erga proximum.  
 Luc. 6. tuum, talis etiã erit erga te Deus: & qua mensura fueris men-  
 sus, eadem remetietur & tibi. Hoc modo tu tibi ipse amicos  
 conciliare potes, qui tibi in futuro seculo auxilio esse possunt.  
 Idq; sanẽ multo minori negotio effeceris, quã diuitem aut  
 potentem amicum tibi facias. Multi temporis & magni labo-  
 ris est, priusquam mundi fauorem consequare, quæ tamen  
 amicitia facillẽ labefactatur: hoc cõsequi potes vno calice aque  
 frigidæ, si non plus habeas: quin etiam vnico bono verbo.  
 Quam ob rem amicos tibi compares bonis temporarijs, qui  
 te recipiant in æterna tabernacula: quia tabernacula in qui-  
 bus nunc degimus, mox relinquere nos oportet, & fortassis  
 2. Cor. 5. opinione celerius. Beatus homo qui cum sancto Paulo dice-  
 re potest: Scimus quoniam si terrestris domus nostra huius  
 habitationis dissoluatur, quod ædificationem ex Deo ha-  
 bemus, domum non manufactam æternam in cœlis. Et  
 cum sancto Martino: Recede à me cruenta bestia, quia  
 nihil funestum in me reperies: Abrahæ sinus me recipiet.  
 Hoc pacto inuenimus totam sententiam istius Euangelij &  
 similitudinis in his duobus punctis consistere. Primò, quod  
 nullæ diuitiæ & potentia tam magna est, quin finem sortia-  
 tur. Secundò, quod nihil aliud expectandum nobis est in fu-  
 tura vita, quã seuerum iudicium & æterna fames, nisi no-  
 bis in hac vita facultatibus & potentia nostra amicos concili-  
 liemus. In hodierna Epistola, verbo vno cuncta hæc compre-  
 henduntur. Qui se existimat stare (inquit Paulus) videat ne  
 cadat. Bono Christiano non solùm considerandum est, quo-  
 modò nunc stet, sed etiam quid deinceps sequetur: non so-  
 lùm quæ ad latus sunt videre eum, sed etiam quæ post euen-  
 tura sint, oportet non tantum gaudere debet illo bono, quo  
 impræsentiarum fruitur, sed etiam timere malum & præca-  
 uere, quod secuturum est. Nemo tam firmiter stat, quin ca-  
 dere possit: nemo tam diues est, quin ad paupertatem redigi  
 possit: ne-

De - pla: -  
 1. Cor. 10.

possit: nemo tã potens est, quin accidere possit: vt alijs etiam hominibus indigeat. Quam ob rem qui stet, videat ne cadat. Hoc modo in verbo isto vnico summa hodiernæ parabolæ comprehensa est. Alioquin rota Epistola aliud nihil est, quàm fidelis admonitio, qua sanctus Paulus nos & Christianos omnes hortatur, vt consideremus, quomodò etiam Deus cū suis infidelibus dispensatoribus egerit, idq; nobis admonitionis loco esse voluerit. Nusquã certè inuenimus, q̃ illis pepercerit, licet interdum diu connixerit & expectarit: id quod probant ea exēpla omnia quæ Paulus in hodierna Epistola cōmemorat. Vt paterfamilias erga dispensatorem nō longius cūctabatur & conniuebat, simulatq; infidelitas eius innotescebat: ita Deus non parcat nobis, vbi mensurã peccatorum nostrorum impleuerimus. Qua quidē de causa Paulus non temerè nobis tot exēpla simul proposuit, & semper adiecit, ne & nos ita faciamus, sed eorū castigatio nobis præmonitioni sit. Hic tribus præcipuè pulchris verbis vsus est. Primū, Hæc omnia in figura contingebāt illis. Secundū, Omnia ista scripta sunt ad correptionem nostrã. Tertiū, In nos fines sæculorū deuenerunt. His verbis Paulus ré exaggerare voluit. Etenim primò vult, ne exēpla & gesta simpliciter accipiamus ceu nudã historiã, sed tanquã figuras hoc est, Scire nos oportet, q̃ Deus nō solū id tēporis fornicatores, idolorum cultores, murmuratores, & Dei tentatores sic pœna affecerit, sed idē iudiciū omnibus ijs, qui similiter egerint, sit interminatus: idcirco figuras nominat, & non simplices historias. Nō solū id scire nos oportet, sed etiam inde timorem discere. Nec loquitur Paulus de vna figura tantū, sed dicit: Omnia quæ de antiquis leguntur, in figura facta esse. Porro dicit: Ad correptionē nostram scripta esse & doctrinam. Gemina hæc admonitio est: etenim primò nobis ad correptionem factum est, quòd Deus illos ita puniuerit: tum etiam nobis ad bonum & propter nos factum est, quòd spiritus sanctus eiusmodi historiam scriptis mandari curauerit. Postremò addit Paulus: Nos eos esse, in quos fines sæculorum deuenerint: id quod nos tantò magis impellere debet: nam si finis mundi propè est, tantò minùs fidere mūdo debemus. Tū si nos illi sumus, in quos fines sæculorum deuenerint, tantò diligentius considerare nos oportet, vbi in futuro sæculo manere velimus. Facite vobis amicos de mam-

*Exemplis scri-  
ptura quibus-  
dam vt uten-  
dum.*

*Mundus con-  
taminandus.*

*Luc. 16.*

*1. Cor. 10.*

videat necadat, ait Paulus. Confer hæc duo verba, summam hodierni Euangelij habebis. Obserua postremò item, quòd Paulus dicit, Deum fidelem esse & veracem, non passurum nos tentari supra id quod possumus, &c. Hanc promissionem quia à Deo habemus, tantò minùs angere debemus, vnde fortitudinem acquiramus ad eius voluntatem exequendam. Deus fidelis est, non deseret nos, si tamen ipsi pigri non simus. Suam is nobis omnibus gratiam largiri dignetur, Amen.

Q V A R T V S S E R M O  
de initio hodierni Euangelij.

Luc. 15.



Luc. 16.

**N** parabola hodierni Euangelij multa commemorata sunt, vnicuique Christiano scitu necessaria. Primò namque, quia Christus paulò ante istud Euangelium tribus similitudinibus, puta, perditæ ouis, perditæ drachmæ, & perditæ filij, Dei ineffabile bonitatem & misericordiam erga nos miseros pauperes clarè ostēderat: nunc ne quis eiusmodi gratiæ fidat, & tantò segnior fiat ad faciendum bonum, hanc Christus addit parabolam, qua docet omnes Christianos, & monet, vt Dei bonitatem exēpli loco accipiant, & omnibus modis studeant proximis suis benefacere, quæ admodum Deus illis fecit. Secūdo, quòd ad miserendum & gratificandum proximis diligentiores & promptiores simus, docet Christus in hac similitudine eiusmodi beneficia, quæ proximo exhibemus, nobis non perire, sed in futuram vitam seruari. Tertio docet Christus in hac parabola verum usum temporalium bonorum, & quomodo illa nobis vtilia facere possimus: id quod potissimum fit, si illa liberaliter in pauperes erogemus. Imò hic verus vsus est omnium bonorum spiritalium & temporalium, si ea in vtilitatem proximi nostri conferamus, vti Paulus dicit 1. Cor. 12. Vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem (intellige) ecclesiæ, & proximi, &c. Quis autem non videt, omnia ista vnicuique Christiano scitu cum vtilia, tum necessaria esse? Atque vtinam omnium hominum cordibus inscripta essent, multis in rebus aliter multò facturi profectò essemus, quam nunc facimus. Quò igitur hoc simplicibus altius infigatur, verba hodiernæ similitudinis paulò penitius rimabimur. Homo quidam erat diues (inquit Christus) qui habebat villicum. Sacra scriptura hunc morem habet, vt quoniam Dei indignationem, iram, iudicium vult ostēdere, cōparet eum terribili cui-

Vsus verus bonorum tam spiritalium quam temporalium.

quædam h' bonis  
Dei: -

ribili cuidam ac feræ bestię. Vt cum Amos dicit: Leo rugiet, *Amos 3.*  
 quis non timebit? Et Isaias. c. 5. Rugitus eius vt Leonis: rugiet *Thren. 3.*  
 vt catuli leonum, & frendet & tenebit prædam, & amplexabi-  
 tur, & nõ erit qui eruat. Sic itẽ dicit Hieremias de Deo: Factus  
 est mihi sicut leo in abscondito. In Osea dicit Deus ipse: Ego *Osea 13.*  
 ero eis quasi læna, sicut pardus in via Assyriorũ. Occurrã  
 eis quasi vrsa raptis catulis, & dirumpã interiora iecoris eo-  
 rum, &c. Verũ si quando sacra scripturã Dei bonitatẽ indicare  
 vult, cõparat illum homini, nẽpẽ patri: atq; hoc pacto diues ne-  
 mō alius est in hodierna parabola, quã vnigenitus filius Dei,  
 propter nos homines homo factus. Quẽadmodũ etiã Pro- *Baruch 3.*  
 pheta Baruch prædixit: Hic est Deus noster, & nõ æstimabitur  
 alius aduersus eũ. Hic adinuenit omnẽ viã disciplinæ, & tradi-  
 dit illã Iacob puero suo, & Israël dilecto suo. Post hæc in ter-  
 ris visus est, & cũ hominibus cõuersatus est. Non solũ autem *Colo. 2.*  
 Christus homo est, sed diues homo: in illo enim oēs thesauri  
 diuinæ sapientiæ & scientiæ absconditi sunt. Tum plenus est *Ioan. 1.*  
 gratia & veritate, vt oēs de plenitudine eius accipiamus. Di-  
 ues est misericordia in oēs qui inuocant illum. Rom. 10. Eius  
 est terra cũ omni plenitudine eius: imò orbis terrę, & oēs inha-  
 bitates eã. Psal. 23. Eius est magnificentia, & potentia, & glo- *1. Pet. 2.*  
 ria, atque victoria. Eius diuitiæ & gloria. Eius sunt cũcta quæ *Psal. 125.*  
 in cœlo sunt, & in terra. A deo diues est, vt omnẽ carnẽ pascat.  
 Aperit manũ suã, & replet omnẽ animal benedictione. Psal.  
 144. Tã diues est, vt etiã nos homines sua benedictione diui-  
 tes faciat. Prou. 10. Imò a deo diues est, vt iam per sex millia  
 annorum oēs homines & creaturas pauerit, nec tñ arca eius  
 adhuc exhausta est & vacua facta. Et quid multis verbis opus  
 est? Quid ditius Dei sapientia, quæ Christus est? Longitudo *Prou. 3.*  
 dierũ in dextera eius, & in sinistra illius, diuitiæ & gloria. Hic  
 diues ille est, de quo Euangeliũ istud dicit: hic habebat villicũ.  
 In hoc verbo observa, quo nomine Christus suos appellet.  
 Auarus homo dicit Apoca. 3. Diues sum, & nullius egeo: mea  
 sunt quæ habeo. Quẽadmodũ & Rex Babyloniæ ait Da-  
 niel. 4. Nõne hæc est Babylon ciuitas magna, quã ego ædifi-  
 caui in domum regni in robore fortitudinis meę, & in gloria  
 decõris mei? Christus autem lógẽ aliter loquitur. Homo (in-  
 quit) quidam erat diues, qui habebat villicũ. Quo docet nos,  
 bonorum quę in hac vita accepimus à Deo, non dominos sed  
 dispensatores esse, siquidẽ Deus solus eorũ omnium dominus

*Psal. 49.* est. Meus est orbis terræ (inquit) & plenitudo eius. De nobis autem dicit Paul. 1. Cor. 4. Quid habes, ô homo, quod non accepisti? si verò accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Quia igitur res sic se habet, nihil nobis tantoperè curandum est, quàm vt eiusmodi bona iuxta voluntatē Domini eorum expendamus collocemúsque: atque vtinam oēs Christiani crederent, se nō dominos, sed dispensatores dūtaxat esse bonorū suorum, tū futurum esset, vt nō tanta solitudine dies & noctes magna bona & diuitias sectarētur, considerātes, q̄ quò bona magis accrescunt, hoc se maiorem rationem dare oportere. Neque istiusmodi bonis contra voluntatem Domini sui abusiuri essent, neque ad inutiles sumptus in vestitu, neque ad superfluum cibum & potum, neque ad magnifica ædificia.

*1. Tim. 6.*

Quoniam verò nos Adæ filij videmur nobis ipsi Domini bonorum nostrorū (quæ tamen in terras non intulimus, neque auferre ea nobiscū poterimus) nec scripturæ credimus aperte dicenti, omnia Dei esse, & nobis ab illo dari, ideò abutimur hoc pacto creaturis Dei ad nostrum ipsorū dānū & perniciē. Cæterum, quod dixi modò de dispensatione tēporalium bonorum, id etiā intelligēdum de omnibus alijs Dei donis, cum corporis, tum animæ, quia nec illorum proprij Domini, sed dispensatores sumus, daturi illi tanquàm vero Domino ratio

*1. Cor. 4.*

nē de illis vt illis vñ simus, eaque expendimus. Quapropter dicit Paulus de Pastoribus & Prælatiſ Ecclesię: Sic nos existimet homo tanquam ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Hic iam queritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur. Beati qui se in his omnibus voluntati Dei cōformes faciunt, & cū sancto Paulo dicere possunt: Bonum

*2. Tim. 4.*

*Matth. 25.*

certamē certavi, cursum cōsummaui, fidem seruauī. Nam ad talem paterfamiliās vicissim dicit: Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te cōstituā, intra in gāudium Dñi tui. Si autem dixerit malus seruus in corde suo:

*Matth. 24.*

Morā facit Dñs meus venire, & cœperit percutere conseruos suos, māducat autem & bibat cum ebriosis: veniet Dominus serui illius in die qua non sperat, & hora qua ignorat, & diuidet eum, partemq; eius ponet cū hypocritis. Illic erit fletus & stridor dentium. Sequitur in Euangelio: Et hic diffamatus est apud Dominum suum, quasi dissipasset bona ipsius. Hoc verbo indicat Christus, Deū nihil latere. Ego (inquit Hier. 29.) ipse testis sum & iudex. Et Hierem. 23. Putāsne Deus è vi-

cino ego

cino ego sum, & non Deus de longè? Si occultabitur vir in absconditis, & ego non videbo eum? Nunquid nō cœlum & terrā ego impleo? Et sanctus David. Psal. 93. Qui finxit oculum, non cōsiderat? Qui corripit gentes, nō arguet, qui docet hominem scientiā? Et Paulus: Omnia sunt nuda & aperta oculis *Heb. 4.*

Domini. Non solū autē videt Deus, quomodò bonis ipsius utaris ac donis, sed etiam alij sunt qui te diffamāt, & accusant, tanquā qui omnibus Dei donis abutaris. Etenim primò ac cusat te propria tua cōscientia, vti Paulus dicit, Rom. 2. quod *I.* etiam eos qui legē nullam habent, propria illorum conscientia cōvincet, & inter se inuicē cogitationes accusabūt, aut etiā defendēt, in die cū iudicabit Deus occulta hominum, per *Accusatores nostri.*

Iesum Christum. Secūdò item accusant te manifesta tua opera, quemadmodū Deus ad Cain dicit: Quid fecisti? Ecce vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Sic etiam dicebat *II.*

Deus ad Abrahā Sodomitis: Clamor Sodomorum & Gomorrhæorū multiplicatus est, & peccatum eorū aggrauatū est nimis. Descendam & videbo vtrū clamorem qui venit ad *Gen. 4.*

me, opere compleuerint. Hūc quoq; in modū loquitur Deus de magno Tyranno & hominū voratore Nabuchodonosor: imò etiam de vnoquoque auaro. Væ qui congregat auaritiam malam domui suæ, vt sit in excelsō nidus eius. Cogitasti confusionē domui tuæ: cōcidisti populos multos, & peccauit anima tua. Quia lapis de pariete clamabit, & lignū quod inter iuncturas ædificiorum est, respōdebit. Tertiò, quòque ac *Abac. 2.*

cusat te gemitus & ploratus pauperum, quibus in necessitate durus es. Quemadmodū Moyses ad populū suū dicit: Si vnus de fratribus tuis ad paupertatem deuenerit, non obdurabis cor tuū, nec contrahes manū, sed aperies eam pauperi: ne clamet contra te ad Dominum, & fiat tibi in peccatum. Ex his *III.*

omnibus vides, quor & quā potentes infidelis seruus accusatores habeat: taceo nunc de diabolo, qui nō solū ob mala quæ facimus, nos accusat & testimoniū fert, sed etiam si quid boni à nobis fit, eleuat ac imminuit, vt in diuo Iob videre est: *Dente. 19.*

Vtinā hæc diligēter cōsiderare & credere possemus. Sequitur porrò in Euangelio: Et vocauit Dominus villicum. Hæc verba non pertinet ad illam vocationē, qua quilibet tēpore mortis suæ, vel etiā in extremo die, tribunali Dei sistitur, sed ad eā potius vocationē quæ in hac vita fit, cū quis per internam *Apoc. 12.*

inspirationē, vel per externā prædicationē & exhortationē,

quinetiam per beneficia aut flagella, per promissionē æternæ salutis, aut per cōmationē æternæ condēnationis, diuinitus cōmouetur vt cogitet, quomodò suo tēpore rationem reddere velit. Hic rursūm vides, quātm sæpè & multifariā nos Deus vocet, & tamen id ad animū nō reuocamus. Quid autem animaduertedū magis, quātm quòd Deū vocante nemo audit? Quid nobis certiorē cōdēnationē adfert, quātm q̄ vita adhuc incolumi calculos nō subducimus? Quid hoc audio de te (inquit paterfamiliās ad infidelē dispēsātorem) imò sic Deus loquitur ad vnūquēq; nostrū. Homo cogita quis status tuus sit: Christianū te vocas, sed viuis Gentiliter. Vita tua non respōdet vocationi tuæ. Deū cōfiteris ore, sed operibus eū abnegas. Dominū tuū me vocas, nec tamē volūtate meā facis. Deū patrē tuū nominas, nec tamē vel amorē erga eū vel timorē habes. Lōgè aliud in Baptismo promisisti. Nō Dominum te, sed dispēsātore bonorū meorū cōstitui. Tum vides alios mea dona rectè collocare, & ad vsurā ponere, tu autē fodis mea dona & bona in terrā. Quid hoc audio de te? Seuera profectò accusatio & percunctatio. Non dissimilis est ei, qua Christus in Matt. c. 22. ad quēdā dicit: Amice, quomodo hoc intraisti, vestem nuptialē nō habēs? Et vbi percōctatio illa re ipsa agitur, obmutescat homo oportet: cōfiteri cū diuo Iob cogitur, se corā Deo, pro mille vnū respōdere nō posse. Optādū quidē foret, vt hæc vox & querimonia nunc in auribus nostris personaret, vt vnusquisq; cū sancto Dauide diceret. Psal. 84. Audiā quid loquat in me Dominus Deus, quoniā loquetur pacē in plebē suā. Hoc verbo peculiariter omnibus ijs, qui in alios homines imperiū habēt, proposita est institutio, quomodò gerere sese in peccatis & transgressionibus subditorū debeant.

**Tit. 1.** Nimirū primò, ne taceāt & cōnieāt, quēadmodū oīm Heli faciebat suis filijs, sed in sui grauē animaduersionē & æternā ignominia. Ab eiusmodi ignavis gubernatoribus Deus sanguinē poscet omniū corū, quos per suū silentiū in peccato relinquūt & perire sinūt, quēadmodū ipse in Ezechiele dicit & cōminat. Secūdò, illi qui præsunt, ad pœnā irrogandā, præcipientes esse nō debet, sed prius veritatē exploratā habere, quātm sententiā dicāt, quēadmodū paterfamiliās hic facit, dū dispēsātore vocat, & ad eū dicit: Quid hoc audio de te? Necessaria doctrina est, quia etiā bonus quilibet in hoc facillè delinquere potest, vt accusatori nimium vel æquo facilius credat, reo

verò inu-

verò iniuriã faciat. Quẽadmodũ Daudi accidit, qui bonum 2. Reg. 16.  
 Miphiboseth voluit omnibus penẽ priuatum facultatibus ob  
 vnus nugigeruli iniquã delationẽ. Sequit̃ in Euãgelio: Red-  
 de rationẽ villicationis tuã. Quod nobis perinde dictũ est, vt  
 ad rationẽ nos accingamus, & nos ipsos exploremus, quomo-  
 dõ eã subducere velimus. Imò vt nũc dum tẽpus gratiã adhuc  
 voluitur, iudiciũ Dei ob oculos ponamus, & perinde ac si co-  
 rã tribunali Dei starem, rationem à nobis ipsis exigamus,  
 quomodò omnibus donis Dei vfi simus. Enimuerò quãdoq;  
 res eò perueiet, vt ad vnũquẽq; nostrũ dicatur: Redde ra-  
 tionẽ villicationis tuã. Terribile sanẽ verbum, quod vel solũ  
 semper nos in metu cõtinere debebat. Quid enim infelix ho-  
 mo faciet & prætexit, vbi de omni eius actione & omissione,  
 opere, verbis & cogitationibus ab eo ratio poscetur? Quapro-  
 pter diligentia adhibe, vt debita hĩc tua expiẽtur ac dissoluan-  
 tur. Quod tamẽ nõ aliter fit, quã si ex animo poenitẽtiã agas,  
 & toto corde ad Christũ cõuertaris. Is enim est, p̃ quẽ remis-  
 sionẽ peccatorũ accipimus: imò ipse est p̃ peccatis Ephẽ. 1.  
 nostris. In hoc nãq; Deus misit filũ suũ & dedit, vt mundus 1. Ioan. 2.  
 per ipsum saluetur. Porissimũ autẽ obseruãdũ vnicuiq; Chri-  
 stiano est, q̃ paterfamilias porrò dicit ad infidelẽ dispẽsatorẽ:  
 Jam non poteris villicare. Quibus verbis dicere videtur: Jam  
 propẽ est, q̃ tibi ex hac vita decedẽdum est, nec bonis Dei vtĩ  
 amplius poteris. Nã i morte dispẽsatio tua finẽ habet: & post  
 mortẽ nõ est tẽpus bene faciẽdi. Ambulemus itaq; dum dies Ioan. 12.  
 est: Veniet enim nox, cũ nemo operari poterit. Operemur bo-  
 nũ dum tẽpus habemus. Quodcũq; p̃t facere manus tua, in-  
 stãter operare: q̃a nec opus, nec ratio, nec sapiẽtia, nec scientia Ioan. 9.  
 etunt apud inferos, quò tu properas. Hoc discẽ ex verbis pa-  
 trisfamilias, quibus suũ compellat dispẽsatorẽ: nec minus hæc Gal. 6.  
 verba ad animũ reuoces, quã idem infidelis seruus fecit. Sed Eccle. 7.  
 de hoc aliã. Deus det nobis omnibus suam gratiam, Amen.

## Q V I N T V S S E R M O D E

### altera parte Euangelij.



**H**ODIERNVM istud Euangelium cõtra tria  
 hominum genera dictum est atq; destinatum.  
 Primò, cõtra eos, qui se ipsos nõ agnoscunt. Se-  
 cundò, cõtra eos, qui omnibus Dei bonis abu-  
 tunt. Et tertio cõtra eos, qui futurã indigẽtiã

& necessitatē nō cōsiderant, neq; sese aduersus illam præmu-  
 niunt. Nō quidē eiusmodi homines inter nos esse debebant  
 attamē docet experiētia, maiorē Christianorū partē in hisce  
 rebus reprehēsiōni obnoxios esse. Tātō iustiūs nobis Euāge-  
 lium istud cōsiderādū cum diligētia est. Quippē primò multi  
 Plerique nos- sunt etiā inter nos Christianos, qui seipso nō agnoscunt, nec  
 ipsos ignora- cogitant q̄ sint, vnde veniāt, ad qd creati sint & vocati, à quo,  
 mus. & quē in finē vitā aliq; dona acceperint: nō recolunt animo  
 secū, se Dominū supra se habere qui omnia videt, & cūcta iu-  
 dicabit: nō cogitāt se accusatores multos habere, sed abeūt &  
 viuūt perinde ac si omnia ex seipsis habeāt, & quasi nō Deus  
 sit aliquis, neq; timendū sit futurū aliquod iudiciū. contra ta-  
 les homines Euāgelii istud primum omniū agit. Et ob id cō-  
 parat eos Christus dispensatori, hoc ipso humiliaturus illos,  
 Eccles. 10. perinde ac si dicat: Quid superbis terra & cinis? Quid habes  
 1. Cor. 4. quod nō accepisti? Si autē accepisti, quid gloriaris quasi non  
 Apocal. 3. acceperis? Dicit, diues sum, nullius egeo, & nescis quia tu es  
 miser, & miserabilis, & pauper & cæcus, & nudus. Hunc in  
 modū (inquam) nos Christus humiliare vult nomine dispen-  
 satoris, & ad cognitionē nostri ipsorū adducere. Dispensator  
 enim (qui modò ratione præditus est) scit sese seruum esse, &  
 nō ad otii, sed ad laborē susceptū. Scit itē nō suum esse, quod  
 sub manibus habet. Scit se rationē dare oportere, & à se requi-  
 sitū iri, si quid defuerit aut perditū erit. Scit se multos obser-  
 uatores habere, & dimitti posse. Hæc autem omnia adducunt  
 nos ad cognitionē nostri ipsorū: eius enim conditionis sumus  
 omnes. Secundò, Euangelium quoque istud contra eos de-  
 stinatum est, qui donis ac bonis Dei abutuntur. Tales nos  
 Mat. 24. Christiani maxima ex parte sumus, ita vt Christus ipse dicat:  
 Quis, putas, est fidelis seruus & prudens, quem cōstituit Do-  
 Psal. 13. minus suus super familiā suā? &c. Nimirum Dauide dicente,  
 Omnes declinauerūt, simul inutiles facti sunt, vt ne vnus qui-  
 dē sit qui bonū faciat. Siquidē rebus cūctis abutimur, vita, sa-  
 nitate, diuitijs, tempore, & omnibus donis Dei. Quapropter  
 Terror tri- triplicē nobis incutit Christus terrorem. Primò dum dicit,  
 plex. Nos diffamari. Secundò dum ait, Quid hoc audio de te? Et ter-  
 tiò dum dicit, Redde rationē villicationis tuæ. Sunt autē om-  
 nia hæc horrēda verba, vnde meritò cū Dauide Psal. 142. ora-  
 re debebamus: Domine non intres iudiciū cū seruo tuo, quia  
 nō iustificabitur in cōspectu tuo omnis viuēs, &c. Tertiò, cō-  
 tra eos

tra eos potissimùm Euāgeliū istud agit, qui aduersum futura *psal. 81.*  
sibi nō prospiciunt. Ex his ij præcipuè sunt, de quibus etiā Da  
uid dicit: Nescierūt, in tenebris ambulant, &c. Et postea: Ego  
dixi, Dij estis, & filij Excelsi omnes. Vos autem sicut homines  
moriemini. Quamobrem necessarium est, vt etiā futura con-  
sideremus, & cōtra illa nos muniamus. Id nos altera docebit  
pars istius Euangelij, vbi Christus dicit: Ait villicus intra se,  
hoc est, cogitabat apud semetipsum, suāmq; cōsulebat ratio-  
nem, quid sibi in eo periculo faciendum esset: quia metus sæpè  
hominē ad frugē compellit. Quid faciam (inquit) quia domi-  
nus meus aufert à me villicationem? Diligentius cogitabat,  
quid facere posset, quàm quomodò loqui velle: sciebat enim  
apud iustum iudicem virtutum opera plus valere, quàm ma-  
gnifica verba, vt Paulus ait, Regnum Dei nō cōsistere in ver-  
bis, sed in virtute. Et Christus *2. Cor. 4.* *Matth. 7.* Non omnis qui dicit  
mihi Domine, Domine, intrabit in regnū cælorū: sed qui fa-  
cit volūtātē Patris mei. Fodere nō valeo, inquit villicus, am-  
plius. Verissimū utiq; est. Nā cū per mortē à dispēlandi mu-  
nere amouemur, non poterimus amplius laborare. Amodò  
iam dicit spiritus, vt quiescant à laboribus suis: opera enim  
illorū sequuntur illos. Tum dicit Christus *Apoc. 14.* *Ioan. 9.* Venturā  
noctem, cū nemo operari poterit: futurūmq; eo tēpore, vt  
mendicare ignominiosum habeatur. Dum enim hīc sumus,  
operari possumus, cōfidenter à Deo petere & medicare licet:  
quia nunc securum aditū ad illum habemus, dicere ad illum  
possumus: Pater noster qui es in cælis. Post mortē verò men-  
dicare amplius nō poterimus: tum enim quidē fatuæ virgines  
clamabūt, Domine, Domine, aperi, sed respondēt illis. Nescio  
vos. Beatus qui hōc cōsiderat nunc. Ambulate (inquit Chri-  
stus *Matth. 6.* *Matth. 25.* *Ioan. 12.*) dum lucē habetis, ne cōprehendāt vos tenebræ.  
Et *Isa. cap. 55.* Quærite Dominum, dum inueniri potest: inuo-  
cate eum, dum propè est. Scio quid faciam, inquit dispēfator,  
vlterius. Optimū reperiebat cōsiliū, per misericordiā erga  
pauperes, misericordiā quærens apud Deum: quia non fallit  
profectò quod Christus dicit *Matth. 5.* Beati misericordes,  
quia misericordiā consequentur: Et iterum *Luc. 6.* Date, &  
dabitur vobis. Idcirco olim Daniel suo regi nullum aliud da-  
bat consiliū, quàm vt peccata sua elemosynis redimeret. Sed  
obserua hīc, parabolā hanc nō ideò nobis proponi, vt dispen-  
satorē in omnibus sequamur, sed in eo duntaxat, quod tēpo-

*Dan. 4.**nota quare illi**parabolā proponit*

re officij sui & blandientis fortunæ, futurâ inopiâ considera-  
uit & anteuertit. Nô enim hæc sentētia est, vt mētiri fas esse  
putemus, & circūuenire proximū nostrū: multò minus, vt  
seruis & familiæ permissum sit, infideliter cū dominis age-  
re, vt seruus iste fecit. Quia hoc manifestò cōtra verbū Dei  
esset, & doctrinā Spiritus S. qui spiritus est veritatis & ob id  
odit omne mēdaciū, dolū, fraudē, calliditatē, falsitatē & infi-  
delitatē. Is etiā cū primis à seruis & ancillis fidele seruitiū er-  
ga dominos, vt Paulus multis in locis suarū Epistolarū indi-  
cat, requirit. Propterea in hoc similitudo ista tantū dicta est,  
vt etiā discamus futura cōsiderare, & per misericordiā erga  
pauperes, thesauros nobis in cœlis cōparemus. Sequitur in  
Euāgelio: Et laudabit dominus villicū iniquitatis, quia pru-  
dēter fecisset. Nô malitiā eius & infidelitatē, sed prudētiā lau-  
dabat, quòd futurā inopiā tā prudenter præcauisset: perin-  
de ac sic cōcionator, quò auditores suos hortetur & prouo-  
cet ad orationem, & rectē facta his verbis, vtatur: En, fures &  
latrones vigilāt totā noctē, vt furētur & prædētur cū peri-  
culo vitæ suæ: cur igitur neq; tu vigilares ad orationē & bo-  
na opera spe æternæ mercedis? Talis laudat fures & latro-  
nes. nō ob furtum & latrociniū, sed ob solertiā, q̄ etiā opera  
sua mala ita prouidē instituūt, & tā impigri ad ea sunt. Simi-  
liter si dicā ad quēpiam. Ea impudica mulier ornat & cornit  
se, vt alios ad obscēnos amōres & venerē alliciat: cur teip-  
sum nō etiā ornares fide & Christo cōformibus virtutibus,  
vt Deo placeas? His verbis certē nō laudo impuditiā mulie-  
ris, sed diligētiā solū illius qua tamē ad flagitia abutitur. Sic  
etiā hoc loco dispēsator iste ob solertiā tantū laudatur, q̄ vti-  
litatē suā tam benè perpēdere poterat, vt eodē modo anima-  
bus nostris prospiciamus, quēadmodū hic corporis sui & tē-  
poralis vitæ oblitus nō fuit: & vt facultates nostras tēporales  
in pauperes erogemus, atq; ita thesaurū nobis cōgregemus  
in vitā futurā. Quia filij huius sæculi (inquit Christus porro)  
prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt. Filios hu-  
ius mūdi nominat omnes cultores huius mūdi, vt potē mun-  
dum hunc pro patria sua habentes & amantes, cupientes so-  
lūm hæreditatem suam & diuitias in temporalibus, conformes  
se faciētes huic mūdo, plus occupati tēporalibus quàm  
diuinis rebus. De mundo sunt, & loquuntur de mundo, &  
mundus audit illos, ait Ioannes. Electi verò, filij lucis hic  
voca-

*Ad defbitiu, erga  
dominos  
quisi-*

*Ephe. 6.  
Colo. 3.*

+

*Merces eter-  
na bonorum  
operum.*

+

*Filij sæculi.*

*1. Ioan. 4.  
Electi cur fi-  
lij lucis.*

vocantur. Primò, propterea q̄ per fidem & charitatem filij sunt Dei, qui vera lux est, quæ nullas tenebras habet & pati-  
 tur. Secundò, ideò q̄ veram lucem, qui Deus est, supra omnia diligunt. Tertiò, q̄ vident, quæ mundus non videt, nimi-  
 rum cœlum, apertum, & Iesum Christum à dextris Dei se-  
 dentem. Quartò quòd lucidam, virtutibus conspicuam, & alios ad meliora prouocantem vitam ducunt, vti Paulus di-  
 cit Eph. 5. Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in do-  
 mino. Quintò, ideò quoq; filij lucis appellantur, q̄ ad lucem  
 æternæ gloriæ prædestinati sunt, & q̄ semper patriam illam  
 vbi æterna lux est, suspirant, & ad eam festinant. Dicit itaq;  
 Christus: Filij huius sæculi prudentiores sunt filijs lucis: sed  
 addit, In sua generatione: hoc est, cautiores sunt & diligen-  
 tiores ad acquirenda temporalia bona & seruanda, vtilitéq;  
 collocanda, quàm filij lucis ad spiritualia. Verissimū est. Ete-  
 nim in externis rebus, si quid lucri, aut periculi, & damni im-  
 minet, nullo monitore opus habemus, vltro facimus ea quæ  
 ad rem pertinet. Ad spiritualia verò neq; admonitionibus,  
 neque promissionibus, neq; minis impelli nos sinimus. Ea  
 autem desidia ad bonum partim ex veteri Adam, & mala ra-  
 dice adhuc in nobis hæretite, partim etiã ex nostro vitio pro-  
 ficiscitur. Vnde Christus ait: Spiritus quidem promptus est,  
 caro autem infirma: sed vigilandum & orandum, & certan-  
 dum viriliter cõtra eiusmodi inertiam. Filij huius sæculi pru-  
 dentiores sunt filijs lucis. Sequitur: Et ego vobis dico: Facite  
 vobis amicos (inquit Christus) de mammona iniquitatis, &c.  
 Hæc conclusio est huius Euangelij, & summa istius similitu-  
 dinis. Qua docet nos Christus, vt ex præmeditatione futu-  
 rarum rerum nobis amicos faciamus, qui nos deinceps in re-  
 bus afflictis etiam agnoscant, & quibus curæ simus. Beatus  
 homo, qui in extremo die Deum & sanctos ac electos omnes  
 amicos habuerit. Contrà verò infelicissimus erit, quem in  
 tali necessitate neque Deus, neque sancti & electi agnoscent.  
 Quocirca omnem adhibemus diligentiam, vt tales amicos  
 consequi queamus. Rogas quid id fieri possit. De mammona  
 iniquitatis (inquit Christus) perinde ac si dicat: Nō est opus  
 multo labore, nec magno constat: eò q̄ extrinsecus habes, &  
 quo ipse non eges, tales tibi conciliare amicos potes. Et quid  
 poterat Christus facilius præcipere? Veruntamen non lo-  
 quitur de bonis iniquè & contra Deum, vtpote mendacijs,

1. Ioan. 1.

Act. 7.

Matth. 26.

sancti conciliandi.

fraudibus, furtis, prædationibus, scenore, &c. partis. De talibus enim bonis Deo acceptum fieri sacrificium non potest. Ego Dominus (inquit in Isaia) diligens iudicium, & odio habens rapinam in holocaustum. Eandem in sententiam loquitur Sapiens, Ecclesiast. 34. Dona iniquorum non amat altissimus. Quapropter docet Salomon, ut elemosynam præstemus ex nostris bonis proprijs: si quid autem iniquè partum est, ut illud restitatur. At enim inquis: Cur igitur nominat Christus diuitias & temporalia bona, cum mammona iniquitatis? Nunquid etiam sunt creaturæ Dei? At qui dicit Paulus, Omnes creaturæ Dei bonæ sunt. Tum dicit Moyses Genes. 1. Deus vidit omnia quæ creauerat, ut cuncta erant bona. Respondetur: Idcirco iniquæ vocatur diuitiæ, quæ plerumque homini causa sunt omnis iniquitatis, & quæ iniuste, & quandoque ad peccata & omnia mala abutuntur. Hunc in modum etiam Paulus dies & tempus malum vocat. Redimētes tempus (inquit Ephes. 5.) quoniam dies mali sunt. En, hic nominat diuus Paulus dies malos, non propter ipsos: sed quia prauis homines diebus & tempore abutuntur. Eodem pacto hic bona temporalia mammona iniquitatis appellantur: non quia omnes homines tales diuitias iniquè adipiscantur aut possideant, (liquidem multi etiam boni & sancti homines temporalia bona habuerunt) sed quia talibus diuitijs homines ut plurimum abuti consueuerunt. Propter temporalia enim bona varia committuntur mædacia, fraudes, homicidia, & bella, &c. Quapropter etiam Paulus. 1. Tim. 6. avaritiam & cupiditatem temporalium bonorum, nominat radicem omnis mali. Præcipue autem sunt & vocantur diuitiæ coram Deo mammona iniquitatis, quæ ijs proximo non succurritur. Nam cum proximus meus necessitatē patitur, & ego superfluas diuitias habeo, & non inde communico illi ea, quæ tamen coram iudicio Dei illius sunt, iniquè & iniuste eas retineo, cum illi etiam secundum legem naturæ, illas impartiri teneam. Nam quod mihi fieri velim, id alteri facere sum obligatus. Atque hoc vult Christus, ubi inquit & docet: Omni petenti te, tribue. Et Ioannes: Qui habuerit substantiam mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauerit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo? En, hic dicit Ioannes aperte, qui non subueniat fratri, eum charitatem Dei in se non habere. Porro ubi charitas non est, nulla ibi esse iustitia potest. Et cum bona tua iniusto titulo possides. cum illa

proxi-

1. Tim. 4.  
Diuitiæ cur  
iniquæ vocem  
tur.

Matth. 7.

Luc. 6.

1. Ioan. 2.

proximo tuo non communicas. Cæterùm hanc iniustitiam nemo considerat. Videmur nobis, si bona nostra prædatione furto, aut vsura non consequamur, iure ea possidere, haud cogitantes nos Deum offendere, si pauperes deseramus. Quod autem Christus postremò dicit, amicos quos nobis per bona temporalia facimus, recepturos nos in æterna tabernacula, in eum modum intelligendum est, quemadmodùm Christus etiã de suis Apostolis dicit: Iudicabũt duodecim tribus Israël. *Luc. 22.*

Vt enim solus Christus mundum iudicabit: ita quoque solus nos in æterna tabernacula recipiet. Veruntamen quod propter suos facturus est, idem & illi facient: quemadmodùm *Matt. 25.* etiam aliàs in Mattheo dicit, si quid suis boni vel mali fiat, id sibi ipsi fieri. Ita ergo nos amici, quos nobis bonis nostris facimus, in æterna tabernacula recipient, quia per opera misericordiæ, quam illis in fide & ex vera charitate exhibemus, & per suam intercessionem, causa nobis erunt, vt in æternam felicitatem recipiamur. Sic enim iudex dicet: Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione *Ibid.* mundi: esuriui enim, & dedistis mihi manducare: sitiui & dedistis mihi bibere, &c. Deus Opt. Max. faxit, vt temporalia bona ita tractemus, vt eiusmodi amicos plurimos habeamus, inueniamusq; coram tribunali Christi, qui sanè longè nobis vtiliores erunt totius mundi amicitia.

DOMINICA VNDECIMA POST PENTECOSTEN, EVANGELIUM LVC. XIX.

**E**T vt appropinquauit videns ciuitatem, fleuit super illam dicens: Si cognouisses & tu, & quidem in isto die tuo, quæ ad pacem tuam pertinent, curares. Nunc autè abscondita sunt ab oculis tuis. Quia veniet dies in te, & circũdabunt te inimici tui vallo, & cin-

gent te, & coangustabūt te vndique, & solo æquabūt te, & filios tuos qui in te sunt: & nō relinquent in te lapidem super lapidem: eò quòd non cognoueris tēpus visitationis tuę. Et ingressus in templum, cœpit eijcere vendentes in illo & euentes, dicens illis: Scriptū est, Domus mea domus preceationis est: vos autem fecistis illam speluncam latronum. Et docebat quotidie in templo.

EADEM DOMINICA EPI-  
STOLA SANCTI PAV-  
LI I. CORINTH.

XII. CAP.

**F**RATRES: Scitis quòd Gentes fuistis, & ad simulachra muta utcunque ducebamini sequentes. Quapropter notū uobis facio, quoniam nullus per spiritū Dei loquēs, dicit anathema Iesum: & nemo potest dicere Iesum Christum, nisi per Spiritum sanctum. Diuisiones autem domorum sunt, sed idem Spiritus: & diuisiones ministeriorum sunt, sed idem Dominus: & diuisiones operationum sunt: sed idem est Deus: efficiēs omnia in omnibus. Vnicuique uerò datur manifestatio Spiritus ad id quod expedit. Nam huic quidem per Spiritum datur sermo sapientię, alij uerò sermo scientię secundum eundem Spiritum, alij uerò fides per eundem Spiritum, alij uerò dona sanationum per eundem Spiritum, alij uerò efficacię potentiarum, alij uerò propheta, alij uerò discretiones Spirituum, alij uerò genera linguarum: sed omnia hæc efficit unus ille, & idem Spiritus, diuidens peculiariter unicuique sicut uult.

PRI.

PRIMVS SERMO DE  
Euangelio & Epistola.



**Q**UIDEM circa hodiernum istud Euange- *Nō verba hīc,*  
 lium adhortatiōe vti meliori haud possim, quā *sed sententia*  
 olim non minus pius quā doctus ille Grego- *Diui Gregorij*  
 gorius vsus est, vbi hoc Euangelium edisserit & *refertur.*  
 explanat. Audiuitis (inquit) fratres quid Chri-  
 stus ciuitati Hierosolymæ, eiūsq; ciuibus seu incolis intermi-  
 natus sit: vi distis præterea quid in templo sub id mox fecerit.  
 Quantum autem ad illos attinet, iam pridem contigit quod  
 contingere debebat. Scimus Hierosolymam vastatam & pe-  
 nitus euersam esse. Videmus item latrones tēplo pulsos, quin  
 etiam cum illis corruisse. Quare quod ad illos attinet, haud  
 multa expositione opus est: cæterum nostra causa diligenti  
 indiget consideratione. Quippè non solum considerare nos  
 oportet, quid illis euenerit, sed etiam quid per id nobis pœne  
 indictum sit. Illorum exitium nostra esse debet admonitio.  
 Actum etiam Euāgelium istud rectè & vtiliter audierimus:  
 si nouissima nostra sine intermissione & cum metu seu terro- *Eccle. 7.*  
 re cōsideramus, quemadmodum Sapiens docet & dicit: Me-  
 morare nouissima tua ò homo, & in æternum non peccabis.  
 Omni die (inquam) considerabimus, & apud nos ipsos pon-  
 derabimus, q̄ Christus dicit, hanc diem datam esse nobis ad  
 pacem, verū secururū aliud tempus, quod nobis iam in men-  
 tem nō venit. Quam ob rem necessariū est dum iudex adhuc  
 dissimulat, nec manū exerit ad percutiendum, imò dum pa-  
 cem & securitatem habemus: vt consideremus malum quod  
 sequetur, vt à peccatis desistamus, peccata nostra iugiter de-  
 ploremus, & lachrymis abluamus, nec vllius temporalis fœ-  
 licitatis blandimento seducamur aut exerceamur, ne hoc mo-  
 do excæcatos in æternū exitiū præcipitet. Cogita ò homo  
 (inquit) quid hora mortis secum ferat, cū te inimici tui vallo  
 circumdabunt, & vndique coangustabūt, &c. Christus filius  
 Dei moriturus in cruce, dicebat prius: Princeps mundi huius  
 venit, sed non habet in me quicquam. Audi: Si diabolus in *Ioan. 14.*  
 Christo suum aliquid quæsiuit, in quo nihil inuenit: quid in  
 nobis quæret, qui tam multa, quā illius sunt, habemus? Chri-  
 stus enim solus est, in quo nihil inuenit, vt qui peccatū nullū  
 fecit, & in cuius ore dolus non fuit. Ad Diuum Petrum qui- *1. Pet. 2.*

dem dicebatur. *Matth. 16.* Quodcunque ligaueris aut solueris super terram, erit ligatū vel solutū & in cœlis. Sed tamē dicere nō poterat: Inimicus nō habet in me quicquam. Neque

*1. Cor. 12.* *Ioan. 13. 12.* Ioannes, neque Paulus id dicere potuerunt, cū tamen Paulus in tertium vsque cœlū raptus sit, Ioanni autē præstitum fuerit, in sinu Christi quiescere. Nō est enī homo qui nō peccet, inquit Salomon. *Eccles. 7.* Non iustificabitur in cōspectu Dei omnis viuens. dicit David. *Psal. 142.* Si dixerimus quoniā peccatum nō habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis nō est, inquit Ioannes. Quid igitur aduersario nostro respondebimus nos, cū sua nō solū in nobis quæret, verū etiā inueniet? Hoc debemus & oportet nos nūc cū multis quotidie lachrymis cōsiderare. Necessarium est, vt nūc diē diuinę visitationis agnoscamus. Nihil sanè tunc hosti nostro respondere poterimus, nisi q̄ certū nobis refugiū & solida spes est, q̄ vnum sumus facti cum illo, in quo diabolus nihil habuit suum, neque habere potest. Tū autem verè tuti sumus à tyrānide diaboli, cūm illi aduniti & incorporati sumus, qui solus inter mortuos liber est. Tum timendus hostis nobis non erit, si illius mēbra sumus & manemus, qui solus hostem vicit & præcipitavit. Non sine causa autem dico, si illius membra sumus & manemus: siquidē non satis est, q̄ illius membra facti sumus in baptismo, si nos ipsos Christo subtrahimus iterum, & Diabolo nos tradimus. Quid prodest, q̄ Christo per fidē iungimur, si vita & moribus ab illo disiungamur? Imò quomodò nos fides cū Christo coniungere potest, si vita nostra à Christo discordamus? Ipse enim ait: Non omnis qui dicit mihi Dñe, Dñe, intrabit in regnum Dei. Recta ergo opera rectæ fidei iungenda sunt. Si veri Christiani sumus, non solū præterita peccata nostra deplorare & quotidianis lamentis diluere debemus, sed etiā bonis operibus illa tegere. Bonis operibus (inquām) quæ ex viuā fide & charitate proficiantur. Et quid opus est multis verbis? Scimus, q̄ post hanc diē pacis, alia dies iudicij veniet, corā quo subsistere nemo poterit, nisi qui membrum Christi sit. Atqui nulla alia via & medio mēbra Christi fieri & manere possumus, quā si illi adhareamus vera fide & amāti ac pio corde, & proximis nostris medullitus compatiāmur. Hæc duo quisquis habet & exhibet, diem visitationis suæ benè collocavit: non est, quòd timeat, quando altera dies veniat, non est, quòd obstupesciat, etiā si ab hoste vndique circūdetur

& coan-

& coangustetur: non est, q̄ abscondat se, etiã si videat, q̄ Christus malos æterno suo iudicio è templo suo expellet & exiget. Hunc in modũ & pluribus olim Gregorius populum suum circa Euangeliũ istud adhortatus est: & sufficere nobis id posset pro adhortatione, si aures haberemus audiendi. Attamen aliquatò fusius de eo dicendũ est. Et primò duo in hoc Euangelio indicata sunt, circa quæ pius quisque multa considerare & haberet & posset, si ea inter se inuicẽ conferret. Primũ est, quòd Christus super ciuitatẽ Hierosolymã fleuit. Alterũ est, quòd sub id mox, & quidẽ per seipsum ementes & videntes è templo eiecit. Eiusmodi sanè hæc duo sunt, vt quæ planè inter se pugnare videri possint. Etenim in mundo res multò aliter habet. Vbi fletur & cõpatientia habetur, illinc ira & castigatio abest. Ceterũ vbi ira est, & pœna irrogatur, ibi pauca vel nulla commiserationis signa visuntur. Certè meritò apud nos Christianos, & in sancta Christianitate, si rectè res procederent, neutrũ sine altero esse debebat. Nos Christiani nostros ira diligere debebamus, flere & cõpatientiam cũ illis habere, ne tamẽ malũ impunè ferrent. Malũq; in malis ita punire debebamus, vt tamen fletus & cõpatientix affectus indidem etiã deprehenderetur. Sed rarò simul inueniuntur in terris. Postquã lachrimæ & compatiencia, imò affectus noster erga aliquẽ, animum nostrum occupauit, irasci nõ possumus & punire, etiã si peccet, & iniquè agat: vt videre est in Heli, qui mala multa audiebat & nouerat de filijs suis, ceterũ punire eos non poterat, quãtũcunque ea illi ab alijs significarentur: imò quantumcunque illi mali propterea Deus comminaretur. Porro verò cum incipimus irasci & punire, nullius cõdolentis memores sumus. Tãtò magis mirum videri alicui posset, qui audit & legit, q̄ Christus in initio huius Euangelij, tã amarè flet super ciuitatẽ Hierosolymã, vt nec integrũ verbum proferre posset, ac verò sub id mox tantã seueritatem exhibeat in templo, perindè ac si nihil illis compateretur, sed eos omni ira & indignatione dignos censeret. Hoc (inquàm) mirum videri alicui posset, maximè si nesciremus Dei vias, cogitationes & consilia longè alia esse, quàm nostræ sint viæ, cogitationes & consilia. Quinimò si Deus ita compateretur nostræ imbecilitati, vt nullum malum puniret, non esset Deus iustus. Sin autem ita puniret peccata nostra, vt nihil infirmitati nostræ compateretur, non esset Deus misericors. Atqui scriptu-

1. Reg. 2. 3.

Esa. 55.

ra hæc duo prædicat simul & passim de Deo, nimirum, q̄ mi  
*Psal. 100.* sericors sit & iustus. Misericordiã (inquit David) & iudicium  
*Exod. 20.* cãtabo tibi Dñe. Tũ Deus ipse dicit: Ego sum Dñs Deus tuus  
 fortis, zelotes, visitans iniquitatẽ patrum in filios, in tertiã &  
 quartã generationẽ eorũ qui oderunt me: & faciẽs misericor  
 diã in millia his qui diligunt me, & custodiũt præcepta mea.  
 Hæc Christus simul indicare voluit in isto Euangelio. Super  
 ciuitatem Hierosolymã flebat, quò videre possemus, cum esse  
 Deũ misericordẽ, qui parcere quã punire mallet. Serio indẽ  
 expellebat ementes & vendentes è tẽplo, quò intelligeremus,  
 eũ iustum esse Deũ, qui nihil mali impunitum sinat. Atq; hæc  
 adhibẽda esset cõsideratio circa Euãgeliũ istud, & meo quidã  
 iudicio, perutilis & necessaria. Per fletũ eĩm Christi possemus  
 spem & fiduciã haurire in misericordiã Dei: per seueritatẽ au  
 tem, quã in tẽplo ostẽdit, metus nobis incuti posset, ne tam te  
 merè cõtra Deũ ageremus. Et hæc nõ nisi in genere dicta sunt  
 de isto Euãgelio. Quæ igitur quãtãque cõsiderãda sese præbe  
 rent, si qs singula verba sibi pponeret, vti in antiquis nostris  
 ecclesię doctoribus videmus & legimus, quibus nõ iocus fuit,  
 q̄ Christus in hoc Euãgelio fecit & locutus est. Nõ potest nõ  
 voluptate quadã affici quisq; attẽdit, quã hanc solã voculã fle  
 uit, sibi frugiferã reddiderit D. Bernardus. Tres causas (in  
 quit) inuenio, quã ob rem Christus fleuerit. Primò id ideo fe  
 cit, vt tantò maiorẽ fiduciã & spem habere possimus, tantòq;  
 minus dubitare de eius amore, gratia & misericordia. Nã vbi  
 Christus flet, ibi ex animo proficiscitur. Non sunt lachrymæ  
*Ioan. 13.* Crocodili, sed merus amor & cõpassio. Nam vt suos dilexit  
*Luc. 23.* in terris, ita in finẽ vsq; dilexit illos. Tum oratio illius, quã in  
 cruce pro inimicis suis faciebat, satis argumenti nobis est, il  
 lum optimè erga nos affectum esse. In diebus carnis suæ (in  
 quit Paulus Heb. 5.) preces supplicationesque cũ clamore va  
 lido & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia.  
 Secundò, Christus lachrymis suis quas fudit, docere nos vo  
 luit, vt etiã nos pro nobis ipsis discamus miserã nostrã & indi  
 gentiam deplorare. Si eĩm flet is qui nullã debuit sentire mise  
 riam, multò iustiorẽ flẽdi causam habet ille, qui in medio om  
 nis miserix & necessitatis hæret & immersus est. Huc accom  
 modare possem, quod Christus in passione sua dicit: Hoc si fit  
*Ibid.* in viridi ligno, in arido quid fiet? Si boni plorare & tristari  
 coguntur, malis quid continget? Tertiò, nobis Christus suis  
 lachry -

lachrymis indicare voluit iustum tēpus & causam, quando & quā ob rem flere debeamus. Ter inuenio in Euangelio & sa- *Ioan. 11.*  
 cra scriptura fleuisse Christū: in sua passione pro peccatis no-  
 stris, vti superius ex D. Paulo ostensum: in reuocādo ad vitam  
 Lazarum defunctum flebat Christus ex deuotione, q̄ Deus  
 tā magna per eum efficiebat. Pater (inquit) gratias ago tibi,  
 quia audisti me, &c. In hodierno autē Euangelio flebat super  
 ciuitatē Hierusalem ex compassione. Hæ veræ causæ sunt, cur  
 Christianus flere debeat. Primū, quādo animo tecum repetis  
 peccata tua, tum tēpus flendi est. Sic peccatrix flebat in Euan- *Luc. 7.*  
 gelio: imò tam ardentē, vt etiā lachrymis suis Domino Chri-  
 sto pedes eius irrigaret. Sic flebat Dauid cū diceret. Psalm. 6.  
 Lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis  
 stratum meum rigabo. Secundò, quando cogitas, quid tibi de-  
 derit Deus per filiū suū, & quid tibi in futurum adhuc dare  
 promiserit, isthic rursū tempus est flendi ex gaudio & deuo-  
 tione. Sic flebat Dauid, cum diceret: Fuerunt mihi lachrymæ *Psal. 41.*  
 meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, Vbi est  
 Deus tuus? Hæc recordatus sum, & effudi in me animā meā,  
 quoniā trāsibo in locum tabernaculi admirabilis vsq; ad do-  
 mum Dei, in voce exultatiōis & cōfessionis, &c. Tertiò, cū  
 vides peccata, vel etiā necessitatē externā, & dānum proximo-  
 rum tuorū, tum rursū tēpus est flendi, & condolendi. Sic fle- *1. Cor. 13.*  
 bat Paulus super quosdam qui peccauerant, & tamen pœni-  
 tentiam nullam faciebant. Et alio in loco flebat ex compassio- *Phil. 2.*  
 ne super eos, qui ex credētibus facti erāt inimici crucis Chri-  
 sti, ventrē suum pro Deo colētes. En, hoc ecclesiæ iste Doctor  
 Bernardus, circa vnicā hanc voculā considerauit. Et quāto tē-  
 pore quis opus habeat, si ad longū indicare velit, quantus ar-  
 dor fuerit, cū Christus ementes & vendentes vi tēplo extur-  
 baret? Quā horribile iudiciū est, q̄ ciuitatem Hierosolymam  
 tā miserè perire passus est, vna cū omnibus inhabitātibus eā?  
 Sed de hoc postea dicitur in alijs sermonibus. Hac vice solum  
 circa primum verbum istius Euangelij causam vobis dare vo-  
 lui, vt etiam alia verba tantò diligentius considerētis. Ante  
 omnia autem studeatis diē nostræ visitationis, qui nobis ad  
 pacem datus est, ita collocare, ne diē futuri iudicij pertimesce-  
 re neesse habeamus: atque ita in templo sanctæ Christianita-  
 tis viuatis, ne ab æterno excludamini. *1. Cor. 12.*  
 Quam ad rem nobis etiam hodierna inseruire Epistola possēt: ea indicat nobis

quæ sit dies visitationis nostræ, & quomodò in eâ gerere nos debeamus. Erasmus aliquando Gentes, nunc autem filij Dei. Seruiebamus aliquando mutis idolis: nunc habemus & agnoscimus verum Deû in cœlo. Erasmus aliquandò cæci & pauperes: nunc autem videmus & habemus omnia Dei bona præ manibus. Hæc est dies visitationis nostræ. Eam autem ita collocare nos oportet, vt semper in recenti memoria habeamus, qui fuerimus, & qui facti simus. Secundò, vt Christum agnoscamus tanquam eum, qui ad eiusmodi bona nos perduxerit, eumq; religiosè colamus & studiosè imitemur. Tertiò, vt accepta gratia & donis rectè vtamur ad honorem Dei, ad utilitatem proximi nostri, & ad propriam nostram salutem. Si ciues Hierosolymitani diem in qua illos Deus per Christum visitauit, hoc pacto considerassent agnouisséntque, neque à Romanis temporaliter, neq; spiritualiter è templo & domo, quin è regno Dei, eiectioni fuissent. Faxit Deus, vt geminus eorum interitus, perennis nobis sit admonitio, Amen.

## S E C V N D V S S E R M O D E

*duplici pœna & iudicio indicto Iudæis in hoc*

*Euangelio, cum adiuncta Epistola.*



**HISTORIA** istius hodierni Euangelij gesta est in die Palmarum, atque eo ipso tempore, quo Christus quinto die ante sacram suâ passionem, cû laude & hymnis, palmarum ramis & festiuo Hosanna Hierosolymis à populo excipiebatur.

Tantò magis mirum alicui videri posset, quòd hac aded vice in tali & cõmuni gaudio omnium credentium fleuerit, quod tamen antea non legitur fecisse, licet sæpè Hierosolymam ingressus esset. Causa autem indicari facilè potest: imò Euangelium ipsam indicat. Veniebat Christus id temporis ciuitatem vnâ cum inhabitatoribus illius clementissimè inuisere. Quia perficere volebat omnia quæ Prophetæ scripserant de illo, & prædixerât, præstare volebat Deus omnia, quæ eis vnquâ promiserat: charitatem suâ erga genus Abrahæ, imò erga omnes mortales summè & omniû maximo opere declarare volebat, pro illorum & totius mundi peccatis moriturus. Hoc autem infœlices ciues agnoscere, considerare aut curare nõ volebât, quod sequi nihil aliud poterat ac debebat, quâ seuerissimum iudicium & pœna, quâ illis iam dudum fuerat interminatus,

vti cùm

vti cūm dicit: Ego vado, & quæretis me, & in peccato vestro *Ioan. 8.*  
 moriemini. Et iterū: Lu. 17. Veniēt dies quādo desideretis vi-  
 dere vnū diē filij hominis. Et cūm alio in loco dicit: Auferret *Matth. 25.*  
 à vobis regnū Dei, & dabitur genti faciēti fructus eius. Itē cū  
 alio in loco dicit: Veniet super vos omnis sanguis iustus, qui *Matth. 23.*  
 effusus est super terrā ab initio mundi à generatione hac. Et  
 paulò pōst: Domus vestra relinquetur vobis deserta. Et cūm  
 dicit ad mulieres Luc. 23. Nolite flere super me, sed super vos-  
 ipsas flete, & super filios vestros: quoniā, ecce, venient dies, in  
 quibus dicēt, Beatæ steriles, & ventres qui nō genuerunt, &  
 hubera quæ non lactauerunt. &c. Hæc omnia (inquā) ade-  
 rāt, & quidē proximè præ foribus. Differri pœna diu non po-  
 terat, cūm benignissima visitatio Dei cōtemneretur. Hoc vi-  
 debat Christus, & tam certò, quasi iam præsens esset, nimirū  
 quomodò Hierosolyma extrinsecus ab hostibus coangustari *Vide Iosephī*  
 debebat, intrinsecus verò per seditiones & factiones diuidi: *historiam.*  
 quomodò multa millia, imò innumeri homines interituri es-  
 sent gladio, fame & pestilētia: & qui reliqui, in omnes terras  
 spargi, vēdi, & prospectaculo feris proijci deberēt. Hoc om-  
 nia videbat Christus: sed solus videbat, ideò solus flebat. Hic  
 duo cōsiderāda sunt. Primò, quomodò incredulitas & ingra-  
 titudo in nobis puniatur. Secundò, vnde omne incommo-  
 dū, vtpote bellū, fames, & tot morbi veniāt. Scire vis, quomo- *Ingratitudo*  
 dò incredulitas & ingratitude nostra puniatur? Cæcitate seu *vt puniatur.*  
 excæcatione. Et quæ illa cæcitas est? Quòd homo neq; bonū,  
 neq; malū, neq; fortunā, neq; infortuniū videre possit. Fortu-  
 nā vide nō potest nisi amissam: malū videre nō potest, donec  
 incūbat eius ceruicibus, ita vt effugere amplius & euitare nō  
 possit. Quid autē infœlicius, qui si alicui multa bona suppe-  
 rāt, nec tamen ea viderat, tantū abest, vt in vsum aliquē pos-  
 sit conferre? Quid horrendū magis, quā si cupiā malū & pœ-  
 na præ foribus est, nec tamē cernit eā, vt vitare possit? Sic autē  
 res habebat cum populo Iudaico. Christū filiū Dei & serua-  
 torē apud se habebāt, imò in medio ipsorū, & in Christo om- *Ioan. 1.*  
 ne bonū & æternā salutē, quin Deū ipsum: sed nō videbāt, nō  
 agnoscebāt, nō credebāt, donec cūm Christus, tum regnum  
 Dei ab illis auferebatur. Cōtrā autē sententia & iudiciū iam  
 latum erat super ciuitatē, terrā & populū Iudæorū: inimici  
 eorū interficere illos debebāt, vndiq; coangustare, destruere  
 & dissipare: imò nō relinquere lapidē super lapidē. Id autem

neq; cōsiderare, neq; credere poterāt, donec iā bello & omni malo cincti essent: vnā illis pereundū erat, inq; tāto numero, vt credi nō possit, nisi Iosephus, qui vnus ex illis fuit, & tēpore istius belli & deuastrationis ciuitatis, Hierosolymæ vixit, & omnia vidit, ipsemet scripsisset. Hic cōmemorat primò decies cētena millia hominū, iuuenūmq; senūmq;, mulierū & virorū, quā aut gladio interēpti sint, aut fame perierint. Deinde nominat nonaginta & septē millia hinc inde vēdita. Sic Deus puniebat incredulitatē & ingritudinē eorū excæcatione, vt neq; præsentī gratia frui, neq; indictū iudiciū & pœnā effugere possent. Adeò horribile est, sicubi Deus homini lumen subtrahit, & in tenebris relinquit. Atqui Deus nulli mortaliū lumē subtrahit suę gratiæ, nisi homo vltro oculos suos, aures & cor claudat, quēadmodū tū Iudæi faciebāt, & adhuc multi homines faciūt etiam inter nos Christianos. Vnde excæcatio tantas apud nos vires accipit, regnat & quotidie accrescit, vt neq; præsentē nostrā vtilitatē, neq; futurū malū videre possimus aut cōsiderare. O quā bene pacē & fortunā propitiā habere possemus, si ipsi vellemus? Quā multa mala præca-  
*Deute. 23.* uere possemus, si oculos haberemus? O vtinā saperēt (inquit Moyses) & intelligerēt, & nouissima prouiderēt. Sed omnia absconsa sunt ab oculis nostris. Deus affligit nos & punit ob summā ingritudinē nostrā, vt neq; gratia eius frui, neq; iudiciū illius effugere possimus. Iudiciū nūc est mundi, quia lux venit in mundū, & tamē homines magis diligūt tenebras iniquitatis quā lucē iustitiæ. Hoc vnū est, quod circa Euāgeliū istud cōsiderandū est. Secūdò autē innuit quoque Euāgeliū istud, bellū, famē, annonæ caritatē, morbos, pestē, pernitiē, & omnia malorū genera nō aliūde venire, quā q̄ nō agnoscimus tēpus visitatiouis diuinæ. Benedictus (inquit Zacharias)  
*Luc. 1.* Dominus Deus Israël, quia visitauit plebē suā. Et iterum: Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos Oriēs ex alto. illuminare his, &c. Sic Deus visitauit nos. Ac tū tēpus benignæ istius visitationis incepit, quādo Christus homo factus, & in terris natus est. Hoc tēpus & benigna visitatio Dei adhuc vsq; durat: verū quātoperē cōsideramus? Quā gratitudinē exhibemus? Quātō meliores inde reddimur? Quare nihil demirari debemus, vnde hoc tempore tot bella, annonæ  
*Causa malorum qua patimur.* caritas, & noui subinde morbi nascantur. Eò (inquit Christus) quia tēpus visitationis tuę nō agnouisti, & diē ad pacē tibi datam: aliud

tam: aliud tēpus videbis, nimirū diem belli & disidij, tempus  
 omnis necessitatis & angustix, tēpus æternæ mortis & inte-  
 ritus: Quapropter in hoc Euāgelio diligenter obseruandū, &  
 quiuis sibi dictū seriò existimare debet, q̄ Christus infœlici  
 ciuitati Hierosolymæ, vnà cū filiis ipsius & ciuibus duob' mo-  
 dis futurū eius iudiciū annūtiavit & interminatus est. Primò  
 verbis, deinde verò facto & opere. Veniēt dies in te, & circun- *Luc. 19.*  
 dabūt te inimici tui, vallo, & coangustabūt te vndique, & ad  
 terrā prosterneēt te, & filios tuos qui in te sunt: & nō relinqueēt  
 in te lapidē sup lapidē. Hæ verborū minæ sunt. Mox incipie-  
 bat & eiciebat emētes & vendentes è tēplo, dicens: Scriptū est,  
 Quia domus mea, domus orationis est: Vos autē fecistis illā  
 speluncā latronum. Hoc opere & facto interminari est. Et sic  
 etiā oīa acciderūt. Quadraginta annis aut circiter post pas-  
 sum Christū veniebant Romani, & omnia verificabant, quæ  
 Christus prædixerat & fuerat minizatus ciuitati, tēplo & po-  
 pulo Hierosolymæ. Adhæc etiā Deus illos ex æterno suo tē-  
 plo eiecit. Et quā certò Christus Iudæos istiusmodi suis ver-  
 bis & operibus seu factis monere voluit, tā quoq; certò Lucas  
 nobis Christianis id scripsit ad admonitionē. Quid alioqui  
 Hierosolyma & deuastatio eius ad nos? Quid nobis obesse po-  
 test, q̄ Romani eā ciuitatē euerterūt? Aut quid nobis p̄desse  
 posset, etiā si salua māssisset? Illius deuastatio nobis nocere non  
 potuisset, quēadmodū nec pax illius & fortuna quicquā no-  
 bis profuisset. Omnibus autē mortalibus & præcipuè nobis  
 Christianis, ad admonitionē Lucas tā diligēter descripsit, qd  
 Christus illi ciuitati vnà cum populo eius & incolis intermi-  
 natus sit. Est enim Deo res nobiscū, & cū illo nobis. Habemus *Dies gratia.*  
 item diem quæ nobis ad pacē data est, & expectamus aliā diē, *Dies iudicij.*  
 in qua Deus pro tribunali sedebit, & puniet quod nūc in die  
 gratiæ & pacis dissimulat. Hic diligenti cura opus est, vt hos  
 duos dies benè & seriò consideremus. Vbi principiò obseruā-  
 dum. Christū hīc duplici sermone vti: de primo die loquitur  
 in singulari. In hac die tua, quasi non nisi sit vna dies, in qua  
 pacē habeamus. De altera autem die loquitur in plurali. Ve-  
 niēt dies in te. Nō sine causā autē Christus tā distinctè locu-  
 tus est de duobus diebus. Etenim primò certū est tēpus gra-  
 tiæ in hac vita breue esse, vt Paulus dicit: imò tam breue, vt  
 dicat Ioānes, iā nouissimā horā esse. Ille autē longus & æter- *1. Corinth. 7.*  
 nus dies erit. Secundò etiā propterea dies gratiæ in hac vita, *1. Ioan. 2.*

dies vnica vocatur, quia omnibus pariter salus & pax offertur  
*Roma. 10.* sine personarū delectu. Nō est enim discrimen inter Iudæū  
 & Ethnicū, marē & foeminā, seruū & dominum, &c. sed qui-  
 cunq; inuocauerit nomē Domini, saluus erit. Tū Deus; diues  
 satis est in gratia & misericordia in omnes homines. Idcirco  
 dicit Christus, In hac die tua: hæc enim cōmunis esse omniū  
 pōt: illic verò duo dies erūt, alter ad vitā æternā, alter ad æter-  
 nū exitiū pertinēs. Quapropter dicit Christus, Veniēt dies in  
 te. Tātò diligētius duos istos dies considerare debem⁹. Chri-  
 stus flebat & lamētabatur ciuitatē Hierosolymā, q̄ horū die-  
 rū neutrū cōsiderare volebat. Flebat autē nō solūm super illā,  
 sed etiā super ciuium excæcata, obdurata, & peccatis dedita  
 corda. Atq; ea satis deplorari nō possunt & defleri. Quia ne-  
 sciunt, nec scire volunt & agnoscere diē in qua ipsos Deus gra-  
 tia sua visitat. Quēadmodū Christus ad Iudæos dicit: Non  
*Ioan. 5.* vultis ad me venire vt vitā habeatis. Et ad ciuitatē Hieroso-  
*Matth. 23.* lymā: Quoties volui congregare filios tuos, quēadmodū gal-  
 lina congregat pullos suos sub alas, & noluiti? Hæc natura  
 est omniū impiorū, Nolūt intelligere vt bene agāt. Quinimō  
 dicūt ad Deū: Recede à nobis, scientiā viarū tuarū nolumus,  
*Psal. 51.* &c. Vbi altera dies venit, tum nimirū illos fouea desperatio-  
*Iob 21.* nis circūdabit, vnde sequetur, vt quocūq; currant & fugiāt,  
 cadant in foueā, & tam profundē, vt nec semel de Deo cogi-  
 tare possint. Sed mirum nō est, cūm Deus nunquā locum ha-  
 buerit in corū cordibus, neq; vnquā super Deū ædificauerint  
 sese, sed super tēporalia solūm. Vbi ergo fundamentū eorum  
 iacet, cui innitebātur? iam pax & gaudiū eorū euanescit, sequi-  
 tūrq; æterna adeoq; incōprehensa perturbatio, cuius cōtem-  
 platione cōtremiscere omnes homines coguntur, & expauc-  
 scere. Tantò minus iam dormitandū nobis. Hodiernū istud  
 Euangeliū satis nobis ostendit, quid Deo potissimū in nobis  
 displiceat, & quid seuerissimè omniū punit ac puniturus sit.  
*Contemptus gratia.*  
*Abusus dono-*  
*rum.* Est contēptus gratiæ, & abusus donorum. Propter primum  
 minabatur ciuitati Hierosolymæ excidiū eius: propter alterū  
 è templo illos exigebat. Si Hierosolyma oblatam Dei gratiā  
 non tam temerè cōtēpisset & renuisset, haud quidem deua-  
 stata fuisset. Porrò si Iudaici sacerdotes donis Dei non tam  
 auarè abusi fuissent, non tantam seueritatem Christus in eos  
 exercuisset. Iudaico seu Israëlitico populo præ alijs omnibus  
 populis gratiam fecerat & beneficia exhibuerat, vti Moyses  
 dicit: Non

dicit: Non est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos ap- *Deut. 4.*  
 propinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecra-  
 tionibus nostris. Et David: Non fecit taliter, omni nationi, *Psal. 147.*  
 &c. Sed nulla ibi erat agnitio. Tribui Levi templum tradi-  
 derat ad orationem, sacrificium & Dei cultum, ipsi verò do-  
 mum negotiationum, imò speluncam latronum indè facie-  
 bant. Sacerdotes eos constituerat, cæterum illi negotiatores *Luc. 19.*  
 & mercatores erant. Et tamen Deus illis de cibo & alimentis  
 abundè prospexerat, vt nulla negotiatione opus habuissent.  
 Sed auaritia illorum hoc efficiebat, vnde & in Christo talem  
 seueritatem videre & experiri cogebantur. Nostrum quo-  
 que videre est, quomodò Dei gratiam accipiamus, quomo-  
 dò illa vtamur, quomodò in domo Dei nos geramus: num sa-  
 cerdotes, an mercatores simus: num Dei honorem quæra-  
 mus, an proprium nostrum commodum: num homines ad  
 Dei cultum trahamus, an malis exemplis inde auertamus.  
 Vbi Christus redierit, primùm ingrediatur in templum,  
 illudque visitabit. Iudicium suum à domo sua incipiet. Nihil *1. Pet. 4.*  
 ferre minùs potest, quàm prophanationem suæ domus. In  
 nullos grauius animaduertit, quàm in eos qui in ipsius do-  
 mo, in ipsius seruitio, in ipsius nomine negociantur, hoc est,  
 bona temporalia, mundanum fastum, corporis voluptatem  
 quærunt. Quocirca eiusmodi negotiatores istud Euāgelium  
 meritò pro admonitione accipere debent. Enimverò veniet *Sopho. 1.*  
 Christus, & non tardabit. Visitabit quoque & scrutabitur spi-  
 ritualem Hierosolymam in lucernis. Illuminabit abscondita *1. Corint. 4.*  
 tenebrarum, id est, in lucem ea proferet, & manifestabit con-  
 silia cordium & occultas cogitationes, & tunc laus erit vni-  
 cuique à Deo: imò vnicuique etiam iusta ac merita ab æquis-  
 simo illo iudice pœna irrogabitur. Rogas, quomodò quis in  
 domo Dei se gerere debeat, & quid facere oporteat? Hoc Pau-  
 lus docet in hodierna Epistola: Scitis quoniam cum Gentes *1. Cor. 12.*  
 essetis, ad simulachra muta, prout ducebamini, euntes, &c.  
 Hæc hodierna fuit Epistola. Hic docet nos Paulus, quæ no-  
 stra negociatio in tēplo & domo Dei esse debeat, hoc est, in  
 sancta Christianitate. Multa nobis enumerat dona, quæ Deus  
 suæ Ecclesiæ per Spiritum suum sanctum dedit. Dicit, Deum  
 effudisse illiusmodi dona, & dedisse ad vtilitatem, ac non tem-  
 poralē, sed spiritualem, & nō ad propriam nostram vtilitatē,  
 sed ad vtilitatem proximi nostri, imò totius Christianitatis.

Atque hæc vera & Christiana negotiatio est, vnusquisq; videat, vt eo quod illi Deus dedit, proximo suo & vniuersæ Christianitati seruiat. Talis negotiator erat Paulus, vbi ait:

*1. Cor. 9.* Cū liber essem ex omnibus, omnium me seruum feci, vt plures lucrifacerem. Iudæis factus sum tanquàm Iudeus, vt Iudeos lucrifacerem: infirmis factus sum infirmus, vt infirmos lucrifacerem: omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos. Tales negotiatores Christus è domo sua non exi-

*Matth. 25.* get, sed è domo sua illos in æternū suum regnum recipiet, & dicet: Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui. En, hoc nobis in hodierno Euangelio & Epistola considerandum est. Deus det nobis suam gratiam, Amen.

TERTIVS SERMO EVANGELIUM IſTUD AD NOS VNÀ CUM EPISTOLA ACOMMODAT.



N hodierno isto Euāgelio duo nobis indicata sunt. Primò prophetia seu denūciatio rei alicuius quæ in futuro tēpore fieri debebat. Secundò historia seu demōstratio rei iam gestæ: vtrūque auditu horribile. Terribile est quod Christus vendētes & emētes è tēplo eijciebat. Terribilius adhuc est, quod toti ciuitati Hierosolymæ tā apertè prædicebat, quomodò & qua de causa tandē penitus deuaſtāda esset, perdenda & diruēda vnà cū omnibus eius filijs & incolis. Itaq; non dubito, neminē inter nos esse tā incuriosum & sollicitudinis vacuū, quin apud modò dictū Euangelium secū cogitauerit, orauerit ac dixerit: Domine Deus custodi & conserua spiritualē nostrā Hierosolymā, sanctā & vniuersalē Christianam Ecclesiam, ne vnquā tali pœna plectatur. Atq; hoc pacto etiā Euāgelium istud considerandū est: sic circa Euāgelium istud orandum est, proptereā literis mandatum est, proptereā nobis Christianis singulis annis prædicatur & proponitur. Semel locutus est Deus (inquit Dauid) duo hæc audiui, quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia: quia tu reddes vnicuique iuxta opera sua. Deus semel tantum locutus est, quia non habet, nisi vnicum verbum quod ab æterno ex illo exiuit, quæadmodum Ioānes dicit Cap. 1. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum,

& Deus

*Psal. 16.*

*Deum semel  
tantum locu-  
tum et intel-  
legendum.*

& Deus erat Verbum. Et per verbum omnia facta sunt, & c. Is est vnicus & naturalis filius Dei. Hunc vocat & nominat Deus vniciū & æternū Verbum, quod Deus ab æterno pronūtiavit. In hoc Verbo audimus & intelligimus duo. Primò, q̄ apud Deum omnis potestas est, attamen nō est expers misericordiæ. Secūdò, q̄ vniciūque dabit iuxta eius opera. Hęc duo (inquit David) audiui & intellexi, ex vnico verbo Dei. *Psal. 75.* Audimus etiam vtraque illa in hoc Euangelio, tametsi non nisi vnicus Christus in eo loquitur & agit. Qui nescit, aut nō credit apud Deum summam esse potestatem, is legat historiam *Iosephus.* de vltima deuaustatione ciuitatis Hierosolymæ, dicere omnino cogetur: Terribilis es Domine, quis tibi resistere potest? *Esther. 13.* Et cum pio Mardocheo: Domine rex omnipotens, in ditio- ne tua cuncta sunt posita: & nō est qui possit tuæ resistere voluntati, si decreueris saluare Israël. Et cū Hieremia: Magnus *Hier. 10.* es Domine, & magnū nomen tuum in fortitudine. Quis non timebit te ò rex gentium? Et certè quisquis ex hoc terribili & miseranda historia non discit Deum timere, & potestatem eius agnoscere nunquàm discet: numerare se inter eos merito potest, de quibus Hieremias dicit 7. cap. Hęc est gens quæ non audiuit vocem domini Dei sui, nec recepit disciplinam, periit fides, & ablata est de ore eorum, idè Deus abiciet eos, & c. Ergo qui in iam dicta historia de deuaustatione Hierosolymæ, non videt & videre potest, q̄ Deus iustus iudex est, & vniciūque secundū opera eius dat ac retribuit, is nō vult videre. Nobis id dictum est & scriptum, fratres. Nemo aliter persuaderi sibi sinat, quā q̄ apud Deum omnis potestas est, & q̄ vniciūque reddit iuxta opera eius. Potest, & faciet. Infelices Iudæi horū credere nihil volebāt, donec opere & re ipsa in seipsis experti sunt. Illorū casus nobis esse admonitioni debet. Quod illis accidit nobis meruendū est, si in simili incredulitate, inobedientia & ingratitude fuerimus inuenti. Et certè benè nobis hoc considerandū est, præcipuè hisce tēporibus. Deus nos Germanos hisce temporibus multis modis subinde visitauit, & piè præmonuit, & multa nobis ob oculos posuit, quæ antea non curabamus. Partim nobis suam voluntatem, & præcepta, partim verò etiam peccata nostra tam clarè detexit & cognoscenda dedit, quemadmodū omnes fateri coguntur, vt nemo excusare se possit & dicere, nescire se quid æquum sit vel iniquum. Quinimò proclamari nobis & denuntiari si-

nit, q̄ semper ab Adæ tēporibus vsq; nunc, nihil minus impunitū dimiserit, neq; etiā nunc minus ignoscere velit, quā si sanctū illius verbū & præcepta cōtemnātur, & gratia eius peccando repellatur. Semper nobis aliquid ostendit, nūncq; hac, nunc illa castigatiōe vel pœna nos monuit. Sed frustra adhuc omnia. Nunc in extremis res est, flagellū & virgā in manus sumpsit, idq; tanta seueritate, perindē ac si extrema nobiscū experiri velit, & omninō à templi sui limine nos arcere, ciuitates nostras & regiōes penitus perdere, quemadmodū olim ciuitatē Hierosolymā. Et quis potest dicere, q̄ nobis vtralibet ex parte iniuriā facit, quemadmodū nos inuicē appellamus, siue Lutheranis, siue Papistis? Lutherani quidem fatentur, se Dei gratiam nunquā melius agnouisse quā nunc: cæterū, vt alia omittā, num diuina Dei gratia benè vel malè vsi sint, & adhuc vtantur, optimè illis dictabit conscientia eorū. Nobis verò, quos illi Papistas vocant, peccata nostra & flagitia, abusus nostri, & si quid aliud in nobis vitij est; satis ob oculos in catholica Ecclesia positū est. Quantū verò nos emendauerimus, aut adhuc corrigere in animo habeamus, haud obscurū est. Quia igitur à neutra parte tempus, in quo nos Deus benignè visitauit agnoscimus, meritò pariter luimus pœnas, vt ante oculos est, ita vt vtrobiq; nihil aliud quā miseria & perditio videatur, nihil aliud quā erumnæ & lamēta audiantur. Et qui nondum senserūt, illis rogādus Deus, ne dehinc sentire cogātur. Nullus enim miseriarū adhuc finis: nec scit quisquam quam quandiu & quā latè gladius Dei populabitur. Videtur nobis quidem quandoq; , sopito vno malo, iam euasisse nos, ilicō sine metu viuere incipimus. Sed quid dicit Paulus? Cūm dixerint pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus. Hieremias dicebat populo suo similiter. Nabuchodonosor Babylonæ rex Hierosolymam obsidione cinxerat, sed obsidionē relinquere cogebatur, & alijs in locis bellum gerere. Sed existimabant Iudæi iam se liberatos: ad pristinos mores reuertebantur, &c. Sed quid Hieremias? Nolite (inquit) decipere animas vestras: dicentes: Euntes a bibunt, & recedēt à nobis Chaldæi: quia nō abibunt. Sed etsi percusseritis omnem exercitū, qui præliantur aduersum vos, & derelicti fuerint ex eis aliqui vulnerati: singuli de tentorio suo cōsurgent, & incendunt ciuitatē hanc igni. Nobis dictū esse existimare debemus. Et meritò terrere nos debet, & maximè, sicut ipse dicit,

Hier. 47.

1. Thes. 5.

Hier. 37.

dicit, etiã si omnes inimici nostri occisi essent, possit tamẽ Deũ  
 etiã ex ossibus occisorũ alios inimicos velociter & expecta-  
 tione citius excitare, per quos impiam nostram vitã castiget.  
 Quocirca adhuc in hodiernũ nõ est melius & certius mediũ  
 extensam manũ Dei auertẽdi & sedandi, quã si agnoscamus  
 tẽpus in quo nos Deus tam benignẽ visitauit, grati simus pro  
 gratia, quã nobis Deus offert, eam cõferamus in opus, vitam  
 nostrã corrigamus, pœnitentiã agamus, rogemus ex animo  
 veniã, q̃ tanto tẽpore aduersus Deũ peccauimus, & deinceps  
 videmus quæ illi displicẽt. Hęc ad rem aliq̃d facere possint, vt  
 posthac animo quieto & esse & manere valeamus. Si reuersus  
 fueris ad Omnipotentẽ (scriptũ est in libello Iob) ædificaberis, *Iob. 22.*  
 & longẽ facies iniquitatẽ à tabernaculo tuo. decernes rẽ,  
 & veniet tibi. Qui em̃ humiliatus fuerit, erit in gloria: & qui  
 inclinauerit oculos suos, ipse saluabitur. Saluabitur innocens *2. Reg. 24.*  
 in mūditiã manuum suarũ. Dauid hoc ipsum in seipso exper-  
 tus est. Videbat Angelũ nudo gladio respicientẽ Hierosoly-  
 mam, quasi illos perdere funditus vellet: & quidẽ iam incœ-  
 perat. Verũ cũ Dauid humiliaret sese: & veniã peteret à Deo, *Ezech. 9.*  
 audiebat Deũ ad Angelũ dicentẽ: Sufficit, nunc cõrinc manũ  
 tuam. E diuersò videbat Ezechiel nõ vnũ, sed sex, qui omnes  
 gladios in manu habebãt, erãtq; illis demandatũ, vt per totã  
 ciuitatẽ nemini parcerẽt, sed omnes homines occiderẽt, illis  
 solis exceptis, qui signũ Thau in frõte gererẽt. Deprecabatur  
 Ezechiel dicẽs: Heu, heu, heu, domine Deus, ergõne disper-  
 des omnes reliquias Israël, effundẽs furorẽ tuum super Ieru-  
 salem? Sed nihil proficiebat hæc illius oratio, malitia domus  
 Israël nimis magna erat, cæterũ nulla pœnitẽtia & emẽdatio  
 inter illos. Igitur (inqt Deus) & meus nõ parceret oculus, neq; *Matth. 3.*  
 miserebor. viam eorũ super caput eorũ reddã. Hoc cõsidere *Luc. 13.*  
 mus circa istud Euangeliũ. Securis ad radice arboris posita  
 est, inquit Ioannes. Et nisi fuerimus conuersi, pœnitentiãmq; *Psal. 7.*  
 egerimus, pariter omnes peribimus, quemadmodũ Christus  
 ad Iudæos dicebat. Dauid similẽ quoq; in modum loquitur:  
 Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrauit, arcum suum  
 tetendit, & parauit illum. Et in eo parauit vasa mortis: sagit-  
 ras suas ardentibus effecit, &c. Qui sit tandẽ, q̃ cũ aliã vbiq;  
 obstitimus, videmusq; quo pacto tueri nos possimus, tamẽ  
 nemo conatur verũ illud obturare foramen, hoc est, peccatis  
 sese opponere, vnde omne existit infortuniũ & malum, cùm

tamen Deus certum nobis auxilium promittat, si conuertamur? Conuertimini (inquit in Ezechiele) & uiuetis. Quare moriemini domus Israël? Quia nolo mortem morientis, sed vt reuertamini & uiuatis. Hæc verba nō homo, sed Deus locutus est: non is faller nos. Quare desistamus à peccatis nostris: oremus: sicut hodiè in Ecclesia oratur: *Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maxime & miserando manifestas, multiplica super nos gratiã tuam, vt ad tua promissa currentes, celestium bonorũ facias esse consortes.* Sed hac oratione cōtenti esse nō debemus, sed efficere etiã, vt Euãgelium istud ad emendationẽ vitæ nobis inferuiat, ea consideratione, q̃ geminũ in eo nobis tẽpus indicatũ est, sed dissimile admodũ. Primum tempus nunc habemus, alterũ expectamus omni momento. Christus vtrunq; descripsit suis circũstantijs. Primo tẽpori, in quo nunc sumus, tria dat nomina. Vocat tẽpus visitationis nostræ, diem pacis, aut quæ ad pacẽ nobis data est, & diẽ nostram. Hęc tria nomina nobis meritò aperire oculos nostros debebant ad tantò diligentius cōsiderandũ quomodò res nostræ sese habeant. Nō enim hoc tẽpus semper fuit, neq; semper erit. Vocatur autẽ tempus visitatiõis, eò q̃ nos Deus hoc tẽpore per vnicũ suum dilectũ filium, summa cōmiseratione & amore visitauit. Vocatur dies pacis, quia nos in illa Christus reconciliauit cùm Deo sacrosancto suo sanguine. Vocatur etiã dies nostra, q̃ in ea æternã salutẽ consequi possumus, si ipsi volumus. Quã diu igitur tẽpus istud durat, exhibet se Christus semper, quemadmodũ in initio istius Euãgelij se exhibuit: nimirũ mansuetũ, misericordẽ, condolentẽ, auxiliari paratũ, & qui nihil aliud queratur, quã q̃ nos ipsos negligimus, tẽpus gratiæ præterlabi sinimus sine omni fructu, & futurũ tempus nō præmeditamur. Ideò nō cessat nos docere, monere & redarguere, quin etiã nonnunquã virga sua castigare, vt nos in viam suã reducat. Id fit in primo isto tempore. Sed sequetur aliud tẽpus huic gratiæ tẽpori valdè dissimile. Nō enim amplius dies nostra vocabitur, sed Domini dies: in illa enim die Deus solus operabitur, & vnumquẽque iudicabit qualis inuenietur. Vocabitur etiã deindè dies iræ & indignationis. Tum enim Deus iram & furorẽ suum ostendet erga eos qui misericordiam eius contempserunt. Vocabitur item tempus derelictionis & deuastationis: illic enim malis omne auxilium subtrahetur, ipsi verò inimicis suis in æternum exi-

*Precatio Eccle  
sæ.*

*Tempus visita  
tionis.*

*Dies pacis.*

*Dies nostri.*

*Dies Domini.*

*Dies iræ.*

*Sopho. 1.*

num exi-

num exitium tradentur. Hæc duo tēpora Hierosolyma cum filijs suis experta est. Quia verò primum agnoscere nolebat, alterum tantò horribiliùs experiri cogebatur: quinimò ita, vt meritò nobis & omnibus hominibus æterno exemplo & admonitioni esse debeat. Etenim nulla ciuitas vnquã tempus diuinæ visitationis tam clementer experta est: quia nõ solum prophetas: sed etiam Christum, imò Deum ipsum habuit, qui se illi loco veluti astrinxerat: quãdo quidem illis promiserat, se in illo loco mansurum cum eis, & is hic semper futurum. 3. Reg. 9.

E diuerso autem nulla vnquã ciuitas tam miserandis modis deuastata fuit. Non enim hîc erat vnusmodi interitus, sed quicquid ad interitũ pertinet, gladius, fames, mors simul in eos venerat. Et in his omnibus nullum à Deo auxilium erat, nulla gratia & misericordia: hominum autem crudelitas vitari non poterat. In summa: Hierosolyma cum suis filijs, omnibus hominibus vsque ad finem mundi exemplum esse debebat diuinæ iræ. Hebr. 3.

Hoc consideremus optimi Christiani. Sit nobis infelix populus admonitioni, ne & nos in simile exemplum incredulitatis & impietatis incidamus. Atque Iudæi cur in omnes terras dispersi.

ideò etiam ponit nobis Deus populum illum ob oculos: ideò eos in omnes terras & nationes disperfit, ne iræ eius & seueræ iustitiæ obliuiscamur, sed timere eum discamus, atq; interim etiam tantò diligentius consideremus diem visitationis nostræ: & id nisi fecerimus, iam in Iudæis indicatum nobis est, quæ nostra pœna & iudicium sit futurum.

Super his omnibus etiam Paulum audiamus in hodierna Epistola. Scitis (inquit 1. Corinth. 12.) quoniam cum Gentes essetis, ad simulachra muta, pro vt ducebamini, euntes, &c. Summa Epistolæ est, perindè ac si paucis dicat: Fratres, erratis aliquando Gentes ac cæci ac miseri peccatores: nunc autem gratiam consecuti estis apud Deum per Christũ. Quam ob rem videte, vt Christum pro domino vestro agnoscatis, eiusque gratia rectè ac studiosè vtamini. Hoc sibi vult hæc Epistola. Pulchra hæc est & necessaria admonitio circa istud Euangelium: imò vnicum medium est ad futuram diem iræ & deuastationis præcauendam. Quatuor docet nos Paulus quæ in nobis habere debeamus. Primum est, priora peccata I. agnoscere & considerare: non solum peccata quæ ante Baptismum in nobis habuimus, sed etiam quæ post Baptismum admisimus. Scitis (inquit) quoniam cum Gentes essetis,

- II. ad simulachra muta, prout ducebamini: euntes. Alterum est, diligenter cōsiderare & magnificere gratiā acceptā, quæ adhuc nobis offertur, & quæ etiam in futurum promissa est.
- III. Tertiū est, vt Christum agnoscamus tanquā authorē omnis boni in nobis, caueamúsq; ne illum pro pietatis habeamus, ne illum malè viuēdo blasphememus, illius gratiā non negligamus, salutē per illū acq̄sitā, nostris meritis nō ascribamus, sed illius potissimū gratiæ: eūque semper verbis & operibus pro Domino nostro agnoscamus, cōfiteamúrque. Nisi enim id fecerimus, spiritum sanctū nō habemus, nec Christi sumus.
- III. Quartum est, diuinis donis & gratia rectè vti. Nō enim Christianus donis Dei efferi debet, quando illa non ex seipso, sed à Deo habet. Nec etiam otiosi debet, & dona Dei in terrā fodere: nam data sunt nobis, vt sc̄nus per illa exerceamus, & ea multiplicemus. Tertiò, vti debet donis Dei non in propriam suā vtilitatem solū, quæ admodum nunc fermè omnes faciunt.
- Matth. 10. Quartò, nec videri Dei dona debet sicuti illi, qui nihil gratis faciūt aut dant, qui tñ ea dona gratuito acceperūt. Multò minus vti Dei donis debet in aliorū danum vel perniciē, vt nūc pleriq; in totius Christianæ ecclesiæ exitium illis abutuntur: sed vti Christianus Dei donis debet ad honorē & laudē illius q̄ ea dedit, & ad vtilitatē vniuersæ sanctæ Christianitatis, & vniuscuiusq; Christiani singulatim. Hoc vult Paulus eo, quod dicit, verbo: Vnicuiq; datur manifestatio spiritus ad vtilitatē. Hæc oīa pertinet ad diē istius clemētis visitationis Dei. Is faxit: vt in spirituali Hierosolyma id meliūs cōsideremus, quàm illi fecerunt in Iudaica Hierosolyma: alioqui totū istud Euāgelium cōtra nos erit. Quinimò Christus ipse non pauciora cōtra nos habebit, quā cōtra Iudæos. Quocircā oculos aperiamus. Dies iudicij nobis í hoc Euāgelio & exēplo ciuitatis Hierosolymæ denunciata est: beatus q̄ ad animū eā benè reuocat.

*Quartus sermo de prima parte hodierni Euangelij.*

**I**N mundo is pro Medico Docto habetur, qui medicinam suam, pillulas, catapotia, potiones & malagmata ita temperare nouit, vt neque sint nimis vehementia, neque nimis lenia & inefficacia. Et hoc boni Medici est: alioqui vtroque periculum est, siue nimis efficax, siue nimis lenis sit medicina. Itidem cū spirituali Medicina, hoc est, cū prædicatio.

dicatione & annúciatione verbi Dei res habet, si vel nimium seuera sit, vel nimium remissa. Christus verum attingere me- *Christi prædi-*  
 dium potuit: ita peccata castigauit, vt tamé misericordiæ non *cand ratio.*  
 sit oblitus: contra verò ita gratiam prædicauit, vt tamen diui-  
 nam iustitiam non obticuerit. Et sic aliàs facit scriptura omni-  
 bus in locis: temperat & miscet hæc duo, Dei gratias & iusti-  
 tiã: vt nemo causam habeat vel desperandi, vel præsumptuosè  
 gerendi se erga Deum. Et est talis temperatura prorsus neces-  
 saria. Nam si scriptura de gratia tãtum diceret nobis, omnes  
 remissiores fieremus: sin de iudicio solùm & ira loqueretur,  
 omnibus desperãdum esset. Idcirco benè temperata & mixta  
 sunt, quòd scriptura nusquàm tam seuerè loquitur, quin sola-  
 tium additum sit: nusquàm tam consolatoriè loquitur, quin  
 adiunctum aliquid sit, quod terrorem incuriat. Hoc reperi-  
 mus in isto Euangelio: isthïc Christus cùm suam benignita-  
 tem, tum seueritatem suam & austeram iustitiam simul exhi-  
 buit, idq; summè. Quod vt verum intelligamus, verba ordine  
 audiemus & disquiremus. Vt appropinquauit Iesus (inquit  
 Lucas capitul. 19.) videns ciuitatem, fleuit super illam, &c.  
 Hæc omnia gesta sunt in die Palmarum, cùm Christus cele-  
 bri triumpho Hierosolymam ingrediebatur. Tantò etiã plus  
 ponderis habent isthæc verba. Nam Christus antea etiam sæ *Christi ingès*  
 pè ciuitati illi appropinquauerat, sed nunquàm vri modò, *amor.*  
 nimirum, quòd super eam fleuerit. Hïc vide ineffabilem illius  
 amorem erga populum iam perditioni proximum. In sum- *Matth. 12.*  
 mo suo triumpho, cùm alij vestimenta sua, alij verò ramos de  
 arboribus in via sternerent, omnibus hominibus qui præce-  
 debant, & sequebantur, ei laudem & honorem acclamãtibus,  
 flebat. Et cur lachrymabatur? Vtiq; propter aliorum tãtum  
 hominum interitũ & perniciè. Id autè tum verè impletũ est,  
 vbi Zacharias ait: Ecce Rex tuus venit tibi mãsuetus. An non *Zacha. 9.*  
 ingès mãsuetudo est, q̃ cùm toties ab illis ignominia affectus,  
 & tã indigna fuerit passus, nullius tamen vindiæ meminit,  
 sed ex magna compassione illorum cæcitatè & futurum ma-  
 lum deplorat? An non ingens mãsuetudo est, q̃ cùm omnem  
 potestatem habeat, in pœna tamen inferenda tam tardus est:  
 imò non nisi veluti coactus punit? Quemadmodũ etiam in *Isai. 1.*  
 Isaiã videre est: Heu (inquit) consolabor super hostibus meis,  
 & vindicabor de inimicis meis: hoc est, quia nullum aliud  
 remedium est, puniam oportet. Et in Ezechiele: Quare mo- *Ezech. 18.*

riemini? Nolo enim mortem peccatoris, sed magis ut conuertatur & uiuat. Docet itaque nos exemplum istud Christi, ne in aliorum hominum pœnis & casibus rideamus aut gaudeamus, sed tristemur & cōpatiamur. Sic faciebat Paulus: Quis infirmatur (inquit 2. Cor. 11.) & ego nō infirmor? Quis scandalizatur: & ego non vrer? Et Diuus Iob: Flebam (inquit capite 30.) quondam super eo qui afflictus erat, & cōpatiebatur anima mea pauperi. Sed quis inferior & magis egenus, quā qui in peccatis iacet? Luctus mortui (inquit Sapiens) septem dies: fatui autem & impij, omnes dies vitæ illorum. Idcirco etiam dicit Hieremias capi. 22. Nolite flere mortuum, neque lugeatis super eum fletu: plangite eū qui egreditur, intellige à Deo per peccatū: hic enim abit in æternū exitium: quia non reuertetur vltra. Obserua tamē aliās etiam circa hunc fletum Christi, tribus in locis illius lachrymas referri. Paulus dicit eum magno clamore & lachrymis supplicationes ad Deum fecisse, idq; factum est in cruce: illic Christus fleuit super peccata. In Ioanne capit. 11. legimus, quōd etiam ad sepulchrum Lazari fleuerit: imō nō solum tum flebat, sed fremebat etiam in mortem. Porrò dicit hodiernum istud Euangelium, cum defleuisse quoque pœnam & iudicium venturum super ciuitatem Hierosolymam. Hoc pacto tria haberemus, quæ merito lachrymas nobis exprimerent: nempe, peccatum, mortē & iudicium Dei. Mundi filij nihil desinent aliud, quā mortem & temporaria incōmoda: peccatum & futurū iudiciū nō curāt. Qui autē rectè credit, is hīc potissimū lachrymatur, peccatū & Dei iram multò magis timer, quā temporalem corporis mortē. Nunc verò audi quid Christus lachrymabūdus dicat: Si (inquit) cognouisses & tu, &c. Hæc verba animum planè cōpatientem indicant, perindè ac si dicere voluerit: O Sion & Hierosolyma, ecce venio Rex tuus & seruator, quē admodum Prophetæ de me dixerūt: sed venio māfuetus, & pauper, ideo me nō agnoscis: sed contēnis me, à quo vno vitā & æternam salutē habere possis. O si cognosceres, quid ad pacē tuam seruire tibi possit, nec ita insensibilis esses in tuo proprio dāno? O si nunc cognosceres in hac die tua, in qua tot tantāsque promissiones ad eiusmodi cognitionē habere possis. Etenim nūc dum m. habet qui tibi regnum cœlorum annuncio, orta est tibi dies salus & diuinæ visitationis, id quod iam pridem ex mea doctrina & vita, quin etiā ex tot & tam magnis miraculis didi-

lis didicisse debebas. Sed ô infœlix populus, qui hæc neque videre neque agnoscere vis. Ideò sæuis in me; & queris occidere me, quæ meritò iuxta exēplum istius populi, toto animo & cupiditate accipere debebas. Verū, quod nunc nō vides, id in posterum videbis magno tuo malo, &c. Obserua hic, q̄ Christus ante omnia ciuitati Hierosolymæ precatur agnitionē præsentis boni, & futuri mali. Et quid illis præcari melius potuisset, quādoquidem ignorātia causa est omnis mali. Vnde & Moy. *Dent. 23.* ses ad populum suum dicit: Popule stulte & insipiens, hæc cenne reddis Domino? Et postea: Vtinā saperent & intelligerent, ac nouissima prouiderent. Eundē quoque in modū dicit Paulus: *Ephes. 3.* Flecto genua mea ad Patrē Domini nostri Iesū Christi: vt det vobis secūdam diuitias glorię suæ, virtutē corroborari per spiritum eius in interiori homine: vt possitis cōprehendere cū omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & lōgitudō, & sublimitas, & profundū: scire etiā supereminentē scientiæ charitatem Christi, &c. Tātūm nobis situm est in vera cognitione Dei & Christi, Iudæis deerat hæc cognitio. Christus illos trifariā visitauerat. Primò, humanā naturā ex eorū genere assumendo. *Judaos Christus trifariā visitauit.* Secundò, prædicando. Tertiò, multa & magna miracula inter illos faciēdo. Illi verò horum nullum curabāt. Nos quoq; visitat etiā quotidie, interim suo verbo, interim beneficijs, interim poena & virga. Sed nec apud nos aliqua cognitio est: tēporali fœlicitate excæcari nos patimur, quæ tamen semper incerta & instabilis est. Ideòq; ad nos meritò dici potest: O homo, si scites gratiam quæ tibi offertur, accurreres utique. Quemadmodū Christus ad Samaritanā mulierē dicebat: *Ioan. 4.* Si scires Donum Dei, & quis est qui dicit tibi, Da mihi bibere: tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquā viuā. Secundò, si cognosceres incertitudinē rerum tēporalium, haud tāti ea faceres. Tertiò, si cognosceres futurum iudicium, proculdubio mētueres. Quartò, si cognosceres deformitatem spiritalis Hierosolymæ hoc tempore, nimirum fleres, &c. En, tam periculosa & perniciosa est ignorantia, vt de illa, scriptura passim quærat. Vti cum Dauid dicit: *Psal. 81.* Nescierunt, neque intellexerunt: in tenebris ambulant, mouebuntur omnia fundamenta terræ. Et Isaias: *Isai. 1.* Cognouit bos possessorē suum, & asinus præsepe Domini sui: Israhel autem non cognouit, & populus meus non intellexit. Et Hieremias: *Hier. 8.* Hirūdo, ciconia, &c. custodierunt tēpus aduēsus sui: populus autem meus non co-

gnouit iudicium Domini. Obserua secúndò in eo, quòd Christus dicit, In hac die tua, nos duas habere dies. Altera nostra est, altera Dei. Prior illa data nobis est ad pacé, hoc est, in qua pacé querere & Deum nobis recóciare debemus. Altera erit dies iudicij. De prima dicit Pau. 2. Cor. 6. Ecce nunc tépus acceprabile, ecce nunc dies salutis. De secunda dicit Sophonias. Iuxtà est dies Domini magnus, iuxtà est, & velox nimis dies calamitatis & miserie, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clāgoris super ciuitates munitas & super angulos excelsos. Non sine causa auté dicit Christus, In hac tua die. Nominat tépus huius vitæ diem, ob breuitatē, quēadmodum etiā Iob dicit capit. 14. Dies hominis breues. Et Dauid Psal. 89. Dies annorum nostrorum in ipsis, septuaginta anni. Si auté in potētatibus, octuaginta anni: & amplius eorū labor & dolor. Sed quid octoginta anni ad æternitatē? Et tamē pauci hunc numerū attingunt. Deindē vocatur tempus vitæ huius, etiā dies, propterea, quod certò nox subsequetur: quēadmodum Christus dicit. Io. 9. Venit nox quā nemo potest operari. Quòd autem Christus ampliùs dicit in hodierno Euāgelio, Nūc auté abscondita sunt ab oculis tuis, vera sententia est. Enimuerò oībus impijs abscondita sunt futura. Quoniam affluentia & abundantia rerū téporalium ita excecat, vt sine omni metu & cura rerū futurarum viuant, quemadmodum Iob c. 21. de illis dicit: Domus eorum securæ sunt & pacatæ, & non est virga Dei super illos. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descēdunt. Imò ex patiētia & lōganimitate Dei deteriores fiunt ac audaciores in oīa flagitia, sicuti Salomon dicit: Quia nō profertur citò cōtra malos sentētia, absq; timore vllò filij hominum perpetrāt mala. Sic etiā viuebāt Iudæi securè, planè, cū futurum illis Christus exitiū annūciabat. Oīa illis abscondita erāt. Fieri potest, quod deriserint, cū eus Christus loqueretur. Putabant em̄ fortunā eorum perpetuā fore, cogitātes apud semetipsos: Habemus benè munitā ciuitatē, & omniū in ea rerū affluentia: ad hæc, habemus quoq; téplum, imò Deū in téplo: is diuinū suū cultū nō patietur interire, &c. Hæc fiducia est hominum Deum nō timētium, sed momēto euanescit citius, cū Deus incipit iudicare & punire. Sequitur in Euāgelio. Quia veniet dies in te. Multifariā vocati erant, idq; in summo gradu. Quia illis nō modò pphetæ, sed Christus ipse prædicauerat. Quoniā auté Dei bonitatem tā multum &

*Sopho. 1.*

*Vita hominis  
ut dies vocetur.*

*Eccle. 8.*

tum & sæpè contempserant & fuerant aspernati, alio iam & nouo modo visitare eos volebat: nimirum per pœnam & vindictâ: imò tali pœna & vindictâ, qualè antea mundus nunquâ viderat. Nam vbi Dei gratia contēnitur, nihil expectandum aliud est, quàm seuerū iudicium. Sicuti Christus etiam alio in loco dicit: Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida & Capharnaû, quia si in Tyro & Sidône factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiâ egissent: remissius etiâ erit illis in die iudicij quàm vobis, & c. Et iterum, Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & cōdēnabunt eam: quia pœnitentiâ egerūt in prædicatione Ionæ, & ecce plus quàm Ionas hîc. Imimici tui (inquit porrò Christus in hodierno Euangelio) circundabunt te vallo, & c. Hic vides, quòd Deus etiâ improbos tēporaliter punit. Ita enim Moyse prædixit: Nisi audieris vocem Domini Dei tui, maledictus eris cum omnibus quæ habes, & c. Sic puniebat Deus olim mundum diluuiò, Sodomitas igni, Aegyptios decē magnis plagis, & c: Nullum autem populū grauius puniuit, quàm Iudæos: quemadmodū etiam antea erga nullum populum clemētiorem se exhibuerat, nec populū vllū ingratiore inuenierat, Enimuerò tâta cum miseria & calamitate populus ille extirpatus est, vt nemo historiâ illâ sine lachrymis legere possit. Tam miserè à Romanis vexabantur, imò & à seipis, vt dux Romani exercitus Titus illis compateretur, ad cœlū manus suas tollens, Deū contestans, se nō propria sua voluntate, sed illorum temeritate & rebellione coactū, vt tanta seueritate contra illos ageret, eosq; tam crudeliter tractaret. Hinc apparet, quàm diuiter & grauius Deus mortem Filij sui Vnigeniti, & sanctorum Prophetarum in illis vltus sit. Sic eis retributum est, quòd tempus visitationis suæ agnoscere volebant: sed multò magis, quòd eos, qui ipsis æternam salutem annūtiabant & afferebant, summè persequebantur & expellebant. Hoc nobis admonitioni esse debet. Postquàm enim Iudæi tanquam filij regni, & tanquam naturales rami oliuæ, excisi & reiecti sunt, nos gentes & oleastro bonæ radici insiti sumus, hoc est, ex mera bonitate Dei ad gratiâ Euangelij vocati sumus. Quapropter viderenos oportet, vt hanc eius bonitatē & paternâ visitationē nō vëto tradamus, contemnâmus, sed ei cōueniēter viuamus. Thesaurū suum nobis aperuit, pauci verò sunt, q̄ eū cū gratitudine accipiunt: imò multa

Matth. 11.

Matth. 12.

Deute. 28.

Gen. 7.

Gene. 19.

Exo. 7.

Act. 4. 5.

Rom. 11.

sunt, qui prætereà blasphemāt, & in suis peccatis p̄seuerāt. Si itaq; Deus naturalibus ramis nō pepercit, multò min⁹ nobis parceret. Eius rei multa signa habemus. Quis autē hac ad animū reuocat, datq; operā vt vitā suā emēdet & p̄nitentiā agar? Deus quidē cōniuet ad tēpus, patiens est lōganimis: sed tandē  
*Psal. 7.* etiā iustus iudex erit, & sentiet. Sequitur in Euangelio: Eò q̄ nō cognoueris tēpus visitationis tuæ. Nihil est q̄ Deū ad irā & indignationē magis moueat, quā ingratitude. At qui præsens istud tēpus indubiè tēpus est nostræ visitationis. Nō enī nūc visitare nos cupit Deus in ira sua & virga, sed benigna potius cōmiseratione. Visitauit nos homo factus tāquā creator  
*Eccle. 1.* creaturā suā, tanquā medicus ægrotū, & tanquā redēptor captiuū. Attamē ingratitude nostra tanta, est vt tametsi lux in mundū venit, magis tamē tenebras iniquitatis, quā lucē iustitiæ diligamus. Deus in mūdo est, & mundū creauit, sed mundus eū nō cognoscit. Et Christus in sua propria venit, & sui eū non cognoscūt & recipiunt. Meritò itaq; in nobis completur quod Deus in Isaia dicit: Filios enutriui, & exaltaui, ipsi autē  
*Ioan. 3.* spreuerūt me. Cognouit bos possessorē suum, & asinus præsepe domini sui, populus meus me nō cognouit, &c. Hoc consideremus circa primam istā partem hodierni Euangelij: nimirū quæ bona præ manibus haabemus, & quæ mala sequētur, vbi ingrati fuerimus. Deus det nobis gratiā suam, Amē.

## Q V I N T V S S E R M O D E altera parte Euangelij.

*Eccle. 11.* **H**ODIERNO isto Euangelio. Christus nos illud ipsum adeò docere vult, quod Salomon in suo Cōcionatore docet, vbi dicit: Si ceciderit lignū ad Austrū, aut ad Aquilonem, in quocūq; loco ceciderit, ibi erit. Ergo da partem septem, necnō & octo: quia ignoras quid futurū sit mali super terrā. Manē semina semen tuū, & vesperē ne cesset manus tua: quia nescis quid magis oriat, hoc aut illud: & si vtrūq; simul, melius erit. In his verbis monet Salomon omnes homines, vt ex cōsideratione futuri iudicij, tanto magis omni bono studeāt, & nō expectēt, donec iudiciū inchoētur. Eodē quoq; modo Christus in hoc Euāgelio suis lachrymis atque etiā annūciatione futuri supplicij. ludæos monere voluit, vt p̄nitentiam agerēt, & oblatā gratiā amplecterentur, prius quā iudiciū  
 & ita

& ira Dei super illos veniret: Quanquam parū ad animū reuocabāt dies pacis & fœlicitatis in qua erāt: ita excœcauerat eos, vt Domini diē neq; possent neq; vellent videre. Alioqui exitiū suū præcauere nō minus potuissent, quā Niniuitæ. *Iona 3.* Vnica hæc certè causa est, quā obrem nobis Deus minatur, nimirū vt cōuertamur & emendemus nos. Repēte (inquit in Hieremia) loquar aduersum gentē, & aduersus regnū vt *Hiere. 18.* eradicē & destruat & disperdā illud. Si pœnitentiā egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum aduersus eā: agā & ego pœnitentiā super malo quod cogitavi, vt facerē ei. Sic & Christus *Christus non nihil aliud quærebat, quā pœnitentiā.* Et satis ad eā agendā largiebatur eis tēporis. Niniuitæ quadraginta tantū dies habebāt ad pœnitentiā, hi quadraginta annos: sed his quadraginta *pœnitentiā.* annis nō faciebāt tātū, quātum Niniuitæ tribus diebus: quare cum iudiciū Dei incipiebat arborē hāc recidere, nullū erat amplius effugiū, nec clamor vllus proderat. Auxiliatorē quidē cupiebāt, sed nullus erat. Christus illis prædixerat *Iona 3.* *Lu. 17.* Veniēt dies, quādo desideretis videre vnū diē filij hominis: nō videbitis. Et iterū *Ioā. 8.* Ego vado, & quæretis me, & in peccato vestro moriemini: Hoc modo Deus punit ingratiudinē *Prouerb. 1.* hominū, Vocauī (inquā) & renuistis: ego quoq; in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis id quod timebatis aduenerit. Tūc inuocabūt me, & nō exaudiam, &c. Hoc nobis esse dictū putemus. Reliqua porrò verba hodierni Evangelij audiamus. Et ingressus Dominus Iesus in tēplū (inquit Lucas) cœpit eijcere vendētes in illo & emētes. Quod Christus primū ingressus est tēplū, qui cōmunis & publicus locus erat, ad quē venire omnibus cōcessum erat, indicare primò voluit, se irā illorū nō timere, neq; passionē & crucē velle fugere, sed vtrò se illi dedere. Secūdò, indicare quoque voluit regnū suū nō in foro & in mūdo, sed in tēplo & domo Dei fore. Idcirco nusquā frequētius visebatur, quā in tēplo, Nesciebatis (inquit) quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse? Tertiò, docere oēs homines voluit, vt primū quærāt regnū Dei. Præcipuè autē spirituales Pastores voluit monere, vt summā suā curā eò cōferāt, nō quò magna bona & thesauros accumulēt, sed vt domū Dei, quæ ipsis cōmissa est, puram & mundam seruent. Quid verò Christus in tēplo fecit? Marcus 11. cap. dicit, quòd circūspexerit & omnia perlustrauerit. Et sic Salomoni. 2. Paralipo. 7. promisit: Oculi mei (inquit)

semper erūt aperti super domum hanc. Sed quid in tēplo inuenit? Ementes & vendentes. Expectaui, inquit, vt vinea mea faceret vvas, & fecit labruscas. Ecquid Dei populo cum terrenis rebus? Quid dissimilius, quàm domus Dei & domus negotiationis? Quid tam dissimile quàm tēplum & spelunca latronū? Quæ societas luci ad tenebras? Quæ participatio iustitiæ cū iniquitate? Quæ cōuentio Christi ad Belia? Eò iam redacta erat Iudaicā religio & Dei cultus, vt templum eorū in domum negotiationis esset versum: imò in speluncam latronum. Deus antiquitus illos sæpè obiurgat per Prophetas, quòd domū suā prophanarēt. Quid est (inquit in Hieremia) quòd dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? Et in Isaia cap. 26. In terra sanctorum iniqua getsit, & non videbit gloriam Domini. Negabant id quidē, sed Deus poterat eos conuincere. Quid niteris (inquit in Hieremia, capit. 2.) bonā ostendere viā tuam? Ecce ego iudicio contendā tecum. Et iterum cap. 7. Ego sum, ego vidi, dicit Dominus. Id iam res ipsa docet. Inueniebat ementes & vendentes in templo (dicit Euāgelista) perindè ac si dicat, quòd toties questus fuerat, & ipsi semper negauerāt, iam re ipsa se inuenisse. Vx autem homini, quē Deus sæpè præmonet, & tandem illū deprehēdit in peccatis.

**Matth. 26. vs.** Nā si Christus discipulos suos increpauit, qui quidē mali nihil faciebant, sed dormiebant tantūm, & alioqui bonis operibus dediti erāt: quid illis faciet, quos manifestò in criminibus deprehendet? Huc pertinet quod Christus ait Matth. 24. quando dicit malus seruus in corde suo, Moram facit Dominus meus venire, & ob id incipit percutere seruos suos, venturum Dominum in die qua nō sperat, &c. Id ipsum hīc quoq; inuenitur. Christus è tēplo eieiebat ementes & vendentes. In Ioāne habetur, eū flagello vsūm. Hīc vsu venire videas quod David dixit, Psal. 17. Deum cum sanctis sanctum, & cum peruersis etiam peruersum esse. Quàm se Christus erga alios humanum exhibet, tam seuerū se hīc ostendit. Imò alijs in locis patitur non solum cōuitia, sed etiam verbera, & mortem patientissimè, absq; omni remurmuratione & retaliationē. Sed hīc etiam flagellum adhibet: cæterū non erat hæc inuidia aliqua aut temeritas, sed diuinus zelus & iusta indignatio. Quāobrē introducit Ioannes sententiā ex Dauide, vbi inquit Psal. 67. Zelus domus tuæ comedit me. Talem quoq; zelum **Exod. 23.** ostēdebat etiam Moyses, cum idololatrias è medio tollere curabat, &

rabat, & erat tamen alijs in rebus omnibus mansuetus. Hinc etiã Christus factò isto primùm indicare voluit, se duci zelo pro domo Dei. Et id quidẽ necessarium erat. Nam si illũ tanquã blasphemum cõdemnabant, tametsi in illo talem zelũ aduerterant: quid facturi fuissent, si eiusmodi nihil in illo vidissent? Secundò, Christus per hoc ostendere voluit, Iudæos ob auaritiã è templo ipsorum & sacerdotio eiectũ iri, quẽ admodũ illis etiã Prophetæ apertè prædixerant. Principes eius (inquit Michæas) in muneribus iudicabant, & sacerdotes, eius in mercede docebant, & Prophetæ eius in pecunia diuinabant. Propter hoc, causa vestri, Sion quasi ager exarabitur, & Ierusalem quasi aceruus lapidum erit. Et in Amos cap. 9. dicit: Percute cardinem, & commoueantur superliminaria: auaritia enim in capite omnium, & non erit fuga eis. Et in Ezechiele cap. 22. Ecce complosi manus meas super auaritiã tuã quam fecisti. Et in Hieremia: Quia fecistis omnia opera hæc: faciam domui huic in qua inuocatum est nomen meũ, sicut feci Silo, &c. Quòd autem Christus in Ioanne nõ solùm ementes & vendentes, sed etiã boues, oues & columbas è templo eiecit, indicium præbebat, etiã Iudaica sacrificia cessatura, sicuti Deus in Malachia cap. 1. dicit: Non est mihi voluntas in vobis, & munus non suscipiam de manu vestra, &c. Tertiò, Christus hac profligatione vendentium, ostẽdere voluit, omnium esse grauissimum peccatum, & maxima pœna dignum, vbi in sacris locis sub pietatis aut diuini nominis & cultus obrentu peccatur. Quartò, item per hoc præfiguratũ est, quãtum dãnĩ sancta Christiana Ecclesia acceptura esset ex auaritiã quorundam Prælatorum & Antistitum. Nam vbi pecuniæ studium est, nihil ibi purum aut sanctum manet, &c. Non solùm autem Christus exhibebat talem seueritatem erga prophanatores templi, sed increpabat etiã verbis. Scriptum est (inquit) Quia domus mea, domus orationis est: vos autem fecistis illam speluncam latronũ. Per hoc comparat illos latronibus & prædonibus. Auaritiã enim vera radix est omnis prædationis. Et vt latro in spelũca expectat, si quã prædã possit nancisciri: ita ij iacebãt in tẽplo prædã exercentes cum populo. Sed hĩc vide, quã pulchrè eos describat Christus: imò quã pulchrè, illis laruam seu personã detrahat. Meliores se ipsos æstimabant, quã omnes alios homines: Christus illos non meliores iudicat, sed deteriores etiã la-

Mich. 3.

Hier. 7.

Esa. 56.

tronibus & prædonibus: siquidē longè peius & perniciosius est animā quā corpus occidere, & priuare aliquē spiritualibus quā tēporalibus. Hoc illi sibi dictū existimēt, qui sibiipsis ob quādā externa opera nimirū placēt, cū intus tamē neq; fidē neq; charitatē habeāt, quē admodū Christus prolixē de illis loquit. Tantū de eo quē Christus in externo tēplo id tēporis fecit. Terrenū tēplum iā annis mille quingētis destructū est, & omnia Iudaica sacrificia iā olim cessarūt: non tamē ob id Deus sine tēplo est & sacrificijs: imò habet iā hæc duo longè meliora quā antea. Illa figuræ tantū & vmbrae erāt: nūc veritatē habemus. Verū templū Dei est Christus: in illo enim habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Sic dicit etiā Ioannes in sua Apocalypsi. cap. 21. se nullū vidisse materiale tēplum in cœlesti Hierosōlyma, sed tēplū eius esse agnū. In hoc tēplo exaudit Deus nostrā orationē, & accepta habet nostra sacrificia, quemadmodū ipse dicit, Ioan. 16. Quicquid petieritis Patrē in nomine meo, dabit vobis. Et iterū ibidē: Pater amat vos quia me amastis. Extra istud templū, hoc est, Christū, nulla exauditur oratio, nec sacrificium aliqđ acceptū est. Nā qui filiū nō habet nec patrē habet, Ex hoc tēplo Dei Iudas in primis faciebat domum negotiationis: hunc sequebatur Simon Magus, qui dona Dei pecunijs redimere volebat: hos duos deinde sequuntur omnes ij, qui sub nomine Christi proprium suum emolumentum quaerunt. Secundò vnusquilibet fidelis templum est Dei. Nescitis, (ait Apostolus 1. Cor. 3.) quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis? Quisquis igitur videat, ne ex templo Dei faciat domum negotiationis, aut speluncam latronum. Magno redēpti estis (inquit Paulus 1. Cor. 6.) portate Deum in corpore vestro. Nā si quis tēplum hoc violauerit, disperdet illū Deus. Tertiò, etiam sancta vniuersalis Christi Ecclesia templum est & domus Dei. Quemadmodū Paulus dicit, Ecclesiam esse domum Dei viuētis, probans id eo quod Deus dicit Leuit. 26 Ambulabo inter vos, & ero Deus vester, vōsque eritis populus meus. Hanc domum sibi elegit Deus, vt sit nomen eius ibi in sempiternum, & permaneant oculi eius & cor ibi cunctis diebus, &c. Hæc est domus illius Maiestatis, quam glorificare vult. Propter hanc domū omnia facta sunt, quæ de Iudaico templo legūtur. In hoc tēplo Christus in hodiernum facit, quicquid in illo templo fecit.

Hoc tem-

Hoc templū visitat, illic docet, illic operatur, illic apparet: hęc domū mundā esse vult, pro hac domo zelo ducitur: nec impune feret, quisquis ei hanc domū violat. Zelatus sum Ierusalē magno zelo, inquit Zachar. 1. cap. Mox subiicit cap. 2. Qui vos tangit, pupillā oculi mei tāgit. Neq; mirū, q̄ pro hoc suo templo & domo zelatur, quia etiā spirituale eius corpus est, propter quod mortuus est. Hoc omnes ij diligēter cōsiderēt, qui in hac domo habitāt. Nam si Christus talem seueritatē ostēdit in eos qui materiale templum prophanabāt, quod tamen paulò post destruendū erat: quā seueritatē declarabit in eos, qui in hac spirituali domo negotiationes suas & prædationes agūt? Quis autē non videt templū istud Dei, sanctam Christianitatem nunc tam apud magnos quā paruos, prope modū nihil aliud factā esse quā domū negotiationis? Circuite omnes vias Ierusalē (inqt Hieremias) & aspiciate & cōsiderate, & quęrite in plateis eius, an inueniatis virū facientē iudicium. Imò à minore vsq; ad maiore omnes avaritię student. Etem primò, quis explicare satis potest, quibus astutijs, fraudibus, dolis, &c. vulgus se inuicem decipit & damno afficit? Quis Nobiliū, Principū, Regū, Iudicū, Notariorū vt vocāt, Aduocatorū fraudes, prædas, nouas inuētiōes, & laniatiōes ad pecunias à pauperibus corradendas, satis enumerare potest? Quis porrò etiā nō videt insatiabilē avaritiā Ecclesiasticorū sacerdotū, monachorū & Episcoporū? &c. Eos intellige qui aut Ecclesiastica munia quærūt & ad se trahūt, nec tamē ob aliā causam, quā ob tēporālem vtilitatē, & lucrū: aut vcrò 1. Cor. 4. qui ea, quorū dispēsatores & administri cōstituti sint, nō ad honorē Dei, nō ad animarū salutē, neq; ad vtilitatē & emendationē sanctę Ecclesię, sed ad suum tantū commodū dispensant: imò vendūt quod gratis dare debebāt: quę sua sunt quęrunt ex ijs quę ipsorū non sunt: quin etiā in spiritualibus & cęlestibus rebus nihil aliud quā tēporalia & terrena aucupantur. Imò apud tales omnia venalia sunt, nō solū oues & boves, hoc est, parua officia & præbendę, vt vocant, sed etiā Matth. 10. columbę, hoc est, dona Spiritus sancti & bona spiritualia, quę gratis dispensare debebāt, quemadmodū etiā gratis acceperunt. Adeoq; inter tales inueniūtur, quā spiritualibus penitus omisis ad trapexas vel mensas suas tantū sedēant, avaritię suę studeant, & tēporalibus duntaxat occupati sint. Ad hęc omnia mensas suas ita fixę posuerūt, mundanāq; poten-

tia ita firmarunt, vt eos expellere nemo facile possit, quan-  
 quàm nihil tam fortè est, quod Deus non queat euertere. In  
 summa, quicquid Prophetæ olim de Iudæis ob auaritiã  
 3. Reg. 13. eorū conquesti sunt, id etiã in nobis inuenitur. Vt cū Scriptu-  
 ra dicit: Quicūq; implebat manū suam, id est, quisquis plena  
 Mala. 1. manu veniebat, fiebat sacerdos Excelsorum. Et quod Mala-  
 chias ait: Quis est in vobis qui claudat ostia, & incēdat altare  
 meum gratuito? Hi illi sunt qui ex domo Dei domū negotia-  
 tionis faciunt. Multò deterius est, si templū Dei spelunca fiat  
 latronū. Id faciunt primò illi, per quorū negligentia animæ  
 pereunt, fastū & voluptatē sectantes, sui obliti muneris, non  
 Ezech. 34. quæretes quod perditū est, nō sanātes quod morbidū est, &c.  
 Secūdò, illi qui proprijs adiuuētionibus & pernitiōsis perple-  
 xitatibus animas illaqueant & angūt: quin etiã sæpenume-  
 rō in desperationē adigāt. Tertiò, illi qui falsa securitate ani-  
 Hier. 23. mas decipiunt promittētes malè viuētibus gratiã, vbi gratia  
 nulla est: dicētes esse pacē, vbi pax nulla est, mēdacia & falsita-  
 tem hominibus obtrudētes. Omnes eiusmodi negotiatores,  
 prædones & latrones sciant se è domo Dei eijci, & nō mate-  
 rialiter tēplo solū, sed spiritaliter corpore Christi, & cōmunionē  
 Ose. 9. sanctorū. Quā autē illud durū fuerit indicat Deus in Osea,  
 vbi ait: Propter malitiã adiuuētionū eorū de domo mea eij-  
 ciam eos: mox subiicit: Nō addam vt diligā eos, quia radix eo-  
 rum exiccata est. Ex hoc vtiq; vides, quā sit horribile, è domo  
 Dei eijci. Et quid multis verbis opus est? Christus vult suum  
 templū incōtaminatū & mundum habere: vult vt sit domus  
 oratiōis: vult vt in sancta Christianitate talē vitā ducamus &  
 consuetudinē, vt nihil aliud quā cœlestia meditemur, & Deū  
 semper inter nos seruemus. Hoc circa Euāgelium istud cōsi-  
 deremus. Deus nobis omniū suam largiatur gratiã, Amen.

DVODECIMA DOMI-  
 NICA POST PENTECO-  
 STEN, EVANGELI-  
 LIVM LVC. XVIII.

**D**ixit Iesus ad quosdā qui in se cōfidebāt  
 q̄ essent iusti, & aspernabātur cæteros,  
 parabo-

parabolā istā: Duo homines ascēdebāt in tē-  
plum vt precarentur: vnus Pharisæus, & al-  
ter Publicanus. Pharisæus stans hæc apud se  
orabat: Deus gratias ago tibi, q̄ nō sum sicut  
cæteri homines, raptores, iniusti, adulte-  
ri, velut etiam hic Publicanus: ieiuno bis in  
sabbat ho: decimas do omniū quæ possideo.  
Et Publicanus procul stans, nec oculos vole-  
bat ad cælū attollere, sed percutiebat pectus  
suū dicēs: Deus, propitius esto mihi peccato-  
ri. Dico vobis, descēdit hic iustificat⁹ in do-  
mū suā, magis q̄ ille. q̄a omnis q̄ se extollit,  
humiliabitur, & qui se humiliat extolletur.

EADDEM DOMINICA EPISTO-  
LA S. PAULI. I. CORIN. XV.

**N** Otū vobis facio Euangeliū quod euāgelizavi vobis,  
quod & accepistis, in quo & statis, per quod &  
salutē consequimini: quo pacto annūciarim vobis, si tene-  
tis, nisi frustra credidistis. Tradidi enim vobis in primis,  
quod & acceperā, quod Christus mortuus fuerit pro pec-  
catis nostris, secūdum Scripturas, & q̄ sepultus sit, & q̄  
resurrexit tertio die, secūdum Scripturas, & quod uisus  
sit Cepha, deindē duo decim illis: postea uisus est plusquā  
quingētis fratribus simul, ex quibus plures manēt ad hūc  
usq; diē: quidā autē obdormierūt. Deindē uisus est Iacobo,  
post Apostolis omnibus. Postremò uerò omnium, uelut  
abortiuo uisus est & mihi. Ego enim sum minimus Apo-  
storū, qui non sum idoneus ut dicar Apostolus, propterea  
quod p̄secutus sum Ecclesiā Dei: sed gratia Dei sum id q̄  
sum, Et gratia eius quæ profecta est in me, nō fuit inanis.

## PRIMVS SERMO.

Luc. 16.



Luc. 18.

1. Pet. 5.

Jacob. 4.

1. Pet. 5.

ANTE paucos dies, cum nobis in Ecclesia proponeretur parabola de infideli dispensatore, ipse Christus illam parabolam interpretabatur ultimo verbo quod dicebat, Ergo facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula: unde nemo non intelligere facilius potest ex talibus verbis, quorsum eiusmodi parabolam & similitudinem dixerit. Ceterum hodiernam similitudinem exponit nobis Lucas, & statim initio & in primis verbis, ubi ait Christum dixisse ad quosdam parabolam hanc, qui in se suaque probitate nimium confidebant: contra vero aspernabantur cæteros. Atque hic rursus facile cognoscere est, quomodo parabola ista, & Euangelium sit intelligendum. Reprehendit & damnat omnem præsumptionem & superbiam cordis humani, præcipue in spiritualibus & diuinis rebus: docet è regione veram humilitatem, quæ sola vera via & medium est, erga Deum, & cum Deo agendi. Hæc duo sunt, quæ bonus Christianus diligenter obseruare debet: nimirum quod Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Hæc, inquam, quibus Christianus pectori suo inscribere penitissimè debet, quia multum momenti habent. Nihil æque odit Deus atque superbiam: & tamen nulla res est, quæ homini magis adhæreat, & radices suas altius agat, quam philautia & amor sui. E diuerso nihil est quod Deo magis placeat in rationali creatura, quam vera humilitas, licet nihil homini difficilius & tardius persuadeatur. Quapropter ab altera parte admonitione opus habemus, ne superbia & philautia nos seducat: ab altera parte opus habemus calcaribus & admonitione, ut tantò profundius nos humiliemus sub potenti manu Dei. Quid autem deterrere nos melius potest ab omni superbia, & priuato amore, quam isthuc adeo exemplum de hypocrita, eiusque arrogante & inflata oratione? Quid nos iustius ad humilitatem, & ad humiliter de nobis ipsis sentiendum, trahere potest, quam exemplum adeo de Publicano? Quantum ille perdebat sua superbia, existimatione & inani iactantia bonorum quorundam operum, tantum hic consequebatur humilibus gestibus, syncera humiliatione sui, & confessione suorum peccatorum, cum emendandi firmo proposito coniuncta. Phariseus quidem præclarum sibi spiritualium bonorum col-

norum collegerat thesaurū, diues veniebat in templum : sed  
 superbia illius & philantia ac vana sui cōplacētia torū illi per-  
 debat: faciebátq; vt vacuus domū rediret. Cōtrā Publicanus  
 pauper veniebat in templum, sed humili sua cōfessione & ve-  
 ra ad Deum cōuersione summum bonū consequebatur, nimi-  
 rum vt iustificatus è tēplo domū rediret, qui ceu infamis pec-  
 cator in tēplū venerat. Adeò res pernitiōsa est superbia: adeò *Psal. 50.*  
 res salutaris est humilis spiritus, & cor contritū. Rectè igitur *Tob. 4.*  
 Tobias filiū suū docuit, cū ad eum diceret: Fili mi, superbiā  
 nunquā sensu tuo, aut in tuo verbo dominari permittas: in  
 ipsa enim initiū sumpsit omnis perditio. Apostolus noster  
 Paulus ad Ro. 12. similiter quoq; nos docēs, ait: Non alta sa-  
 pientes, sed humilibus consentientes. Christus hac in parte  
 seipsum exemplum dedit. Discite à me (inquit Matt. 11.) quia  
 mitis sum, & humilis corde. Et iterū dicit in pedum lotionē,  
 Ioan. 13: Exemplū dedi vobis, vt quemadmodū ego feci vo- *Causa nos hu-*  
 bis, ita & vos faciatis. Et qd multis verbis opus est? Vt humi *miliandi.*  
 liter sentiamus de nobis ipsis, rationes multæ satis suppetunt  
 nobis, si in nos ipsos descēdamus, cōsiderātes qui simus, quā  
 pauperes & egeni in corpore simul & anima tēporaliter &  
 spiritualiter. Ad superbiam verò causam penitūs nullā habe-  
 mus. Quid superbis terra & cinis? inquit Sapiens. quid effe- *Eccle. 10.*  
 ris? Quid habes quod nō accepisti (inquit Paulus. 1. Corinth.  
 4.) Si autē accepisti, quid gloriaris, quasi nō acceperis? Quid  
 te eleuat cor tuum (fertur in libri Job cap. 15.) & quasi ma-  
 gna cogitans, attonitos habes oculos? Imò verò superbia etiā *2*  
 naturæ hominis repugnat. Nam vbicunque se homo inspicit,  
 intrinsecus, extrinsecus in corpore & anima, semper plus of-  
 fendit miseræ & turpitudinis, quàm boni & laudabilis. Su-  
 perbia Deo contraria est: Imò quod hominibus altū est, abo- *Luc. 6.*  
 minatio est ante Deum, dicit Christus ipse. Superbia etiā ho-  
 minibus inuisa est, vti Salomon ait, Prou. 8. Arrogantiam &  
 superbiam, viam prauam, & os bilingue detestor. Et iterum  
 Prou. 11. Abominabile Domino cor prauum, manus in ma-  
 nu non erit innocens malus. Odibilis corā Deo est & homi-  
 nibus superbia, & execrabilis omnis iniquitas gentium (in-  
 quit Iesus Sirach Eccles. 10. cap.) quia ex his duobus multa  
 iniqua & iniusta veniunt. Superbiā Deus nunquā potuit aut  
 voluit pati, atq; impunitā relinquere. Expertus id est Ange-  
 lus in cœlo, Adā in paradiso. Experimur nos idē etiam dum

in terris. Quomodo cecidisti de cælo Lucifer (inquit Isaias c. 14.) corruisti in terram, qui vulnerabas gentes? Quid dicebas in corde tuo, In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte Testamēti, in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo? Verūtamen ad infernum detraheris in profundum lacus. Qui te viderint, ad te inclinabuntur, teque prospicient. Nunquid iste est vir, qui conturbauit terrā, qui concussit regna, qui posuit orbem desertū, & vrbes eius detruxit? Omnes Reges gentiū vniuersi dormierūt in gloria, vir in domo sua.

*Dan. 4.* Tu autē proiectus es de sepulchro tuo, &c. Hoc loquebatur Isaias de superbo elato Rege Babylonie, qui ex summa arrogantia dicere audebat, Nōne hæc est Babylō magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decōris mei? Adhuc audaciū & superbiū dicere

*Dan. 3.* audebat ad Danielis socios: Quis est Deus, qui vos eripiet de manu mea? Quā verò horribiliter superbus iste Rex postea humiliabatur? In Diabolo idipsum prius quoque deprehensum est. Videbam Satanam sicut fulgur de cælo cadentem, inquit Christus Luc. 10. Ad Regē de Tyro loquebatur Deus similiter in Ezechiele. c. 28. Eō quod eleuatum est cor tuum, & dixisti, Deus ego sum, & in cathedra Dei sedi in corde maris, cum sis homo, & non Deus, &c. Idcirco ecce, ego adducam super te alienos robustissimos Gentium: & nudabunt gladios suos super pulchritudinem sapientiæ tuæ, & polluent decōrem tuum. Interficiet & detrahent te, &c. In eodem capite loquitur etiā Deus de superbo Angelo, eiusq; præcipitio, Tu signaculum similitudinis plenus sapiētia, & perfectus decōre. In delicijs paradisi Dei fuisti: omnis lapis pretiosus operimentum tuum. Posui te in monte sancto Dei. Perfectus in vijs tuis à die cōditionis tuæ, donec inuenta est iniquitas in te. Eleuatum est cor tuum in decōre tuo: in terram proieci te, ante faciem Regum dedi te, vt cernerent te, &c. Hic vides superbia quid faciat, nimirum ex Angelo Diabolum, ex homine miserabilem creaturam, imò irrationale animal.

*Superbiam vt  
punit Deus.*

superbiam punit in cælo, punit eam in paradiso, punit eam adhuc in terris. Et quid aliud in inferno ardebit, quā superbia & propria voluntas, quæ se Deo nō subijcit ac dedit? Non mirum ergo, quod David orat. Psal. 35. Domine nō veniat mihi pes superbiæ: ibi enim ceciderunt qui operantur iniquita-

iniquitatem. Contrà verò acclamat nobis Psalm. 30. Diligite Dominum omnes sancti eius, quoniã retribuet abundãter facientibus superbiã. Verũtamẽ quantũcunq; scriptura passim superbiã & arrogãtiã dãnet, semper humanum cor inflatur, non solũ in externis rebus, & coram mundo, sed etiã coram Deo, vti in hypocrita isto videre est, cuius hodiernũ Euãgelium meminit. Et quid insanius, quã magno labore & molestia velle sublimẽ scandere, vbi certus casus expectandus est? Atqui superbus nihil certiũs habet, quã quòd humiliari eum oporteat. Sentẽtia lata est, quã effugere nemo poterit: Omnis mons & collis humiliabitur, inquit Isaias. Et alio in loco: *Isai. 2.* Oculi sublimes hominis humiliati sunt, & incuruabitur altitudo virorum: exaltabitur autem Dominus solus. *Esai. 40.* Quia dies Domini exercituum super omnẽ superbum & excelsum, & super omnẽ arrogantẽ, & humiliabitur. Et super omnes cedros Libani sublimes & erectas, & super omnes quercus Basan. Et super omnes montes excelsos, & super omnes colles eleuatos. Et super omnem turrinẽ excelsam, & super omnem murum munitum, & super omne quod visu pulchrum est, &c. Tutissimum itaque, vt homo humiliet sese cum Publicano. Hic iustificatus ibat in domum suam. Et vndẽ iustificabatur? *Publicanus* Humilis erat, considerabat, & plangebat peccata sua, seipsum *vnde iustifica* ex animo accusabat: adeò sibi ipse displicebat, vt infra omnes *tus.* homines sese poneret, indignum iudicãs sese, vt vel cœlum intrueretur, nihil habens, quo niteretur, præter immensam Dei misericordiam. Deus (inquit) propitiuss esto mihi peccatori. *Luc. 18.* Hęc vera humilitas est, hęc vera via est ad gratiã, ad cœlũ, ad Deum. Quisquis in hac via non ambulat & manet, is errat, videlicet neq; vnquã ad gratiam & Deum perueniet. Atq; in hoc Euãgelium istud peculiariter dictum est & scriptum, ad docendum nos, quòd nemo qui cum Deo agere, coram Deo cõparere, Deique gratiam & fauorem consequi velit, erecta ceruice & superbo spiritu venire debeat, sicuti Phariseus iste, sed humili corde & cõtrito spiritu, veluti publicanus: de seipso nihil sentire, propudiatissimè vitijs spẽ concipere ex misericordia Dei & meritis Christi, iisq; rectè vti. Hęc præcipua sentẽtia *2. Cor. 10.* est hodierni Euangelij. Scriptum est: Qui gloriatur, in Domino gloriatur. Non gloriatur sapiens in sapiẽtia sua, & non gloriatur fortis in fortitudine sua, & non gloriatur diues in diuitijs suis: sed in hoc gloriatur qui gloriatur, scire & nosse

me, quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam & iudicium & iustitiam in terra. Si ergo aliquid boni habes, da ei gloriam à quo habes. Si quid mali vides in alio, ne tu te ipse constitue iudicem super illum: iudicet id Deus, quis enim tu es, qui iudicas seruum alienum, qui non tibi sed Domino suo stat & cadit? Sin omninò iudicare vis, fac quod Publicanus hinc fecit: tunde pectus tuum, dic, Deus propitius esto mihi peccatori. Verba hæc & gestus Publicani & peccatoris, ante omnia obseruare nos oportet, in hoc Euāgelio. In his enim breuiter & dilucidè nobis indicatum est, quomodò remissio peccatorum, & Dei gratia petenda sit. Quid igitur hic Publicanus facit?

I. Primò, à lōgè stat. Hoc principium est nostræ iustificationis, *Peccatorum veniam potenti* ipse videlicet timor Dei, vbi homo propter peccata sua Deum *metuit*, propius accedere non audens. Sic etiam dicit David *quid agendum.* Psal. 110. Timorè Dei esse initium sapientiæ. Secundò, Publi-

II. canus iste nec oculos leuare audebat. Hæc verecūdia est, quā habere homo debet propter peccata sua. Quē fructū tunc habuistis in peccatis vestris (inquit Paulus Rom. 6.) in quibus

III. nunc erubescitis? Tertio, percutit pœnitēs hic peccator pectus suum. Hæc est pœnitētia, vbi homo peccata in seipso punit, & pro ijs pœnitentiam agit, ut potè avaritiam misericordia, elemosyna & beneficijs: superbiam charitate & humili oratione, irā māsuetudine: gulam & ebrietatē abstinentia & ieiunio ex-

IIII. pians. Hoc est pectus percutere. Quarto, quantūcunq; Publicanus iste peccatorum in se habebat ac nouerat, tamē veniam humiliter implorabat, cum proposito firmo deinceps peccata vitandi. Hæc fides viua est, quæ peccatori pœnitenti animum & fiduciam addit, ut ad Deum accedere auit. Et nulli mortaliū peccata dimittuntur, nisi ad Deum currenti. Nō refert, nos ex nobis ipsis omni gratia indignos esse, & Deum seue-

*Ephes. 2.* rum esse iudicum. Per Christum accessum habemus ad illū, *1. Ioan. 2.* & ipse est noster aduocatus: quin etiam propiciatio pro peccatis nostris, quorū nos ex animo pœnitet. Quintò, nominat se hic Publicanus expressis verbis ipse peccatorem. Hęc est confessio, quæ primū Deo, deindè etiam sacerdoti fieri debet. Non enim frustra Deus ecclesiæ suæ clauēs tradidit. Si confiteamur peccata nostra (inquit Ioannes primæ Epistolæ. c. 1.) Deus fidelis est & iustus: ut remittat nobis peccata nostra,

*Luce. 13.* Dixi (inquit David Psal. 31.) Confitebor aduersum me iniquitiam meam Dño: & tu remisisti impietatē peccati mei. Vnde &

de & filius prodigus non reperiebat melius consilium, quàm quod dicebat: Surgam & ibo ad Patrem meum, & dicam ei: Pater peccaui in cœlum & coram te, &c. Sextò, sese ipsum indicat hic publicanus. Ait, Deus propitius sis mihi peccatori: non facit sicut Phariseus hypocrita, qui nil nisi bona omnia in seipso videbat, in alijs autem mala omnia. Hic autè seipsum intuetur, non obseruat aliorum peccata. Ego sum peccator (vult dicere) præ cæteris hominibus: ego sum qui Dei gratia & misericordia opus habeo, &c. Septimò, nihil orat aliud quàm misericordiam: Deus, propitius esto mihi: non iactitat sua opera: non ait gloriabundus, hæc & hæc bona feci, sed simpliciter implorat misericordiam Dei, quemadmodum & Daniel, vbi *Dan. 9.* ait: Inclina Deus meus aurem tuam, & audi: aperi oculos tuos, & vide desolationem nostram, & ciuitatem super quam inuocatum est nomen tuum. Exaudi Domine, placare Domine, attède & fac, ne moreris propter te metipsum Deus meus: neq; enim in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Vide: talibus verbis & gestibus coram Deo comparèdum est: hoc Deo placet, & ita pœnitentem hominem non vacuum aut desolatum dimittit. Quia spiritus cõtribulatus Deo cum primis acceptum est sacrificium: nec aspernatur contritum & humiliatum. Sic vsu compertum est, non solum in hoc Publicano, qui iustificatus domum redibat, sed etiam in multis alijs: vt in peccatrice, quæ lachrymis suis Domini I E S V pedes rigauit. In Diuo Petro, qui ter Dominum negauit, sed flès amarè, in *Luc. 7.* Apostolatus dignitatè restitutus est. In Matthæo & Zaccheo, *Matth. 26.* vtrobiq; Publicano, & hominum deprædatore, ceterù postea *Luc. 19.* pœnitentibus & gratiam apud Christum inueniētibus. Ani- *Act. 9.* maduersum est etiã in S. Paulo, qui persecutor Christi, & no- *1. Tim. 1.* minis eius, eiusque fidelium acerrimus, gratiam inuenit, coquòd inscius fecerat. Deprehensum est in latrone, qui iuxta Christum in cruce pendeat, qui per omnem vitam impius homo fuerat: cæterum pœnitentia sua & cõfessionè iniustitiæ suæ cõsequebatur: vt ei Christus promitteret. *Luc. 23.* fore vt eo ipso die cum illo esset in paradiso. Deprehenditur adhuc quotidie in illis, qui verè & non ficto animo sese ad Deum conuertunt. Et quid multis verbis opus est & exemplis? Quandoquidem Paulus ipse sese exemplum diuinæ misericordiæ statuit in hodierna Epistola. Dicit quidem in initio de passio-

ne & resurrectione Christi: vbi mirum alicui videri possit, quomodò hæc cum hodierno Euangelio concordent & quædrent: cæterùm veræ partes sunt, ex quibus videmus salutem nostram non in nobis solis sitam esse, sed præcipuè in misericordia Dei: imò nõ esse volētis aut currētis, sed miserētis Dei.

- Rom. 9.* Quapropter homo suis factis proprijs præfidere non debet, sed potissimùm misericordiæ Dei. Neque vlla re falsa fiducia meliùs auferri potest, quàm passione & resurrectione Christi. Si verum est, quod Paulus dicit, Christum pro nostris peccatis mortuum esse, & ad iustificationem nostram resurrexisse: certè non potest quisquàm gloriari, quòd seipsum probum & saluum faciat. Si nobis Deus in baptismo dat remissionem peccatorum, & primariam iustificationem ex gratia per Christum: certè non est ea nostrum meritum, sed Dei donum. Quòd si verò etiam Christus sacrosancta sua passione remissionem peccatorum promeruit, & in læta sua resurrectione iustitiam nobis attulit: ab illo nimirum quærèda & petenda est, & cum Publicano nobis dicèdum, Deus propitius esto mihi peccatori. Huc pertinet, quod Paulus dicit, Gratia Dei sum id quod sum: qui etiam Apostolico nomine indignum se iudicat, sed Deo eiusque gratiæ trāsribit. Et is etiam est, qui non solum bonam voluntatem, sed etiam perfectionem mandatorum suorum in nobis, non tamen sine nobis operatur. Incipit bonum in nobis, atque etiam perficit. Ipse est qui nos vocat, iustificat, & saluos facit, quæadmodum nos ab æterno ad eiusmodi bona elegit ac prædestinauit. Ex ipso, per ipsum & in ipso sunt omnia: ipsi gloria in sæcula, Amē. Hoc hodiè consideremus: imò Deum gratiam rogemus, qua freti, cum Publicano ex animo ad ipsum conuertamur, & eius voluntati per omnia obtemperemus, Amen.

## S E C V N D V S S E R M O

### de Euangelio & Epistola.



**H**ÆC parabola seu similitudo hodierni Euangelij, simplex quidem apparet, sed multa offert probo homini consideranda: imò ex hac ipsa similitudine duarum personarum vnà in tèplum euntium, cæterùm tam dispari modo orationem suam instituentium, potest homo intelligens non solum doctrinam & solatiũ pro seipso, sed etiã bonam informationem hauri-

haurire & accipere super quibusdã sententijs, quæ alioqui in  
 alijs locis Euágelij habètur: verùm apud imperitum, rarum  
 quiddã sonant. Vt cùm Christus dicit in Matthæo: Multi ab *Matth.*  
 Oriente & Occidente veniēt, & recumbent cum Abraham  
 & Isaac & Iacob in regno cœlorum: filij autem regni eijcient  
 in tenebras exteriores. Et iterum: Auferetur à vobis regnum *Matth. 21.*  
 Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Et in Ioanne cap.  
 9. In iudicium ego in hunc mundum, veni, vt qui non vident  
 videant, & qui vident, cæci fiant. Hæ & id genus sententię, cla-  
 rè indicāt, Iudæos reprobatū, Gentes verò in gratiam rece-  
 ptū iri. Hoc autē illud est, vnde Iudæi in hodiernum irascun-  
 tur, nec desistere possunt. Neque fieri potest quin optimus  
 quisq; Christianus demiretur, q̃ pleriq; Iudæi in tãto labo-  
 re, quæ sub lege Moyfi sustinuerūt, nullã gratiam aut merce-  
 dem à Deo referant: Gentes verò sine omni labore in colēdo  
 Deo ante Christum cognitum exhibito, gratiam & æternã  
 mercedem sint consecutæ. Hoc (inquã) Iudæi agrè ferre me- *Leuit. 16.*  
 ritò possunt, & nos admirari. Verùm hïc in Euágelio isto ex-  
 peditū respõsum habes ad hæc duo. Scire vis, quã obrẽ Iudæi  
 cum sua lege tótq; externis operibus, reiecti tamẽ sunt, cùm  
 Deus ijs, qui legem eius seruant, omnia bona promiserit? Hæ,  
 fecerūt quod hic hypocrita: proprijs frigidis operibus gloria-  
 bantur, præ se alios contēnebant: Dei promissionem & regnū  
 non ex gratia, sed tanquã ex debita sibi mercede vsurpare  
 volebant. Sed nõ poterāt hæc Deo placere. Neq; ea via est cū  
 Deo aut erga Deū agendi. Non me inuocasti ô Iacob (inquit *Esa. 43.*  
 in Isaia) nec laborasti in me Israël. Nõ obtulisti mihi arietem  
 holocausti tui, & victimis tuis non glorificasti me. Nõ emisti  
 mihi argēto calamū, verūtamen seruire me fecisti in peccatis  
 tuis: præbuiisti mihi laborem in iniquitatibus tuis. Ego sum,  
 ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me, & pecca-  
 torū tuorū nõ recordabor. Quod perindè est ac si dicat: Nul-  
 lã in te præcedēs scio meritum, quo gloriari possis: imò nihil  
 aliud de te scio, quod ad te ipsum attinet, quã multa pecca-  
 ta: quocirca quicquid tibi promisi & facio, id nõ tam pro me-  
 rita mercede propter opera tua, quã pro gratia agnoscere  
 debes: quia gloria nõ tua, sed mea. Ego Dominus (inquit alio  
 in loco) gloriã meã alteri nõ dabo: Et in Ezechiele: Nõ pro- *Esa. 48.*  
 pter vos ego faciã (inquit) sed ppter nomẽ sanctū meū. Qua *Ezech. 26.*  
 re nõ est quod gloriemini de præcedentibus meritis, sed me-

ritò vos pudere debet viarum vestrarū & peccatorū. Sed hoc intelligere Iudæi volebant: vnde etiā amittebant Dei fauorē & gratiam. Nam si superbiam nec in cœlo ferre potuit, & in  
*Job 1.* Angelis, multò minus in terris pbat eā in homine, qui bibit  
*Luc. 14.* quasi aquas iniquitatē. Omnis enim qui se exultat, humiliabitur. Scire contrā vis, quāobrem Pagani, qui nullā legē nouerant, & idcirco nihil boni facere poterant, Imò varijs peccatis & criminibus contaminati erāt, in gratiam tamen recepti fuere: imò multò facilius & citius quā Iudæi cum vniuersa ipsorū lege? Ha, fecerūt Pagani, quod Publicanus & peccator in Euāgelio: humilimè de seipsis senserūt, toto ad Deū corde conuersi fuere, peccatores se ex animo agnoscebant: non suis meritis, quę ante Christū cognitū nulla sciebāt fuisse, sed Dei gratia se iustificatos fatebātur, & ab illo bona omnia se habere. Hęc vera cū Deo agēdi via est. Nihil ad Deū deferre melius potes, quā hęc duo, sacrificiū cordis cōtriti, & sacrificiū laudis. Hoc nobis Spiritus sanctus manifestò in sacra Scriptura indicauit. Cor cōtritum & humiliatū (inquit Dauid) Deus nō despiciet. Et in alio Psalmo dicit Deus ipse: Sacrificiū laudis honorificabit me, & illic iter, quo ostendā illi salutare Dei. Quid nam igitur est cor cōtritū & humiliatū? Cū homo se ex animo peccatorem agnoscit, se vnquā peccasse dolet, & peccata præterita digna pœnitentia punire & expiare statuit, atq; studet. Quid sacrificiū laudis? Quòd omne bonū Deo transcribitur, & eius volūtati ac præceptis conueniēter viuatur. Pharisæus horū nullū habebat. Si cor cōtritū in illo fuisset, quod seipsum agnosceret & accusaret verè, nō dixisset, Deus gratias ago tibi, quia nō sum sicut cæteri hominū, &c. Sed inuertissetq; Deus confiteor tibi peccata mea & misericordiam, quòd nō sum qui esse debebā, quēadmodū lex tua præcipit, & nomē meū ac vocatio requirit: nō viuo, sicut alij ante me vixerūt, & adhuc viuunt: nō sum tam humilis, mortificatus, deuotus, beneficus, patiens, &c. vt illi. Ideò propitius esto mihi peccatori. Vide, hoc esset Deo offerre cor cōtritū, spiritum humiliatū, & sacrificiū laudis. Hoc Pharisæus non poterat. Publicanus autē poterat. Eā ob rē inueniebat hic gratiā, ille verò manebat qui fuerat. Iudæi Deo eiusmodi cor & spiritum offerre volebant: nec diuinę gratiæ gratos se præbebāt, quicquid Deus cum ipsis ageret, sed sua quædā externa prædicabant & iactabant opera: Deo inascebantur, si nō statim volun-

voluntati ipsorum obsecundabat, vti in omnibus Prophetis *Esā. 78.* videre est, maximè in *Isaia & Hieremia.* Vnde etiam omnem *Hiers. 2.* fauorem & gratiam Dei amiserunt. Nos autem Genes da-  
 mus Deo honorem, agnoscimus eum ex gratia & misericor-  
 dia præstare quicquid nobis dedit & dat: cuiusq; gratia adiuti,  
 studemus viuere secundum præcepta & voluntatem eius in  
 omnibus: & id nobis in commodum cedit secundum promif-  
 sionem, quam olim Deus fecit, vbi ait: Quicumq; honorifica- *1. Reg. 12.*  
 uerit me, & glorificabo eum. Hinc perspicuum est, quomodò  
 verbum intelligendum sit, vbi Christus *Matt. 21.* dicit ad Pha-  
 risæos & hypocritas: Amè dico vobis, quia Publicani & me-  
 retrices præcedent vos in regnum Dei. Hæc ex sententijs vna  
 est, quam imperitus demirari possit & in ea hallucinari. Istud  
 autem Euangelium illius verum intellectum, vnde fiat, vt  
 quandoq; magnus peccator aut peccatrix citius saluari pos-  
 sit, quàm alius qui bonam extrinsecus speciem habet, Quippè  
 corde cõpunctus peccator aut peccatrix agnoscens immani-  
 tatem peccatorum suorum, toto corde se humiliat, atq; ex ani-  
 mo conuersus ad Deum, nititur tanto illi deinceps studiosius  
 seruire & obtemperare per omnia, quanto se antea cernit  
 Deo ingratiorem fuisse, quem etiam omni honore, se verò  
 omni confusione dignũ censet: quemadmodum etiã Daniel *Dan. 9.*  
 dicit, Tibi Domine iustitia, nobis autem confusio. Tu es ius-  
 tus, nos verò iniusti. Contrà autem alter quandoq; sibi in fa-  
 ctis suis nimirũ placet, hisq; præsidet, cum tamen ea nõ in Dei  
 gloriam referat, sed vt hominum laudibus vehatur, alios in-  
 terim præ se cõtènens. Quomodò igitur talis Deo placere po- *Luc. 15.*  
 test? Hæc omnia pulchrè indicata sunt in parabola de filio  
 prodigo, in duobus fratribus, quorum alter vsque in patris  
 officio & obsequio manebat, alter verò aliquandiu prorsus  
 cõtumax & proteruus erat. Veruntamen quia hic postea verè  
 pœnitès sese humiliare poterat, veniam rogare, & indignũ se  
 iudicare, vt deinceps filius vocaretur, inueniebat gratiam: pa-  
 tri adè acceptus erat, perinde ac si nunquam peccasset. Alter  
 autem nihil poterat aliud, quàm sese iactare, quantũ fecisset,  
 & quanto tempore patri seruisset: contrà verò alterius fra-  
 tris sui res & facta pessimè interpretari, qua de re etiam ob-  
 iurgabatur. Eodem modo res nunc habet. Maximus pecca-  
 tor citius interdum possit mereri misericordiam, cum ex ani-  
 mo humiliat se, peccata sua sacerdoti contrito corde confi-

tetur, & pœnitentiam dignam agit, quàm fictus quidam, qui extrinsecus quippiã boni agit, sed tamen inde totus superbit. Peccata quidem Deo non placent: imò odit Deus summè peccata & peccatorem: humiliatio autem & vera cõuersio peccatoris, Deo placet. Ita cõtrà, Christus nõ respuit bona opera in Phariseo, sed solũ superbiã. Hinc Euãgelium istud talẽ nobis præbet doctrinã, ne vnquã nobis ipsis præfidamus, quantum etiam cunq; euehamur è diuerso autẽ nunquã desperemus, licet grauissimũ casum perpessi. Hoc vult sibi Euãgeliũ istud in genere. Vtrobq; Deus sibi postulat honorem, quòd in nobis bonũ, nõ tamẽ sine nobis operetur, & malum vt corrigamus præstet. Si ergò aliquid in te boni habes, agnosce gratiã Dei: sin aliquid mali in te reperis, curre ad Deũ & roga veniã & gratiã, qua fretus te emedes. Deinde verò indicat etiã Euãgeliũ istud nobis aliud, nimirũ qui fiat, quòd omnes Dei gratiã & fauorẽ petimus, nec tamẽ omnes consequantur. Sed loquor de ijs nunc, in quibus adhuc aliquid Christiani animi inest, & non de ijs, qui adeò extra seipsos distracti sunt, vt de Deo nunquã cogitent, sed temporalibus solũ inhæreãt. Hi haud multũ solliciti sunt de templo, multò minus de oratione: & vt maximè ad tẽplũ veniãt, non tamẽ eo animo ibi sunt, quòd orare velint. Hos iam omitto, & loquor de ijs, qui bono animo tẽplũ frequentãt ad orandũ, & ad seruiendũ Deo. Atqui comperimus, in hodiernũ adhuc vsũ venire cũ eiusmodi hominibus, quemadmodũ cum duobus, de quibus Euãgelium istud dicit: nempè quòd alter gratiam adipiscitur, alter vacuus domum redit, & is ipse qui secundum humanum iudicium melior habebatur. Sic (inquam) adhuc res habet, q̃ omnes gratiã & fœlicitatem cupimus & quærimus, nec tamẽ omnes cõsequimur. Causã est, quòd nõ omnes verum mediũ apprehendimus. Alij per propria sua externa opera tantum quærũt, vt olim Iudæi pleriq; faciebãt: alij quærunt præcipuè per misericordiam Dei & merita Christi, licet nõ negligant facere quod suum est. Atqui certũ est, opera nostra (quatenus merè nostra sunt) tam bona & perfectã nunquã fieri, vt gratia Dei & æterna beatitudine digna sint. Quapropter omnes illi fallãtur necesse est, qui sibi ipsis nimirũ fidũt. Contrã certũ est, misericordiã Dei longè maiorẽ esse, quàm merita nostra, & Christi merita totius mũdi peccata vincere. Quare falli nõ potest, qui misericordiæ Dei & meritis Christi sic nititur, vt

tamen

tamen ipse sibi per peccata impedimēto nō sit, quò minus ea sibi prodesse queant. Illud infirmū fundamētū est, sed hæc est fortis petra, aduersus quam etiam omnes portæ inferorū in æternū nihil poterūt. In Hieremia hæc vtraq; simul indicata sunt. Maledictus homo (inquit) quī cōfidit in homine, & ponit carnē brachiū suū, & à Domino recedit cor eius, &c. Cōtrā verò benedictus vir qui cōfidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius. Et erit quasi lignū quod transplātatur super aquas, quod ad humorē mittit radices suas, & nō timebit cū uenerit æstus. Et erit foliū eius viride, & in tēpore siccitatis non erit sollicitū, nec aliquādo desinet facere fructū. Quisquis hæc verba Prophetæ nō intelligit aut credit, is inspiciat Euāgeliū istud, videbit quā stultè faciat homo, qui in seipso solo cōfidit: è diuerso autē quā sapiēter is faciat, qui in Dei misericordia, & meritis Christi præcipuè cōfidit: nec tamē illis abutitur, sed modis omnibus gratū se præbere conat. Huc pertinet, quod hodiè circa iā dictū Euāgeliū ea ipsa verba è diuo Paulo nobis prælegūtur, in quibus Dei gratiā bifariām prædicat. Primò in genere erga omnes homines, deinde verò speciatim erga seipsum. Notū vobis facio (inquit fratres) Euāgeliū quod prædicauī vobis, quod & accepistis, in quo & statis, per quod & saluamini, &c. In his & sequētibus verbis audimus, quod Paulus nostrā salutē & fœlicitatē passioni & resurrectioni Christi potissimū trāscribit. Propter delicta enim nostra mortuus est, & resurrexit propter iustificationē nostrā, vt nos quoq; in nouitate vitæ ambulemus. Hoc (vult Paulus dicere) est Euāgeliū meū, quod vobis prædicauī, in quo & statis, per quod & saluamini. Tātū in genere de gratia Dei, quod ad oēs homines. Deinde verò & paulò post, dat Paulus etiā exēplū de seipso: Gratia Dei (inquit) sum id quod sum: & gratia ei⁹ in me vacua nō fuit. Hæc verba Pauli oportet nos diligēter cōsiderare: videmus enim illic, quā magnificè Apostolus de gratia Dei loquat. Tribus verbis vtitur, & p hæc triplicè indicat gratiā, quā nos habere omnes oportet. Primò dicit, Gratia Dei sum id quod sum. Bene dictū: neq; enim nos ipsos creauimus, neq; redemimus, neq; vocauimus: sed Deus hæc omnia fecit gratuitò: Ipse fecit nos (inquit Dauid) & nō ipsi nos. Ab æterno nos præuidit ac prædestinauit (inquit Paulus) deinde vocauit nos. Ad hæc in rebus extrarijs nihil ex nobis ipsis habemus, neque sanitatem, neque rationem aut habilitatem, &c.

Math. 16.

Hierem. 17.

I. Corin. 15.

Roma. 4.

Oratio prauo  
niens.

Psal. 84.

Roma. 8.

sed omnia hæc habemus à Deo. Quapropter quiuis Christianus rectè cū D. Paulo dicere potest: Gratia Dei sum id quod sum. Ea alioqui vocatur gratia perueniēs operantē, & gratis data. Hæc em̄ facit & operatur De<sup>o</sup> solus absq; nostra opera, Mera gratia est, & talis gratia, quā ex nobis ipsis non habemus. Gratia Dei sum, ait Apostolus id quod sum. Secūdo dicit: abundātius omnibus laboravi: nō ego autē, sed gratia Dei mecū. En, hīc Paulus aliter loq̄tur: nō dicit gratia Dei sola efficit omnia, sed operatur mecū. Hæc vocamus gratiam cōcomitātē, cooperātē, & gratū facientē. Hæc gratia posita est in bona volūtate, in vitādo malo, in perficiendo bono, in dulci deuotiōe, in sanctis meditationibus, in feruenti & assidua oratiōe, Hęc etiā operatur Dei gratia in nobis, sed tamē nō sine nobis. Ideò dicit, Dei gratia mecū. Tertiò dicit, Dei gratia nō fuit vacua in me. Et hæc vocatur gratia subsequēs, perficiēs, & cōsummās. Atq; hæc cōsistit in sc̄lici cōsummationē & æternæ beatitudinis remuneratione: eaq; itidē Deus operatur in nobis. De quo Paulus vbi ait. Gratia Dei, vita æterna. Hoc pacto videtis Paulū trifariā de misericordia & gratia Dei loqui: omnia trāscribit gratiæ Dei principiū, mediū & finem: nisi q̄ indicat, nos alicubi cooperari oportere. Hæc omnia nobis eò dicta sunt, vt tātō minus cū Phariseo in nobis ipsis vanè gloriemur, sed in Dño potiūs: & nos semper pro inutilibus seruis iudicemus, etiā si oīa fecerimus quę nobis præcepta sunt. Hoc cōsideremus circa hodiernū Euāgelium & Epistolam. Deus det nobis suam gratiam, Amen.

Gratia cooperans.

Gratia subsequens.

Rom. 6.

Luc. 17.

TERTIVS SERMO CONFUTAT  
 prauum intellectum, quem quis ex hodierno  
 Euangelio haurire possit.



IRCA Euāgeliū istud rursus & ante omnia necessariū est vt bonus Christian<sup>o</sup> certò obseruet quo scopo Christus hæc perabolā seu similitudinē de duobus, peccatoribus dixerit, alioqui faciliē quis trāsuerſim ageretur, & ex hoc Euāgelio desumeret, q̄ bonū nō esset: imò quòd Christus nūquā sensisset, quēadmodū iā nūc videmus & audimus, q̄ aliqui temerarij prædicatores & scribētes circa Euāgelium istud nihil aliud faciūt, quā quòd omnia opera bona crucifigunt &

figunt & putere faciunt, peccata verò & vitia omnia excusant, *o cacos magi-*  
 tuentur, & dicunt: Quia elato huic ac presumptuoso Pharisæo *stros.*  
 & hypocritæ opera eius propter superbiam nihil profuerunt,  
 omnium hominum etiam credentium opera nihil sunt, nihil neque con-  
 ferunt neque valent: quin etiam peccata sunt, & condemnationi ob-  
 noxia, atque Euangelio fidei nostræ, & Sacrosancto sanguini  
 Christi contraria. Ediuersò autè quia poenitenti Publicano prio-  
 ra eius peccata nihil nocuerunt, nullum peccatum posthac condem-  
 nare potest, præterquam incredulitas. Hunc in modum Euange-  
 lium istud nunc exponitur à nonnullis. Hinc fit, ut ferme maior  
 pars hominum, tam concionatorum quam auditorum, absque om-  
 ni cura viuat, nulla peccata amplius curet, nec memor deinceps  
 sit vilius boni. Alij terrore corripiuntur, cum de bonis ope-  
 ribus fit mentio: alios pudet bona opera facere, etiam si ad id  
 impellat eos conscientia eorum. Alij opinantur se peccare contra  
 pretiosum sanguinem Christi, si bona opera faciunt. Si quis autè  
 adhuc inueniatur, qui bonis operibus studeat, statim audit à  
 pseudoeuangelicis, quod suis operibus saluari velit, quod spiritu va-  
 cet, quod apostata sit, quod sit Pharisæus & hypocrita: omnes illum  
 digitis demonstrant, nemo non illum subsannat. Contra verò qui  
 quis audaculus est, & confidenter super misericordia Dei nulla  
 non peccata & flagitia designare audet, is de gratia Dei certus  
 est: nihil amplius opus habet, quam ut dicat, Deus propitius  
 esto mihi peccatori. Hoc verbo omnia præstat: nulla indiget  
 poenitentia, nulla contritione, nulla confessione, nulla oratione,  
 nulla emendatione: si quid autè præterea facit, hypocriticum est.  
 Nam quod Publicanus in templum ingreditur, pectus suam tundit  
 ex humilitate, etsi quæ alia sunt, nihil iam amplius valent. quin  
 que hæc verba, Deus propitius esto mihi peccatori, negotium  
 totum perficiunt. Sic modò intelligitur Euangelium istud. Sed cer-  
 te non est hæc sententia Christi. Quapropter ne quis erret, ne-  
 cessarium est (ut dixi) ut obseruemus: quorsum Christus para-  
 bolam hæc & similitudinem dixerit. Quamquam id S. Lucas expres-  
 sis indicat verbis, nimirum quod Christus similitudinem hæc contra  
 eos tantum locutus sit, qui sibi ipsis probitatis opinionem super-  
 bè vindicabant, & alios homines præ se contemnebant. Et cur hæc  
 verba præposuit? Quò appareat, Christum non contra bona ope-  
 ra loqui, sed contra nimiam fiduciam in sola bona opera. Enimue-  
 rò longè alia res est, bona opera facere, quam immodicam fiduciam  
 in bonis operibus collocare. Bona opera facere vtile est, saluta

*Ridentur ab  
 impijs bonorum  
 operum studiosi.*

*Exod. 20,*

*Eph. 2.* re. & Deo placitū; quia Deus id præcepit. Quippè omnia eius  
*Tit. 2.* præcepta nihil aliud docēt, quàm bona opera, & vetāt mala.  
 Tum dicit Paulus, Deū nos ad bona creasse, eaq; nobis præparasse, ut in illis ambulemus. Ait, q̄ etiā Christus se propterea in mortē tradidit, ut nos liberaret ab omni iniquitate, & mūdare sibi populū acceptabilē, sectatorē bonorū operum. Ad hæc oīa etiā Deus bonis operibus varias & magnas p̄missiones fecit. Ambula corā me (dicit Deus ad Abrahā) & esto  
*Gen. 17.* perfectus. Noli timere Abrahā, ego p̄tektor tuus sum, merces tua magna nimis. Quiescat vox tua à ploratu (inq̄t in Hier. 31. *remia*) & oculi tui à lachrymis, q̄a est merces operi tuo. Amē  
*Matth. 10.* dico vobis inq̄t Christus, quicūque porū dederit vni ex minimis calicē aque frigide, tantū in nomine discipuli, nō perdet mercedē suā. Gloria & honor, & pax omni operāti bonū. Iudæo primū & Græco, ait Paulus. Et iterū 2. *Corin. 9.* Vnusquisque mercedē accipiet secūdū laborē suū. Nam qui parvū semināt, parvū & metet; & qui seminābit in benedictiōibus, de benedictiōibus & metet. Tū etiā dicit Ioan. Apoc. 14. Eos qui moriūtur in dño, secutura opera ipsorū. Et Christus *Luce 12.* p̄dixit: Nolite timere pusillus grex, q̄a cōplacuit Patri vestro dare vobis regnū. Pater (inquit alio in loco) quos dedisti mihi, volo ut vbi sum ego, & illi sint mecū, ut videāt claritatē meā quā dedisti mihi, &c. Ex his omnibus apparet, bona opera facere esse vtile, salutare, ac Deo acceptū: cæterū fiduciā omnē in operibus tantū collocare, dānabile esse, quippè Deus honorē sibi postulāt nostrę salutis, ut potē cuius primaria causa ipse est. Ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me, ait apud *Esaiā cap. 42.* Et in *Ezechiele cap. 37.* Ego sum sanctificator tui. Ego sum Dñs Deus tuus (inq̄t iterū in *Isaia cap. 51.*) Idcirco nec debemus, nec possumus nostrā fiduciam alibi præcipuē collocare, quā in Deo & gratia eius. Sed hoc deerat huic Pharisęo, honorē Deo tribuere non poterat. Eam ob rē nō dicit, Deus gratias ago tibi, q̄ me gratia tua à malo abstraxisti, & per Spiritū tuum ad bona agēda p̄mouisti & adiuuisti, &c. Sed simpliciter ita dicit: Deus gratias ago tibi, q̄a nō sum sicut cæteri hominū: imò q̄ tot bona solus ego feci, vbi alij malis rebus studuerūt, &c. Hic vides, q̄ sibi ipsi has duas iustitię partes ascribit, evitacionē mali, & p̄fectionē boni. Nimirū certē hoc erat: quādoquidē Paulus aperte dicit, Deū opari in nobis bonū velle & p̄ficere. Tū Christus ipse di-

ipſe dicit, Ioan. 14. Sine me nihil poteſtis facere. Et quemad-  
 modū palmes nō poteſt ferre fructū à ſemetipſo, niſi māſerit  
 in vite: ſic nec nos ferre fructū poſſumus niſi in Chriſto man-  
 ſerimus. Hinc fit, q̄ Chriſtus Phariſæū hūc ſeu hypocritā, cū  
 eius oratiōe reiecit: nō p̄pter ieiuniū eius & bona opera, neq;  
 propterea, q̄ neq; p̄datus eſſet, neq; alios decepiſſet, nec cōiu-  
 galē thalamiū temeraſſet: ſed q̄ bona ſua ipſe arrogāter p̄di-  
 cat, ſibi ipſi nimis placet, ſuā ſp̄e in his ſolis collocat, atq; inte-  
 rim alios homines cōdemnat & temerē iudicat. Eodē quoq;  
 modo in Publicano obſeruādū eſt, qd Chriſtus in eo laudet.  
 Peccatū haud quaquā in eo laudauit, q̄a Deus peccati inimi- ſap. 14.  
 cus eſt. Imō quomōdō Chriſtus peccatum laudaret, qui pro-  
 pterea de cœlo in terras venit, vt peccata tolleret, & ſummē fu-  
 giēda doceret? Sed hoc Chriſtus laudat in Publicano & pec-  
 catore, q̄ veras ratiōes apprehēdit erga Deū agēdi & gratiā  
 cōſequēdi. Sed quę tandē illæ ſunt? Quōd à telonio & turpi  
 quaſtu penitus fugit, & ad templū currit, pcutit pectus ſuū,  
 deteſtat & cōfiteſ peccatū ſuū, petit veniā, idq; totū humili &  
 cōtrito corde, & feruēti charitate erga Deū, firmoq; nunquā  
 peccādi propoſito. Hæc placebāt Chriſto in hoc Publicano  
 & peccatore. Hæc nobis p̄ exemplo dedit, & nō priſtina eius  
 peccata & impiā vitā. Nō videndū eſt in hoc peccatore, qua-  
 lis & q̄s fuerit, ſed quēadmodū ſe nūc habet: quēadmodū etiā  
 in Phariſæo & hypocrita nō damnare oportet bona quæ fe-  
 cit, ſed qd̄ temerē de bono illo gloriat<sup>o</sup> ſit. Vtrobique videmus  
 bonū & malū. In Phariſæo bonū & laudabile erat, q̄ à male-  
 factis abſtinebat, & bono ſtudebat: malū autē erat, q̄ in hoc ſu-  
 perbiebat, ſibi ipſi immodicē placebat, & alios homines teme-  
 rē iudicabat dānabātq; In Publicano malū erat, q̄ tandiu in  
 peccatis iacuerat: bonū autē erat, q̄ reſpiſcebat & cōuertebat  
 ad Deū, p̄cōnitētiāmq; faciebat. Quare ſi rectē benēq; facere  
 in hac re volumus, vtrobique bonū nos amplecti oportet, ma-  
 lum autē omittete. Nullū opus tam bonū eſt, quin p̄datur, ſi  
 ſuperbia & philautia interueniat. Contrā nullū peccatū tam  
 magnū eſt, qd̄ nō p̄ humilitatē cordis, & verā p̄cōnitētiā rega-  
 tur tollatūq; id qd̄ eō nobis inferuire debet, ne bonis operi-  
 bus vnq̄ efferamur, neq; vnquā ob peccata desperemus. Hæc  
 præcipua ſentētia eſt hodierni iſtius euāgelij. Vndē facilē per-  
 ſpicere eſt, iſtud adeō Euāgeliū, q̄ truncunq; in ſpecie ſimplex  
 optimā nobis dare informationē ſuper articulū, de quo nūc

potissimum cōtrouersia est. Articulus is est de iustificatione hominis. Duo homines ascendebāt in templū, vt orarēt. Primus nominis sui ac vitæ talē apud alios opinionem habebat, perindē ac si nō corā mūdo & hominibus, sed etiā corā Deo iustus esset: de altero autē nihil sciebatur boni, sed mali plurimum: malū nomen habebat corā mūdo & hominibus: nemo cogitare aliter poterat, quā q̄ etiā à Deo reiectus esset. Ac Christus adest, sententiā ferēs, q̄ hic vltimus Publicanus iustificatus domū redierit præ Phariseo & hypocrita. Sed mirabilis hęc sentētia est: quapropter necessariū, vt causam queramus, quā obrem, qui bonæ existimatiōis erat, reiectus sit: alter verò cuius peccatū & iniustitia omnibus nota erat, gratiam sit cōsecutus, qui tamen ob peccata sua indignū se iudicabat, vt cælum intueretur. Primò, nequaquā ea sentētia est

*Phariseus cur reiectus, Publicanus cur iustificatus.*

(quemadmodū etiā superius cōmemoratū & indicatū est) q̄ bona opera hominē impediāt à gratia Dei: multò minus q̄ peccatū & mala vita illi ad iustificationē seruiat, vel promoveat. Nullo modo. Euāgeliū istud alias causas indicat: imò hęc duæ personæ ipsæ secū causam adferūt. De altero multa quidem dicuntur bona, sed additū est, q̄ fuerit Phariseus nomine

*Matth. 12.*

& re, hoc est hypocrita: hoc enim nomen dat plerūq; Christus Phariseis. De altero dicitur, q̄ quidē fuerit Publicanus, hominū excoriator: sed additū est, q̄ verè doluerit super peccatis suis & veniā rogauerit. En, hoc facit discrimen inter hos duos: hoc Phariseū & hypocritā adeò retroēgit cū omnibus eius, quæ iactitabat, operibus: hoc Publicanū tantū promouit: tamen si multorum peccatorū sibi cōsciū erat. Faciat quis bona quātumcūque multa possit, omnia tamē inutilia sunt, si Pharisæica superbia & peruersa intērio accedat. Cōtrā licet quis grauissimè ceciderit, gratiā tamen inuenit, si pœnitētiæ se dedat. Tota itaq; sentētia istius Euāgelij in hoc cōsistit, q̄ peccator qui se ipsum agnoscit & verè pœnitet, citiùs misericordiā & gratiā apud Deū consequatur, quā alius qui probitatis suæ opinione superbit, & alios temerè iudicat. Ratio est, quia peccator pœnitens Deo, sese humiliter submittit: alter verò sibi ipsi laudē & gloriā vindicat. Quā obrem lis & cōtrouersia de iustificatione hominis, haud difficulter dirimi posset. Ego tantū colligo ex hoc Euāgelio, q̄ iustificatio pœnitenti peccatori cōtingit sine operibus Mosæicæ legis, sed tamen nō sine bonis operibus. Quod perindē dictū est, peccator pœni-

*Vide hęc quæ opera ad iustificationem nihil faciant.*

tor pœnitentiã agens iustificatur, & mūdatur à peccatis suis, sine operibus Mosaicę legis, ex gratia & misericordia Dei, at tamen nō sine sua cooperatione & opera. Hęc omnia probari possunt, ex hoc Euāgelio. Et enim videmus in eo primū, q̄ Deus paratus sit omni tēpore dimittere, quia apud illū misericordia est, & copiosa redēptio. Sed cui remittit Deus peccata? Peccatori: sed tamen nō cuius peccatori. sed desiderāti illū *Psal. 129.* & quærenti verēq; pœnitenti. Talis fuit Publicanus: In hoc cōuenimus adhuc Iudęi, Christiani, & hęcetici. Quōd si porrō rogetur, quid hominē ad eiusmodi iustificationē seu remissionem peccatorum eius promoueat, iam oritur cōtentio. Iudęi volebāt id legis opera facere, eo q̄ circumcisi erāt & sacrificabant, &c. Sed falsum est. Christus nullius operis legis meminit in Publicano, nihilo tamen secius dicit eū iustificatum. Hoc si non faciūt opera legis, gratia faciat oportet. Si Moyses non facit, Christus faciat necesse est. Hoc igitur modo rixa inter nos & Iudęos sedatur. Huc pertinet quod S. Paulus tā *Rom. 3. & 4.* multū & prolixē probat, nos non per circumcisionē & legem *Gal. 2. & 3.* Moyli, sed per viuā fidem in Christū, iustificari. Veruntamen alia adhuc quæstio inter nos est, solūsnē Christus id faciat, an nostra etiā cooperatio accedere debeat. Id nos docebit Publicanus. Si illū Deus absq; omni eius cooperatione iustificauit, verū est dogma illud, q̄ sola fides hominem iustificet. Atqui verò inuenimus etiā in Euāgelio, q̄ suā quoq; addiderit operam: humiliabat sese, cōfitebatur peccata sua, percutiebat pectus suū, peribat veniā. Hinc dicit Christus, q̄ iustificatus domum cōcesserit. Et cur id? Quōd tantū credidit? Non: sed q̄ omnis qui se humiliat, exaltatur. Hic vides ad iustificationem plura alia requiri, quā simpliciter credere. Rectē itaq; mater *Catholica Ec-* nostra catholica Ecclesia nos docuit, ad iustificationē nō sufficere, vt saltē credamus Deū esse misericordē & Christū no- *clesia de iusti-* bis gratiā impetrauisse: sed etiam vt pœnitentiam agamus, *ficacione pen-* nos humiliemus, pectus nostrum percutiamus, nos ipsos in sacramentali confessione accusemus, oremus, & à peccatis desistamus: imò cōtrarium, id est, virtutes apprehendamus, & in eis perseueremus vsque in finē. Quicumque enim perseuerauerit in finē vsque, saluus erit. Sic docet nos vniuersalis Christiana Ecclesia, quin tota sacra Scriptura de iustificatione hominis. Eius rei exemplum & iudicium habemus in hodierna Epistola. Illic quidem Paulus primò, vt æquum est, fidem ve-

ram in Christum, certum ponit fundamentum. Sed mox sub-  
 indicat, nec se ipsum oriatum fuisse. Initio (inquā) animis no-  
 stris infigit passionem, sepulturā, & resurrectionem Christi.  
 Hæc sunt capita, in quibus fides nostra consistit. Hoc Paulo  
 fundamentum est, cui præcipuè innititur. E regione autē au-  
 didimus, quomodo humiliet se, ponens se infra omnes Apосто-  
 los: imò indignum se iudicans, qui Apostolus vocetur: idq;  
 Dei gratiæ ascribit. Addit tamen eiusmodi gratiā non fuisse  
 in se vacuum & infrugiferam, idq; comperimus à conuersio-  
 ne eius vsque in eius mortem, quemadmodum in Actis Apo-  
 stolorum prolixè indicatum est. Summa: si volumus à pecca-  
 tis nostris iustificari, non debemus sola fide contenti esse, nec  
 tamen in bonis operibus gloriari, sed peccata nostra cōfiteri,  
 veniam feruenter petere, de misericordia Dei minimè despe-  
 rare, bona operari, constituere & proponere, & illa opere præ-  
 stare. Hæc vera & perfecta est iustificatio. Deus Optim. Max.  
 faxit: vt in hoc & in alijs, veram assequamur viam, inq; ea im-  
 pigrè pergamus, & perseueranter maneamus, Amen.

#### Q V A R T V S S E R M O de Euangelio & Epistola.



**N** hodierno isto Euangelio duo nobis propo-  
 nuntur homines, quorum alter opus suum præ-  
 dicat, & ob id superbiebat: alter verò peccata  
 sua verè pœnitens deplorabat, & in misericor-  
 dia Dei piè confidebat. Hæc erāt duo quædam  
 admodum dissimilia: sed tamen vtraque nobis ad bonum in-  
 seruire possunt, si primum præmonitionis, alterum doctri-  
 nę loco accipimus. Neq; tamē credere aut opinari debemus,  
 qd id non nisi semel, & in duabus solūmodò personis factum  
 sit. Imò vbi tēplum Dei est, semper inuenimus, qd quidam so-  
 lis proprijs operibus, alij verò Dei potissimum misericordiæ  
 confidant: atque hi quidem prioribus tutiores sunt. Nā qui  
 proprię suæ iustitiæ nimis fidit, is indubiè super arenā ædifi-  
 cat: quandoquidē nullus ex seipso corā Deo iustificatur. Qui  
 autem misericordiæ Dei potius quā sibi ipsi innititur, is in fir-  
 ma petra stat, cōtra quā nec portæ inferorum aliquid valent:  
 quandoquidē misericordia Dei ab æterno fuit, & in æternum  
 manebit super timentes se, testamentū eius seruātes & præce-  
 ptorum eius memores ad faciendū ea. Quāobrē et si Euan-  
 gelium

gelium istud veluti simplex parabola & similitudo videatur, si litera tantum inspiciatur: diligenti tamen lectori & auditori multa præbet consideranda. Imò quicquid hinc inde nobis in sacra scriptura iudicatur, id simul in hoc Euangelio habemus, & quã breuissimè cõprehensum. Docet enim nos quid facere, quid cauere, quid sperare, quid metuere debeamus. Hæc autè præcipua sunt, quæ nobis in sacra scriptura proponuntur. Quisquis ergò hæc quatuor hodiè discere posset, is profectò Euangelium iam dictum, nõ frustra & sine fructu audiuisset. Primò (inquã) ex hoc Euangelio discere possumus, ad quid nos hoies à Deo conditi, per Christum redẽpti, & per prædicationem Euangelij vocati simus. Ni mirum in templum eamus, hoc est, vt Deum quæramus, Deum precemur, ad Deum cõuertamur, Deo adhæreamus per amorẽ, & semper corde nostro à terra ad cælum, & à temporalibus ad æterna ascendamus. Ante *1. Pet. 5.* oia autè peccata nostra, paupertatẽ & miseriam agnoscamus, & ob ea humiliemus nos sub potẽti manu Dei: illum honore & laude psequamur, nos verò ipsos accusemus, quẽadmodum Publicanus faciebat, vbi inquit: Deus propicius esto mihi peccatori. Tum autè Deo datur laus, quã cum Davide ex animo *Psal. 61.* dicitur: Potestas Dei est, & tibi Dñe misericordia: quia tu redes vnicuique iuxta opera sua. Enimverò si de Dei potestate & omnipotẽtia dubitasset, nõ vocasset eum Deum: si de misericordia Dei dubitasset, nullam veniam & remissionem ab eo petisset. Omnino etiã hoc nobis faciendum est: idèò cõditi sumus, redẽpti & vocati. Populum istum (inquit in Isaia) formaui mihi, *Isai. 43.* laudem meam narrabit. Et Petrus: Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, vt virtutes annuntietis eius, quod de tenebris vos vocauit in admirabile lumẽ suum. *1. Pet. 2.* Secundo, docet nos Euangelium istud, quid cauere debeamus: nimitum ne in bono, quod habemus efferamur, neue nobis ipsis immodicè placeamus: ne alios temerè iudicemus aut cõdememus. Nam vtrinque nobis periculum imminet. Qui de bonis suis opibus gloriatur & effertur, iam amisit ea & perdidit. Amẽ dico *Matth. 6.* vobis (inquit Christus de talibus) receperunt mercedem suam. Porro qui alium iudicat, seipsum cõijcit in iudicium Dei. Quia enim mensura quis mensus fuerit, eadem remetietur ei. Itaque discite ex hoc Euangelio, cum Phariseo quod bona facere, interim tamen ipsis non gloriari: quoniam quidẽ in illo vides, quod etiã qui multa bona faciunt, si inde supbiãt & gloriẽtur, cõdẽnari possunt. Imò quoniam quidem

in illo vides, & omnia nostra opera, quantūcūque multa sint, Deo nō placeat, si talibus operibus efferamur, & alios præ nobis cōtēnamus. Disce dehinc ex isto Euāgelio per Publicanū, vt nō alios hoīes, sed teipsum iudices & condēnes: quia in illo vides eos Deo placere: qui seipsos, p peccatoribus & omni bono indignos iudicāt. Deus enī, resistit superbis, humilibus autē dat gratiā. Tū orationē tantū considerat humiliū, & eorum gemitus non cōtēnit: imò q ex aīo humiles sunt, hos saluos faciet. Tertio quoq; nos docet Euangeliū istud, quid sperare debeamus, nimirum gratiā & misericordiā à Deo. Est enī bonus sperātib; in eū, & animæ quærētī illū, inquit Hieremias. Et David Psal. 146. Beneplacitū est Dño super timētes eū, & in eis qui sperāt super misericordia eius. Ita autē super misericordia eius sperare nos oportet, ne in peccatis maneamus: sed cū publicano peccus percutiamus, de peccatis doleamus, illa Deo & sacerdoti integrè confiteamur, & corrigamus. Neque otīādum deindē est, sed mēbra nostra posthac tenēda & applicanda ad seruiturē Dei, & iustitiæ, quēadmodū illa exhibuimus antea seruire peccatis & iniustitiæ: cæterū si in peccatis maneamus, aut à bono oriemur, nulla nobis misericordia, sed mera ira & indignatio expectāda est. Nā volūtariē peccātib; nobis post acceptā notitiā veritatis (inquit Paulus) iā non relinquitur pro peccatis hostia: terribilis autem quædā expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ cōsumptura est aduersarios. Irritam enī quis faciēs legē Moysis, sine vlla miseratiōe, duobus vel tribus testibus moritur: quātò magis putatis, deteriora mereri supplicia, qui filiū Dei cōculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ cōtumeliā fecerit? Scimus enim qui dixit, Mihi vindi. *Latm*, ego retribuā. Horrendum est incidere in manus Dei viventis. Itaque accedamus cū vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda à conscientia mala, & abluti corpus aqua munda: & cōsideremus inuicē in prouocationē charitatis & bonorum operum: & tārò magis, quantò videritis appropinquantem diē. Quartò itē docet nos Euangeliū istud, quid metuere debeamus, nimirum iudicia Dei: cāq; rursus tria simul subindicātur, quēadmodū etiā in Euāgelio præteritæ Dñicę, illorū iudiciorū tria intelligere poteramus aduersum ingrati tudinē Iudęorū, nēpē tēporale, spirituale, & æternū. Primum Christus enūciabat: circūdabunt te inimici tui, & coangustabunt te vn-

hunt te vndiq; & ad terrã proſternēt te: & non relinquent in  
 te lapidē ſuper lapidē, &c. Alterū iudiciũ Paulus protulit: *Rom. 12.*  
 Dedit illis Deus ſpiritū cōpunctionis, oculos vt nō videant, &  
 aures vt nō audiāt vsq; in hodiernū diē. Tertiū iudiciū *Iſai. 66.*  
 pronūciauit ſeu annūciauit cōtra malos. Ecce inquit, Dñs in  
 igne veniet, & quaſi turbo quadrigæ eius: reddere in indigna  
 tione furorē ſuum, & increpationem ſuã in flāma ignis, &c.  
 Eodē quoq; modo in hoc Euāgelio triplicia iudicia habemus  
 in elatos & præſumptuoſos. Primum eſt, q̄ etiã Chriſtus hoc  
 loco homines in duas diuidit partes, quarum altera electos,  
 altera cōdēnatos cōplectitur. Quẽadmodũ in *Matthæo 24.*  
*Matth. 24.* cit, vbi ait: In illo die iudicij, duo erũt in agro: vnus aſſumetur,  
 & vnus relinquetur: duæ molētes in mola, vna aſſumetur, &  
 vna relinquetur. Iudiciū hoc Dei eiufmodi eſt, ad qđ obſtupescere  
 meritò poſſimus. Atq; ſacra ſcriptura indicat nobis tale Dei  
 iudiciũ omnibus in locis. Et ita ab initio deprehenſum eſt.  
 Adam duos tãtũ filios habebat, Abel & Cain: alter bonus  
 erat: alter malus. Imò in his duobus filijs diuidebatur totũ hu  
 manum genus in duas partes, bonorũ & malorũ, electorũ in  
 dānatorũ hominũ. Habebat & Noë inter ſuos filios vnũ, qui  
 malus & peruerſus erat, nimirum Chã. *Gen. 4.*  
 Inter filios Abrahę & *Gen. 10.*  
 Iſaac, Iſmaël & Eſau mali erāt. *Gen. 12. 25.*  
 Dauid multos degeneres ha  
 bebant filios. In duodecim tribubus Iſraēlis, nō plures quã duę  
 tribus ſeruabāt tẽplũ & verũ cultũ Dei, de nobis Chriſtianis  
 ſepẽ in Euāgelio dicitur: Multi ſunt vocati, pauci verò electi. *Matth. 20.*  
 Sic etiã in hodierno Euāgelio nō plures quã duo hoĩes erāt in  
 tẽplo: ſed tñ alter eorũ dũtaxat iuſtificabatur. Tãtò magis no  
 bis tale iudiciũ Dei formidãdũ eſt. Alterũ iudiciũ, quod no  
 bis circa Euāgeliũ iſtud timẽdũ venit, eſt q̄ Phariſæus, quem  
 nemo manifeſti ſcleris & dedecõris arguere poterat, imò  
 qui in multis bonis operibus ſeſe forinſecus exercuerat, in ſua  
 tamen oratione reiicitur ob ſuperbiã. Quid ergo illis fiet, qui  
 præter ſuperbiam, etiam omnia alia peccata & vitia in ſe ha  
 bent? Si iuſtus vix ſaluabitur, impius & peccator vbi parebũt?  
 inquit Petrus. Si Phariſeõ non prodeſt bona eius ſpecies, quo  
 modò is coram Deo ſubiſtet, qui neq; ſpeciem, neque opera  
 habet? Tertiũ iudiciũ, qđ circa Euāgeliũ iſtud pertimeſcere  
 debeamus, eſt q̄ Chriſtus dicit: Omnis qui ſe exaltat humi  
 liabitur. Omnis (inquit) nullo excluſo, ſiue pauper ſit, ſiue di  
*I. Pet. 4.*  
*Luc. 14. et 18.*

- ues: quia pauper etiam esse superbus potest. Obserua tamen, quod non dicit: Omnis qui in loco sublimi sedet, humiliatur: quia potest quod etiam in magna dignitate constitutus, humilis esse.
- Psal. 39.* Quæadmodum David seipsum pauperem & mendicum fatetur, licet magnus Rex erat. Sed dicit Christus: Qui se exaltat, & presumptuosus est, confiditque in propria fortitudine, is humiliatur. Quid autem est, quod nobis tenacius adheret, quam priuatus amor & vana complacentia? Tantò magis ergo etiam ab hac sententia nobis timendum est. Ecce, hoc pacto docet nos istud Euangelium, viam nostræ salutis ingredi, sed cautè & circumspectè: docet nos sperare, ac interim tamen etiam timere. Hæc quatuor qui discere posset ex hoc Euangelio, vna vice satis didicisset. Hodierna itè Epistola nos docere bona multa potest, quæ tamen omnia cum iam dicto Euangelio quadrènt. Nam primò circa Pharisaicam superbiam, ponit nobis Paulus passionem Christi ob oculos: vt discamus non nobisipsis, sed meritò Christi potissimum inniti. Etenim per eum accessum habemus ad Deum. Et nemo venit ad patrem, nisi per eum: propter illum nos amat pater, si tamen & nos illum vicissim amemus, & per illum nos in gratiam recipit. Deindè dat se Paulus in hodierna Epistola etiam pro exèplo veræ pietatis & humilitatis. Primum in eo, quod seipsum postremò loco nominat & numerat inter eos, qui Christum post resurrectionem eius corporaliter viderunt. Secundò, quod seipsum appellat abortiuum. Tertiò, quod se vocat minimum inter Apostolos. Quartò, dum dicit, indignum se esse nomine Apostoli. Et postremò, quod etiam confitetur, se ecclesiam Dei persecutum esse. Est autem hæc insignis humilitas tanti Apostoli. Adeò ille exactè sententiam sapientis secutus est, vbi ait: Quàntò magnus es, humiliate in omnibus. Quin adeò altè in animum infixit, quod Christus dixit: Qui voluerit maior inter vos esse, sit vester minister: Et, Nisi vos humiliaueritis, ac efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. Talis humilitas etiam in alijs bonis & sanctis Dei, non rara est. Videmus eam in Abrahamà, cum loqueretur cum Deo: Quia semel cepi, loquar ad Dñm meum, cum sim puluis & cinis. In S. Iacobo similis apparet humilitas: Dñe (inquit) minor sum cunctis miserationibus tuis, & veritate tua quàm expleuisti seruo tuo. David itidè loquebat ex humili corde: Quis ego sum (inquit) Dñe Deus, & quæ domus mea, quæ adduxisti me hucusque? Maria virgo & mater Christi, declarabat eiu(s)modi humilitatè in summo gradu. Respexit (inquit) humilitatem an-

tatem ancillæ suæ. Et iterû: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbû tuum. Præclara nimirum, imò summa & utilissima ars est seipsum cognoscere. Vnde sibi persuadebant olim Ethnici dictû hõc, NOCE TE IPSVM, de cælo venisse: & omninò de cælo venit. sola enim gratia Dei nos adducit ad verâ cognitionē nostri ipsorum. Tertio prædicat Paulus in hodierna Epistola magnificè gratiã Dei, omnibus ijs ad solatiû, qui cum Publicano oculos suos non audet ad Deû attollere ob peccata sua, si tamen cû eodẽ Publicano ex animo resipiscat. Gratia Dei sum (inquit) id quod sum. Simili quoque modo dicit & in alio loco: Ideò misericordiã cõsecutus sum, ut in me primò ostenderet Christus Iesus omnem patientiã, ad informationē eorû qui credituri sunt illi in vitã æternam. Postremò addit Paulus: Et gratia Dei in me vacua non fuit, propterea eos, qui Dei dona & gratiã frustra accipiunt, nõ proferunt in lucẽ & in opus, apud seipsos perire sinunt, defodiunt sui Domini pecuniã in terram, qua lucrari & foenerari debebat. Hoc pacto duo hodiè insignia exempla habemus, cùm diuinæ misericordiæ, tû etiã veræ humilitatis: alterû in Publicano, alterû in sancto Paulo. Ergo qui propter peccata in conscientia sua coangustatur & cõsolationē diuinæ gratiæ cupit, is agat verã pœnitentiã, & dicat cû Publicano: Deus propitius esto mihi peccatori. Cæterum qui gratiã Dei iam accepit, is dicat cû diuo Paulo: Gratia Dei sum id quod sum. Talis humilitas vbi est, nunquã homo efferetur, sed per humilitatem omnes alios homines plaris faciet, quã seipsum, ut Paulus docet. Et omnẽ suã orationē præcipuè in misericordia Dei fundabit & diriget. Quemadmodum peccator in hodierno Euãgelio facit, & Ecclesiã tali exẽplo in sua oratione vtitur. Hoc quiuis bonus Christianus hodiè ad animum reuocet, operèq; præstet. Deus det nobis omnibus suam gratiam, Amen.

1. Timo. 1.

Matth. 25.

Philip. 2.

QVINTVS SERMO DE PRIMA parte hodierni Euangelij.



QVOD Christus in hodierno Euangelio dicit, optimè concordat cum parabola, quam in Matthæo legimus de operarijs in vinea laborantibus. illic indicatum est, quòd qui postremò veniebant, & vix vnã horam laborabant, non solum plenam mercedem recipiebant, quasi totam diem la-

Matth. 20.

borassent, sed etiam patrisfamilias fauorem retinebant. Alij autem qui diluculo laborem ingressi erant, & totam diem in eo perseverauerant, etsi mercedem recipiebant, nonnihil tamen in indignatione patrisfamilias incidere videbatur. Similiter quoque hic indicatum est, nimirum quod is qui omnia bona

*Luc. 18.* & nihil mali de se predicabat, ab oratione & templo discedebat qualis venerat, vacuus omni gratia Dei, & ob elationem indigni iudicatus. Alter vero, qui multum mali, & nihil boni de se sciebat, toto corde ad Deum conuersus, domum iustificatus redibat, Dei fauorem & gratiam consecutus. Hunc in modum, inquam, hae parabolae concordant. Verum tamen utrobique adhibita cautio est, ut nemo facile scandalizari possit, qui verba recte intuetur. Imo utrobique loci causa indicata est, quae obrere nonnunquam falso probus magno labore parum gratiae apud Deum mereatur: contra vero quandoque magnus peccator gratiam & fauorem apud Deum consequatur. Superbia & humilitas utrobique hoc faciunt discrimen. Superbia perdit omnem bonum coram Deo, quantumvis magnus: contra regit & celat humilis poenitentia omnia peccata coram Deo, licet plurima. Causa est, quod superbus Deo suum honorem praeripit, existimans manum suam excelsam, & Deum non facere omnia, dicens cum superbissimo Sennacherib: Numquid audiisti quid ego & patres mei fecerimus, quot terras & regna subegerimus ac deuastauerimus? quid igitur post hac mihi resistere posset? Eundem quoque in modum dicit hic Phariseus: Non sum sicut caeteri hominum, raptores, iniusti, adulteri: ieiuno bis in Sabbato: decimas de omnium quae possideo. An non autem ita se extollere, Deum honore suo priuare est, qui omnia in nobis bona operatur, & sine quo nihil boni cogitare possumus? Aut quomodo homo cum tali superbia gratiam mereri posset, cum tamen Deus toties in Prophetis dicat, se solum esse Dominum, nec daturum alteri suam gloriam? Contra autem vera humilitas Deo gloriam tribuit, inquit eum Dauid: Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam, super misericordia tua, & veritate tua. Quid ergo mirum, si quis vere humilis ac poenitens, gratiam & fauorem apud Deum inuenit, qui etiam circa hoc naturam habet, ut libenter humilia respiciat: caeterum quod magnum & sublime est, id agnoscit quidem, sed a longe? Quapropter hodierna parabola & similitudine duabus vijs uti nos oportet. Primum, tanquam admonitione, ut nunquam in proprijs nostris operibus seu

meri-

meritis gloriemur & præfidamus. Secundò, tanquam solatio, vt nūquā ob admiffa peccata desperemus. Summa ergo istius parabolæ est. Primò, quòd etiam ij qui multa bona fecerunt, & extrinsecus pro sanctis habentur, condemnari possint, si probitatis suæ opinione elati, alios contemnant. Secundò, quòd etiam maximi peccatores saluari queant, si humilient sese, peccata sua deplorent ac confiteantur, dignos pœnitentiæ fructus faciant, misericordiã à Deo petant, seque emendent. Hoc pacto inuenimus in ista parabola, quòd nōnūquā nouissimi fiāt primi, & primi fiant nouissimi. Imò quòd multi sint vocati, pauci verò electi: multi in templo orēt, nō tamen omnes exaudiantur. Verùm ordine verba hodierni Euangelij disquiremus, & videbimus, quid nobis porrò intelligendum præbere velint. Duo homines (inquit Christus) ascendebāt in templum, &c. Pulchrum & iucūdum est sic, vbi in bono vnanimitas est, & æqualis feruor, ac animus studiòmque ad seruiendum ei & placēdum, cui quicquid bonū placet. Bonum & iucundum est, fratres habitare in vnum. Dico vobis (ait Christus) quia si duo ex vobis consenserint super terrã, de omni re quãcunq; petierint, fiet illis à Patre meo qui in cœlis est. Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Hi duo neque voluntate, neq; intēione idem sentiebant: alter enim sibi ipsi nimis placebat, alter verò se ipsum obiurgabat, ex magna sui displicentia. Ascendebāt vnà in templum. Laudabilis ascensus, vbi à paruo ad magna, à carne ad spiritum, à spiritu ad Deum, à mundana infidelitate ad orationem & considerationem diuinarum rerum ascēditur, Beatus vir (inquit Dauid) cuius est auxilium abs te: ascensio-  
*Psal. 132.*  
*Matth. 18.*  
*Psal. 83.*  
*Psal. 121.*  
*Esa. 56.*  
 nes in corde suo disposuit in valle lachrymarum, in loco quē posuit. Ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion. De hoc etiam ascensu loquitur alibi idem Dauid: Lætatus sum (inquit) in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus, &c. Ab hoc neminē pristina vita & cōsuetudo deterrere debet. Non dicat filius aduenæ qui adhæret Domino, dicens: Separatione diuidet me Dominus à populo suo. Et non dicat Eunuchus: Ecce ego lignum aridum. Quia hæc dicit Dominus Eunuchis, Qui custodierint Sabbata mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea & in muris meis locum, & nomen meum à filijs & filiabus: nomē sempiternum dabo eis, quod non

peribit. Et filios aduēz qui adhærent Domino, vt colant eum, & diligant nomen eius, vt sint ei in seruos: omnem custodientem Sabbatum, ne polluat illud, & tenentem fœdus meum, adducam eos in montem sanctum meum, & lætificabo eos in domo oratiōis meæ: holocausta eorū, & victimæ eorum placebūt mihi, super altari meo: quia domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis. Ascendebant in templū, vt orarēt. Bonum propositū. Sed nō omnes hac de causa in templum eunt. Imò oratio sepe numero minimū est, quod in mentem venit in templo. Alij suum tantūmodo querūt com modum & lucrū: alij negotiantur tantū in eo & nugantur, quemadmodū Christus ipse id deprehendebat suo tempore. Vnde talem seueritatem ostendebat, sicuti antea nūquam fecerat: flagro euentes ac vendentes è templo eijciebat, pecunias nummulariorū effundebat, mensas euertebat, similiter & sedilia colūbas vedētium: inquirēs ad eos: Auferte ista hinc, & nolite facere domū Patris mei domum negotiationis. Por

**1. Pet. 6.** rō hi duo bono animo concedebāt in templum, nimirū vt orarent. Atque hæc præcipua causa erat, quā obrem Salomō primū templum ædificabat. Ad hoc tantū, inquit, facta est domus hæc, vt respicias orationē seruitui, & exaudias præces famuli tui, & populi tui Israël, &c. Hoc animo Pharisæus & Publicanus ibāt in tēplū, vt orarēt. sed veniebant in tēplū,

**Matth. 14.** & oratio eorū multis modis distabat: imò adeo, vt vnus assumeretur, vnus relinqueret, quē admodū in extremo die cum omnibus ageretur. Idcirco nihil tibi corā Deo profuerit, q̄ in loco sancto habitas, nisi ipse quoq; sanctus sis. Imò eōdem natio tua hoc grauior erit & certior, si in loco sancto flagitiosè

**Esa. 26.** viuas, quē admodū in Isaia id prædictū est. Nec proderit tibi, quod rebus te sanctis occupas, si non ita, vt oportet, facis. Templum locus sanctus erat, oratio opus sanctū est: attamen horū nullū Pharisæo proderat, licet in tēplo & oratione inueniebatur. Causa est quod Deus spiritus est, & veritatē amat: imò quod in spiritu & veritate inuocari velit: idcirco neque tēplum, neq; solitudo, neq; Ecclesia, neque cōclauē, præcipua causa est, vt oratio nostra ante Deum veniat, sed spiritus & veritas orationem nostram deferunt ante tribunal Dei. Pharisæus stans orabat. Hic vnā partem habes, quæ Pharisæo orationem suam perdebat, & inuisam reddebat. Etenim statio hæc iudicium præbebat inflati animi, quem Deus semper

odit. Con-

edit. *Contra verò cor contritum & humiliatum nunquã despiciat.* Vnde & Sapiens dicit, Ecclesiastici 35. quòd hominis seipsum humiliãtis oratio nubes penetrat. E diuerso autẽ quæ oratio illa erit, in qua humilitas nulla est: imò in qua nos humilitatis pudet? Salomon erat omnium ditissimus & gloriosissimus rex, quem Iudæi vnquã habuerunt, attamen nõ pudebat eum coram omni populo genibus flexis orare: Daniel in die ter cadebat in genua in oratione. Moyses Numer. 16. cadebat in faciem in sua oratione. Lucas cap. 22. simile scribit etiam de Christo in monte Oliueti. Et quid solùm hos commemoro? Iudæi & Gentes procumbunt in genua, eleuãt manus & oculos, quando orant. In Apocalypsi Ioannes videbat, non solùm viginti quatuor seniores, sed etiam omnes Angelos in cœlo in faciem procidere ante thronum Dei. In Iob cap. 26. scriptum est, quòd etiam columnæ cœli ante Deum contremiscunt: denique obstupescunt omnes creaturæ ad diuinam Maiestatem. Et hic superbus Pharisæus, peccator & impurus homo, in terris erecto collo capite corã Deo audebit stare & comparere? Sed nõ hic Pharisæus solus fuit, quẽ pudebat in oratione sua in genua procumbere. Apud nos Christianos videmus id nunc quotidie. Imò ex egregijs mortu disciplinis, quas per hos annos didicimus, etiã hæc vna est, vt nõ solùm nullos humiles gestus exhibeamus in oratione, sed derideamus etiã alios dum orãt, in genua procidẽtes. Mera sic hypocrisis oportet. Et quidã coram mortali homine qui vel aliquantũ potestatis habet. nescimus quomodò nos satis inclinare & flectere debeamus: & coram sublimi diuina Maiestate pudet nos curuare genua? Malus fructus est, arbor mala sic necesse est, vnde is extitit & natus est. Et quæ illa arbor est? Quòd persuaderi nobis sinimus. Deum peccata non curare, si tantum credamus: illum stare promissis oportere, aut non esse veracem Deũ, & misericordem. Hinc fit (inquam) quòd tam audaces coram Deo stamus aut ambulamus, quasi nos non ipsius, sed ipse nostra gratia indigeat: tanto honore eum non afficimus, vt tantum nos humiliemus coram illo, quantum facimus coram homine peccatore. Multò autem aliter reperimus in sacra Scriptura. Vbi boni filij Dei vnquã ardetèr orauerunt, ibi nõ solũ humilia verba reperimus, sed etiã humiles mores & gestus. Deus, gratias ago tibi, inquit Pharisæus. Bonũ principium in oratione, vbi gratiæ aguntur Deo.

Psal. 50.

3. Reg. 8.

Dan. 8.

Apoc. 7.

In illuminatos Evangelicos nostros.

Mala arbor.

- Quãdoquidẽ hic solus dignus est maiora accipere qui priora Dei beneficia cũ gratitudine cõsiderat. Quã ob rẽ vult sanctus Paulus, vt in Ecclesia nõ solũ oremus, sed etiam gratias agamus. Aq; hoc modo Phariseus iste etiã hac in parte suam hypocrisin, imò impietatẽ pulchrẽ tegere potuit tali specie. Quis enim illũ non probum & sanctum censuisset, quia in tẽplo erat, orabat, & gratias Deo agebat? Sed hypocrisis diu latere non poterat. Gratiarum eius actio pulchra non erat. Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum, &c. Hic apparet hypocrisis: hic proditur. Scriptura dicit, iustus prior est accusator sui. At verò hypocrita iste sui ipsius & peccatorũ suorum obliuiscitur, de aliorũ tantũ peccatis loquitur. Non sum sicut cæteri hominũ, raptores, iniusti, adulteri, &c. Hæc autem nõ est oratio, sed temerarium iudicium: nõ deprecatio, sed mera superbia. Quis es homo, inquit Paulus, qui iudicas alienum seruum? Domino suo stat & cadit. Nunquid non pater vnus omniũ nostrũm? inquit Malachias cap. 2. Quare ergo despicit vnusquisq; nostrũm fratrem suum? Quis scit quid agatur in homine, nisi solus spiritus hominis? dicit Paulus. 1. Cor. 4. Idcirco nemo alium ante tempus iudicare debet, donec veniat qui etiã secreta cordium nouit, &c. Sed si quis peccato aliquo præueniatur, hunc spirituales informare debent in spiritu mãsuetudinis, & seipsos cõsiderare, ne & ipsi tententur. Sũma: hæc vera regula est, natura & modus omniũ rectẽ credentium, quando ad orationẽ accedere volũt, vt priores sint accusatores sui. Sic faciebat Abrahamã rogãs pro Sodomitis: Quia (inquit) semel cœpi, loquar ad Dominũ meum, cũ sim puluis & cinis. Perinde ac si dicat: Ne irascare mihi quòd pro alijs oro, qui tamẽ ipse peccator sum. Sic faciebat Iacob: Domine Deus (inquit) minor sum omnibus miserationibus tuis, &c. Sic faciebat Dauid: Quis ego sum (ait) Domine Deus, & quæ domus mea, quia adduxisti me hucusq;? &c. Sic faciebãt Danielis socij dicẽtes: Daniel. 3. Domine Deus, iustus es in omnibus quæ fecisti nobis, &c. Sic ipse dicebat Daniel, cap. 9. Tibi Domine iustitia, nobis autẽ cõfusio, &c. Hunc in modũ cõfitentur probi omnitempore in sua oratione propria sua peccata. Cõtrã verò ficti nihil possunt aliud, quã alios homines iudicare, hoc tantum curantes quid alij, & non quid ipsi, mali agunt: imò festucam vident in alterius oculo, trabem autem in suis oculis non vident.

vident. Hæc falso iustorum natura est. Vera iustitia compassionem habet, falsa autem indignationem, inquit Gregorius. Sequitur in oratione Pharisei: ieiuno bis in sabbato: decimas do omnium quæ possideo. Non solum iudicabat alios homines temerè, & condemnabat eos, sed etiam iactabat seipsum; sibi ipsi bene placebat, sui ipsius iudex & testis est. In alijs hominibus nil nisi peccatum videt, in seipso videt nil nisi bonum. Est alia virtus hypocritarum. Sic ante ruinam exaltatur spiritus, inquit Salomon Prouerb. 16. imò sic inflantur impij & obliuiscuntur Dei. Nō cogitant quod in Isaia cap. 24. scriptū est: Quasi pannus mēstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ, Haud recordantes quod Christus dicit: Si omnia feceritis quæ præcepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus. Haud memores illius Pauli, 2. Corinth. 10. Qui gloriatur, in Domino gloriatur. Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat. Et iterum 1. Corinth. 4. Quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Hæc altera pars est Pharisaicæ iustitiæ, quod de operibus suis gloriantur, & nimium confidunt in eis, nihil facientes gratiam Dei. Est autē hoc grande scelus & vera idololatria. Quippè homines isti sua ipsorum opera nimis extollunt: aut, vt Iob ait, suas osculantur manus, hoc est, confidunt in seipsis. Qua de re dicit Sapiens in sua oratiōe: Domine pater & dominator vitæ meæ, extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi. Et Dauid Psalm. 35. Domine non veniat mihi pes superbiæ: quia ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem. Nihil periculosius, quàm si quis proprijs suis operibus gloriatur, nimiumque præfidat: quippè super arenam is ædificat, virginibus fatuis similis, quæ lampades quidem suas habebant, sed nullum in ijs oleum: speciem solam habebant coram hominibus, placebant sibi ipsis, cæterum veniente sponso lampades extinguiebantur: cogebantur itaque præforibus stare, & frustra pulsare. Quamobrem quisquis coram Deo & iudicio eius subsistere vult, nullo modo ob sua opera & merita inflari debet, sed considerare, quid boni à Deo acceperit: contrà verò quàm ingratus fuerit, & quoties Dei mandata transgressus sit, &c. videbit omnia opera nostra coram severo iudicio Dei per se nihil esse. Hæc vera via est Dei iustitiam consequendi, quando scimus & confitemur, nos ex nobis ipsis & operibus nostris absque Dei gratia, 19.

Gregorius

+

Luc. 17.

Iob 13.

Eccle. 23.

Matt. 23.

stos esse non posse, & gratiam esse, quicquid nobis dat Deus.  
*Iob 9.* Sic dicit D. Iob: Verebar Domine omnia opera mea, sciens quòd non parceres delinquenti. Sic dicit David Psalm. 129. Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Et iterum Psalm. 142. Domine ne intres in iudicium cum seruo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Eiusmodi cor, quod seipsum verè humiliat, & in nulla iustitia sua, neque in seipso, neque in operibus suis gloriatur, idoneum est recipiendæ gratiæ auctoris, quam dat Deus. Quia beneplacitum est Domino super timentes eum, & in  
*Psalm. 146.* eis qui sperant super misericordia eius. Quamobrem optimus quisque Christianus caueat, ne sibi & operibus suis præfidat: alioqui enim profecto falletur: & arenæ superstruet. Proprijs nostris operibus solis absque Christi meritis, coram iudicio Dei subsistere non possumus. Aliena in super opus habemus iustitia, nimirum operibus & meritis domini nostri Iesu Christi: in his solis fiduciam nostram ponere debemus, iis que rectè uti, quæ etiam nunquam nos fallent. Sed de his alias plura. Deus nos omnes custodiat ab superbix spiritu, Amen.

SEXTVS SERMO DE ALTERA  
 parte hodierni Euangelij.



**C**IRCA hodiernum istud Euangelium multa & quidem prolixè dici possent, qui omnia uerba quàm exquisitissimè indagare uellet. Præcipuum autem quod in eo obseruandum habemus, est, ut homo Christianus sciat & discat humiliter de seipso, magnificè autem de Deo eiusque gratia sentire, idque omnibus in locis & omni tempore: præcipuè autem in templo, & quando in oratione sua coram Deo stat. Hoc inquam, præcipuum est quod in isto Euangelio obseruare non oportet ac debemus. Hic non parum nostra refert. Cui magna apud principem aliquem sunt negotia, tantò ea faciliùs efficere potest, si principis voluntatè & conditionem nouerit. Alioqui si id nō sciat, potest quandoque vel vno uerbo, quod imprudenti excidit, totum negotium perdere, principem commouere, & plus indignationis quàm gratiæ inde reportare. Simile periculum nobis imminet, quando erga Deum cum nostra oratione agere debemus. Porrò qui ue-

ram oran-

ram orandi rationem non tenet, non solum frustra orat, sed nihil etiam aliud quam indignationem inde refert. Hoc videmus in isto Euangelio in Phariseo. Quapropter quia nos nunc in exulceratissimis temporibus necessitas urget aliquanto seuerius orare, quam alias solemus, tanto diligentius quoque Euangelium istud audire nos & ad animu reuocare debemus, vt discamus secundum voluntate Dei orare, ac deinde quoque tanto citius & maturius exaudiamur. Atqui est, vt superius dixi, verus & vnicus modus per orationem cum Deo agendi, vt humiliter & nihil de nobis ipsis, magnifice autem & multum de Deo sentiamus, totosque nos Deo subijciamus. Hunc modum quisquis in sua oratione recte seruat, cog; virtur, is indubie consequitur gratiam, etiam si antea maximus fuisset peccator. Ceteru qui hunc modum in sua oratione non seruat & vsurpat, sed superbo ac tumido corde orat, gratiam Dei amittit, etiam si antea optimus fuisset. Eius rei nobis Christus duo prebet exempla in hoc Euangelio. Duo homines Luc. 18. ascendebant in templum, & eode proposito, nimiru orationis causa, dispari autem conditione iteru e templo exibant: quia alter peccato liberatus erat: Dei gratiam & fauore consecutus erat: alter adhuc in suis peccatis haerebat, Dei indignationem praeterea fuerat consecutus, & amiserat quicquid vnquam boni fecerat. Et quod magis mirandu est, is ipse adeo gratiam & remissionem obtinet, de quo minime spes erat. Contra vero qui minime timebat, & suo iudicio tutissimu se putabat, reiciebatur. Quis autem non admiretur eiusmodi iudiciu Dei? Magnus es Domine (inqt Hieremias) & magnu nomen tuum. Hier. 10. Quis non timebit te o rex gentiu? O altitudo diuitiaru sapientiae, & scientie Dei: quam incomprehensibilia sunt iudicia tua? Rom. 11. Quis enim cognouit sensum Domini? Aut quis consiliarius eius fuit? &c. Quid ad hoc dicemus? Nunquid Publicanu peccata eius promouerunt, q; tanto citius gratiam apud Deum inuenit? Aut Phariseum bona eius opera impedierunt, q; in gratiam recipi eò minus potuit? Nequaquam. Longe absit ab omnibus Christianis, vt dicant aut cogitent, bona opera impedire hominem a gratia Dei, peccata autem & vitia promouere cum ad gratiam. Nullo modo. Sacra scriptura contrarium dicit omnibus in locis. Quid ergo Publicanum promouit, Phariseum autem impediuit? Quod publicanus totus corde contritus, humilis & submissus erat: imò nihil penitus

de seipſo ſentiebat, quin agnoſcebat ſe talem peccatorem, qui indignus eſſet cœlum & ſolem intueri, quia Dominum cœli tot modis peccando, contumelia affecerat, interim verò tamen tam mirificè & magnificè de gratia Dei & bonitate ſentiebat, vt etiam in tantis peccatis, quorum iam ex animo ipſum pœnitebat, de eius miſericordia non deſperaret. Hęc humiliatio ſuiipſius, hęc ſeria pœnitentia cum fiducia in miſericordiam Dei coniuncta, hęc Publicanum promouit, quòd tam citò gratiam inueniebat, conſequebaturque. Hęc illi peccata eius texerunt, & ei clementem Deum fecerunt. Contrà verò Phariſæus plurimùm de ſe ſentiebat, & ſuis operibus, imò prædicabat illa, perindè ac ſi non ipſe Deo, ſed Deus ipſi debitor eſſet, gratiæ Dei nullum relinquens locum, quaſi ſolus omnia ipſe feciſſet: deindè etiam alios præ ſe contemnebat & condemnebat. Hęc illius ſuperbia & contemptus aliorum impediit eum, vt nihil à Deo conſequeretur: quin per hęc etiam omnia ſua opera inutilia fecit. His nos Chriſtus docere voluit, vt nobis ipſis nunquàm fidamus, etiam ſi multùm profecerimus: neque de Dei miſericordia deſperare vnquàm velimus, licèt grauiſſe lapſi: ſed quotieſcunque coram Deo comparemus, ſtudeamus ante omnia ſacrificium cordis verè contriti, in timore & humilitate & feruenti charitate nobiſcum ferre: deindè verò ſacrificium diuinæ laudis & confeſſionis. Hęc præcipua ſententia eſt iſtius Euangelij: Porro iſtè proximè præcedente ſermone de Phariſæo eiùſque oratione audiuiſſimus: at nunc Publicani quoque orationem aliquantò diligentius conſiderabimus. Publicanus (inquit Lucas) à longè ſtans, &c. Quemadmodùm nobis per Phariſæum indicatum eſt, Deo ſummoperè diſplicere, ſi quis proprijs meritis efferatur: ſic nobis per hunc peccatorem oſtenditur, Deo non parum placere, ſi quis humiliter peccata confiteatur, vitâque corrigat, Hoc eſt quod Dauid dicit: *Iuxta eſt Dominus ijs qui tribulato ſunt corde, & humiles ſpiritu ſaluabit.* Senſit hoc idem in ſeipſo Dauid: *Dixi (inquit) confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei.* Idipſum in hoc publicano deprehenditur. Stans à longè, inquit Chriſtus, Hoc verum principium conuerſionis veræ, cùm peccator cognoscit, quàm longè à Deo reſſerit. Hunc in modum etiam filius prodigus ſuam incipiebat pœnitentiam & con-

uerfionem. Fames & miseria eò illum impellebat, vt in feipsum descenderet, feipsum miseretur, quòd tam longè à patris fui domo recesserat. Quanti (inquit) mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hïc fame perco? Mox vt hæc cogitabat, suam incipiebat conuerfionem. Surgam (inquit) & ibo ad patrem meum & dicam ei, Pater peccau in cœlum & coram te: iam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum de mercenarijs tuis. Talèq; propositum illicò reipsa & opere perficiebat. Iuxta exemplum istud quiuis etiam, qui gratiam apud Deum inuenire & consequi vult, à longè stare debet, in humilitate, seipsum & peccata sua considerare, sibi ipsi displicere, seipsum corripere, dignâ agere pœnitentiam. A longè stare debet: peccata enim nostra diuidunt inter nos & Deum, sicuti Isaias dicit. A longè stare *Isa. 59.* debet: longè enim salus à peccatoribus, quia tam longè à lege *Psal. 118.* Dei recesserunt, quæ obedientibus variam Dei benedictionem, *Deut. 28.* transgressoribus autem meram maledictionem annunciat. Nec attollere volebat oculos suos ad cœlum. Moris est apud omnes qui orant, vt oculos suos attollant ad cœlum: quandoquidem non solùm apud nos Christianos, sed etiam apud omnes Iudæos & Gentes creditur, Dei habitaculum in cœlis esse, quemadmodùm etiam Scriptura clarissimè dicit: In cœlo reffis meus, & conscius meus in excelsis, inquit Iob. Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, dicit Dauid *Iob 16.* Psalm. 13. Et iterum. Psalm. 102. Dominus in cœlo parauit sedem suam, & regnum ipsius omnibus dominabitur. Et Christus Matth. 6. Cùm oraueritis, dicite, Pater noster qui es in cœlis. Et Deus ipse in Isaiâ cap. 66. Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum. Quanquàm enim Deus vbiq; est, regnat & operatur, implet cœlum & terram *Hier. 23.* & omnes creaturas, nec longè est ab vnoquoque nostrùm, vt Paulus ait, Act. 17. speciatim tamen de illo dicitur, q̄ in cœlo fit: illic enim potissimùm relucet sapiëntia, potestas & maiestas illius. Illic etiã cum videbimus facie ad faciè, & sicut est: *1. Cor. 13.* Non enim hïc in terris corporeis videtur oculis, quemadmodùm etiã ad Moysen dicebat. Hinc fit, q̄ nos homines in oratione nostra ad cœlũ respicere solemus. Vbi enim est thesaurus (ait Christus Mat. 6.) ibi & cor. Sic sæpè legimus in Euãgelio, q̄ Christus oculos suos sustulerit ad cœlũ. Sic ait Dauid *1. Ioan. 3.* *Exod. 33.* *Ioan. 11.* Ps. 122. Ad te Dñc leuau i oculos meos, qui habitas in cœ-

lis. Sic item docet Hier. Thre. 3. Leuemus corda nostra, cum manibus ad Dominum in caelos. Hic autem Publicanus oculos suos attollere nolebat pra pudore suorum amissorum: pudebat eum ac refugiebat in conspectu diuinæ maiestatis comparere. Hæc vera humilitas cordis est, ubi homo ex consideratione peccatorum suorum & spurcicie cōtremisit erga diuinā maiestatem. Quæadmodum & in Esdra videmus: qui cū pro populo oraret, dicebat hunc in modum: Deus meus, confundor & erubescō leuare faciē meā ad te, quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrū, & delicta nostra creuerunt vsq; ad cælum. In his verbis idē ille deprehenditur spiritus, qui in filio prodigo & publicano sese ostendit. Peccatrix hunc spiritū exhibebat adhuc melius: ea indignā se iudicabat, vt in cōspectū Christi veniret: retrō accedebat, ad pedes illius sese aduoluebat, atq; ibi perseuerabat etiā lachrymādo, tergēdo, vngēdo & osculando: erigere se nō audebat, vt Christum aut quēquā alium intueretur, donec verbum consolatorium audiret, Remittūtur tibi peccata, vade in pace. Talis spiritus exigitur ad pœnitentiā, & ubi Deus pro remissione peccatorum rogatur. Et sanè quidem peccator indignus est, qui cælum intueatur: quia Dominum cœli in transgrediendis mandatis eius adeo contēpsit. Sequitur de publicano. Sed percussit pectus suum, nō quod externum pectus plus peccauerat, quā alia membra: sed quod sub pectore cor lateret, quod in impijs semper inquietum est: vt æstuosum mare, nunc in hoc nunc in illud peccatum procliue: est fons & origo omnium malarum cogitationum: & est palus ac lacus cœnosus, vnde oīa profluunt, quæ hominem deturpant. Nam de corde (inquit Christus) exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemix, hæc sunt, quæ hominē coinquināt. Peculiariter autē hic de Publicano dictum est, q̄ suum & nō alterius pectus percussit, hoc est, culpam peccatorum suorum non in alios reiecerit, quo seipsum excusaret, quemadmodum Adæ filij faciunt, qui peccata sua aut in Deum, aut in Diabolum, aut in fortunam reiciunt. Sicuti Adam faciebat in Paradiso, qui in Deum peccatum suum reijcere satagebat. Mulier peccatum serpenti imputabat: neuter eorum reum se fateri & agnoscere volebat. Hic autem seipsum solus accusat. Et quidem proxima hæc via est ad gratiā consequendam. Nulla enim apud Deū excusatio va-

rio valet: imò quò plus conaris te excusare coram Deo, hòc plus te accusas & condemnas. Quid niteris bonam ostendere *Hier. 2.* viam tuam (ait in Hieremia Deus) ad quærendam dilectionem? Eccè, ego iudicio contendam tecum, &c. Et in Da. *Psal. 49.* uide dicit ad peccatorem: Hæc fecisti, & tacui. Existimasti iniquè, quòd ero tui similis: arguam te, & statuam cõtra faciem tuam. Non itaque mirum, quòd S. David orat, vt Dominus *Psal. 140.* ponat custodiam ori eius, & ostium circumstantiæ labijs eius, ne declinet cor eius in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis, &c. Sequitur de Publicano. Dicens, Deus propitius esto mihi peccatori. Breuis oratio, sed efficax. Etenim primò confitetur Deum tanquàm verum & vnicum Deum, & creatorem omnium creaturarum. Deindè seipsum confitetur peccatorem, qui neq; bona opera neque merita habeat, quæ possit prætexere: sed quòd omnis sua spes præcipuè in misericordia Dei posita sit. Tertiò, quâtũcunque se pro peccatore agnoscat, non tamen desperat de misericordia Dei, sed humiliter orat ad Deum. Postremò, nulla merita iactitat, sed misericordiam implorat. Hæ veræ cõditiones sunt orationis. Sic sancti Dei orauerunt in pœnitentia & anxietate conscientiæ suæ, vt videmus in Dauide, Daniele & alijs, &c. Ex hinc ergo discere debemus petere remissionẽ peccatorũ. Et quid sequitur in hoc Euangelio? Dico vobis (inquit Christus) descendit iustificatus in domum suam ab illo. Hæc sententia est iudicis. Sed mirabilis sententia. Phariseus multa bona opera fecerat, sed perdebat ea omnia: quandoquidem gloriabatur de illis, & alios temerè iudicabat. Contrà Publicanus mala multa fecerat, sed gratiam & iustificationem inueniebat: non propter opera sua, quia nihil boni fecerat, sed ob humilem suam confessionem & feruentem charitatem. Omnis enim (inquit Christus) qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur. Sic beatissima Maria dicit in suo Cantico: *Luc. 1.* Superbos dispersit mente cordis sui, misericordia eius timentibus eum. Et sanctus Iacobus: Superbis resistit Deus, humilibus autem dat gratiam. Et Deus ipse in Isaia: Ad quẽ respiciam, nisi ad pauperulum, & contritum spiritu, & tremem sermones meos? Non itaque inanis admonitio, quòd Petrus nobis & omnibus Christianis acclamat, vt humiliemus nos sub potenti manu Dei. Et quod Sapiens dicit Ecclesia. 3. Quâtò magnus es, humilia te in omnibus, & cora Deo inue-

*Gratia quis* nies gratiam. Nam vt aquæ de montibus in valles defluunt,  
*capacissimus.* & quòd vallis profundior est, hòc plures ibi congregantur  
 aquæ: ita quoque nemo diuinæ gratiæ magis particeps est,  
 quàm qui se humiliat. Et quo minus homo de seipso sentit,  
 hoc magis diuinæ gratiæ particeps fit. Hoc videmus in verè  
 pœnitente Publicano isto. Nobis & omnibus peccatoribus  
 pœnitentiã agentibus, ad solatium scriptum est. Imò si Publi-  
 canum hunc probè consideramus, & quæ de illo dicta sint,  
 habemus in illo exēplum & peccatoris, & pœnitētis & iusti.  
 Primò nāq; quod de illo scriptum est, quòd Publicanus hoc  
 est, talis homo fuerit, de quo non multa bona homines sciue-  
 runt, & quòd de longè stetit, neq; oculos suos sursum attolle-  
 re voluit, in his tribus (inquàm) imago fuit omnium pecca-  
 torum, in quibus hæc tria semper inueniūtur. Etenim primò  
 conciliat illis peccatum etiam coram mundo famam malam,  
 vt omnibus contēptui sint, sicut Publicani apud Iudæos erāt.

*Isa. 59.* Secundò, etiam peccatum diuidit inter eos & Deum, vt supe-

*Psal. 118.* rius demonstratum est ex Isaia & Dauide, &c. Tertiò, etiam  
 excæcat eos peccatum, vt oculos suos aperire non possint ad  
 seipos aut Deum cognoscendum, sed impletur in illis, quod

*Psal. 81.* Dauid dicit: Nescierunt, neque intellexerunt: in tenebris am-  
 bulant. Hoc prima fronte in Publicano isto videri possit.  
 Deindè verò nobis etiam exēplum est verè pœnitentis homi-  
 nis, ad eum modū quo superius dictum. Et reuerà peccator  
 quàm se huic exemplo non conformē facit, is pro pœnitente  
 se ducere nò debet. Vltimum & optimum in hoc Publicano  
 est, quòd iustificatus domum ibat è templo. In hoc imago est  
 bonorum, & iustorum, quorum vera natura & conditio est,  
 cum in tēplo & Dei cultu peregerunt quæ eò pertinent, eūt  
 deindè etiã in domum suã. Hoc est, quando cum Deo recõci-  
 liati sunt, & Dei cultum peregerunt, vident vt proximo suo

*1. Ioan. 4.* faciant, quemadmodum decet. Quia hoc mandatū habemus  
 à Deo, (ait Ioannes) vt qui diligit Deum, diligat & fratrem

*1. Tim. 5.* suum. Tum dicit Paulus: Si quis domesticorum curam non  
 habet, infideli deterior est. Hoc est è templo iustificatum in  
 domum suam ire. In hoc Publicanus iste exemplum no-

bis & imago esse debet. Deus Opt. Maxi. faxit, vt  
 eam omnes exprimamus in pœni-  
 tentia & iustificatio-  
 ne, Amen.

DOMINICA DECI-  
MATERTIA POST PEN-  
TECOSTEN, EVANGELIUM  
LIVM MAR. VII.

**E**GRESSVS Iesus de finibus Tyri & Sidonis, venit ad mare Galileæ per medios fines Decapoleos: & adduxerunt ei surdum, impeditq; linguæ: & deprecantur eum, vt imponat illi manum. Et cum apprehēdisset eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas eius: & spūto emisso, tetigit linguam eius, ac suspiciens in cælum ingemuit, & ait illi, Ephphatha, quod est aperire: & statim aperte sunt aures eius, & solutum est vinculum linguæ eius, ac loquebatur rectè: ac præcepit illis ne cui dicerent. Sed quò magis illis eis præceperat, hoc potiùs amplius prædicabant, & supra modum stupebant, dicentes: Benè omnia fecit, & surdos facit audire, & mutos loqui.

EADEM DOMINICA EPI-  
STOLA SANCTI PAULI  
II. CORINTH. III.

**F**iduciam autem huiusmodi habemus per Christum erga Deum, non quòd idonei simus ex nobisipsis cogitare quicquam tanquam ex nobisipsis: sed si ad aliquid idonei sumus, id ex Deo est, qui & idoneos fecit nos ministros noui Testamenti: non literæ, sed spiritus. Nā litera occidit, Exod. 31 spiritus autem uiuificat. Quod si administratio mortis in

*literis, deformata in saxis fuit in gloria, adeò ut non possent oculos intenderere filij Israël in faciem Mosi propter gloriam uultus eius, quæ aboletur: cur non potius administratio spiritus erit in gloria? Nam si administratio condemnationis in gloria, multò magis excellit administratio iustitiæ in gloria.*

## P R I M V S S E R M O.



**H**ODIERNVM istud Euāgeliū simplicē habet & nudam historiā, quā intelligere quiuis facile potest: verūtamen nihilo ob id vilior existimanda est, quādoquidē in sacra scriptura nihil tā vile & paruum est, vndē nō magni aliquid desumi

- Rom. 15.* possit: nimirū Paulo eo dicente, Quicquid scriptum est, id ad nostram doctrinam scriptum esse, vt per patientiā & consolationem scripturarū, spem habeamus. Et iterum: Omnis scriptura diuinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonū instructus. Atqui hodiernum istud Euangelium etiā in sacra scriptura cōprehensum est, & nobis à Deo per S. Marcum præscriptum ac datum. Tantò minus contēnere debeamus, licet in speciē vile videatur. Ea est autem sententia, vt paucissimis de eo loquamur. Geminum miraculū, quod in eo Christus fecit, eò inservire nobis debet, ideòq; factū est, vt tantò alacrius Christo seruiamus, eius verbis & promissionibus tāto firmiter credamus: & tāto minus dubitemus, quin possit nobis, modò nos velimus, etiā animas nostras spiritualiter & æternaliter cōservare, quā videmus & legimus, eū tā facile oēs morbos corporis depellere potuisse & sanare. Ad hoc nobis istud & alia miracula Christi seruire debēt. Et in hoc etiā gesta sunt. Hoc indicat Christus ipse miraculo facto in paralytico, cui primū peccata dimittebat, & eū in anima sanabat, & in eius rei argumentū etiā à corporali ægitudine liberabat. Vt sciatis (inquit ad Phariseos) quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, surge paralytice, tolle lectū tuū, & vade in domū tuā. Christus sanè non ideò venit vt corporum, sed vt animarum medicus esset. Nec huic muto & surdo propterea opē tulit, quòd oībus mutis & surdis similiter facere vellet: sed vt oēs homi-

homines ex hoc corporali signo discerent, quid spiritualiter & æternaliter de illo sibi promittere possint ac sperare. Nihil humiliter hoc de filio Dei sentire esset, si corporalem tantum sanitatem apud ipsum querere vellemus. Corporales ægitudines quantumuis graues, non tamen semper, imò nec diu durare possunt: tandem in morte cessare debent: sunt præterea etiam alia media, per quæ propelli & mitigari possunt. Cum anima autem res alia est: eius vulnera & morbos neque herba neque malagma sanare potest, sed solus Deus. Neque finiri eos mors vlla potest, sed æternum manent. Hac in parte medico de cælo opus habuimus. Is nullus alius est, nisi Christus, qui in Euangelio dicit: Me oportet operari, donec dies est: quam diu sum in mundo, lux sum mundi. Et iterum Ioan. 10. Ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant. Et rursus Ioan. 6. Hæc est voluntas Patris mei, ut omnis qui credit in me, tanquam in unicum filium Dei, non pereat, sed habeat vitam æternam. Et non est alioqui nomen sub cælo, in quo saluos fieri nos oportet. Nemo sua virtute nos potest à peccato, à maledictione, à morte & ab inferno liberare, nisi solus is cui Deus potestatem dedit super omnem carnem. Quamobrem cum in hoc Euangelio audis, quod Christus unico verbo mutus & surdus homini loquelam & auditum reddidit, scito, quod eo ipso suo omnipotenti verbo etiam peccatum & condemnationem auferre potest animabus nostris: imò etiam suo tempore corpora nostra à morte & sepulchris excitabit & proferet. Tanto iustius in comune omnes, & unusquisque singulatim cum diuo Petro aliisque Apostolis dicere debet: Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. Et cum S. Paulo: Mihi viuere Christus est, mori lucrum. Et iterum: Omnia arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam. Et cum sancto Dauide Psal. 79. Domine non discedimus à te: uiuificabis nos, & nomen tuum inuocabimus. Hoc Christiano homini primum in hoc Euangelio considerandum est. Deinde etiam cum primis in hoc Euangelio obseruandum est, quod Christus quantumcumque etiam paratus & promptus erat omnibus hominibus gratiam suam & salutem offerre, paucos tamen inueniebat, qui se capaces exhiberent, & in quibus sua gratiæ opera declarare posset & exercere. Tres enim ciuitates & regiones in hoc Euangelio nominantur, in quibus Christus visus est & auditus. Erat Tyrus, Sidon, & Decapolis. Sed hæc ita describuntur hæc & nominantur, ut facile videresit, quam dissimili

Sap. 16.

Ioan. 9.

Act. 4.

Ioan. 17.

Ioan. 6.

Philip. 1.

Philip. 3.

i p r

ratione in tribus his locis Christus acceptus sit. De Tyro enim exibat, per Sidonē transibat, in regione autē decem ciuitatum inueniebat, qui eius auxiliū implorabāt: & apud illos etiā hoc faciebat miraculi. Hoc, inquā, satis indicat, quomodo vnaquæq; harū ciuitatū & regionum oblatā gratiā acceperit. Nam quod Christus in regione decē ciuitatum fecit, id indubiē in alijs duabus ciuitatibus quoq; fecisset, si talē fidem & deuotionem apud illos reperisset, vti apud istos. In finibus quidem Tyri etiā antea magnum miraculū fecerat in muliere Chananitide & eius filia. Sed non additū est, quod vllus homo eius ciuitatis seu regionis, ob id Christo adhæserit, aut illi sese adiunxerit. Id omne nobis quoque dictū est. Imò in hoc verū speculū habemus, dū videmus quid adhuc quotidie agatur in mundo, quinetiam inter nos Christianos. Alij tam mali sunt, vt Christus prorsus ab eis recedat, vti de Iudæis dicit: **Matth. 21.** Auferetur à vobis regnū Dei, & dabitur genti faciēti fructus eius. Et iterū **Matth. 23.** Ierusalē Ierusalē, quoties volui cōgregare filios tuos, quemadmodum gallina cōgregat pullos suos sub alas, & noluisti? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Dico enim vobis, nō me videbitis amodo donec dicatis. Benedictus qui venit in nomine Domini. Et iterum **Ioan. 8.** Ego vado, queretis me, & non inuenietis, & idcirco in peccatis vestris moriemini. Quidā alij adeo incōstātes sunt in bono, vt Christus non diu apud illos manere possit, sed præterit aut transit simpliciter, sicut Sidonem. Ad tempus enim tantū credūt, in tentatione autē deficiunt. Atque hoc pacto vix manet tertia pars, in quibus Christus sua gratiæ opera perficere possit, quique eius gratiæ, ita vt oportet, cooperari velint. Hinc animaduerti faciliè potest, quæ causa sit, quod etiā inter nos Christianos multi sint vocati, pauci verò electi. **Matth. 11.** Christus quidem omnibus suam offert gratiā: ait, vt omnes ad se veniant, qui laborāt & onerati sunt: promittit illis, se resecturū illos, daturūque requiem animabus ipsorū: dicitq; volūtatem esse Dei, vt ex omnibus qui ad se veniunt, nullum reiiciat, sed det illis vitam æternam. Vbi ergo Christus ab hominibus fugit & recedit, proculdubio id propter peccata & ingritudinē illorū fit. Nā si eū hic vnus vir, qui tamen mutus & surdus erat, vnā cū suis amicis & cognatis, deuotione sua retinere potuit, possemus eū vtiq; etiā apud nos conferuare, si viuam fidē & deuotionē exhiberemus. Sed in hoc omnis defc-

defectus: habemus Christū, audimus Christū, videmus Christū, sed tamē nō agnoscimus nec diligimus eū. Idcirco semper egeni & miseri manemus. Noluit benedictionē (inquit David) & elōgabitur ab eo. Induit maledictionē, & intrauit sicut aqua in interiora eius. An nō autē miserabile est, quōd nos Christiani tantā, prærogatiuā præ omnibus alijs hominibus habemus, neq; tamē ita, vt par est, viuimus? Hoc alterum est, quod circa Euāgeliū istud nos obseruare oportet. Quid præterea doctrinæ & cōsolationis ex eo desumi possit, in sequētib; sermonibus indicabitur. Vnū imprimis indicandū duco, quod peculiariter nobis inseruiet periculosis his tēporibus, nōsq; docebit, quomodō in ijs nos gerere debeamus, quōd si quid extrinsecus nobis dāni allatū est, aut adhuc contingere possit, tātō patiētiū feramus, & Deū tantō minus ad maiorem irā prouocemus: nempē verba ea, quæ populus de Christo ait, Omnia bene fecit, mutos fecit loqui, & sardos audire. Digna sanē hæc erat confessio, laus & gratiarū actio populi fidelis sup miracula, quæ Christus in misero homine fecerat. Sed possumus his verbis aliū in modū vtī, & in genere de omnibus Dei operibus: & maximē quando Deus ex suo occulto, sed tamē iusto iudicio, pœnā & malum in nos immittit, quē admodū his vltimis tēporibus sæpē experti sumus & adhuc experimur. Tū nobis ad id inseruiet, vt tantō meliū impatiētiam effugiamus, & Deū tantō minus ad maiore iram prouocemus. Primū quidem esse apud nos Christianos debebat, & præcipuū, si quando Deus mala & afflictiones in nos immittit, vt in nos ipsos descendamus, peccata nostra cōsideremus, & cū Davide dicamus Psal. 118. Iustus es Domine, & rectū iudiciū tuū. Itē cū fratrib; Iosephi: Meritō hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrū Christū, quinetiam cōtra Deū. Et cū Daniele cū socijs eius, Iudicia vera fecisti iuxta omnia quæ induxisti super nos, propter peccata nostra. Peccauimus enim: & iniquē egimus, recedentes à te, nos & Reges nostri, nostri Prophetæ, nostri Sacerdotes, & populus noster, ideō hæc mala super nos induxisti, &c. Hoc (inquam) semper primum esse debebat apud nos, si quādo aduersa nobis accidāt. Et si hoc ex animo dicere possemus, magnū nobis ad patientiam adiumentum foret. Sed tamen non satis est, confiteri qd Deus nos ob peccata nostra iuste punit, sed confiteri nos etiā oportet, quōd id in commodum nostrum faciat. Non tātū

Psal. 108.

2<sup>a</sup> cor. 12. f.

Matth. 7.

Flagellis afflō  
Eti quid age-  
mus.

Gen. 42.

Dan. 3.

dicere oportet, Iustè omnia fecit: sed etiam dicere oportet, Benè omnia fecit: quod sicut Deus in inflictione pœnæ nemini iniuriam facit: ita quoq; dirigit nobis pœnam ad utilitatem & commodum nostrum, si nobis ipsi non obstemus. Deus talis pater familiâs est & Rex, qui in domo sua & regno nihil sine causa facit: imò omnes suas actiones ad bonû finem dirigit, nimirum ad suum honorem, & ad utilitatem electorum suorum, ita ut non sit quòd quisquam interroget, cur hoc vel illud faciat. Excelsior cœlo est (inquit quidã in libello *Iob* II. *Iob*) & quid facies? Profundior inferno, & vnde cognosces? Longior terra mensura eius & latior mari. Si subuerterit omnia, vel in vnum coarctauerit, quis contradicet ei? omnia iustè & bene facit. Sed hoc credere mundus difficulter potest, omnia quæ facit Deus, bona esse. Deumque etiam in pœna nostram quærere utilitatem. Illud creditu facilius est, quòd propter peccata pœnas & mala in homines inducat. Imò non latuit hoc etiam Gêtes. Sæpenumerò etiam improbi homines vel inuiti hoc fateri coacti sunt. Eius exemplum habemus in *Exod.* 23. Pharaone. Is ad eò cõtumax erat, ut diceret ad moysen, se nullum nosse Dominum: neque Deum curabat quicquã, sed postremò magnis plagis diuinitus immisis, eò adigebatur. ut dicere cogereetur: Peccaui, Dominus iustus est, ego autem & populus meus iniusti sumus. Sic etiam Saül 1. *Reg.* 15. præter voluntatem suã fateri cogebatur, se malè fecisse. De impio Antiocho similiter legimus 2. *Machab.* 9. qui graui pœna & dolore coactus dicebat: Iustum est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire. Quòd autem Deus etiam in pœna nostram quærat utilitatem, imò quòd omnia bona sunt & utilia quæ facit, id etiam bonis ægrè persuaderi potest. Cuius rei insigne extat exemplum in sancto *Iob*. Is in suo libello longam instituebat querelam: assequi nõ poterat, cur ei Deus tot mala infligeret, cum tamen ei conscientia certissimû testimonium daret, quòd ab ineunte ætate honestis studijs & omnipierati vacasset. S. David, Hieremias Habacuc satis demirari non poterant, quòd Deus malos tanto rerum successu auergeret. In labore hominum non sunt (inquit David) & cum hominibus nõ flagellabuntur. Ideo tenuit eos superbia, &c. Iustus tu es Domine (inquit Hieremias) si disputem tecum: verû tamen iusta loquar ad te. Quare via impiorû prosperatur? *Hab.* 1. Acrius hoc ipsum agit Habacuc: Vsquequo (inquit) Domine clama-

clamabo, & non exaudies? vociferabor ad te viam patiens, & nō saluabis? Quare ostendisti mihi iniquitatem & laborē, videre prædam & iniustitiam contra me? Propter hoc lacerata est lex, quia impius præualet aduersus iustū, propterea egreditur iudicium peruersum. Videbatur & diuo Petro iniquū, Christum pati debere. Absit (inquit) à te Domine, non erit tibi hoc. En, adeò difficulter etiam sancti credidisse videtur, omnia bona esse quæ facit Deus. Imò quemadmodum in hodierno Evangelio Christus muto & surdo antea aures aperit, quàm linguam soluat: ita nemo Deo veram obediētiam præstare potest, nisi Christus ei prius aures aperuerit: ita nemo dicere potest, Iustè & benè Deus facit omnia, nisi prius obtēperatè audiat sacram Scripturam. Faterur id ipsum & Dauid, vbi ait: Mei penè moti sunt pedes, penè effuli sunt gressus mei. Quia zelauī super iniquos, pacem peccatorum vidēs, donec intrem in sanctuarium Dei, &c. Ex sacris literis & verbo Dei rectè disci possunt, quæ de Deo sunt & eius operibus. Hoc est sanctuarium Dei, hic inuenimus quod mundum fugit: hīc videmus omnia bona esse, & bonis ad bonum inseruire, quæcunq; faciat Deus. Omnis disciplina (inquit Paulus) in præsentī quidem videtur non esse gaudij, sed mœroris, postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam, reddet iustitiæ. Hoc semper & apud omnes credentes inuentum ac deprehensum est, & etiamdum deprehenditur. Nulla aduersitas & pœna tam atrox in nos venit, quin ad bonum nobis conducere, & profectum facere possit, si modò ipsi volemus. Imò discere inde possumus, quòd alioqui non magni momenti iudicaremus, vel penitus negligere, nec crederemus quidem, nimirum quòd Deus verax, iustus & bonus est. Verax, quòd in verbis suis nō fallit, si quid promittit aut minatur. Iustus, quòd peccatū omne pœna prosequitur. Bonus verò, quæ etiam in medio iræ, suæ misericordiæ non obliuiscitur. Atqui nulla ars in terris est, quæ homini utilis esse magis possit, quàm scire, Deū esse veracē, iustū, & bonū. Si credis Deum veracē esse, nunquā desperabis. Si credis, quæ sit bonus, amabis illum. Si credis iustū esse, peccatis cauebis. Vbi ergo fides vna cum charitate & amore Dei est, nihil deesse ibi potest honorum etiam in terris: de æternis bonis nunc taceo: Hoc sentit etiam Dauid, vbi de seipso dicit: Bonum mihi est, quia humiliasti me. Et de omnibus credētibus in genere: Probasti nos Deum

Matt. 16.

Psal. 72.

Heb. 12.

Heb. 3.

Psal. 118.

Psal. 65.

nos examinasti, sicut examinatur argētum. Trāsiuimus per ignem & aquā: & eduxisti nos in refrigerium. Et iterū: Læta ti sumus pro diebus quibus nos humiliasti: annis quibus videmus mala. Agitè, ergo vnicum verbum ex hoc Euangelio obseruemus discamusq;: nempe vt tempore aduersitatum & pœnæ, non solùm dicamus, Iustè Domine nobiscum egisti: sed etiā, Benè Domine fecisti, idq; bono in nos animo, & no stram ea in re vtilitatē quæsiuisti, &c. Id quod omne dānum & aduersitatem faciet vt leuius feramus. Imò tum cum Da-  
*Psal. 33.* uide dicere poterimus: Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo, non solùm vbi rebus secundis, sed etiam aduersis vsus fuero. Vide, id omne nos vnicum istud verbū docere potest, Benè omnia fecit. Dei gratia cum omnibus nobis, vt hoc atq; alia diligenter cōsideremus & ex animo ea factis prosequamur, Amen.

### Secundus Sermo de Euangelio & Epistola.



**C**IRCA istud hodiernum Euangelium quantumuis breuè, bono Christiano multa consideranda sunt. Et maximè quòd Christus omnibus in locis tam promptus est, & paratus auxiliari ac dare, si auxilium & gratia eius ex animo petatur, inter Iudæos & Gētes, erga amicos & inimicos, sine respectu personarum. Hoc (inquam) bono Christiano ante omnia circa Euangelium istud considerādum est. Et id quidem etiam ad animum reuocare debet, ex animo gaudere esseq; id ei debet occasio, tantò feruētius pro seipso, atque etiam pro alijs orandi. Et ob id etiam sanctus Marcus miraculum istud tam euidenter descripsit, & non ipsum duntaxat per se opus, sed etiam omnes circumstantias. Opus indicat quid Christus possit ac valeat, id quod fidem nostram cōfirmat. Porrò circumstantiæ bonam nobis spem præbent ac fiduciam & ad Christum amandum nos alliciunt. Etenim primò videtur Christus signū istud inter Ethnicos & in homine Ethnico fecisse, quemadmodum paulò antè etiam in  
*Mar. 7.* ea regione clementer admodum Chananæ mulieri fuerat auxiliatus. Hoc nobis eam præbet spem, vt liberè nobis promittere possimus quòd Christus etiam noster esse velit non minus quàm Iudæorum. Nā alioqui si omnia sua miracula solùm inter Iudæos, & nullum inter Gentes & in Gentibus fecisset,

fecisset, non immeritò quis cogitare posset, nos Ethnicos ex-  
 clufos planè esse à gratia Dei: quemadmodùm Iudæis semper  
 iam olim nihil magis studio fuit, quàm vt nos excluderent.  
 Iam verò quia Christus etiam aliquot miracula inter Gen-  
 tes & in Gentibus fecit, clarè inuenimus quod Deus prædi-  
 xerat in Isaia de Christo: Parum est, vt sis mihi seruus ad su- *Esa. 49.*  
 scitandas tribus Iacob. Ecce dedi te in lucem Gentium, vt sis  
 salus mea vsque ad extremum terræ. Quapropter læti & ala-  
 cres cum diuo Paulo dicere possumus: An Iudæorum Deus *Rom. 3.*  
 tantùm? nonne & Gentium? Imò & Gentium: quoniam hic  
 nullum discrimen est. Vnus est Deus omnium hominū, tam  
 Iudæorum quàm Gentium: & is etiam satis diues est in om-  
 nes inuocantes se. Quicumque enim nomen Domini inuoca- *Ioel. 2.*  
 uerit, saluus erit, inquit Ioël. Et omnis qui credit in illum, nō *Esa. 28.*  
 confundetur. Hoc vnū est.

Secundò, homo in quo Christus miracula sua exhibuit,  
 non aliter describitur, quã q̄ mutus & surdus fuerit: quod  
 ipsum rursus nobis peccatoribus solatium præbet, vt ad Deū  
 accedere audeamus: quod facere nunquàm possemus, si Chri-  
 stus neminè curasset, quàm quos probos & plenos meritis, ac  
 bonis operibus inuenisset. Imò semper rãtò infirmiores nos *Eccle. 12.*  
 esse oporteret: semper nobis cogitandum esset, Deum non  
 exaudire peccatores, licèt pœnitentes: imò Deum odisse ta-  
 les peccatores. Et quandoque etiam cum desperato Cain *Gen. 4.*  
 dicere: Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear. Ta-  
 lem pusillanimitatem tollit nobis etiam Euangelium istud,  
 ne ob peccata animum despõdeamus, sed toto corde ad Do-  
 minum conuertamur. Alterum est.

Tertiò, videmus in hoc Euangelio, q̄ Christus hunc ho-  
 minem curauit ad aliorum hominum preces: quãdoquidem  
 æger iste neque audire, neq; inuocare poterat. Id quod eam *Infantes vq̄  
 sint gratia cõ-  
 paces.*  
 spem nobis præbet, quod etiam pueri & alij vocis officio de-  
 stituti, quos sancta Ecclesia in fide sua ad Christum adducit,  
 gratiæ Dei participes esse & fieri possint, Alioqui si ijs tan-  
 tum opem tulisset, qui ipsummet inuocauerunt, verendum  
 nobis esset, ne filij nostri & omnes qui loqui & orare nō pos-  
 sunt à Dei gratia, & regno penitus exclusi essent. En, hanc  
 pusillanimitatem tollit etiam nobis Euâgelium istud.

Quartò nihil habetur amplius in Euangelium de ijs qui  
 Christo laborantem adducebant, quàm quod Christum ro-

gabant, vt illi manus suas imponeret. Quæ res argumento  
 est, quòd neque pauperes exclusi sunt: siquidem orare æquè  
 possunt, atque diuites: alioqui si à Christo pecunijs & bonis,  
 muneribus & donis redimere debuiffemus quicquid boni  
 ægrotis fecit, rursum pauperes parum spei habere possent.  
 Iam verò nec pauper causam pusillanimitatis habet. Si orare  
 potes, auxilium tibi cõtingere potest. Aequè enim Deus pau-  
 perem creauit, atque diuitem. Tum in Christo neque Iu-  
 dæus neque Gentilis, neque mas, neque fœmina, neq; diues,  
 neq; pauper est, sed omnes vnum sumus. Quintò, si Christus  
 longo tẽpore & alieno subsidio ad sua miracula edenda opus  
 habuiffet, rursum dubium adferre posset, num semper ita suc-  
 cessurum esset. At nunc verò posteaquàm audimus, quòd  
 vnicum verbum loquitur, & protinus surdo aures aperiebantur,  
 & vinculum linguæ eius soluebatur, rursum eò certio-  
 rem spem habere possumus, quòd etiam nunc & in posterum  
 in æternum solo nutu possit salutem præstare ipsum inuocan-  
 tibus in veritate. Nam quòd Christus morbidum homi-  
 nem seorsum à populo abducebat, & illi sanctos suos digitos  
 in aures immittebat, atque etiam spuro sancti sui oris, linguã  
 eius contingebat, &c. non ideò factum est, quòd verbo solo  
 non posset curare eum: sed propter nos, ad iudicium, & quò  
 videamus id omne salutare esse, quicquid in Christo est, &  
 quòd multis modis auxiliari possit, non tantum verbo, sed  
 etiam contactu suo. Imò quòd nemo mortalium vnquàm  
 rectè audit & loquitur, audire & loqui potest, nisi illi Deus  
 suo digito, hoc est, Spiritu suo aures eius & linguam contin-  
 gat. Vnde & David orabat, vt Deus labia ipsi aperiret, tum  
 laudem eius annunciaturum. Confiteatur item Isaias, Deum  
 sibi aperuisse aures. Idcirco etiam nobis necessarium est, vt  
 semper ad cœlum suspiciamus, & ad multiplicẽ nostram mi-  
 seriam & egestatem ingemiscamus. Hoc nobis Christus eius-  
 modi suis gestibus indicare voluit. Sextò, Si sanitas non sta-  
 tim consequuta esset, rursum adferre dubium posset, num à  
 Christo restitutus fuisset, an à seipso fuisset curatus. Atqui  
 habetur, quòd illi quãprimũ aures aperiebantur, & lingua  
 soluebatur: & ita vt protinus audire & perfectè loqui posset.  
 Ex hoc nostra spes iterum fit maior. Postremò, si Christus  
 hæc miracula clam & in occulto fecisset, iterum res in du-  
 bium vocari posset, num ita factum esset. Iam verò quia co-  
 ram mul-

Gal. 3.

+

Psal. 50.

Esa. 50.

De carnis morbis  
 in istis suis  
 factis:

Dns aperuit michi  
 aures c. a. n. e. g.  
 et de lingua  
 Dns dedit michi  
 et lingua eundem

ram multis hominibus gestum est, qui omnes testimonium dabant, rursus fides nostra & spes tantò certior est. En, tantum solatij præbet nobis Euangelium istud perbreue.

Quæ omnia eiusmodi sunt, quæ nobis pusillanimitatem ex animo pellunt: contrà fidem, spem & charitatem erga Deum adaugent. Imò veri fontes sunt nostri Seruatoris, è quibus solatium & salutem haurire debemus ac possumus, quemadmodùm Isaias dicit. Vndè omnis Christianus omni *Esa. 12.* tempore dicere potest lætabundus: Deus salutaris meus, susceptor meus, non mouebor amplius: ipse fortitudo mea, & *Psal. 61.* salus mea, & ipse erit, refugium meum. Hoc vnū est, quod circa Euangelium istud considerandum est. Deindè verò etiam consideratione dignum est, quòd populus iste tam mirabiliter ex hoc miraculo emendatur, vt non solùm is in quo signum & gratiæ opus factum est, sed etiam alij omnes vnanimiter clamarent ac dicerent; Bene omnia fecit, surdos fecit audire, & mutos loqui. Singulare nimirùm Dei opus fuerit necesse est, siquidem rarò fit, vt totus populus in bono vnanimis & concors sit. Quin semper inueniat ciuès, qui consentiant & conspirent in malo. Sed ii pariter omnes admirantur, agnoscunt diuinum esse opus, laudant Deum, & non in hoc opere tantùm sed in omnibus eius operibus. Omnia (inquiunt) bene fecit, &c. Breue verbum, sed vera & certa laus Dei. Is enim est, qui in hodiernum in nobis operatur, & quidem omnia. In ipso, per ipsum, & ex ipso sunt omnia, inquit Paulus. Et omnia bene facit. *Rom. 11.* Quod creaturas suas semper conseruat, & in illis operatur iudiciũ præbet eius benitatis. Quod omnia in illis operatur, argumentum est eius potestatis & omnipotentiz.

Quod autem etiam omnia sua opera ordinat & dirigit ad suam gloriam & nostram salutem, signum est illius sapientiæ. At nunc vide, quantum hic populus in verbis tam breuibus Christo honoris dederit. Si per omnẽ vitam tantũ discere possemus, nõ parũ didicissemus. Atqui singulas cõciones talis laus Dei sequi debebat. Tantò diligentiùs quoq; exemplũ istud obseruare & ad animũ reuocare debebamus. Præter hæc omnia, etiam circa Euangelium istud *Miracula etiã* obseruandum, quòd Christus in hodiernum sua miracula *nũ inter nos* in nobis & inter nos facit. *efficit Deus.* Nam quod de muto & surdo isto dictum est, & dicitur, non nisi semel corporaliter fa-

- ctum est: fit autem adhuc quotidie spiritualiter, & in nobis ipsis, si tantummodo oculos vellemus aperire. Nam quid Christus facit aliud in mundo, quam quod surdos & mutos audire facit? Quid deinde etiam nobis Adæ filijs aliud deest, quam quod neque audimus, neque recte loquimur, quemadmodum & ubi decet? Sic surdus & mutus homo in hodiernum adhuc ambulat in terris. Rarè hoc quidem ab isto ævo & parum consideratur: cæterum cum antiquis Prophetis, tum sanctis nostris Apostolis unà cum eorum posteris multum laboris & sudoris attulit. Semper illis cum hoc surdo & muto negotium fuit. Nihil tam seuerè vrserunt, quam ut audiretur Deus, timeretur, laudaretur & inuocaretur. Nihil grauius punierunt, quam quod mundus neque audire, neque Deum laudare, timere & inuocare volebat. Terra, terra, terra, (inquit Hier.) audi sermonem Domini: quando quidem homines audire amplius nolunt. In præcedentibus capitibus dilucidè ostendit, quod Deus in omnibus Sacrificijs & constitutionibus, quas illis dedit, nihil aliud quæsierit, quam ut verbum eius audirent, & illi obtemperarent. Holocaustomata addite victimis vestris (dicit Dominus) quia non sum locutus cum Patribus vestris, & non præcepi eis in die, qua eduxi eos de terra Aegypti, de verbo holocaustorum & victimarum. Quò mihi in multitudinem victimarum vestrarum (inquit alio in loco) sed hoc verbum præcepi eis, dicens: Audite vocem meam, & ero Deus vester, & vos eritis mihi in populum.
- Eccle. 4.* Salomon docet & monet, ut propterea ad Deum appropinquemus, ut audiamus. Isaias pro magna ducebat gratia, quod ei Deus aperuisset aurem. Dominus Deus (inquit) aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorsum non abij.
- Esa. 50.* David nos passim docet, ut Deum laudemus, inuocemusque. Contra verò in tota Scriptura non maior querela est in Adæ filios & homines, quam quod ab initio nunquam audire & obtemperare voluerunt. Ecce (inquit Deus in Hieremia) misi ad eos omnes seruos meos Prophetas per diem, consurgens diluculo, & mittens. Et non audierunt me, nec inclinauerunt aurem suam: sed indurauerunt cervicem suam, & peius operati sunt, quam patres eorum. Et loqueris ad eos omnia verba hæc, & non audient te, & vocabis eos, & non respondebunt tibi. Et dices ad eos: Hæc est gens que non audiuit vocem Domini Dei sui, nec recepit disciplinam, &c. Sic queritur etiam Deus in Dau-

in Dauide: Non audiuit populus meus vocē meam: & Israël *Psal. 80.*  
 nō intēdit mihi. Et dimisi eos secūdum desyderia cordis eo-  
 rum ibunt in adinuetionibus suis. Sic queritur in Isaia: Tota *Esa. 26.*  
 die (inquit) manus meas extēdi ad populū non credentē mi-  
 hi, sed contradicentē, &c. Et in Prouerbijis Salomonis cap. 1.  
 Vocavi & renuistis: extēdi manū meam, & nō fuit qui aspice-  
 ret. Ego quoq; in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cūm  
 vobis id quod timebatis aduenerit. Summa, tota scriptura &  
 omnes Prophete querūtur, q̄ homines neq; audire, neq; re-  
 ctē loqui, hoc est, neq; Deum, ita vt oportet, audire, neq; re-  
 ctē loqui, id est, neq; laudare, neq; inuocare & amare Deum  
 volunt. Domine (inquit Isaia cap. 53.) quis credidit auditui  
 nostro? hoc est, illi quod ex te audiuimus & hominibus annū-  
 ciamus? Et iterū cap. 46. Non est qui inuocet nomen tuum:  
 qui confurgat, & teneat te. Hoc David numerat inter veras *Psal. 13.*  
 condiciones impiorum hominum, q̄ Deum non inuocant,  
 nec est timor Dei coram oculis eorum. Quod antiqui Pro-  
 phete conquesti sunt, adhuc inuenitur. Mundus est & manet  
 surdus & mutus, quantumcūq; audiat & videat, nec est hic  
 quisquam qui opitulari possit, præter Christum, qui nobis  
 aures & os aperiat. Huc pertinet quod Ioannes in Epistola *1. Ioan. 2.*  
 dicit, Vnctio docet nos: per vnctionē autem intelligit Spiritū  
 sanctū. Sic enim dicit Dauid de Christo: Vnxit te Deus oleo  
 laetitiae, hoc est, Spiritu sancto. Et Christus ipse in Isaia cap. *Psal. 44.*  
 61. Spiritus Domini super me, is vnxit me, &c. Hæc vnctio  
 (Spiritus sanctus) docet nos: veruntamen non in eam senten-  
 tiam, vt noui isti Schuernermeri intelligūt, qui putant se nulla  
 indigere Scriptura, Spiritū sanctum eos cœlitus nouis factis  
 & reuelationibus docere oportere: sed per Scripturam & ex-  
 ternum verbū Dei. Hoc generale medium est, per quod nos  
 Spiritus sanctus & vnctio docet. Et hoc etiā solus in cor im-  
 mittere potest: nam aliās possunt nobis etiam homines annū-  
 ciare verbū Dei, sed non ampliūs loqui, quā in aures. Quem-  
 admodū etiam in externis rebus, agrū colunt, plantant & ri-  
 gant, sed virtutē dare nō possunt, vt crescat & fructū afferat. *1. Cor. 3.*  
 Hoc enim facit solus Deus, vti Paulus dicit: Neq; qui plācat  
 aliquid est, neq; qui rigat, aliqd est: sed qui incrementū dat.  
 Sic ergo cōperimus, q̄ nobis Christus suo Spiritu oculos ape-  
 rit, & linguā soluit, alioqui semper manemus surdi & muti.  
 Huc inseruire nobis potest, qđ è D. Paulo nobis plectū fuit.

- 2. Cor. 3.** Fiduciam talem (inquit) habemus per Christum ad Deum: non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficiètia nostra ex Deo est. Hæc verba, & quod mox sequitur de Moyse & Christo, de lege & Euāgelio, non malè quadrat cum hodierno Euangelio: maximè propterea, vt in ijs videamus, quid Christus, & quid Apostoli & prædicatores ad nostram salutem faciāt. Paulus primùm de seipso dicit & sui similibus, imò de Apostolatu in genere: deindè etiam loquitur de Christo & eius Euangelio. Quod populus fecit apud hunc mutum, id sancti Apostoli in hodiernum faciunt in nobis. Munus eorum est, vt surdos & mutos ad Christum adducant. Et super hoc dicit Paulus: Deus nos fecit ministros noui Testamèti. hoc est, nos nō sumus qui salutē conferunt, sed tantū qui ministrant: sumus cooperatores Dei, id quod gloriari possumus: hos nos profitemur, non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficiètia nostra ex Deo est. Adducimus autem homines non coactos, sed volentes: nō perterritos litera, sed ductos spiritu. Non autem ducimus ad Moysen, sed ad Christum: is enim
- Ioan. 6.** solus per se auxiliari potest. Hic verbum vitæ habet. Moyses quidem etiam verbum Dei habuit, sed aliud erat verbum, quàm Christus attulerat. Adhibet sic Paulus quatuor similitudines. Verbum (inquit,) quod prædicabat Moyses & annuntiabat, nihil aliud erat quàm litera: verbum autem, quod Christus prædicabat, spiritus est, Moyse verbum erat mors: Christi verbum vita est. Moyse verbum condemnat, verbum Christi homines beatos facit, & adfert iustitiam. Illud perit,
- Luc. 12.** hoc autem manet in æternū. Quam etiam ob rem Christus
- Ioan. 1.** maiorem gloriā habet, quàm Moyses. Vidimus gloriā eius (inquit Ioannes) gloriā quasi vnigeniti à patre, plenum gratiæ & veritatis. In Moyse nihil ampliùs erat quàm facies clara & splèdida, vt inspicere eā Israëlita nō possent: Christus autē totus resplendet. Facies eius (inquit Matthæus) resplèdit sicut sol: vestimèta autem eius facta sunt alba sicut nix. Illic videbatur apud eum non solùm Moyses & Elias, sed etiam apparebat spiritus sanctus in lucida nube. Et Deus pater in voce. Hic est filius meus dilectus, ipsum audite, &c. Ad hæc omnia, Christus ingressus est in gloriā Patris. Sedet ad dextram diuinæ Maiestatis, tantò maior factus Angelis, quantò no-
- Heb. 1.** men maius accepit præ illis. Tantò alacriùs ad Christū accedere &

dere & duci debemus. Quò enim gloria Christi maior, eiusq; Euangelij est, hòc maius ex eo bonum nobis sperandum est: si tamen illi conuenienter viuamus. Nam si Deus etiam sub lege eos qui ad se veniebant, non exclusit, multò minus aliquem sub Euangelio excludet, vbi nihil aliud est, præter lucem, gratiam & gloriam: tantum nos dignos & capaces exhibeamus. Atque idè etiam vltimis temporibus tam gloriòse se exhibuit. Idè tam nobis fidelem dedit ministrum: vt non sit necesse quenquam obstupesceri. Habemus enim Pontificem (inquit Paulus) qui cõpari possit infirmitatibus nostris: vt qui tentatus ipse est. Adeamus ergò cum fiducia ad thronum gratiæ eius, vt misericordiam consequamur, &c. Faxit Deus, vt eius gratia rectè vtamur, Amen. Heb. 4.

## T E R T I V S S E R M O

de prima parte hodierni Euangelij.



**H**ODIERNVM istud Euangelium non solum breue in verbis est, sed prorsus etiam simplex videtur, vt quod nihil propemodùm ab historia distet, vnde nihil admodùm desumi possit. Quocirca verisimile est, multos homines eiusmodi historiam sine fructu audire & legere. Verùm qui secum ipse cogitat, quis historiam hanc scripserit, & qua de causa, haud is eam parui faciet, quantumuis in speciem simplicem.

Quamobrem obserua primò, quòd Marcus Euangelista Mar. 7. historiam hanc descripserit: vnde certum est, eam non solum historiam, sed etiam Euangelium esse. Nò solum indicat nobis quid Christus in eo fecerit, sed etiam annuntiat nobis aliquid boni. Nam vox Euangelij, Græcis bonum nuntium sonat. Rogas, quod nobis Euangeliù istud bonum nùtium adferat, aut quid boni annuntiet? Duplicem diuinam conditionem Christus in eo indicauit, in surdo & muto homine nimirum potentiam & gratiam: & quidem vtrùque in summo gradu. Dei potentia & virtus erat, quòd ei vno illicò verbo aures aperiebat, & linguã soluebat, vt audire & loqui posset. Gratia autem erat, quòd Christus tam facilè exorari se sinebat, tam benignè homini auxiliabatur, tam nullam retributionem ab eo petebat. Nò itaque mirum, quod omnes qui præsentés erant, illud opus collaudauerint atque prædicauerint. Et quid iustius facerèt? Quid iniustius intermisissent?

Planè inutilis cœtus fuisset, qui tale opus, talem opificem non collaudasset. Enimverò gratia habetur medico homini, eiusque honorem & laudem decantant homines, si quādo ægroto succurrit: cum tamen eius labor magno sæpè redimi debeat, non obstante, quòd interdum tardus ad laborem est, & sine omni misericordia infirmum tractat, & longo ad id tempore opus habeat. An non ergo Christus gratias & laudem promeruisse, qui tam facile exorabatur, & tam benignè optulabatur, tam comiter cum ægroto agebat, & nihil penitus petebat? Atqui Christus opus istud non solùm in vno homine declaravit, sed in omnibus. *Rom. 3.* Quid enim aliud in nobis fecit? Nōne peccatores omnes fuimus, & opus habemus, ut Deus gloriam suā in nobis ostendat, hoc est, suam potentiam & gratiam? Sed iam vide, an non ita fecerit, an non potenter nobis sit auxiliatus, an non comiter nobiscum egerit, cū non modò surdi & muti, sed mortui prorsus & periti eramus? Imò in his omnibus nos secutus est, quæ admodum pastor erroneam ovem, in suis humeris & corpore nos domum reportavit, idque omne gratis, sine præcedentibus meritis, absque omni sequenti remuneratione. Nam quæ sunt ante fidem præcedentia nostra opera, ut ob ea Deus noster debitor esse cogatur? Et quæ sequentia sunt nostra opera, ut dignam Deo retributionem per ea faciamus? Quin imò est & manet gratia. Neque præcedentium nostrorum meritorum, neque sequentis retributionis rationē habuit. Et quod semel fecit, id adhuc facit, ubi talis eius gratia agnoscitur & dignè accipitur. Et quod magis est, adeò gaudet nobis opem ferre: ut ab opere suo non desistat, etiā si gratia eius non ita repente agnoscitur & accipitur. Hoc illud bonum est, quod nobis Euangelium istud annuntiat: nimirum, quòd Christus Dominus noster, in quem credimus, possit & velit suppetias ferre omnibus in se rectè credentibus, in quacunque necessitate ad se currentibus, sine omni respectu personarum: & quòd satis fortis ac diues est omnibus inuocantibus se. An non autem hoc lætum nuntium? Quid lætius annuntiari nobis possit? Eiusmodi lætum nuntium sanctus Marcus non solùm hominibus, tempore illius viuentibus annuntiavit, sed etiam omnibus posteris scriptum reliquit, quòd etiam nos & omnes posteri nostri, cum nos peccata nostra aut etiam afflictiones premunt, cū fiducia ad thronum gratiæ Christi curramus: quando qui-

dôquidem scimus , non talem Dominum & seruatorem ha-  
 bere , qui tam potens est & bonus , vt nobis possit succur-  
 rere , & sciat compati infirmitatibus nostris , vt Paulus ait ,  
 si tamen eius gratia non abutamur. Hæc præcipua sententia *Heb. 4.*  
 est hodierni istius Euangelij. Veruntamen verba aliquanto  
 exquisitius rimabimur. Dominus Iesus exiens de finibus *Matth. 15.*  
 Tyri, &c. Tyrus & Sidon duæ erant Ethnicæ ciuitates.  
 Quamquàm Christus peculiariter in sua persona missus erat  
 ad oves quæ perierant domus Israël , quemadmodùm ipse  
 met dicit : tamen quandoquæ etiam Gentibus prædicauit.  
 Vti non solum hoc in loco videmus. sed in Ioâne etiam, cum *Ioan. 4.*  
 Christus in Samaria duos dies manebat , & Samaritanis  
 prædicabat. Per hoc autem indicare voluit , suum Euange-  
 lium , tametsi Iudæis primùm oblatum , ad Gentes tamen  
 etiam peruenturum : imò Gentes illud multò cupidius acce-  
 pturas Iudæis. Vnde alio in loco dicit, fore vt regnum Dei à *Matth. 21.*  
 Iudæis auferretur, & Gentibus daretur, quæ fructum suum  
 essent allaturæ. Dicit alio in loco : Si in Tyro & Sidone fe- *Matth. 11.*  
 cisset, quod inter Iudæos fecerat : facturos eos multò citius  
 prænitentiam fuisse, quàm Iudæos. Christus adhuc est in *Ioan. 7.*  
 finibus Tyri & Sidonis , hoc est, inter nos Gentes : ibi do-  
 cet, ibi auxiliatur, ibi sanat, ibi nos quotidie ad se vocat.  
 Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Et iterum: Venite ad me *Matth. 11.*  
 omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.  
 Tollite iugum meum super vos, & inuenietis requiem ani-  
 mabus vestris. Hunc in modum (inquàm) ambulat inter nos  
 Christus, & vocat ad se. Vtinam omnes agnosceremus, *Esai. 55.*  
 vtinam omnes accurreremus. Ideò Dominum quæramus, *Ioan. 12.*  
 dum inueniri potest. Inuocemus Christum, dum propè est. *Ioan. 9.*  
 Ambulemus dum lucem habemus. Operemur pro æterna  
 salute, donec dies est. Veniet enim nox, in qua neque am- *Luc. 17.*  
 bulare neque operari poterimus. Imò veniet tempus, in quo  
 diem filij hominis videre cupiemus: nunc autem tempus  
 acceptabile est, in quo Deus audire vult: nunc est dies sa-  
 lutis, in qua Deus opitulari vult. Quare pigritiam excu-  
 tite, nemo Christum non inuocatum prætereire sinat, ne  
 nobis omnino è manibus elabatur. Quemadmodùm Iu- *Ioan. 7. 8.*  
 dæis fecit, quibus etiam prædicebat, si semel ab ijs disce-  
 deret, quæsituros quidem illum, sed non inuenturos: nec  
 venturos eò, vbi ipse est sed in peccatis suis morituros. Hoc *Heb. 3.*

nobis meritò admonitioni esse debet, ne in simile exemplum incredulitatis incidamus. Contrà meritò nos impellere debet, quòd Gentes adeò nihil otio dabant, donec Christum in sua terra habebant, vt videmus in Samaritanis, in Ioanne, atque etiam in Chananæa muliere, & nunc etiam de ijs qui Christo mutum adducebant. Quòd autem Marcus dicit, Christum exiisse iterum de finibus Tyri & Sidonis, & ad mare Galilææ venisse, indicium & præfiguratio fuit, quòd illum etiam Iudæi tandem agnoscent & accipient, vt Paulus dicit. Non enim Christus illos omninò adhuc reiecit: plus septem millia habet in Israël, qui genua sua nondum curuauerunt coram Baal, & Christum non reiecerunt. Imò quando plenitudo gentium intrauerit, omnis Israël saluabitur, vt ait Paulus Roman. 11. Et adducunt ei surdum & mutum. Hic videmus primò, in quam miseriam & egestatem homo ceciderit per peccatū. Vnde omnes morbos & vitia corporis, quin etiam mortem venire existimamus, quàm ex peccato? Quid beatius erat homine prius, quàm peccabat? Contrà verò, quid nunc infelicitus? Homo (inquit Dauid Psalm. 143.) vanitati similis factus est: dies eius sicut vmbra prætereunt. Et iterum Psalm. 48. Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Imò ex peccato factum est, vt homo natus de muliere, breui viuens tempore, repleatur multis miserijs, nec in eodem vnquam statu permaneat, vbi Iob dicit. Non ergo sine causa factum, quòd Sapiens Eccle. 24. dicit, & omnibus hominibus cōsulit. Fili, peccasti? Non adijcias iterū, sed & de pristinis deprecare, vt tibi dimittantur. Quasi à facie colubri fuge peccata: & si accesseris ad illa, suscipient te. Dentes Leonis dentes eius, interficientes animas hominum. Quasi romphæa bis acuta omnis iniquitas: plagæ illius non est sanitas. Adducunt ei (inquit Marcus) surdum & mutum, neque loqui neque audire valentem. Inter omnes externos sensus conferunt nobis auditus & lingua omnium maximè ad salutem nostram. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutē, hoc est, per viuam fidem cordis iustificamur, per confessionem oris salui simus. Atqui fides ex auditu venit: nam si credere in aliquē debemus, prius audire oportet. Atqui Diabolus huic homini omnes vias ad salutē præclusit. Quoniam enim surdus erat, ver-

erat, verba Christi audire nō poterat, vt in ea crederet. Quia verò mutus erat, Christum inuocare non poterat: ita vt certè misera & egena esset creatura, quo tamen vitio inuitus laborabat, maluisset audire & loqui. Quot nunc inueniuntur homines, & quidem inter nos Christianos, qui ex propria malitia surdi fiunt, & spontè surdi manent? De quibus Propheta dicit: Noluerunt attendere, & auerterunt scapulam recedentes: & aures suas aggrauauerunt, ne audirent. Et cor suum posuerunt vt adamantem, ne audirent legem & verba quæ misit Deus exercituum, in spiritu suo per manum Prophetarum priorum. Et David Psal. 57. Furor illis secundum similitudinem serpentis: sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas. Quæ non exaudiet vocem incantantium, & veneficij incantantis sapiënter. Quot item inueniuntur homines inter nos, qui volentes muti sunt, os suum nunquàm aperiunt ad laudè Dei? contrà autem os illis semper apertum est ad mēdacia, ad obrectationes, ad blasphemias. Quomodò autem se excusabit homo, qui adhuc surdus est, & vocem Dei non audit, quæ tamen iam pridè in omnes terras & in fines terræ exiuit? Quomodò excusabit se homo, qui adhuc mutus est, os suum nondum aperit ad laudem Dei, cum tamen nomen & gloria Dei omnè orbem impleuerit, vt iam nunc non solum omnes sancti, Seraphim & Angeli, sed etià omnes creaturæ canant & clamant: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens (quemadmodum olim in Esaia) qui erat, qui est, & qui vèturus est, &c. Haud dubiè tales homines nullam excusationem habebunt. Nunquid enim non audierunt, inquit Paulus Rom. 2. 10. Imò quomodò ipsi soli non audiissent quod alioqui omnes homines audiuerunt & audiunt? Nolunt audire: hic eorum defectus est. Attamen non desperandù de illis est, dum Christus præsens est. Siquidem etiam illis aures eorum aperire potest, & linguam soluere, si cupiant & petant. Nō enim manus Domini abbreviata est, vt saluare nequeat, neque aggrauata est auris eius, vt nō exaudiat: sed iniquitates nostræ diuiserunt inter nos & Deum nostrum, & peccata nostra absconderunt faciè eius à nobis ne exaudiret. Culpa in nobis est, quòd non petimus, vt cor lapideum à nobis auferat, & det nobis cor molle & carneum, sicuti ipsemet, & vltro promisit in Ezechiele cap. 36. Sed quid dabit Deus, si à nemine roget? Quomodò dabit nobis Spiritù suū, si proprio nostro

Zacha. 7.

Psal. 82.

Esa. 6.

Apocal. 4.

Esa. 59.

- tantum spiritui placere studeamus? Quomodo cor lapideum à nobis auferat, si delectemur illo, & in dies magis ac magis induremus? Quomodo iuuabit nos si iuari nolumus? O
- Mat. 23.** Ierusalem (inquit) quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Sequitur in Euangelio: Et deprecabantur Iesum pro surdo & muto. In tribus homines laudantur, mutum ad Christum adducentes. Primum, quod compatiebantur, utpote videntes, quod sibi ipsi non posset auxiliari, neque Christum deprecari: id quod opus erat charitatis. Secundum, itidem laudantur, quod mutum in vera fide & pia fiducia ad Christum adducebant. Et tertium, quod id continuò faciebant: imò mox, ut Christum agnouissent, & apud se eum vidissent, non differabant in aliud tempus. In his tribus rebus (inquam) homines isti laudantur: & laude dignæ sunt, in quocunque etiam inveniuntur: nimirum viua fides, & religiosa fiducia in Deum, vera charitas & misericordiae affectus erga proximum, & promptum studium in rebus diuinis. Hæ (inquam) veræ partes sunt, quæ vnumquemque Christianum decet: sed tamen rarò simul inveniuntur. Imò contrarium vbiq; videmus apud vulgus. Quorum enim cunque Dei bonitatem & dona quotidie experimur, & sæpè experti sumus, fides tamen nostra & fiducia, atque charitas parua admodum est ad illum, ut Deus rectè etiam ad nos dicere possit, quemadmodum olim in Israëlitas dicebat: Quousque non credent mihi in omnibus signis quæ feci coram eis? Et quemadmodum Christus de Iudæis dixit: O generatio incredula, quandiu apud vos ero? quandiu vos patiar? Secundum, mos vulgaris est apud nos, ut ij quibus nihil deest, nullo charitatis & misericordiae affectu tangantur erga pauperes & afflictos. Quisque suum commodum querit, pauperes curat nemo, cum tamen nobis præceperit Deus, ut egenos qui carnis nostræ & sanguinis sunt, non deseramus, quando illud idem nobis contingere potest, quod in illis videmus. Tertium, nullum nobis cordi est studium earum rerum, quæ animæ nostræ salutem concernunt: quotidie penitentiam differimus, tandiu vitam corrigere cunctamur, donec tempus gratiæ decurrit, & nobis Christus è manibus elabitur. Quare hic discere debemus, ut omni tempore, in omni necessitate, viua ad Deum fide curramus, nec penitentiam
- Ecclesi. 6.** agere differamus, iuxta doctrinam Sapientis, qui nos fideliter monet, ne

monet, ne

monet, ne cōuersionem nostram ad Deum differamus. Ante omnia autem hīc discere debemus, veram charitatē & compassionem erga pauperes & egenos exhibere, quemadmodū isti homines cum muto fecerunt. Quamobrem si vides aliquē paupertate, morbo aut alio malo grauatū, caue illius malo & damno gaudeas, vel eum derideas. Sicuti bono Job accidebat in afflictione eius & ab amicis, & Christo Domino nostro, qui in summa passione acerbissimē deridebatur: sed habere compassionem erga proximum tuum: consolare illū, auxiliare illi si modō potes. Cogita idem tibi contingere posse: cogita te etiam tentari posse, aut in tentationem incidere, vti Paulus ait Gala. 6. Tum scriptura etiam alijs in locis dicit, nempe Prouer. 21. Qui obrurat aurem suā ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur, Contrā autem dicit Christus Matth. 5. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Sic etiā si quem vides spiritualiter infirmum, & peccatorem, vide ne ipse tibi placeas, illum autē condemnes. Noli altum sapere (inquit Paulus Rom. 1.) sed time. Si te existimas stare, vide ne cadas. Sed da operam, vt talem hominem ad Christum reducas, ad minus oratione tua, si nō amplius potes. Hęc esset vera charitas, quam à nobis Christus exigit. Mandauit enim Deus vnicuique de proximo suo. Tum docet Paulus, vt alter alterius onera portemus, quo implemus legem Christi. Hoc discce ex prima parte hodierni Euangelij. Deus nobis suam largiatur gratiam, Amen.

Iob 30.

Matt. 17.

1. Corin. 10.

Ecclesi. 17.

Gal. 6.

#### Q V A R T V S   S E R M O   D E   A L T E R A   hodierni Euangelij parte.

**I**N proximē præcedente sermone audiuius, quomodō olim Christo mutus & surdus homo adducebatur, eo animo, vt auditū ei & sermonem restitueret. Id quod argumētum præbet, quod certō sibi de illo promiserint, id eum facere posse, alioqui ægrotum ad eum non adduxissent. Et vt credebant, sic reipsa comperiebant. Verē enim is Christus est, qui hoc possit: id quod non solū in isto homine opere & facto demonstrauit, sed idem adhuc in nobis quotidie facit: attamen non semper ijsdem vitur medijs, quibus in hoc homine vsus est: nec semper tam humaniter & comiter nobiscum agit, quemadmodū cum hoc muto egit. In nobis

*Cnr interim nos affligat Dew.* autem culpa est: si quidem profectò Christus ita humanus & misericors medicus est, qui nullo modo delectatur languidos suos sine causa affligere: lenem medicinam adhibere libenter consuevit, sed cogimus eum, vt interdum acerba medicina vtatur. Hoc cum primis nunc malis istis & periculosis temporibus videre possumus. Rogas quomodò? Iam diu nobis Deus in aures nostras inclamauit. Ephphatha, quod est adaperire. Diu nobis acclamauit, vt sanctum illius verbum & voluntatem audiamus, & vt nos emendemus. Humore etiam sacri sui oris linguam nostram contigit, varijs donis & dotibus beneficiisque nos refecit, vt eum tantò diligentius laudaremus, & tantò ardentius inuocaremus, quod cer-

*Obsurdescimus ad agendam penitentiam.* tère clementer & benignè nobiscum actum dici potest. Ceterùm nihil profuit, nec prodest adhuc quicquam: aures nostrę adhuc in hodiernum nondum sese aperiunt ad pœnitentiam & emendationem: tum etiam lingua nostra vsque nobis ligata est, vt Deo neque gratias agamus, neque illum inuocemus. Quia ergo mitia illa media & medicinæ nihil profunt, iam alia ratione agere nobiscum incipit: sed non nisi per amara pharmaca, quibus etiam vt non desinet, donec nobis aures aperiantur ad audiendum quid Deus velit, & lingua soluatur, & os aperiat ad petendam ab eo veniam & gratiam. Hęc enim duo à nobis exigit, vt illum obtemperanter audiamus, & feruenter inuocemus: quod si non facimus volentes, & in pace, quando nobis bene facit bonaque largitur, immittit

*Mar. 7.*

bella, famem, morbos, variąque mala, vt facere vel nolentes cogamur. Et quis eum hęc reprehendet? Bene omnia fecit (inquit populus) cùm tam comiter & benignè mutum tractaret. Imò etiamnum dicere cogimur, Deum omnia iuste & bene facere, etiam si nunc seuerissimè nobiscum agat. Hoc enim illius opus est, vt dixi: deò ambulat in terris inter nos per suū verbum, vt surdi audiāt, & muti loquantur. Si nolumus audire quod iucundum & consolatorium est, audire cogimur quod terribile est. Si nolumus canere, & Deum ob benefacta eius laudare, cogimur lachrimari & plorare propter mala quę in nos veniunt. Iustus Dominus, & iustum iudicium

*Psal. 118.* eius. Bene omnia facit, siue det, siue auferat: siue gratiam faciat, siue pœna prosequatur. Optimum medium esset, vt vtrò & volentes nos humiliaremus sub potenti manu Dei, vt ipsi per pœnitentiam curremus ad Deum, vt alter alterum

adduce-

adduceret, vt audiremus humiliter verbum eius, vt gratias ageremus illius donis, vt illum inuocarem, rogarem usque vt nobis non solum aures & linguam, sed etiam cor & omnia membra soluat trahatque ad suum cultum & ministerium. Hoc, inquam, optimum medium foret, & proxima via ad inueniendam gratiam, ne Deus opus haberet & cogere- tur pœnis & plagis, bello & interitu, fame & inopia aures nostras aperire, & linguam nostram ad inuocandum eum soluere: maximè cum non sub lege, sed sub Euangelio: non pueri, sed iam prouectæ ætatis simus, vt Paulus ait: & nostra conditio per omnia sit melior, quàm veteris Testamenti hominum. Illi enim Moysen duntaxat habebant hominem: legem tantum habebant, quæ erat litera mortua. Nos autem Christum habemus filium Dei. Habemus Euangelium, quod merus Spiritus & vita est. Quapropter quantum illi à Deo fugiebant timore perterriti, tum confidenter nobis ad Deum accedere licet: quandoquidem scimus eum esse patrem nostrum, & sic eum appellare audemus ex iussu & mandato Christi: tantum curremus vt filij simus. Non itaque decet nos, si in tali gratia, in tali luce, in tali occasione, audire tamen nolumus & inuocare, nisi nos pœnis & plagis vrgeat. Multò satius esset, Dei clementem operationem agnoscere & acceptare, quàm animaduersionem illius & iram expectare. Super hoc audiemus, quid gratiæ & humanitatis Christus huic surdo & muto homini exhibuerit. Sic ait Marcus: Et Iesus apprehendens mutum de turba seorsum, &c. In his verbis videmus primum, homini etiam alterius fidem & orationem vtilem esse posse & proficuum, quemadmodum eius rei non solum hîc, sed multis alijs in locis sacre Scripturæ clara exempla & demonstrationes habemus.

Sic enim legimus in Matthæo capite octauo, quòd Centurio Capharnaita sua fide & oratione seruo suo sanitatem impetrauit. Vade, inquit, & sicut credidisti fiat tibi. Non dicit, Sicut seruus tuus credit: sed, Sicut tu credidisti. Eodem modo Chananæa mulier impetrabat sua fide & feruenti oratione filiz suæ liberationem à malo spiritu. O mulier (inquit) magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Et quid multa demonstratione opus est, cum tamen Moyses vir vnicus, sua fide & ardenti oratione, totum populum Israël non semel ab interitu seruarit? Sic etiam muto in bonum cedebat, quòd

Gal. 4.

1. Cor. 13.

2. Corin. 3.

Ioan. 6.

Matth. 6.

Math. 15.

Exo. 33.

alij homines in tam bona fide, & charitate pro illo rogassent. Que res omnis nobis eò inferuire debet, & ad id prouocare, vt rãtò diligētius non solū pro nobis ipsis, sed etiam pro alijs

*Iacob. 5.* rogemus. Oratio enim iusti multū potest corā Deo. Quem ad modū sanctus Iacobus etiam de Elia exemplum dat, qui

*3. Reg. 17. 18.* sua oratione toti populo & regioni primū pœnam, deinde etiam gratiā impetrabat. Ideo dicit sanctus Iacobus cap. 5. Orate pro inuicem, vt saluemini. Apprehendens Iesus mutum de turba seorsum, inquit Marcus, Quod in his & sequentibus verbis scriptum est & indicatum de peculiari modo & gestibus, quos Christus in hoc muro exhibuit, nobis ad exemplum factum est. Nam alioqui Christus cū auditum, cum linguā vnico verbo ei dare potuisset, quæ admodū in alijs & maioribus signis fecit: sed nostri in hoc rationē habuit. Nam sicut hominem istum corporaliter sanauit: ita etiam nos spiritualiter sanat, Primò, manu cum apprehēdit: nam qui nos creauit & redemit, idem ipse etiā nos iuuare potest in omni necessitate. Manus tuæ (inquit Dauid) plasmauerūt me. Quā verò beatus homo ille, quem Deus sic apprehendit? Vide in diuo Petro, qui in mari erat, & aqua iam mergebatur, sed tamē perire non poterat, quia illum Christus apprehendebat. Secundò, quando Deus nobis auxiliari vult, tū de turba nos abducit seorsim, hoc est, à lata via, quam multi homines ambulant sibi ipsis ad interitum, & ducit nos ad societatem pusilli gregis, de quo Christus dicit: Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Turba de qua Christus suos seorsim abducit, est mala societas seu cōmunio malorum: in tali societate peccator non iuuatur. Quomodò enim quis auditum spiritualium & diuinarū rerum consequi potest inter eos, vbi nihil boni narratur aut auditur? Quomodò alicui lingua solui potest ad laudē Dei inter eos, qui nihil aliud quā leuitatis & blasphemix verba loquuntur? Quocircā proxima via est ad salutem nostrā, vt nos Deus de turba seorsim ducat, & nos ipsos etiam ab ea semoueamus. Nam qui tetigerit picē (inquit Sapiens Eccles. 12.) inquinabitur ab ea. Dicit item Paulus 1. Corin. 15. Corūpunt bonos mores colloquia praua. Monet proinde nos & omnes Christianos, vt abstrahamus nos ab omnibus ijs, qui inordinatè viuunt: imò vult, ne cum eiusmodi hominibus inducemus, & cæte. Sequitur nunc in Euangelio: Misit dominus le-

*Fugienda cō-  
sortia malo-  
rum.*

*1. Cor. 5.*

nus Iesus digitos suos in auriculas eius. Hic nobis primò indicatur, diuinitatem quæ in Christo latebat, per sanctam eius humanitatem & assumptum corpus, tanquàm per instrumentum fuisse operatam, quemadmodùm etiam anima per corpus & externa membra tanquàm per instrumenta operatur. Secundò, quia per digitum Dei etiam alijs in locis Spiritus sanctus intelligitur, vt cum incantatores in Aegypto dicebant, Exod. 8. Hic est digitus Dei: & cum Christus ait Lucæ 11. Si in digito Dei eijcio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei. Eam ob rem Christus ægroto digitos suos in auriculas eius immisit, ad indicium, quòd omnis externa & oris prædicatio inanis & infrugifera est, nisi Spiritus sanctus homini aures eius & cor aperiat. Et expuens, tetigit linguam eius. Per saliuam, sine qua homo verbum nullum facere potest, sapientia denotatur, sine qua nemo sapienter loqui potest. Sic etiam nos Christus hoc suo facto docere vult, nullum hominem rectè & piè loqui posse, nisi diuina sapientia rigetur perfundatúrque. Vnde & Paulus Ephes. 6. diuinam petit sapientiam, vt os suum rectè aperire possit. Rogabat item David Psalmo 50. vt sibi Deus labia aperire dignaretur, quòd lingua ipsius Dei iustitiam canere & nuntiare possiet. Nisi enim nobis Deus linguam nostram contingat & soluat, nihil loquimur aliud quàm quòd malum est & blasphemum. (Et suspiciens in cælum.) Hoc suspiciendi modo indicare nobis Christus voluit, vbi auxilium quærere nos oporteat, & cui transcribere debeamus bona, quæ habemus, nimirùm Domino Deo. Ab eo enim omne datum optimum, & omne donum perfectum. Deindè etiam Christus nos per hoc docere voluit, quòd cogitationes nostras & gestus dirigere debeamus: nimirùm versus cælum, vt Christus docet Matthæ. 6. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, sed in cælo: vbi neque ærugo, neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt nec furantur. Et Paulus Coloss. 3. Quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens. Non enim habemus hic manentem ciuitatem, sed municipium nostrum in cælis est, &c.

*Digitus Dei.*

*Salua mysticè.*

*Suspiciere in cælum.*

*Iaco. 1.*

*Hebr. 13.*

Et ingemuit. Non erat hic gemitus Christi dubitantis, an homini auxiliari possiet necne: neque fiebat propterea, quòd Christo difficile fuerit homini opitulari, sed ex sola compassione. Ideò ingemiscebat, quòd nos homines tem-

**Christus cur** poralibus & terrenis ita omninò addictos inueniebat & vi-  
**in genuerit.** debeat, quos tamen cœlestibus fruendis bonis creauerat. In-  
 gemiscebat propter miseriam nostram & egestatem, quam  
 in Adam omnes puniti sumus, & quòd nos proprijs nostris  
 peccatis adhuc quotidie in maiora mala & pœnas conijci-  
 mus. Ingemiscebat, quòd diabolus nostra culpa tantum po-  
 testatis in nos adquisierit, vt verum auditum & linguam no-  
 bis adimat: faciâtque, vt ijs alijsque nostris membris non re-  
 ctè vtamur. Postremò, hoc etiam gemitu docere nos voluit,  
 per gemitus & lamenta ad patriam nostram nobis redeun-  
 dum esse, à qua per voluptatem & leuitatem excidimus. Bea-  
 ti enim qui lugêt (inquit Christus Matthæi 5.) quoniam ipsi  
 consolabuntur. Et ait ægrotò: Ephphetha, aut vt quidam  
 legunt, Hipatha, hoc est, adaperire. Vbique facit & perficit  
 Christus sua miracula verbo suo, quo probat se æternum &  
 substantiale verbum esse Dei, per quòd omnia facta sunt, &  
**Ioan. 1.** sine quo factum est nihil, vt Ioannes dicit. Quàm autem sit  
 illud verbum efficax, in eo apparet, quòd sequitur. Et statim  
 apertæ sunt aures eius, & solutum est vinculum linguæ eius.  
 Hic vides virtutem & potentiam Verbi Dei. Hoc verbo  
 condidit Deus cælum & terram, & omnia quæ in ijs sunt.  
 Suo verbo adhuc conseruat omnes creaturas, ne intereant,  
**Gen. 1.** sed in suo statu & ordine maneant. Suo verbo Christus fecit  
**Hebr. 1.** & expediuit quicquid voluit. Ipse dixit (inquit Dauid Psal.  
 32.) & facta sunt. At tamen nos homines tam debiles sumus  
 & dubij, vt non ausimus verbo Dei fidere. Si virtutem verbi  
 diuini in rebus tam multis experti sumus, cur illi in alijs etiã  
 rebus non crederemus? Si omnia facta sunt, quæ Christus ad  
 ægrotos dixit, fiet nimirum etiam quòd ad nos dicit: Qui se-  
**Ioan. 8.** quitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vi-  
 tæ. Hoc modo circa Euangelium istud dicere debemus, agno-  
 scere & considerare virtutem & omnipotentiam diuini Ver-  
 bi, ad confirmationem nostræ fidei, spei & charitatis. Quia  
 certissimum & infallibile est quòd Isaias cap. quadragesimo.  
 dicit: Verbum Domini manet in æternum. Et Christus  
 ipsemet Lucæ 21. Cælum & terra transibunt, verba au-  
 tem mea non transibunt. Porrò quòd Marcus dicit, Et sta-  
 tim apertæ sunt aures eius, & solutum est vinculum linguæ  
 eius, in nobis etiam optandum foret. Apostolis quidem au-  
**Matt. 4.** res eorum apertæ erant, dum simul atque Christus dicebat,  
 Sequi-

Sequimini me, &c. omnia reliquerunt, & secuti sunt eum. Sic etiam illis lingua eorum soluebatur, dum protinus post acceptum Spiritum sanctum varijs linguis incipiebant Dei prodigia & mirifica facta enuntiare. Nos autem simile nihil facimus, id quod argumentum præbet, quod nobis neque aures, neque os adaperitum est. Et loquebatur rectè. Is homo rectè loquitur, qui propria sua peccata accusat & confitetur, contra verò Dei honorem & gloriam prædicat.

Quemadmodum Daniel capit. 9. faciebat, ubi ait: Tibi Domine iustitia, nobis autem confusio, &c. Et iterum capite 3. In veritate & in iudicio induxisti super nos omnia propter peccata nostra: peccauimus enim. Sic etiam Pharaon hac in parte rectè loquitur, Exod. 9. dicens: Dominus iustus, ego autem & populus meus peccatores sumus. Sequitur: Et præcepit illis ne cui dicerent. Non hæc sententia est, quod Christus miraculum istud in homines diuulgari noluerit, aut ne eius fieret mentio: sed ideò solùm vetabat illis, ne miraculum istud inuulgarent, quod nullus humanus sermo diuinam & cælestem virtutem melius iudicare possit, quàm opus per se ipsum. Voluit deinde etiam nos docere, ne humanam aliquã laudem quæramus, facientes aliquid boni.

Non nobis Domine, non nobis (inquit David) sed non tibi da gloriam. Periculosè laudari appetit homo, meritò autem Dei potentia & bonitas laudatur prædicaturque. Eamque ob rem finem laudum hic populus facere non poterat propter istud miraculum: imò quò illis Christus magis id inhibebat, hoc magis efferebant. Nam vt homo pius laudem nullam petit pro suis benefactis, ita probus tantò magis gratias agit, si is qui benefecit ipsi, nullam sibi reponi gratiam cupit: Sic etiam hi faciebant. Quò minus Christus laudem ipsorum desiderabat, hoc magis opus commendabant, & prædicabant, dicebantque: Benè omnia fecit: & surdos fecit audire, & mutos loqui. Verissimum est quod dicunt, Benè omnia fecit. Vera & perfecta laus Dei est, ubi Deus in omnibus laudatur. Quippè Deus ab initio omnia bene creauit. Vidit cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona, inquit Scriptura. Sic etiam Christus omnia rectè & bene fecit in terris. Omnia enim sua opera direxit ad nostram salutem. Deus adhuc omnia rectè benèque facit, etiam si mala in nos inuocat, licèt id mundus & Adæ filij non credunt aut agnoscunt.

*Rectè loquitur.*

*quare peccati  
causa faciebant  
iustitiam.*

*Psal. 113.*

*Gen. 1.*

Hi enim tantum Deum laudant, si illis benefacit, vt David  
*Pfal.* 48. ait. Probus autem laudat Deum omni tempore, etiam in ad-  
*Iob* 1. uersis. Dicit cum Iob: Dominus dedit, Dominus abstulit: si-  
*Iob* 2. cut Domino placuit ita factum est. Sit nomen Domini be-  
 nedictum. Et iterum: Si bona suscepimus de manu Domini,  
 mala autem cur non sustineamus? Deus Opt. Max. faxit, vt  
 nos omnes exemplum istud sequamur, Amen.

## QVINTVS SERMO de Euangelio & Epistola.



**N** hodierno isto Euangelio magna quidem &  
 sublimia consideranda sunt, quod Christus vno  
 verbo & vno tempore duo insignia miracula fa-  
 cit, nihil aliud dicit quam Ephphatha aut Hipa-  
 tha mox incipit surdus audire, & mutus loqui.

Nos Christiani autem non est quod miremur: imò iustius nobis  
 gaudendum est. Mirabile quidem est, quod Christus hic facit:  
 imò apud eos qui Christum pro homine tantum agnoscunt,  
 vt potè Iudæos, Gentes, & alios infideles. Nos autem scimus

*Psal.* 76. Christum etiam verum esse Deum. Quid igitur noui & miri  
*Psal.* 134. esse apud nos potest, quod Christus eiusmodi opera facere  
*2. Para.* 20. potuit? An non Scriptura aperte de Deo dicit, eum esse qui  
 mirabilia facere possit? Et iterum: Quicquid voluit fecit in  
*Exod.* 15. cælo & in terra, & in omnibus abyssis. Annon Iosaphat de  
 Deo dixit: Domine Deus Patrum nostrorum, tu es Deus  
 in cælo, & dominaris cunctis regnis Gentium. In manu tua  
 est fortitudo & potentia, nec quisquam tibi potest resistere.  
 An non Moyses dixit: iste Deus meus, & glorificabo eum:  
 Deus patris mei, & exaltabo eum. Dominus quasi vir pugna-  
 tor, Omnipotens nomen eius.

Quia ergo certò & omni dubio amoto, scimus ex nostra  
*Ioan.* 10. fide, quod Christus non solum homo, sed etiam Deus est: cer-  
 tè non est quod miremur, quod diuina opera fecit & facit.  
 Id admiratione magis dignum foret, si Christus eiusmodi  
 diuina opera facere non posset, & tamen in Euangelio dice-  
 ret: Ego & Pater vnum sumus: imò Pater in me est, & ego  
 in eo. Et iterum Ioannis 5. Sicut Pater suscitatur mortuos & vi-  
 uificat: sic & Filius quos vult viuificat: quia Pater amat Filium,  
 & omnia

& omnia dedit in manum eius, &c. Si itaque Christus hæc & id genus verba multa locutus est, mirum profectò esset, si non diuina opera edere posset. Sed laus Deo, meliora scimus: nimirum quòd Christus non solùm eiusmodi verba multa dixit, sed etiam opere demonstrauit: & ita demonstrauit, vt confidenter ad inimicos suos dicere auderet. Ioan. 10. Si mihi non creditis, credite meis operibus. Opera enim quæ ego facio in nomine Patris mei, testimoniũ de me perhibet. Quare infideles admirentur talia opera. Si Christianus es, gaudium tibi esse debet, & certa confirmatio fidei tuæ in Christũ, quoties audis eum fecisse miraculum. Sic enim melius dicere potes cum sancto Petro: Tu es Christus, filius Dei viui. Et cum proba Martha, Ioan. 11. Scio quæcunque poposceris à Deo, dabit tibi Deus: imò credo quia tu es filius Dei, qui in hunc mundum venisti. Et cù leproso: Domine si vis potes me mundare. Et cum Centurione ibidem. Domine non est necesse vt mecum domum eas, & ipse seruum meum inuisas: sed tantũm dic verbum, & sanabitur puer meus, &c. Hunc in modum nos Christianos miracula accipere oportet: alioqui enim frustra esset, si ea tantummodò admiraremur. Iustus hoc homo Christianus admiraretur, quòd Christus miraculũ istud non simpliciter executus est verbo suæ virtutis, quemadmodũ alijs in locis fecit, vti cùm ad Lazarum dicebat, Ioannis 11. Lazare veni foras. Et cùm ad leprosum dicebat, Matth. 8. Volo, mundare. Et cùm ad Chananæam mulierem dicebat Magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. Et cùm ad defunctum adolescentem dicebat, Lucæ 7. Dico tibi adolescens, surge. Et ad defunctam filiam: Puella surge. His omnibus in locis vtitur Christus tantũm omnipotenti suo verbo. Hic autem solo verbo contentus non est, sed prius cum ægroto multum agit: de turba eum seorsum abducit, digitos illi suos in aures immittit, contingit linguam eius salua sacri sui oris, suspicit in cœlum & ingemiscit. Hoc admirari simplex posset, & secum ipse cogitare: Si Christus verus Deus fuit, non opus habuisset talibus rebus. Non enim Deus opus habet tempore aut otio, non instrumento aut medio, non oratione ad sua opera. Dixit, & facta sunt. Quia verò Christus tam diu cù muto occupatus est, & tam varia tentat, dubij non nihil mihi adferre possit, num verus Deus fuerit, &c. En, sic homo simplex secũ ipse cogitare posset. Ad hoc audi respõsum.

Matth. 16.

Matth. 8.

Matth. 15.

Matth. 9.

Psal. 148.

Primò, non te ita accipere oportet, quasi aliquis in Christo fuerit defectus, quòd hunc hominem non tam cito verbo suo sanauerit, quemadmodum alios, sed tam diu cum illo fuerit occupatus. Non. Minimè hæc sententia est. In alijs miraculis abundè indicauit & demonstrauit, quòd omnia vno verbo efficere posset. Ideò autem hic tam insolitos exhibuit gestus, & nò solum suos digitos, sed etiam saluam sacri sui oris ad id adhibuit, quòd videamus, quòd etià corpus eius & membra eius omnia per vnionem cum diuinitate, sancta & salutaria fuerint. Secundo, ideò etiam factum est, quòd videre possemus, sanctam illius humanitatem verum esse instrumentum, quo nobis auxiliatus fuit.

1. Pet. 2. Pertulit enim peccata nostra in corpore suo, & liuore eius sanati sumus. Sacrum illius corpus & humanitas sacrificium fuit, quo nos Deo reconciliauit. Et in illius rei argumētum, suo etiam digito huic ægroto aures eius & linguam còtigit. Tertiò, item per hoc ostendere voluit & docere, quàm difficile sit, hominè, qui spiritualiter mutus est & surdus, eò perducì, vt Dei verbum efficaciter audiat, & laudem Dei annuntiet. Christus faciat oportet suo digito, & salua sui oris, hoc est, sancto suo spiritu.

Secundo, homo ipsemet fugere debet, sicubi intelligit, nihil boni audit, & dici. Tertiò, quoque oculos suos cù gemitibus sursum ad Deum dirigat necesse est. Hæc media sunt, per quæ *Spiritualiter surdus & mutus vt curetur.* homini spiritualiter mutus & surdo subueniri potest. Hoc nos Christus docere voluit. Ideò mutum de turba seorsim abduxit: vt per nos ipsos etiam discamus fugere, quod à bono nos impedit, & ad malum prouocat. Ideò gemēs in cælum suspexit Christus: vt similiter nos in nostris defectibus etiam facere discamus. Ideò mutis aures eius & linguam suo digito, & salua oris sui contigit, ne dubitemus, quin per spiritum sanctum fieri oporteat, si verbum Dei rectè audire velimus, & Deum verè laudare. Hoc qui considerat, non mirabitur, multò minus offendetur, quòd Christus tam diu cum ægroto isto fuerit occupatus: sed dicet, Bene omnia fecit: videbit, vt non solum fidem suam hoc miraculo confirmet, sed etiam efficiet, vt sibi ipsi eiusmodi circumstantias imitando vtilis faciat. Et sic planè fieri oportet. Propterea literis hæc prodita sunt: non satis est, nos de Christo canere, Bene omnia fecit: *Vt omnia bene faciamus.* videndum est, vt etiam nos omnia quæ nostri sunt muneris, bene fa-



& misereatur nostri. Vt cognoscamus in terra viam tuam: in omnibus Gentibus salutare tuum. Constitute tibi populi

*Rom. 10.* Deus, constitute tibi populi omnes. Quomodo autem viam Dei cognoscimus aliter, quam per studiosum auditum diuini verbi? Est ergo perinde, ac si dicat Dauid: Domine, aperi omnibus hominibus aures, intellectum & corda, vt voluntatem tuam audiant & cognoscant, & exequantur: & loquantur quæ ad laudem & honorem tuum seruiunt ac spectant. En, hoc petit Dauid, & non pro seipso tantum, sed pro omnibus hominibus. Hoc mutum & surdum ad Christum deducere est, & pro illo deprecari. Hac ipsa de causa Christus Apostolatam instituit, & sanctos Apostolos in vniuersum orbem ad prædicandum misit, vt qui antea nihil de Deo audiissent, iam nunc de illo audirent: & qui illum antea non nouissent, nunc quærerent: & qui antea muti fuissent, nunc inciperent Deum laudare. Eaque propter leguntur nobis circa Euangelium istud verba Pauli, in quibus tam mirificè locutus est de gloria Christi, eiusque Euangelij, quin etiam de gloria Apostolatus, quò omnibus palàm fieret, quàm graui reprehensione digni simus, si etiam

*1. Cor. 3.* sub Christo, apud Euangelium, & tam fideles præstantesque prædicatores, quales sancti Apostoli fuere, muti tamen & surdi, & vitij dediti manemus. Fiduciam talem (inquit Paulus) habemus per Christum ad Deum: non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: idoneos tamen fecit nos ministros noui Testamenti, non litera, sed spiritu, &c. His verbis incipit hodiè Paulus hodiernam Epistolam indicans simul, Christum longè alium prædicatorem seu Doctorem fuisse, quàm Moysen: Euangelium nostrum multò aliud verbum esse & doctrinam, quàm legem & Apostolorum munus longè aliud mandatum esse, quàm olim Leuitarum verba. Moses (inquit Paulus) gloriam quidem habebat, sed in vultu tantum, atque idèò velamè ponebat super faciem, locuturus cum populo: alioquin enim splendorem ex facie eius lucentem ferre non poterant. Pendebat item velamen in templo, quod faciebat, vt nemo videre posset quid in sanctissimo loco templi erat. Christus autem totus lucidus est & clarus, & in illo manifestatum est, quòd in veteri Testamento latebat. Hoc vnum est. Secundò, erat lex Mosi litera mortua, nullà operandi vim habebat: mul-

bebat: multa exigebat, sed nullam conferabat gratiam: imò carnalibus causa erat tantò magis peccandi. Nam nitimur in vetitum semper, cupimusque negata, quod præcipuè ad eiusmodi carnales referendum est. Sic etiam dicit Paulus: Peccatum non cognoui, nisi per legem. Nam concupiscèntiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces. Occasione *Rom. 7.* autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscèntiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat. Sed cum veniebat mandatum, peccatum reuixit, & inuentum est mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem. Nam peccatum, occasione accepta per mandatum, seduxit me, & per illud occidit. Hinc lex vocatur litera mor- *Ioan. 6.* tua. Euangelium autem spiritus & vita est: gratiam affert, spiritũ largitur, excitat, impellit, viuificat, & exhilarat, quod antea mortuum erat. Hoc sentiunt omnes ij, qui Euangelium sincera fide & ardenti charitate ac desiderio accipiunt, maximè in tribulatione: ibi enim rectè deprehenditur, quòd sit viuidum & efficax verbum: imò quòd sit virtus Dei omnibus in id rectè credentibus. Tertiò, habebant Leuitæ & Iu- *Heb. 6.* daici sacerdotes nullum aliud mandatum, quàm legè vt præ- *Rom. 1.* dicarent: cæterũ ea re apud plerosq; nihil proficiebant aliud, quàm quòd conscientias perterrefaciebant, & damnationi obnoxias denuntiabant. Vndè Paulus vocat ministerium mortis & damnationis. Nostri autem Apostoli hoc mandati habent, vt omnibus hominibus benè volentibus vitam & salutem per Christum annuntient. Ideò etiam appellatur officium & mandatum eorum, ministratio spiritus, & ministerium vitæ. Quid ex his omnibus sequetur? Si Christus tot modis alia longèque præstantior persona est quàm Moses, quomodò igitur nos decebit, si etiam sub illo æquè duri & immorigeri manemus, atque Iudæi sub eorũ Moyse? Si verbum Euãgelij longè maius & iucundius est, quàm lex Mosi: quomodò nos excusabimus, si nec illud audire & exequi volumus, nihilo plus quàm legem? Imò si prædicatores nostri in nouo Testamento, multò lætiora annuntiant quàm illi, pessimè nos decebit, si hos non diligentius audiamus, quàm illi fecerunt. Quis autem non videt hęc iudicium nostrum omnibus modis tantò terribilius fore, si etiam sub Christo & Euangelio surdi & muti, cæci & claudi sumus, & manemus? siquidem nostra fiat culpa necesse est: quia neq; Christus ne-

que Euangelium in re vlla nobis deest. Doct̃or bonus est, do-  
ctrina sana: si supra hoc surdi & muti manemus, ṽx nobis in  
æternum. Etenim quem Christum audire t̃det, neminem is  
audiet. Porrò quem Euangelium non excitat, eum nulla alia  
doctrina prouehet. Quisquis ergò mutum se & surdum in-  
*Psal. 33.* uenit, is toto corde conuertat sese ad Christum. Accedite ad  
eum (inquit Dauid) & illuminamini: & facies vestræ nõ con-  
fundentur. Deus det nobis suam gratiam, Amen.

DOMINICA DECI-  
MA QUARTA POST PEN-  
TECOSTEN, EVANGELI-  
UM LVM LV C. X.

*Mat. 12.* **I**N illo t̃pore, Dixit Iesus discipulis suis:  
Beati oculi qui vidēt quę vos videtis. Dico  
enim vobis, q̃ multi Prophetæ & Reges vo-  
luerūt videre quę vos videtis, & nõ viderūt:  
& audire quę auditis: & nõ audierūt. Et ecce  
quidã legisperitus surrexit tentans illũ, & di-  
*Deut. 6.* sideo? At ille dixit ad eum: In lege quid scri-  
ptum est? quomodò legis! Ille respõdēs dixit:  
*Leuit. 19.* Diliges Dominũ Deum tuum ex toto corde  
tuo, & ex tota aĩa tua, & totis viribus tuis, &  
ex tota mente tua: & proximũ tuũ sicut teip-  
sum. Dixitq; illi: Rectè respõdisti: hoc fac & vi-  
ues, ille aut̃ volēs iustificare seipsum, dixit ad  
Iesum: Et quis est meus proximus? Respõdēs  
autē Iesus dixit: Homo quidam descendebat  
ab Hierosolymis in Iericho, & incidit in la-  
trones, qui etiam despoliauerunt eum vesti-  
bus, ac

bus, ac vulneribus inflictis, abierunt semimortuo relicto. Accidit autem ut sacerdos quidam descenderet eadem via, visoque eo præterijt. Similiter & Leuita, cum iret iuxta locum, cum accessisset, ac vidisset eum, præterijt. Samaritanus autem quidam iter faciens venit ad eum: & viso eo, misericordia motus est, & accedens obligauit vulnera eius, infundens oleum ac vinum, & imponens illum in iumentum, duxit in diuersorium, & curam eius egit. Et postero die egrediens, depromptos duos denarios dedit hospiti, & ait: Curam illius habe: & quodcunque prætereà insumpseris, ego cum rediero, reddam tibi. Quis ergo horum trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones! At ille dixit: Qui exercuit misericordiam in illum. Ait igitur illi Iesus. Vade, & tu fac similiter.

E A D E M D O M I N I C A E P I -  
S T O L A S A N C T I P A V L I  
G A L A T. I I I. C A P.

**P**ORRO Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius. Non dicit & feminibus, tanquam de multis, sed tanquam de uno: & in semine tuo, qui est Christus. Hoc autem dico, Testamentum antè comprobatum à Deo erga Christum, lex quæ post annos quadringentos & triginta <sup>Rom. 4.</sup> cæpit, non facit irritum, ut abroget promissionem. Nam si <sup>Rom. 6.</sup> ex lege est hereditas, non iam est ex promissione. Atqui

*Abraha per promissionem donauit Deus. Quid igitur lex? propter transgressionem addita fuit, donec ueniret semen, cui promissum fuerat, ordinata per Angelos in manu intercessoris. Intercessor autem unius non est, at Deus unus est. Lex igitur num est aduersus promissiones Dei? Absit. Etenim si data fuisset lex, quæ posset uiuificare, uerè ex lege esset iustitia. Sed conclusit Scriptura omnia sub peccatum, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.*

PRIMVS SERMO DE  
principio Euangelij.



1. Cor. 2.

**I**NTER alia quæ homini Christiano necessaria sunt, præcipuum est, ut duo norit. Primum, quid à Deo acceperit, & quid adhuc accepturus sit. Nos (inquit Paulus) Spiritum accepimus ex Deo, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis. Egregia sanè & utilis scientia. Nam hoc quisquis scit, huic exhilarat cor suum & conscientiam, soluit ei linguam ad laudem Dei & gratiarum actionem, & accendit totum hominem ad amorem Dei. Deinde etiam homini Christiano scitu necessarium est, quid Deus à nobis quoque requirat. Hæc iterum cum primis ars ualis est, quæ bono Christiano ad bona multa inseruit: indicat ei voluntatem Dei, pellit ab eo omnem segnitiam & inertiam: prouehit eum ad bonos mores & virtutes, facitque per hoc ut etiam alij homines per eiusmodi bonum exemplum emendentur. Hæc ueræ sunt artes, quibus incumbere omnes Christiani debent: nimirum scire quid à Deo acceperimus, & quid uicissim ille à nobis exigit. Hæc duo autem in hodierno isto Euangelio nobis pulchrè indicata sunt.

Ioan. 3. Quare cum discendi gratia huc uenimus, & Christus uerus  
Matth. 17. doctor est, quem nobis Deus coelitus dedit, & uult etiam,  
Dan. 18. imò præcipit, ut audiamus eum, & per Moysen multò antè prædixit, Qui hunc Prophetam & doctorem Christum non audiat, se uitorem fore, eam ob rem uerba istius Euangelij hoc diligentius audiemus, adque animum reuocabimus. Beati oculi (inquit) qui uident quæ uos uidetis. Pulchrum &

chrum & lætum initium: imò lætiùs incipere Christus non potuisset, quàm annunciatione & promissione veræ felicitatis, quàm omnes homines naturâ exoptant, & ad quam omnes pariter vocati & creati sunt. *Beati esse oēs volumus.* Omnia nostra opera & laborem in hoc instituimus, vt beati simus. Omnes nostras cogitationes, curas & diligentiam in id conferimus, vt inuenire quid & consequi queamus, in quo cor & animus noster quiescat & contentus sit. Quanquàm maior pars hominum vmbra pro veritate, & falsâ inconstantia, fallacia bona pro veris, spiritualibus constantibus, & æternis bonis apprehendit. Attamen mirum non est, quando quidem etiam Philosophi viri in mundo docti, quantumcunque etiam scrutati sint, & inquisierint, in quo tamen hominis felicitas consisteret, nemo illorum certi aliquid statuere potuit. Singuli quidem suam tulerunt iudicium, à veritate autem omnes aberrarunt: Cæterùm Christus, verus & cœlestis doctor, in primo statim verbo huius Euangelij nobis indicat verum scopum veræ beatitudinis. Nulla res est, quæ homini cor suum & animum pacare possit, quàm summum bonum. *Solus Deus homini, sufficit. Gen. 1.* Quod autem summum bonum est, nisi solus Deus? Quoniam igitur homo secundum imaginem Dei creatus est, vt Scriptura dicit, animus eius nulla alia re expleri & saturari potest, nisi solo Deo. Congreget quis & accumulât bona, pecunias, honores, factum, potentiam, gaudium, voluptatem, quantumcunque possit, animus tamen eius non conquiescit, semper plura expetit. *Augustinus.* Domine (inquit Augustinus) fecisti nos ad te, & ideo cor nostrum inquietum est, & minimè contentum, donec quiescat in te. Hoc vnicum bonum est, quod desideria nostra explet. De tali autem bono Philosophi nihil certi sciuerunt. Miserandum quidem in illis est, & si Gentes fuerunt, quòd alijs in rebus tam prudentes, acuti, & perspicaces extiterunt, cæterùm in hac re summa & omnium maximè necessaria, ita turpiter sunt hallucinati. Multò autem hoc magis miserandum est in nobis Christianis, in magnis principibus, *Num. 18.* qui Dei vicem & munus in terris obeunt: in sacerdotibus & spiritualibus, quorum portio solus esse Deus debebat: in Episcopis & Prælatibus, qui nobis in suo officio Christum repræsentant, quod etiam horum plerique in his ad eò rebus suam ponunt felicitatem, quemadmodùm olim Gentes fecerunt, puta in diuitijs, honoribus, potentia, voluptate, gaudio huius

beatus dicitur pro  
pulis in his scri

- mundi. Eum enim beatum vocant, & pro felici ducunt, qui tales res habet. Sic loquebantur Gentes, & à fide alieni. Vnde autem hæc vox & sermo inter nos Christianos? Longè talis oratio absit ab ore nostro, fratres. Imò talis sententia longè absit ab animis nostris. Cum Dauide sentiamus & dicamus: *Psal. 143.* Beatus populus, cuius Dominus Deus eius. Sentiamus *ibid.* cum Christo ad Apostolos suos dicente: Beati oculi qui vident quæ vos videris, &c. Hæc verba Christus non semel, sed sæpè ad suos Apostolos & discipulos dixit. Sic enim legimus in *Matthæo*, cum eum discipuli interrogabant, cur tam multa in parabolis loqueretur ad populum, hoc illis responsi dabant: idè in parabolis loquor eis: quia videntes non vident, & audientes non audiunt, &c. Mox subiicit dicens: Vestri autem beati oculi, quia vident, & aures vestræ, quia audiunt, &c. Sic etiam hoc in *Luca*, vbi dixerat, Confiteor tibi Deus cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & reuulasti ea paruulis, &c. mox versus ad discipulos, dicebat: Beati oculi qui vident quæ vos videris, &c.

- Idè autem hoc verbum toties repetijt, quòd admoneret eos ineffabilis gratiæ, quam illis Deus præ cæteris præstiterat hominibus. Magna quippè gratia est, Seruatorem mundi, æternum Verbum in assumpta humanitate, etiam corporeis oculis præsens videre. Multò adhuc maius est, illum oculis cordis videre. Hæc est enim vita æterna (inquit Christus) vt reuerum Deum cognoscant, & quem misisti Iesum Christum. Sic sanè etiam magna gratia est, vbi auditur & in opus profertur Euangelium de regno Dei. Vobis datum est (inquit Christus) nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis. Hoc pacto videmus in hoc primo verbo, quid *Luc. 8.* nos Christiani præ omnibus alijs hominibus à Deo acceperimus: nimirum tales oculos, quibus videmus, quod nulla humana ratio indagare & intelligere potest, quod etiam nullus ex *1. Cor. 2.* potentibus huius mundi cognouit: & tales aures quæ audiunt, quod ab initio mundi absconditum fuit, quemadmodum iterùm Paulus dicit *Ephesiorum* tertio. Et quæ illa sunt? Audi. Primò videmus nos Christiani & audimus in nostro *Ephes. 2.* Euangelio, quòd peccatum primorum nostrorum parentum, ex quo omnes filij iræ nati eramus, per mortem Christi expiatum, chirographum damnationis nostræ deletum, & Deus nobis reconciliatus est. Deus (inquit Paulus *Ephesio-*

Ephesiorum primo) gratificauit nos in dilecto filio suo : in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, &c. Secundo, videmus nos Christiani, & audimus in nostro Euangelio, quòd Deus pater noster factus est, ad quem audemus dicere, Pater noster qui es in cœlis: Non enim accepimus spiritum seruitutis iterum in timore, Sed spiritum adoptionis filiorum: imò quia filij Dei sumus, dedit nobis quoque Deus spiritum Filij sui in corda nostra, clamantem Abba, pater. Tertio, videmus & audimus nos Christiani, Filium Dei fratrem nostrum esse factum. Sic enim ait ad Magdalenam Ioan. 20. Vade ad fratres meos, & diceis, Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, &c. Et in Dauide dicite ad Deum, Psal. 21. Narrabo nomen tuum fratribus meis. Sic etiam dicebat ad suos discipulos, Ioan. 13. Iam non dico vos seruos, sed amicos: quia omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis. Quarto videmus & audimus nos Christiani, quòd Filius Dei Rex noster & protector est. Exultatis filia Sion (inquit Zacharias cap. 9.) quia ecce rex tuus veniet tibi mansuetus. Tum Christus ipsemet Matth. 28. dicit, se fore nobiscum vsque ad consummationem sæculi: idcirco nobis acclamat, vt confidamus, se vicisse mundum. Quinto videmus nos Christiani, quòd filius Dei etiam Pontifex noster & aduocatus coram Deo. Ideò enim per proprium suum sanguinem introiuit in templum suum in cœlum, vt ibi compareat in conspectu Dei pro nobis. Quapropter etiam si peccauimus, non tamen propterea à animo despondere debemus: quia aduocatum habemus apud Deum, nimirum Iesum Christum iustum, qui propitiatio est pro peccatis nostris, inquit Ioannes primæ Epistolæ capite secundo. Sexto, videmus & audimus nos Christiani, quòd etiam cœlum nobis reueratum sit. Pater (inquit Christus, Ioannis decimo septimo) volo, vt vbi ego sum, & illi sint mecum, quos dedisti mihi. Et iterum Ioannis decimo quarto. Non turbetur cor vestrum. Creditis in Deum, & in me credite. In domo Patris mei multæ sunt mansiones, &c. Et postea: Iterum venio & accipiam vos ad meipsum, vt ibi sum ego, & vos sitis. Et rursus Luc. 12. Nolite timere pusillus grex, quia cõplacuit Patri vestro dare vobis regnũ. Et iterum Luc. 22: Ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnũ: vt edatis & bibatis super mensam meã in regno meo. Septimo, videmus nos Christia-

Matth. 6. 2<sup>o</sup>

Roma. 8.

Galat. 4.

3

4

Ioan. 16.

Hebr. 9.

5

6

7

- ni viam, quæ nos certò ad cœlum ducit. Quò ego vado (inquit Christus) scitis, & viã scitis. Et paulò post. Ego sum via, veritas, & vita. Nemo venit ad Patrẽ, nisi per me. Et iterum: Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habet lucem vitæ. Ultimò & præter hæc omnia, audimus nos Christiani, quòd nos non solum Prophetæ, sed etiam filius Dei, & Deus ipse vocat & inuitat, consolatur & docet. &c. An non autem hæc omnia magna sunt? Sanè non fecit Deus taliter omni nationi. Quò maiora accepimus, hoc plus gratitudinis à nobis exigitur. Dico enim vobis (ait Christus Luc. 10.) quòd multi Prophetæ & reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt. Habuerunt quidem antiqui Prophetæ & nonnulli reges aliquam etiam cognitionem de futura gratia, quæ per Christum effandi debebat: quin etiam Christum in spiritu viderunt, quemadmodum etiam ipse de Abraham dicit Ioan. 8. vidisse eum diem eius, & gauisum esse. Dicit item Ioannes cap. 12. de Isaia, eum vidisse gloriam Christi, & de illo locutum. Sic etiam Daniel in spiritu vidit, quomodo Deus pater Christo omnem potestatem dedit. Tum etiam David in spiritu audiuit, quòd Deus ad Christum dicit. Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorũ. Quo autè hoc magis sciebant, & in spiritu videbant, hoc libentiùs & cupidiùs operatũ tẽpus Christi corporeis oculis vidissent. Et hoc peculiariter animaduertere licet in sene Simeone, qui multo desiderio expectabat cõsolationẽ & redẽptionem Israël: & ob id simul atq; Christum viderat, lætus & securus ad mortem festinabat. Nunc (inquit) dimittis seruum tuum Domine, secundum verbũ tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum, &c. Pari desiderio etiam alij boni & credẽtes aduentũ Christi expectarunt, & cupuerunt ipsum met videre & audire, & non viderunt eum, neq; audierunt hac ratione. De Apostolis autè dicit Ioannes: Vidimus oculis nostris, audiimus auribus nostris manibus nostris cõtractauimus, nimirum Verbum vitæ, quod apud Patrem erat: nunc autem apparuit.
- Ioan. 1.* Et iterum: Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre plenum gratia & veritate. Habemus itaque in primis istis verbis hodierni Euangelij, principiò verum discrimen veteris & noui Testamenti, legis & Euangelij. Cùm Deus legem da-

legem dabit, terreat populum tonitru, fulgure, fumo & igni, & minis multiplicis pœnæ. Euangelium autem Christus summa comitate annuntiavit & prædicavit: nihil duri aut formidabile in seipso exhibuit: homines magis promissionibus & beneficijs ad sui amorem & fidem traxit allexitque, quàm terrore impulit. Ideò etiam incipit Euangelium istud à felicitàte. Non enim coactum, inuitum, sed hilarem & volentem vult ministrum. Hac de causa trahit nos ineffabilibus promissis. Hoc illud est, quod in Hieremia promissum sit. Legem (inquit) meam dabo in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam: omnes cognoscent me à minimo usque ad maximum: quia propiciabor iniquitati eorum. Hæc Dei bonitas si quem non ad vitæ emendationem, & ad amorem Dei trahit, habet is certè quod meruat, ne sit ex numero damnatorum & reproborum. Secundò, videmus quoque in his primis verbis hodierni Euangelij, nos in nouo Testamento maiora multò habere, quàm illi in veteri Testamento. Quod illi desiderabant, nos habemus: quod illi sperabant, hoc videmus nos, &c. Sed de hoc postea. Tertiò videmus hic, quòd Christus primo verbo istius Euangelij eleuat quicquid humana ratio ex se ipsa cogitare vnquam potuit, disputare & scribere de felicitàte hominis. Meritò itaque Paradoxum dici posset, hoc est, insolitus sermo. Nam mundus non credit, nec ratio complecti potest, quomodò felices illi sint, & esse possint, qui Christum vident & audiunt. Longè enim mundus aliter & sentit & loquitur de felicitàte hominis.

Christus autem non obstante Iudæorum & Gentium de felicitàte opinione, vocat & nominat eos beatos, qui ipsum vident, & audiunt. Et omninò res sic habet: & opus ipsum hoc loquitur. Non autem oportet hoc intelligere de corporeis oculis & auribus. Multi enim Christum ita corporeis oculis viderunt, & nihilò tamen minus eum oderunt: quem admodum ipsemet dicit. Multi eum corporeis auribus au-  
*Ioan. 15.*  
*Ioan. 10.*  
 dierunt, & tamen non crediderunt in eum. Loquor vobis (inquit) & non creditis, quia non estis ex omnibus meis. Quomodò igitur tales homines beati dici possent? Nec verba hæc Christi intelligenda sunt de beatitudine, de qua mundus somniat. Loquitur de interno & spiritali visu & auditu, hoc est, viua fide: loquitur item de beatitudine, quæ in anima & corde sentitur: imò vult nobis per hoc virtutem viuæ fidei in-

dicare & prædicare, quæ ad eò magna est, vt talis fides hominem vno momento diuitem, doctum & beatum faciat, quantumuis antea pauperem indoctum & infelicem. Rogas qui id? Obserua & considera primùm mundi cursum, deindè sanctos Apostolos. Quantò tempore, cura & labore opus est, priusquam diuitiæ comparentur? Esto, magnos earum cumulos aggregaueris, non sunt tamen vera bona veræque diuitiæ, sed species solùm & vmbra. Contrà verò, quantumuis pauperes sancti Apostoli erant, tamen Christus vocat eos diuites & beatos, indicans illos veras diuitias habere. Vnde acquisiuerunt? Ex fide cum charitate coniuncta. Mecum sunt (inquit Sapiencia) diuitiæ & gloria, opes superbæ & iustitia. Et David: Tua Domine potentia & gloria: cuncta quæ in cælo sunt & in terra, tua sunt. Secundò, quàm multo opus est tempore, sumptibus & labore, priusquam mūdianæ acquiruntur artes, quæ tamen vix vmbra sunt verarum artium & scientiarum? sancti Apostoli autem quantumuis ineruditi, plus tamen sciebant, quàm omnes sapientes huius mundi.

*Prou. 8.*  
*1. Para. 29.*  
*Mat. 11.* Cōfiteor tibi Pater domine cæli & terræ, (ait Christus) quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Sic etiam dicebat ad Petrum, Matthæi 1. Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui in cælis est. Ex hoc perspicias, quòd etiam sancti Apostoli suam scientiam nò aliundè habeant, quàm ex viuâ fide. Fides enim cum charitate coniuncta, ita claros facit oculos, vt qui eam habet, videat quod aliàs nemo videt. Sic poterat Helisæus videre, quòd sancti angeli apud & circa eum erant, quod tamen nemo alius videbat. Sic videbat Stephanus cælum apertum, & Iesum ad dexteram Dei, quod ipsum etiam videre nemo alius poterat. Tantò charior & præstantior nobis esse fides vera & viuâ debet. Hic autem vide & considera ingritudinem nostram præter modum magnam, qui fide & cognitione Dei, vsque ad eò abutimur: vnde etiam fit iusto Dei iudicio, vt rursus excæcati in varios errores prolabamur, & credamus mendacio, qui amorem veritatis acceptare nolimus. Quare gratissimus, quòd Deus nobis oculos nostros illuminauit cognitione sui ipsius, & corda nostra adhuc quotidie illuminare paratus est gratia sua. Quam diu enim eiusmodi cognitione Dei habemus, & illi conuenienter viuemus, beati sumus: quandoquidem per cognitionem Dei videmus, & in Euangelio audimus,

dimus, quod multi Reges & Prophetæ nō audiuerunt, & in hodiernum diem multi neque vident, neque audiunt salubriter. Faxit Deus, ut id & cognoscamus, & cōsideremus, Amē.

S E C V N D V S S E R M O D E  
altera parte Euangelij.



**H**ODIERNVM istud Euangelium vtcūque prolixum est, habet non solum multa verba, sed eximia omnia. Imō quot verba habet, tot quis doctrinas, admonitiones & consolationes inde desumere possit, qui rem verè secum reputare velit. Cæterum hac vice tantummodò indicabo, quid periculosis his temporibus & horrendis tumultibus ac bellis solatij ex eo capere possimus. Ad quam rem nobis in primis seruit primum verbum, vbi Christus ait, Beati oculi qui vident quæ vos videtis, &c. Optime quadrat Euangelium istud his annis infœlicissimis. Verbū est verè consolatorium: dat enim nobis spem & fiduciam orandi & inuocādi Deum: imò addit nobis etiam animum alacriter & confidenter orandi. Et quid nunc magis nobis necessarium est, quàm eiusmodi feruenter orandi fiducia, talisque animus? Habemus quidem aliàs passim in diuina Scriptura exempla & sententias, verba & facta, in quibus nobis Deus cor suum aperuit, atque ita, ut meritò, neque priora commissa, quorum nos verè pœnitet, neque externa afflictio pusillanimes facere nos debeat. Sed quid illa exempla & sententiæ ad ea quæ hîc audimus? Illic loquuntur Angeli & Prophetæ: hîc stat & loquitur filius Dei ipsemet. Si nobis animum addit, quando nobis homines & Angeli verbum Dei acclamant, quid fieri meritò debet Deo ipso loquente? Beati (inquit Christus ad suos Apostolos) oculi qui vidēt quæ vos videtis. Et quid sancti Apostoli viderunt? Christum. Verum non corporeis tantum oculis, sed viua fide, quæ certos eos fecit, illum verum seruatorē mundi esse. Quid Apostoli audiuerunt? Euangelium Christi. Veruntamen non corporeis tantum auribus, sed & corde, dum apud semetipsos senserunt non hominū, sed Dei esse verba. Quis autem homine beator, qui Deum & auxiliatorē suum semper scit, videt, habet & possidet? Quis beatus homine, qui Deū ipsum & quidē umanissimè loquentē audit, quemadmodū Christus loqui-

LUC. IO.

tur in isto Euangelio. Quocirca verba Christi iam commemorata, in præfenti afflictione perindè esse nobis debent, ac si dicat ad nos: *Matth. 8.* Quid meticulosi estis parvæ fidei homines? Quid pusillanimes estis in præfenti afflictione? An putatis me non posse auxiliari, aut auxiliari nolle? An putatis delatari me vestro interitu? An non cogitatis quid vestra causa fecerim? An non cogitatis, quid commoditatis præ alijs hominibus habeatis? Videtis quod multi Reges & Propheta non viderunt: auditis quæ prius sæculum non audiuit aut scivit. Imò beati estis si vultis ipsi. Vobis iam subventum est, si modò vos vobis ipsi in mora non sitis. Si magnum periculum & malum instat, rursus videtis quomodò & per quem omne malum declinandum sit, nempe per me. Minatur vobis mundus damna, interitum & mortem: contra auditis varia eaque consolatoria promissa à Deo. Tantò ergo hilariores & alacriores currere ad ipsum debetis, ab ipso veniam petere, vitam corrigere, ipsius dictis obtemperare, eius vestigijs ingredi. Et re vera beati oculi qui hæc vident & audiunt. E diverso autem, væ omnibus qui in tribulationibus sunt, siue corporaliter siue spiritualiter, & non vident quomodò & fugere possint, & qua ratione cum Deo redire in gratiam, eiusque iram auertere, eius consolationem emereri. Hi merito pusillanimes esse & fieri possunt. En, hoc pacto nobis ipsi ex primis istis verbis hodierni Euangelij, fortem & alacrem animum haurire possemus ad orandum & respiscendum: id quod nunc cum primis opus est, posteaquam videmus, nullum alium tempestatem hanc sedare, nullum alium à damno & exitio servare nos melius posse, quàm Deum. Ad rem unusquisque, ut hæc verba sibi serviant, faciat. Cæterum in Euangelio pergemus. Sic porrò sanctus Lucas dicit.

*Luc. 10.* Et ecce, quidam Legisperitus surrexit, tentans illum, & dicens: Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo? Hæc altera pars hodierni Euangelij est, ubi indicatur nobis quid Deus à nobis requirat. Nam uti superius dixi, non satis est scire quid à Deo acceperimus, nisi etiam istud sciamus, & opere compleamus. Legisperitus negotiū movebat, & Christo occasionem de eiusmodi rebus loquendi dabat. Magister (inquit) quid faciendo vitam æternam possidebo? Gravis quæstio, & magni momenti: imò quæstio quæ semper multum negotij attulit. In Michæa dicebāt aliqui: Quid dignum offeram Do-

offeram Domino? In Euangelio dicebat populus ad Christum: *Ioan. 6.*  
 Quid faciemus vt operemur opera Dei? In Matthæo Chri-  
 stus ab adolescente interrogabatur, quid eum facere oportet, vt haberet vitam æternam. In Ioanne veniebat Nicodemus tali de causa etiam noctu ad Christum. Ventilatur ad-  
 huc inter nos hæc quæstio, sed dissimiliter. Alij ridiculè que-  
 runt: alij Pharisæicè interrogant: alij Christianè percunctan-  
 tur. Sunt qui putant, si tantum credant se mandatis Dei opus  
 non habere, in risum conuertunt, si quando audiunt de bonis *Non sufficit  
 sola fides.*  
 operibus. Quid facerent opera nostra (inquiunt) quomodo  
 cælum nobis promereretur? Imò quid boni faceremus nos,  
 qui natura mali sumus? Quomodo mādata Dei seruaremus,  
 qui liberū arbitrium nō habemus, cogimurq; facere & sequi,  
 quò nos nostra cupiditas pellicit & trahit? Hi planè ridiculè  
 loquuntur de mandatis Dei & bonis operibus. Contrà verò  
 sunt alij, qui existimant se omnia solis externis operibus effi-  
 cere posse: similes nimirū Iudæis, & huic Pharisæo. Sunt au-  
 tem hæc duo contraria. Priores bona opera nihil valere vo-  
 lunt. Hi solis operibus nimium tribuunt. Bonus Christianus  
 scit & scire debet, quòd omni bono & virtuti studere debeat,  
 nec tamen interim ignorare, omnia opera nostra absq;  
 fide nihil esse. Quamobrem attendendum diligenter vnicui-  
 que est, ne in hac quæstione decipiatur. Quanquā Christus  
 vtrinque peruertit, si obseruare libeat. Nam qui existimant  
 sibi nihil faciendum aliud, quàm credendum, sibi silentiū im-  
 ponitur, verbo quod Christus dicit: Hoc fac, & viues. Et ite-  
 rum: Vade & fac tu similiter. Et alio in loco: Si vis ad vitam  
 ingredi, serua mādata. Alij qui putant se neque bona facere,  
 neque mandata Dei seruare posse, respondet Christus in pa-  
 rabola hac de Samaritano & vulnerato. Homo (vult dicere)  
 non solum considerare debes quid Adam per peccatum in te  
 perdiderit, sed etiā quid ego per fidele meum obsequium &  
 acerbā passionē tibi reparauerim. Si potes legere nos omnes  
 in primo homine spoliatos & vulneratos esse, lege etiā q̄ cle-  
 mens Samaritanus vulnera nostra obligarit, & adhuc quoti-  
 diè sanat. Ne ergo dicas, te nihil boni facere posse. Hoc deri-  
 soribus dictum. Pharisæo etiā Christus respōdit hac parabola:  
 imò non illi soli, sed Iudæis in genere, indicans illis homi-  
 ni vulnerato neque sacerdotem, neque Leuitam, neq; legem  
 Moyli, neq; Iudaicum sacerdotium succurrere potuisse, &c.

Videmus itaque Christum ubique præuenisse, ne quis in hac quæstione labatur. Hoc bono Christiano diligenter obseruandum: videndumque primò quid Christus apud nos fecerit, quid dederit nobis ac promiserit: gaudendumque propterea, quòd id videt & audit. Sed interim etiam bono animo ex viva fide, & voluntaria obedientia quærendum, quomodò voluntatem Dei possit perficere, quãdoquidè scit, quòd Deus mandata sua seruari velit, & audit non omnem intraturum in regnum Dei: dicit, Dñe, Dñe. Hoc Christianè quæstionè istam tractare esset. Legis peritus autè hoc ipso perstringitur, quod additum est, Tentas eum: vnde animaduertere licet, non piam sed hypochriticam eius quæstionem fuisse. Mirum tamen non fuit de Iudæo Phariseo, de quibus Christus apertè dicit: *Hypocritæ quales inter vos sint.* Omnia opera faciunt, vt videantur ab hominibus. Quid si autem tales etiam inter nos inueniantur: vt apud plerosque nihil aliud sit, quàm hypocrisis, quicquid de Deo, de Christo, de scriptura, de fide, &c. interrogant & disputant: Vocant Christum Dominum suum, cuius tamen vocè & doctrinam sequi nolunt: loquuntur quotidie & omnibus in locis de scriptura, nec tamè meliores ex ea vnquàm fiunt. Extollunt fidè & Euangelium verbis: sed cõtrarium exhibent in operibus & in omni vita. Confitentur Deum & Christum ore, abnegant autem eum operibus. Cõtra tales homines loquitur Deus in Malach. *Malach. 1.* Si ego Dominus vester, vbi timor meus? Si pater ego sum, vbi est honor meus? Et Christus in Euangelio: Quid vocatis me, Domine, Domine, & nõ facitis quæ dico? Atqui verò regnum Dei non consistit in sermone, sed in virtute, vbi Paulus ait 1. Cor. 4: Sed audiamus quid Christus Legisperito respõdet. In lege quid scriptum est? quomodò legis? Hic obserua, quòd Christus huic Phariseo nõ absolutum dat responsum ad ipsius interrogationem: sciens videlicet eam non ex animo proficisci, quẽadmodum etiã in passione regi Herodi responsum nullum dabat, licet multa interrogatus. Sciebat enim ex curiositate quãdam id omne fieri. Christus omnium hominum corda perspecta habet, nec opus habet edoceri, quis quilibet sit. Nouit enim quid in homine sit. Non absque causa autem remittit Phariseum ad legem: siquidem nihil est, quòd hypochritæ conscientiam magis tangat, & fictum animum reprehendat, quàm mandata Dei. In Marco similiter legimus, quòd adolescens ad Christum veniebat, humilem sese ostendens.

sefe ostendens, vocans eum bonum magistrum, cupiens scire, quid facere oporteret, vt vitam æternam haberet. Christus eum quoque remittebat ad legem. Quid me dicis bonum? (inquit.) Nemo bonus, nisi vnus Deus. Præcepta nostri, &c. Et quâquàm adolescens ille dicebat, se omnia mandata Dei ab ineunte ætate seruasse, deprehendebatur tamen pecunias suas & bona plus diligere, quàm Deū: nihil reportabat aliud ex sua interrogatiōe, quàm q̄ tristes domum redibat, minus animo quietus, quàm antea. Legis peritus pudore coactus respondebat: Non poterat dicere se legem ignorare, quoniam Legis peritū se profitebatur: nec omninò tacere audebat: alioqui omnes falsum eius animum intellexissent, q̄ dolosè interrogasset. Ideò dicere & enumerare cogebatur, quod eum omnium maximè condénabat, & quod in vita nunquã seruauerat. Sic inuenio in lege (inquit) Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua: & proximum tuum sicut teipsum. Hoc illius responsum erat. Benè recteq; responsum. Vtinã semper de spiritualibus & diuinis rebus, animæ nostræ salutem, fidē nostram, & Christiana doctrinam ac pietatem cōcipientibus interrogari, tā promptè & aptè respondere possemus, quēadmodum hīc iste fecit: quandoquidē Petrus à nobis exigit, vt parati simus cū modestia & timore, ad satisfactionem omni poscenti nos rationem de ea, quæ in nobis est, spe. Hoc Legis periti respōsum desumptū est ex quinto libro Moyse,

In quo indicatum nobis est, quid Deus potissimum à nobis requirat, nimirum charitatem, eamque geminam, puta erga Deum, & proximum nostrum. At hīc obserua, scripturam non simpliciter dicere, Diliges Deum tuum: sed addere, Ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis. Quippè Deus non vulgarem, sed summum amorem à nobis postulat. Nec est in hoc, quòd quisquàm vereatur, ne modū excedat: alijs in rebus excessus fieri potest. Potest quis nimium credere, nimium sperare, nimium esse misericors & iustus, nimium seuerus & sapiens. Qui nimium & facile credit, leuis est corde: qui nimium sperat, præsumptuosus est: qui nimium misericors est, negligens habetur: qui nimium iustus est, Tyrannus censetur: qui nimium audax, temerarius est: qui nimium est sapiens, curiosus dicitur: charitas Dei tantūmodò nescit modum.

1. Pet. 2.

Deut. 6.

Charitatē potissimū à nobis exigit de<sup>o</sup>.

Eccle. 19.

*Diligere toto  
corde.*

Est igitur sententia huius mandati, perinde quasi dicatur: Sic diliges Deum tuum, ut ille amor erga eum, totam tuam naturam, & omnes vires penetret, occupet & possideat: cor tuum ante omnia Dei meminerit, omnia ad honorem Dei instituat ac dirigat: nihil contra honoré Dei proponat. Deinde ut voluntas tua sese oblectet totam in illo: omnia tua opera, omnes tuas vires, ad implendam Dei voluntatem rapiat & trahat. Et postremò, ut te ipsum penitus & totum illi dedas: primò cor deinde etiam corpus & omnia membra. Atque hic amor Dei, primus & præcipuus fructus spiritus est, sine quo

*Gal. 5.* fides mortua est. Et quando homo per fidem videt, quid illi Deus gratiæ & bonitatis exhibuerit, fieri non potest, quin ralem patrem incipiat amare. Tum enim semper in mente habet Dei virtutem & bonitatem, ut illam sua vita & conversatione declaret, atque etiam alijs hominibus annuntiet.

*Psal. 115.* Quemadmodum David dicit: Credidi, propter quod locutus sum: imò tum sese conformat ad Dei voluntatem, quicquid in homine est. Quis autem est qui hoc perfectè faciat, & laudabimus eum? Quinimò quam diu hic sumus, huic mandato nunquam perfectè satisfacimus. Semper itaque orandum nobis est: Pater, dimitte nobis debita nostra. Nam sine venialibus culpis vita hæc non transigitur. Amplius dicit lex: Et diliges proximum tuum sicut te ipsum. Sumptum hoc manda-

*Levit. 19.* tum est ex Leuitico, seu tertio libro Mosi. Non sine causa autem Legis peritus iste ad amorem Dei etiam amorem proximi apposuit. Hoc enim mandatum à Deo habemus, ut qui

*1. Ioan. 4.* diligit Deum, etiam proximum suum diligit. Imò quomodo quis Deum quem non videt, diliget, si confratrem quem videt, non diligit? Idcirco etiam qui dixit se diligere Deum, & odit

*Cuiusmodi  
esse debeat cha  
ritas erga pro  
ximos.* fratrem suum, mendax est. Verum observa hic qualis esse amor debeat. Primò, ex animo proficiscatur oportet, ob id non dicit, Proximum tuum comiter alloqueris, aut iuvabis eum: sed dixit, Diliges eum. Hoc enim verbo comprehen-

*1. Ioan. 3.* dit id omne, in quo proximus noster ope nostra eget. Sic etiam vult Ioannes, ut nos invicem diligamus non verbis & lingua, sed veritate & opere. Deinde nominat hoc mandatum nullam personam speciatim, sed dicit simpliciter, Diliges proximum tuum. His indicatur nobis, quod amor noster erga omnes homines sese porrigere debeat sine respectu personarum, quemadmodum unus omnes naturæ sumus, vno aëre

vivimus, &

viuimus, & omnes ad vnā beatitudinē vocati sumus.

Postremò addit perfectissimū modum amoris, omnibus notum, Diliges eum sicut teipsum. Nemo se hīc excusabit. Quis enim non sentit quomodò seipsum diligit, quā diligenter suū commodum quærat, & damnum præuertat ac declinet? Iuxta hanc autem regulam, etiā tuū proximum diliges. Quis non autem videt etiā, quā longè ab hoc mādato absimus? Et tamē Christiani nominari volumus. Ex his omnibus vides iam, quid Deus potissimū à nobis requirat: nimirū vt ipsum Deum in primis, deindē & proximum nostrū diligamus. Hoc fac & viues, inquit Christus. Breue verbum, sed certum & verum: quod tamen non solū huic Legis perito, sed nobis etiā omnibus dictum est. Quia in his duobus charitatis mandatis, vniuersa lex pendet & Prophetæ. Vndē & Paulus dicit, in mandato dilectionis cætera mandata instaurari: ait dilectionem esse finem & perfectionem legis. Alioqui multa & innumera sunt mādata, hinc inde præscripta omnibus officijs & negotijs hominum, quid cogitare, loqui, facere, & pati debeant: imò vt vno quolibet vti membro, vt lingua, corde, oculis, auribus, manibus, pedibus, &c. de quibus multa mandata: ea autem omnia in mandato dilectionis breuissimè & efficacissimè indicata sunt. Hoc enim ex vero prouenit fonte, manus apponit ad veram radicem, nimirū ad cor, ex quo cum vita tum mors venit. Inter omnia enim opera hominis interna & externa, nihil illi tam intimum est, quā charitas: nec secretius quicquā in hominis corde. Vbi ergo charitas recta & vera est, nullis amplius opus est mandatis. Quis autem vnquā ex proprijs viribus fecit & impleuit, quod mandatum istud exigit? Nostra namque natura trahit nos semper magis ad amorem nostri ipsorum, prouocat nos magis ad propriū nostrum commodum & honorem quærendū, quā vt nos tales esse sinat, quemadmodū lex Dei docet & iubet. Porro autem probi omnes & pii homines suę naturę prauis affectib⁹ reluctātur, esuriunt & sitiunt iustitiā, tristantur & dolent ob culpas suas, propriamque imbecillitatem. Dicunt cum sancto Paulo: Infelix ego homo q̄s me liberabit de morte corporis huius? Hoc modo qui seip̄os agnoscunt, his annuntiat & dicitur, Deo gratias, qui nobis dedit victoriā per Dominum nostrum Iesum Christū, cuius gratia & ope freti diligūt ex ani-

Matt. 22.

Rom. 13.

Prov. 4.

Rom. 7.

I. Cor. 13.

mo Deum & proximos suos, & diuinis semper inhærent mādatis. Deus suā nobis aspiret gratiam, vt & nos ita faciamus.

TERTIVS SERMO

de tertia parte hodierni Euangelij.



**Q**UIS QVIS hodiernū istud Euangelium cum diligenti attentione audit vel legit, is inuenit in eo omnes conditiones, fructus & operationes, quas Paulus in commune sacræ scripturæ tribuit, vt potè consolari, docere, arguere, erudire in iusticia, vt homo Dei ad omne opus bonum sit instructus. Hæc omnia (inquàm) inueniuntur in hoc Euangelio, atque ita, vt qui nullā ex eo consolationem sentit, cōsolari omninò nolit: qui ex eo non discit, discere nolit: quem conscientia sua apud Euāgelium istud nō arguit, argui nolit: qui ex hoc Euāgelio ad omne opus bonū instructus nō sit, instrui nolit: quæ omnia indicatu facilia sunt. Etenim primò, quid nos Christianos exhilarare iustius & potest & debet, quàm q̄ Christus dicit: Beati oculi qui vident quæ vos videtis, &c. Quid tā triste, tam graue, tā inauspicatum, tam horrible, q̄ hominem Christianū perturbet, si vnicū hoc verbum in mente habeat. Enimuerò nullus in hodiernum diē populus sub sole est, qui videat & audiat, q̄ nos Christiani videmus & audimus: veteres nūc prætereo. Cōfiteor tibi pater (inquit Christus) quia abscondisti hæc à sapiētibus & prudētibus, & reuelasti ea paruulis. Cōtrā dicit David de oībus filijs Adæ: Nescierūt, neq; intellexerunt, in tenebris ambulāt, &c. Quid autē nos Christiani præ alijs oībus hominibus videamus, in primo sermone dixi: Quē igitur non cōsolatur, is planè cōsolatū nō vult. Sic res cū altera parte habet: Legat quis totā scripturam à capite ad calcem, inueniet omnē nostrā Christianā doctrinā in sequentibus positam esse rebus. Primò indicat nobis nobilē creationē hominis. Deindè miserabilē illius casum. Tertiò, malitiam diaboli. Quartò, vulnus peccati. Quintò, imperfectionē legis. Sextò, misericordiam Dei, quæ etiam tum apparebat in multis p̄missionibus. Hoc docemur nos Christiani ex veteri Testamento. In nouo Testamēto docemur, Christū venisse, Euāgelium prædicasse, pro peccatis nostris mortuū, & resurrexisse propter iustificationē nostrā, in cœlū ascendisse: vt nobis æternū pararet locū, Apostolatū instituisse, & per Apostolos sanctam Chri-

Rom. 15.

2. Tim. 3.

Matth. 11.

psal. 81.

Rom. 4.

Etam Christianã Ecclesiam erexisse, ædificassèq; sanctũ Spiritum misisse, qui Apostolos simul & Ecclesiam semper conseruet, & præter hæc omnia æternam promisisse mercedem. Hoc docemur in nouo Testamento, cæq; omnia in hodierno Euangelio indicata habemus, & præcipuè in parabola de nomine vulnerato, vii postea dicitur. Ergo qui ex hoc Euangelio non discit, is discere non vult. Cum tertio, hoc est, cù correptione itidè res se habet, vt qui circa hoc Euangelium non sentit se argui in sua conscientia, argui nolit. Etenim primò in hoc Euangelio arguuntur omnes curiosi, qui multũ disputat & quærunt, nec vnquam tamen emendantur. Secundò, omnes pusillanimes, qui tantum habent solatij, nec tamen agnoscunt. Tertio, omnes immisericordes, qui suis conchristianis non tantum faciunt, quantum Iudæi & Gentes suis faciunt. Quarto, omnes ignaui pastores, qui vident interitum multarum animarũ, attamè prætereunt, nec res illis cordi est. Quinto, omnes falsi Christiani, qui persuasum habent & dicunt, nescire se quid facere debeant, & quis proximus eorum sit: cù tamen homines quotidie videant, qui ipsorum auxilio & solatio opus habent. Super his ergo quisque suam interroget conscientiam, inueniet se non in vno tantum, sed in multis argui ex hoc Euangelio. Postremò quoque seruit nobis Euangelium etiam istud ad erudiendum in iustitia, vt homo ad omne opus bonum instructus sit. Et quæ illa institutio est. Quod audire nos primò oportet, quid lex à nobis requirat, & circumspicere deinde, vbi fortitudo inuenienda ad faciendum illud. Quid ergo lex requirit? Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. Et vnde petenda fortitudo id faciendi? Nõ à nobis, quoniam cecidimus à perfectione, in qua eramus: spoliati sumus, vulnerati, & semimortui. Samaritanus nobis openi ferat necesse est. A Christo primũ omnium gratia & Spiritus accipiendus, tum demum legi satisfacere possumus: sine Christo autem facere possumus nihil. Hæc vocatur & est vera iustitia, vbi fides & charitas concurrunt. Phariseus fidem viuam in Christum nesciebat. Idcirco etsi rectè indicare poterat, quid lex requireret, legi tamè satisfacere nequibat. A fide viuã hominem Christianũ incipere oportet, & Christum eiusque gratiam è supernis accipere, quia lex sola non omnia potest: quæadmodum Paulus prolixè demonstrat in hodierna Epistola. Ex his, opinor, videre quiuis posset,

*Curiosi.**Pusillanimes.  
Immisericordes.**Ignauï pastores.**Pseudochristiani.**2. Timo. 3.**Ioan. 15.*

Euangelium istud omnes in se habere cōditiones quas Paulus sacrae Scripturae in genere ascribit. Sed audiemus reliqua quoque Euangelij verba. Legisperitus (inquit Lucas) volens iustificare seipsum, dixit ad Christum: Et quis est meus proximus? Bona rursus & Christiana interrogatio, modò non additum esset, Volens iustificare seipsum. Sic igitur perdit Hypocrita iste falso suo corde quod ore bene loquitur, in omnibus rebus humanam tantum gloriam quaerens & laudem: quemadmodum etiam Christus de illo, eiusque similibus loquitur: Omnia sua opera faciunt, vt videantur ab hominibus.

Matth. 23.

Talium hominum omnia plena sunt, qui interrogant & disputant, quis eorū proximus sit, cui charitatis officia prestare debeant: cum tamen in dies homines videant, qui ipsorum ope & subsidio egeant. Agè ergo, sententiam audi ex Christo, quem proximo habere debeas. Homo (inquit) quidam descēdebat ab Ierusalē in Iericho, & c. Hæc parabola opus quidem haberet peculiari sermone: imò non vno, sed pluribus, si exactè & ad verbum explicari deberet. Siquidem præter literale sensum, pulchram etiam allegoriam habet. Sed vno tempore iudicare omnia quis potest? Summam huius parabolæ vobis dicam, & occasionem dabo, vt rem ipsi vlteriùs perpendatis. Et primò quantum ad literam & sensum literalem attinet, docet nos parabola ista, quis proximus noster sit. Mens Christi est, vt vnumquemque pro proximo nostro ducamus, quem

Proximus noster quis sit.

nobis Deus obuiā dat, vt ei beneficiamus, quacunque id ex causa fiat. Atqui verò videmus, Deum nobis obuios aliquos dare, & adiungere vinculo amicitiaē aut sanguinis: aliquos vinculo reip. & communis ciuitatis, societatis aut vicinitatis: aliquos ratione nostri officij: aliquos etiam ob necessitatē, quos peculiariter nobis obuios facit ad eorum necessitatem subleuandam, quemadmodum in hoc Euangelio necessitas miseri vulnerati hominis Samaritano alijsque obuia fiebat, & diuiti

Luc. 16.

necessitas afflicti Lazari. Qualitercunque ergo tibi quis dat obuius, siue sit cognatus, conciuis, vicinus, socius, & collega, aut si fortuitò quis occurrat: si Christianus es, charitatis officia illi exhibebis pro tua facultate, & secundum quod illius necessitas postulat. Nam si filius Dei es. potes & debes nihil aliud facere quàm bonū, ijs quos tibi obuiam dat Deus, siue amici sint, siue inimici. Nam quomodò alij sese erga nos ge-

Rom. 12.

runt, nō est nostrū, sed Dei iudicare. Imò etiam si quis hostili in nos

in nos sit animo, tantò tamen diligètiùs eum beneficijs pro-  
 uocare debemus, si fortè malevolentia illius benefactis vin-  
 cere possemus, eúmque à pernicioso liuoris veneno còtra nos  
 liberare: Nam vt pater ægroto filio diligentius seruit, quàm  
 sanonita etiam nos diligètiore esse debemus in benefaciendo  
 ijs, qui nos oderút, quò illos ab interitu asseramus, quàm di-  
 ligentibus nos. Hæc sententia est istius parabolæ. Et ob id in-  
 terrogabat Christus legisperitù, quem ex tribus illis putaret  
 misero sauciato homini proximum fuisse. Tum dixit ille: Ar-  
 bitror illum fuisse proximum, qui fecit misericordiam in il-  
 lum. Hoc etiam confirmat Christus illo verbo: Rectè censes,  
 vade & tu fac similiter. Perindè ac si dicat: Quèadmodùm hîc  
 Samaritanus miserum vulneratù hominè, etsi ignotum, pro  
 proximo tamen habebat, & charitatis illi officia exhibebat:  
 ita & tu pro proximo tuo agnosces, quicùq; tibi obuiam fit,  
 qui tuo auxilio opus habet, eiq; quoad potes subuenies. Hoc  
 (inquam) præcipuù est, quod hæc similitudo nos docet. Præ-  
 terea verò indicare etiam nobis Christus voluit, per paucos  
 homines esse, qui id mandati de charitate proximi impleant.  
 Nam tres illorù videbant hunc semiuinum, attamen non nisi  
 vnus misertus illius est. Imò quod magis & indignius est, sa-  
 cerdos & Leuita qui tenebât legem, prætereuntes miserù de-  
 solatum relinquebant. Samaritanus autem Ethnicus & adue-  
 na misericordiæ erga eum affectu tangebatur. Per hoc Chri-  
 stus occultè taxare voluit immisericordiam eorum qui primi  
 in populo erant: nimirum sacerdotum & Leuitarum, quorù  
 plerique sine omni charitate erant, atque ita vt etiam apud  
 Samaritanos & Paganos maior dilectio existeret. Quemad-  
 modùm etiam apud nos nullibi minus veræ charitatis inae-  
 nitur ac deprehenditur, quàm apud quosdam ex illis qui cha-  
 ritatis officia præstare potissimum debebant, &c. Hæc senten-  
 tia est huius parabolæ, quod ad literam & sensum literalem  
 attinet. Iam porrò allegoriam quoque audiemus. Et primò si  
 parabolam hanc spiritualiter intelligere volumus, indicatum  
 nobis in ea est, quomodò & qua ratione homo in talem mi-  
 seriam & condemnationem inciderit, & qua etiam ratione  
 eù Christus reduxerit. Hierosolyma significat beatitudinè &  
 securitatem, quam habebat homo à creatione sua in Paradi-  
 so. Iericho significat infœlicitatem & mutabilitatè, in quam  
 homo per peccatum & inobedientiam cecidit. Latrones sunt

*Pauci diligènt  
 proximos.*

*Hierosolyma  
 mysticè.  
 Iericho.  
 Latrones.*

mali spiritus, qui hominē ad lapsum pertraxerūt, & in sua po-  
*Sacerdos.* testate diu detinuerunt. Sacerdos & Leuita qui præteribant,  
*Leuita.* significāt legem Moyſi, & Iudaicum sacerdotium, per quod  
*Samaritana.* homo liberari non poterat. Samaritanus est Christus, qui so-  
*mus.* lus hominem lapsum iterū erexit. Sed audi iam quomodò res  
*Gen. 11.* gesta omnis sit. Homo quidā (inquit Christus) descendebat  
 ab Herusale in Iericho. In primo libro Moyſi hic homo suo  
 nomine appellatus est: Christus autem nō nominat eum. Nā  
 qui peccato sese dedit, nomen apud Deum nō habet: nec qui-  
 dem nomine aliquo & memoria dignus est. Quēadmodū  
 Dauid in genere de peccatoribus dicit Psal. 68. Deleantur de  
 libro viventium, & cum iustis non scribantur. Descēsus huius  
 hominis ab Hierosolyma, fuit eius auersio à Deo, qua re verā  
 pacem amisit. Indubiè enim pace excidit, qui peccat. Quem-  
 admodū Isaias dicit cap. 48. Non est pax impijs, Quò autē  
*Luc. 15.* homo qui Deum & pacē amisit, tendit, nisi Iericho, in omnē  
 mobilitatem, inò infœlicitatem? Sicuri etiam in filio prodigo  
 videre est, qui nullam constantem requiem inuenire & habe-  
 re poterat, donec ad patrem suum rediret: ducebātque merce-  
 narios in domo patris sui fœliciores, quàm seipsum inter pe-  
 regrinos. Hoc primū est, quod hac similitudine denotatum  
 est. Altera pars indicat, quid peccatum homini damni attu-  
*Peccati nocu-* lerit, vbi multa ostenduntur. Primò, quòd in latrones cecide-  
*menta* rit, & in diaboli manus venerit. Nam qui se à Deo auertit, il-  
 licò in diaboli potestaté venit, qui latro meritò vocatur. Ho-  
*Ioan. 8.* micida enim iam inde ab initio fuit. In huius latronis potesta-  
 tem homo meritò venit, qui Patrem suum in cœlis tam fide-  
 lem proteruè deserit. Quid igitur hic latro, simulq; maligni  
 eius spiritus cum hominē à Deo auerso egerunt? Primò, spo-  
 liauerunt eū atque exuerunt, abstulerunt ei vestem innocen-  
 tiæ, priuauerunt eum charitate & gratia Dei, quinetiam om-  
 nibus donis Dei: abstulerunt ei pacem conscientiæ, vt nihil  
*Psal. 38.* ampliùs haberet quo ignominia suam teget: cū tamē Da-  
 uid illos beatos putet, quorū testa sunt peccata. Secundò, hi  
 latrones etiam hominem cæciderunt vulneraruntque. Pecca-  
 tum enim vt gladius anceps est, lædit hominem cū in cor-  
 pore, tum in anima. Per peccatū homini ratio obscurata est,  
 volūtas peruersa, omnes eius vires debilitatæ, & omnis mise-  
*Roma. 6.* ria, cū temporalis, tum spiritualis super eum venit. Scipē dia-  
 enim peccati mors. Tertiò, latrones isti, spoliatū, cæsum, san-  
 ciatum, se-

giatum, semiuivum reliquerunt. Etenim per peccatum amisit vitam animæ suæ, hoc est, Deus corporalem tantum vitam servavit, quemadmodum illam etiam in morte relinquere cogebatur. Hæc altera pars est huius similitudinis, nimirum miseria & egestas, in quam homo lapsus per peccatum est. Illic completum est quod David dicit Psal. 48. Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Tertiū in hac similitudine indicatum, est insufficientia Mosaicæ legis, & Iudaici Sacerdotij. Sacerdos similiter & leuita (inquit Christus) descendebant eadem via, & viso homine præteribant. Lex Moyfi iustum facere neminem poterat, nec Iudaica Sacerdotia homini peccata auferre, & Deo reconciliare: quemadmodum id Paulus prolixè indicat in Epistola ad Hebræos. Vnde homini, nisi Deus subvenisset, pereundum & desperandum fuisset. Hæc tertia pars est istius similitudinis.

Heb. 8. 9.

Ioan. 8.

Quartum & præcipuum est, quid Christus erga hominem fecerit. Hic significatus est per Samaritanum: sic enim Iudæi eum nominabant. Et quidem etiā veram huius nominis significationem habebat, ut qui verus noster pastor & custos est, qui introitum nostrum & exitum custodit. Hic Christus itē viam iuit de Hierosolyima Iericho versus, de cælo in terras venit, sed tamen in latrones non incidit per peccatū: quia peccatum nullum fecit, nec dolus inuenus in ore eius. Quemadmodum etiam ipse dicit: Ioan. 14. Venit princeps mūdi huius, & in me non habet quicquam. Secundò, non solum Christus hanc iuit viam, sed etiam ad nos venit: quin etiam naturam nostram assumpsit. Hæc duo Ioannes pulchris indicat verbis, quomodo Christus ita de longinquo ad nos venerit. In principio (inquit) erat Verbum, & c. Et postea. Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, & c. Tertiò, misericordia motus est: quippè non ex operibus iustitiæ quæ nos fecimus, sed ex misericordia sua saluos nos fecit. Quartò, alligavit vulnera eius. Pertransijt enim benefaciendo & sanando omnes oppressos à diabolo. Quintò, vino & oleo ad id usus est. Dum dicit: Pœnitementi & credite Euangelio, Pœnitentia vinū acre est, Euangelium mite & lenè oleum est. Sextò, iumento suodum nos reuexit. Pertulit enim peccata nostra in corpore suo sup lignū, i. Petri 2. Septimò, duxit nos in stabulū. Per ratha enim media tātoq; labore & molestia, duxit nos in sanctā

Psal. 120.

I. Pet. 2.

Ioan. 1.

Tit. 3.

A. P. 10.

Mat. 23.

Christianam Ecclesiam, & congregationē fidelium & electorum  
 ut iam consores & coheredes illorum simus, & populus Dei  
 qui aliquando nō populus Dei eramus. Ostendit, adhuc no-  
 stri curā habet: Equidē nobiscū est vsq; ad cōsummationem  
 seculi, ut ait ipse Matth. 28. Non dō, suis seruis in mādatis quo-  
 q; dedit, ut nos conseruent, nobisq; ministrēt, & duos dena-  
 rios impendēdos dedit. Etenim post resurrectionē suā Apo-  
 stolis suis mādauit, Mar. 16. ut prædicarent, & peccata dimit-  
 terent: imō ut prædicarent & baptizarēt & Sacramēta admi-  
 nistrarēt. Postremō etiā mercedē illis promisit, ut Paulus di-  
 cit. 2. Tim. 4. Bonum certamē certauit, cursum cōsummauit.  
 In reliquo, reposita est mihi corona iustitię, quā reddet mihi  
 in illa die Dominus, in *Dus* iudex, & c. Hic vides in parabola  
 ista seu similitudine, totum negotiū indicatū esse, qualis ho-  
 mini fuerit tēporū cursus à creatione eius vsq; nūc. Hoc con-  
 sidera diligēter, & habebis semper gratias agendī, Deūmq;  
 & Christū laudēdi, timēdi, & ex toto corde diligēdi materiā.

## Q V A R T V S S E R M O D E Euangelio in genere.

**H**ODIERNVM istud Euangelium omnibus  
 modis ita consolatoriū est, & amplum in ver-  
 bis simul & intellectu, ut rectē verēque de illo  
 possim dicere cum Propheta Baruch: Hic li-  
 ber mandatorum Dei, & lex quæ est in æter-  
 num: omnes qui tenent eam, peruenient ad vitā: qui autem  
 dereliquerūt eā, ad mortē. Cōuertere Iacob, & apprehēde  
 eam, ambula per viā ad splendorē eius contra lumē eius. Ne  
 tradas alteri gloriā tuam, & dignitatē tuā genti alienæ. Bea-  
 ti sumus Israël quia quæ Deo placent, manifesta sunt nobis.  
 Talia verba si Baruch potuit dicere ad Iudæos suos, iustius  
 ego dicere possum de nobis Christianis. Si Iudæi hoc nomi-  
 ne dicuntur beati, quōd voluntatem Dei per Moysen cogno-  
 uissent, qui tamen seruus erat: multō iustius nos Christia-  
 ni vocamur beati, qui voluntatem Dei per Christum filium  
 Dei cognouimus: In hoc autem res omnis consistit, ut doctri-  
 nā Christi toto corde acceptemus & exequamur: & ne quod  
 nobis singulari ex gratia manifestatum, imō quōd gloria  
 nostra, vita & salus est, à nobis ad alios homines redire pa-  
 tiamur. Hoc non sine causa dico initio huius sermonis siqui-  
 dem stu-

dem studium meum eò conferre libenter velim, vt omnes Christiani homines, Dominicalia Euangelia magnificarent, quemadmodum certè magni fieri debent, id quod cum primis palàm fit in hodierno Euangelio. An non enim res magna est, quòd Christus initio statim tam consolatoriè Apostolos suos alloquitur? Vel vnum illud verbum meritò hominem vnumquenque ita mouere debebat, vt alijs rebus omnibus è mente eiectis, omne suum solatium in hoc verbo quaerat. Agè quoniam propterea hìc sumus, vt Euāgelium Christi audiamus, paucis vobis exponam quid Euangelium istud in se habeat. De tribus rebus loquitur Christus in hoc Euāgelio. Primùm concernit fidem, alterum amorem Dei, & tertium amorè proximi. Hæc tria scire vnumquenque Christianum oportet. Atque cum primis obseruandum, quòd hæc adeò tria ita in hoc Euangelio posita sunt, vt iustus ordo postulat. Nam in omnibus artibus plurimum refert, vt legitimo ordine omnia tradantur. Atqui certum est, nos nihil rectè de charitate Dei & proximi discere posse, nisi doceatur prius fides & cognitio Dei. nihil enim volitum, nisi prius cognitum, aiunt Philosophi: & verum est. Nam quomodo Deus Rom. 10. diligi & inuocari potest, si non sit notus? Sic etiam rectè nihil disci potest de charitate proximi, nisi doceatur prius charitas Dei. Itaq; in hoc Euāgelio vera obseruata forma est. Etenim primò loquitur Christus ad sanctos Apostolos, tanquàm ad credentes: sed facit id planè consolatorijs verbis & amicabilibus gestibus. Sic enim dicit Lucas ante hoc Euangelium: Luc. 10. Cùm Christus misisset suos discipulos primùm prædicare, & ipsi cum pace reuerterentur, dicebant inter reliqua, quòd etiam dæmonia in nomine Christi ipsis parèrent. Christus sublati in cælum oculis, dixit: Confiteor tibi Pater Domine Matth. 11. cæli & terræ, quòd abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis, &c. Deindè conuersus ad discipulos suos, dixit: Beati oculi qui vident quæ vos videtis, &c. Vide, tam consolatorijs gestibus & verbis vtitur Christus in hoc sermone: & quem non consolaretur? Quis talem doctorem non libenter habeat & audiat? Sancti Apostoli antea simplices erant & indocti homines, nunc autem longè omnibus mundi sapientibus anteponuntur in salutari scientia & cognitione: Antea pauperes erant, nunc beati vocantur. Tam facile in schola Christi scientia & diuitiæ acquiruntur. In mun-

*Tria scitu necessaria.*

Rom. 10.

Luc. 10.

Matth. 11.

do hæc duo magno labore comparantur: imò etiam si diu & magno labore in mundo scientia & diuitiæ quærantur, vera tamen ars & diuitiæ non sunt, sed species tantum modò, pro qua apud Christum vera scientia & diuitiæ etiam paruo labore & sumptu inueniuntur. Mecum (inquit sapientia Dei,

*Prov. 8.* quæ Christus est) sunt diuitiæ & gloria, opes superbæ & iustitia. Meum est consilium & æquitas: mea est prudentia, mea fortitudo. Melior est fructus meus auro & lapide pretioso: in

*In cecitate no  
stram.*

vijs iustitiæ ambulo, in medio semitarum iudicij, vt ditem diligentes me, & thesauros eorum repleam. Infœlices igitur nos

*Hier. 2.* Adæ filij, qui non verum fontem omnium bonorum quærimus, & cisternas tantùm sequimur, quæ bonam aquam non habent. Sed de hoc aliàs. Vult ergo nobis Christus verbo isto primò ostendere virtutem & operationem viuæ fidei, quam nos Christiani habere debemus. Primò nanque, quantumuis contemptus & humilis es, facit tamen te fides viua clarum & maiore coram Deo, quàm omnes tuæ diuitiæ, fastus & pompa huius mundi facere possent. Huius vides exemplum in

*Luc. 16.* mendico Lazaro, qui neque bona habebat, neque honores in terris coram hominibus: sed ob fidem & pietatem, eam apud Deum existimationem habuit, vt illi etiam Angeli in morte eius ministrarent. Contrà, quantumcunque diues bonorum & fortunæ habebat, vsque adeò tamen nullius apud Deum existimationis erat, vt nec nomen coram illo haberet.

Secundò, facit & dat tibi fides viua oculos tam claros, vt videre possis quod infidelium nemo videt. Quemadmodùm

*Dan. 9.*

sanctus Daniel tempus Christi ita exactè videbat, vt etiam annorum numerum indicaret, Et Sanctus Stephanus Act. 7 etiam in terris cœlum videbat apertum. Et beatus Ioannes in sua Apocalypsi totum statum & conditionem Ecclesiæ videbat, ab initio vsq; ad finem mundi, &c. Hoc facit fides: tales dat oculos, de quo in primo sermone fufius dictum.

Tertiò, facit quoq; fides viua hominem beatum, faciendo cum participem omnium bonorum Christi. Tantò plurius fidem rectam facere debemus: tantò firmiter ei inhærere, & tantò minus ab ea desciscere. Deinde etiam debet nobis primum istud verbum Christi, corda nostra confirmare contra omnem pusillanimitatem. Nam quid iustè queri possumus de multiplici afflictione huius vitæ, quando tanta bona diuinitus iam accepimus & accipimus? Præcipuè autem nos primum istud

mum istud verbum commonefacere debet nostræ vocatio-  
 nis, vt vicissim magna præstemus, qui tam magna accepimus.  
 Obsecro vos (inquit Paulus) vt dignè ambuletis vocatione *Eph. 4.*  
 vestra. Et Ioannes: Videte qualem charitatem dedit nobis Pa *1. Ioan. 3.*  
 ter, vt filij Dei nominemur & simus. Et Petrus Quoniam *2. Pet. 1.*  
 omnia quæ ad pietatem, nobis donata sunt, &c. curam om-  
 nem subinferentes, ministrare in fide vestra virtutem, in vir-  
 tute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in absti-  
 nentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pie-  
 tate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraterni-  
 tatis charitatem, &c. Tantum de eo, quod Christus in hoc  
 Euangelio ad discipulos suos loquitur. Deindè & secundò, lo-  
 quitur Christus etiam ad Legisperitum in hoc Euangelio, &  
 non semel, sed bis. Etenim primò remittit eum ad scriptu-  
 ram & legem: deindè etiam facere eum iubet quod charitatis  
 lex postulat. Hoc, inquit, fac & viues. Sunt autem hæc duo di-  
 gna obseruatu. Primò nanq; videmus omnes eos reperi-  
 tione dignos esse coram Deo, qui quod pridem & ante om-  
 nia scire, quia etiam fecisse debuerant, nunc primùm percun-  
 ctari volunt, idque ex curiositate magis, quàm ex bono ani-  
 mo, quemadmodùm, Phariseus hîc facit. Quid faciendo (in-  
 quit) vitam æternam possidebo? Christus autem nullum ei  
 dabat aliud responsum, quàm quod dicebat. In lege quid scri-  
 ptum est? quomodò legis? Quasi dicat: Nunc primùm inter-  
 rogas quid te facere oporteat? quantum igitur audio, nihil an-  
 te hac boni fecisti. Totiesne ergo sacram Scripturam frustra  
 legisti & audiuisti? Quid igitur Israelitam, imò Legisperitum  
 te profiteris? Dux cæcorum esse vis, lux eorùm qui in tenebris *Rom. 12.*  
 sunt, doctor idiotarum, & iam primùm quæris quid facien- *In eos qui di-*  
 dum sit? Hoc obseruare ij debent, qui ad ætatem adultam per *scere negligẽt*  
 uenere, nec dum tñ sciunt prima & præcipua capita Christia- *scitu necessa-*  
 næ doctrinæ, imò nec discere volût. Nû tales homines Chri- *ria.*  
 stiani vocandi? Nequaquã. Vt non est opifex dicendus, qui de  
 opificio nihil scit: ita Christianus dici nõ debet, q̄ nescit, quid  
 ad Christianum pertineat. Deindè etiam in hac altera parte  
 istius Euangelij obseruandum, quod Christus Phariseũ ad  
 Scripturã & legẽ remittit. Illic enim quæredũ est, & accipien-  
 dũ, quod fides & Christiana doctrina postulat ac cõtinet. Ex  
 sacra Scriptura (inquam) discere nos oportet quid credendũ,  
 aciendũ, sperandũ, metuendũ, fugiendũ & acceptandum sit.

- 2.Tim.3.** Omnis enim Scriptura (inquit Paulus) diuinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in iusticia, vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonú instructus. Eam etiam ob rem dicit Christus vt
- Ioan.5.** **Esa.8.** scrutemur Scripturas. Et Isaias: Cùm dixerint ad vos: Quærite à Pitonibus, & à diuinis qui strident in incantationibus suis, respõdete illis: Nûquid nõ populus à Deo suo requireret visionem pro viuis ac mortuis? Ad legem moysi & ad testimonium. Quòd si non dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis matutina lux. Et transibit per eam, corruet & esuriet, &c. In hũc etiam modum dicit Petrus: Habemus firmiorem propheticum sermonem: cui benefacitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, & Lucifer oriatur in cordib<sup>9</sup> vestris. Inquis: Nûquid sufficit vt Scripturam amplectar, & ex ea discam, quid ad Christianum pertineat? Responsum. Minimè. Christus non simpliciter nos remittit ad Scripturam, sed addit, Hoc fac & viues. Rogas quid igitur faciendum sit? Respondetur, Deus diligendus. Hic primus fructus est, quem in fide nostra afferre debemus, si modo vera fides est. Hunc enim fructum nisi adferamus, fides nostra mortua est, vt S. Iacobus dicit cap. 2. Hoc (inquam) est, quod post fidem & cognitionem Dei, ante omnia discere nos oportet, atq; ita discere, vt etiã opere declaremus. Et hoc qui ex Scriptura non discit, nihil sanè didicit: quia præcipuum in omni Scriptura præterit. Sic enim dicit Moyses, cùm populo suo legem de nouo tradebat, & prætereà omnia beneficia Dei enumerabat. Et nũc Israel, quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt timeas Dominũ Deũ tuũ, & diligas eũ in toto corde tuo, & in tota anima tua, &c. hoc qui opere ipso nõ præstat, frustrà credit, & Scripturã frustrà legit. Deus postulat post fidẽ etiã charitatẽ à nobis. Et vbi vera fides & cognitio Dei est, sequitur haud dubiè etiã charitas. Quis enim nõ diligeret eũ, quem tam humanũ & beneficũ sentit? Attamen requirit etiã Deus à nobis non quãlibet charitatem, sed qua illũ præ omnibus amemus. Diliges (inquit) Dominũ Deũ tuũ ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis. Et quidẽ multis argumentis amoris de nobis meritis est, vt illius amorẽ pluris faciamus: nec vlla creatura nobis tã chara esse debeat, quæ ab eo nos impediatur. Sed vide iã, qd ver<sup>9</sup> Adã noster faciat. Scit, quã multũ & quantũ à Deo accepit: scit etiam quid

*Quid facien-  
dum Christia-  
no.*

**Dent.10.**

**Luc.10.**

etiam quid Deo vicissim debeat: & tamen non facit id: imò *Deut. 32.*  
 pro bono retribuit Deo suo malū, quemadmodū olim Mo- *Christianorū*  
 ses de populo suo querebatur, &c. Quis autē populus Deum *erga Deū in-*  
 suum tam cōtumeliosè habuit, sicuti nos Christiani Deū no- *gratitudo.*  
 strum habemus? Quis populus Deū suum vnquā ita blasphe-  
 mauit, vti nos Christiani facimus? Apud Turcas nemo impu-  
 nē fert, qui impium illū condemnatumq; Machometū conui-  
 ciatur, aut cōtra legē eius facit. Apud Iudæos in Deū blasphe-  
 mus sine omni misericordia interficiebatur. Apud nos Chri- *Deut. 24.*  
 stianos haud fas est principi quantūuis crudeli obrectare. At  
 nemo est qui Dei cōtumeliā & blasphemiam vlciscatur. Num  
 verò hoc Christianè actū? Transite (inquit Hier. cap. 2. ad in-  
 sulas Cethim, & videte si factum est eiusmodi. Si mutauit  
 gens Deos suos: populus verò meus mutauit gloriā suam in  
 idolū. Quare audiamus Christū, in eo verbo vbi ait, Hoc fac  
 & viues. Sed loquitur ibi de dilectione Dei. Satis per id indi-  
 catū, q̄ qui illud non facit, non viuet. Hoc alterū est quod in  
 hoc Euangelio considerandum habemus. Tertiò loquitur  
 Christus adhuc semel ad legisperitum de dilectione proximi.  
 Nam hoc etiam vnū ex ijs est, quæ ex Scriptura nos discere  
 oportet. Imò primū est & proximū, quod post fidē & dile-  
 ctionē Dei, nos re ipsa demonstrare debemus. Eamq; ob cau-  
 sam ea nec separari debēt. Hoc mandatū (inquit Ioannes) ha-  
 bemus à Deo, vt qui diligit Deū, diligat & fratrem suum. Imò *1. Ioan. 4.*  
 nemo potest Deum diligere, quem nō videt, qui fratrem suum  
 nō diligit, quē videt. Nec potest charitas Dei in illo esse, qui *1. Ioan. 3.*  
 videt fratrem suum necesse habere, & claudit viscera sua ab eo.  
 Sed hic rursus Adam noster curiosus est: interrogare nunc  
 primū, cum Legisperito vult & disputare, quis proximus sit,  
 & cui benefacere teneatur, quasi non quotidie homines ob  
 oculos videat, qui auxilio eius egeant. Verū proximum suum  
 agnoscere non vult. Siquidem inueniuntur qui sanguine iun-  
 ctos tantū pro suis proximis habent. Alij vicinos tantū suos  
 & conciuēs pro proximis suis ducunt, alienigenas nihil ad se  
 pertinere arbitrātes. Tu verò Christiane, scire debes, q̄ vnus *Proximus no-*  
 quisque homo, qui tuo auxilio opus habet, & quē tibi Deus *ster quis sit.*  
 obuiam dat, tuus proximus sit, siue amicus sit, siue inimicus,  
 siue incola, siue aduena. Hoc subindicat similitudo quam  
 Christus in isto Euāgelio dat. Non est itaque quòd multum  
 interrogas quis tuus proximus sit, vbiq; eum inuenis, in do-

mo tua, in plateis, in agro, in templo, in foro, &c. Tantùmmodo caue ne prætereas, quemadmodùm sacerdos & Leuita fecêre, sed consiste cum Samaritano, & opitulare pro virili. Hoc poscit Deus, iubens nos proximum nostrum diligere sicut nos ipsos. At vide nunc, quàm nihil horum in nobis conspiciat. Nemo agnoscit proximum suum. Omnia vincula amoris, quæ conglutinare nos & conseruare debebant, iam dudum rupta sunt, ita vt etiam fratres & sanguinis propinquitate iunctos, quin etiam parentes nostros non agnoscamus amplius quandoquæ in necessitate constitutos, tantum abest vt alienos & ignotos p nostris proximis agnosceremus.

*Phil. 2.* Omnes quæ sua sunt, querunt, nemo alterum curat. A minimo

*Hier. 5.* ad maximum vsque omnes sequuntur auaritiã. Alius alium odit & inuidia prosequitur. Alius alium lædit. Imò non tantum proximo nostro nullum exhibemus auxilium, sed varia etiam insuper incommoda inferimus. Et tamen Christianos nos ipsi cæsemus. At Samaritanus in hodierno Euangelio sic non fecit: imò nec Christus, qui in Samaritano designatus est: nobiscum sic fecit, sed pro proximis nostris nos agnouit, cum adhuc inimici essemus, cõpasiõnem nobiscum habuit: nec quicquam

*Rom. 5.* intermisit, donec nobis succursum est. Hoc fratres cõsideremus, nimirum quantum boni à Deo consecuti simus.

*1. Ioan. 4.* Diligamus Deum, quoniam ille prior dilexit nos. Diligamus etiam proximum nostrum propter Deum. Si proximus tuus de te non meritus est, vt ei benefacias, at certè Dominus & Deus tuus de te meritus est, & is tibi quoque mercedem tuã dabit.

*Matth. 25.* Dicit enim, quicquid vni ex suis fiat, id sibi fieri. Deus faxit, vt hæc consideremus atque etiam opere præstemus, Amen.

## Q V I N T V S S E R M O

de Euangelio & Epistola.



**P**R O X I M E præterita Dominica habebamus Euangelium, in quo Christus pauca, imò non plura quàm duo loquebatur verba, sed magna faciebat expediebátque: nunc autem in hoc Euangelio Christus nullum facit miraculum, sed loquitur tantum non pauca, sed multa verba, attamè non vniusmodi, nec ad vnum hominem solum. Principio namque loquitur ad suos discipulos: deindè ad Legisperitum: postremò commemorat similitudinem in genere, quæ ad omnes homi-

homines pariter spectat. Et quidem ad suos discipulos consolatoria loquitur verba, ad populum autem parabolam: si quidem parabolis illi trahendi sunt, quoniam non datum est illis nosse mysteria regni Dei, cum sanctis Apostolis, neque cum Legisperito scripturam legere, & intelligere. Hunc triplicem sermonem, quem Christus in hoc Euangelio facit, si diligenter consideraremus, inuenturus quiuis esset, quod ad ipsum pertineat. Etenim in sancta Christianitate tria hominum inueniuntur genera. Primi ardentes planè sunt in fide & charitate, & industrij ad bona opera, quales sancti Apostoli erant. Ad hos dicit Christus, Beati oculi, qui vident que vos videtis. Certum & verum verbum. Tales enim homines vident & agnoscunt Deum & se ipsos. Quapropter beati merito dicuntur. Nam qui Dei potentiam rectè videt, Deum certè etiam timebit, quemadmodum Christus docet: Time te cum (inquit) qui potest & animam & corpus perdere in gehennam. Qui Dei sapientiam videt & agnoscit, nimirum, quòd omnia videt & nouit, is tantò magis à peccatis cauebit. Qui Dei gratiam & misericordiam videt, semper in illum religiosam fiduciam & spem habebit bonam. Porrò qui suam miseriam videt & agnoscit, semper humilis manebit. Verè ergò talis homo beatus est, qui hoc modo Deum & seipsum agnoscit. Timet enim Deum, vitat peccatum, sperat in Deum, & semper manet apud seipsum humilis & religiosus. Hi autem in scriptura beati nominantur. Beatus vir qui timet Dominum, inquit Dauid. Et iterum Psalm. 1. Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum. Et iterum Psal. 33. Beatus vir qui sperat in Deo. Dicit item Sapiens: Beatus homo qui semper est pavidus. Hoc Apostolis dictum.

Luc. 8.

Triplex hominum genus.

Matth. 10.

Esa. 111.

Prou. 28.

Sunt deindè & alij homines inter nos Legisperito similes, hoc est, sunt hypocritæ quidam: omnia faciunt in specie & simulate, non ex animo: seipsum iustos gloriantur & iactitant. Hos remittit Christus ad legem. Nec humiliari melius possunt, quam si illis lex & mandata Dei ob oculos ponantur, & maxime duo mandata charitatis. Per hæc enim cõuinci possunt, quòd ex seipsis peccatores sunt. Per legem enim fit cognitio peccati. Et qui non credit se peccatorem esse, is contempletur seipsum in speculo diuinorum mandatorum, sentiet imperfectionem suam. Ideò dicit Christus ad Legisperitum & eius similes: In lege quid scriptum est? Tales homines meliori

Rom. 7.

doctrina digni non sunt, quã vt inculcentur illis mãdata Dei, quò se ipsos discant cognoscere, & omni quidem studere pietati: sed non ob vanam gloriam, nec inde iactare sese. Tertio, sunt alij prætereà homines inter nos, qui neque perfecti sunt neque ficti, sed mediij: imò neque frigidi neque calidi. *Vulgus est: ad hos peculiariter pertinet parabola de homine qui in latrones incidit, &c. Ex illa enim vna similitudine discere poterunt & videre, quomodò in peccatum cadamus quid damni peccatum nobis afferat, & vt ex eo iterum emergere debeamus.* In peccatum incidimus, quandò oculos nostros & cor vertimus ab Hierosolyma versus Ierico, à Deo ad mundum, à rebus cœlestibus ad terrena & temporalia. Damnum verò quod nobis ex peccato venit, est, quod omni bono spoliamur quod vel habuimus, vel adhuc habere possemus. Secundo, quod vulneramur: quò enim sæpius peccamus, hoc debiliores simus ad resistendum peccato. Tertio, amittimus vitã animæ, seruamus tantummodò vitã corporis: sumus hoc pacto & iacemus semiuiui. Cæterù qui nos è peccatis eripit & liberat, est Deus, per Christũ Dominũ nostrum & Ecclesiæ sacramenta. Is opitulatur nobis hunc in modum. Primò miseretur nostri: deinde accedit ad nos. Tertio infundit vinum in vulnera nostra, hoc est incutit nobis timorem & cordis compunctionem. Quarto vtitur oleo, indit nobis spem & emédandi firmũ propositum. Quintò, imponit nos iumento suo, suo corpori per viuam fidem. Sextò, ducit nos in diuersorium, incorporat nos cõmunioni omnium Christianorũ. Atque tum per suos Apostolos & prædicatores atque ecclesiæ ministros, suo verbo & sacramentis perfectè nos sanat. Ea autem omnia eiusmodi sunt, quæ scire omnes Christianos decet. Et hæc dicta paucis sufficerent de isto Euangelio. Sed paulò plura de Legisperito duabúsque eius quæstionibus dicenda sunt. Non quidem seriò rem agebat, quantumuis seriò se id agere simulabat: quia tentabat Christum. Nobis autem in eo aliquid situm est. Et primò, si Euangelia passim perquiramus, nõ inuenimus homines, quibuscũm Christus plus negotij habuit, & tamen minus effecit, quàm Phariseos falso iustos. Alij homines, etiam Publicani, Samaritani & Chananæi, audiebant Christum summa diligentia, admirabantur eius doctrinam, credebant & obtemperabant illi: gaudebant & Deum laudabant, quòd talem ipsis

talem ipsis doctorem dedisset: & eius verbis compuncti, relictis vitijs, toto corde ad Deum se conuertebant. At Pharisei contradicebant illi, & multis eum sollicitabant quæstionibus, quarum tamen illis nulla ex animo proficiscebatur, nec ex eò discere quicquam cupiebant. Quantūcunq; itaque Christus illis respondebat, nihil tamen proficiebat. Eius rei exemplum habes in isto Euangelio. Vnum verbum Christus initio istius Euangelij locutus erat, quo sancti Apostoli & discipuli benè contenti erant. Phariseus autem illo neglecto, duas alias quæstiones proferebat, quæ bonam quidem speciem præ se ferebant, sed nulla illi cordi erat. Vnde etiam Christus ei non absolute respondet, sed ad legis & scripturæ lectionem eum amandat. Præterea similitudinem illi dicebat, ex qua (si voluisset) facile videre potuisset, sibi ad vtramque quæstionem satis responsum fuisse. Exemplum illi (inquàm) ob oculos ponebat, in quo videre simul poterat, quis suus proximus in terris, & seruator in cælis esset. Scire vis hypocrita (vult dicere) quis proximus tuus sit? Non est, quòd ad amicos & cognatos tuos respicias: sed ita te constitutum esse oportet, sicut Samaritanus iste erat. Is iter faciens fortè inuenit hominem vulneratum: & quamquàm sciebat ac videbat eum alterius esse gentis ac fidei, accedebat tamen, ceu fratri omnia illi exhibebat charitatis officia. Similiter & tu fac. Si quis tibi occurrit, opem tuam imploràs, siue notus sit, siue ignotus, Dominus aut seruus, amicus aut inimicus, &c. scito cum proximum tuum esse, cui benefacere obligatus es. *Proximi qui habenda* Hæc ad vltimam tuam quæstionē respósa sint. Scire deinde etiam desideras, quando quidem tam arroganter quæris, quid te facere oporteat, vt vitam æternam consequare? Scire vis (inquàm) num vires tuæ sufficiant tibi ad vitam æternam? Hunc vulneratum hominem inspice. Quis eum sanauit? Nunquid seipsum curauit? Minimè verò. In periculum se ipse dare & conijcere poterat, sed ipse sese eripere non valebat. Quis illi igitur auxiliatus est? Num sacerdos, aut Leuita, aut alius quispiam ex suo populo ei opem tulit? Non. Alienigena id fecit, & gratuito, quia vulneratus homo non fuerat de ipso meritis: & iustiore transeundi causam habuisset, quàm sacerdos, & Leuita, nisi eum sola charitas & cõpassio traxisset. Sic tecum etiã & cū omnibus hominibus actum est, & adhuc agitur. Vos ipsos in peccatum, & deinceps in periculum mor-

tis & condemnationis conijcere, sed non iterum eripere po-  
*Lex Moyſi & Sacerdotiũ le- gale non ſuf- fecerũt curam diſvulneribus noſtris.* testis. Vnde ergo salutem habetis? Non ex vobis ipsis, neque ex lege Moyſi, neque ex Iudaico sacerdotio. Venit quidem Moyſes cum ſua lege, & Aaron cũ ſuo ſacerdotio ad lapſum hominem: viderunt eius miſeriam, ſed curare illum non poterunt. Alienigena de longinquo veniens, hoc perficere debebat: & talis, qui veſtri non egebat, & de quo meriti non eratis: imò qui iuſtius irascei vobis, quàm compati potuiſſet. Is de longinquo venit veſtra cauſa: nimirum ex cœlo, & iam inter vos eſt, iam pridem incœpit vulnerato humano generi ſuppelias ferre: quotidie ei infundit in vulnus oleum Euan- gelicæ gratiæ ſeu prædicationis, & vinum aſperum diuini iudicij. Eſtque eius propoſitum, quòd vulneratum hominem ſuper humeros ſuos, hoc eſt, peccata hominum in ſe ſuſcipere velit, eaque in ſuo corpore in cruce expiare voſque hoc modo ad locum perducere, vbi perfectam conſequi ſanitatem poſſitis. Hoc vbi fuerit factum & expeditum, redibit vnde venit: ſuis ſeruis mandabit, vt veſtri curam gerant: neceſſaria illis ad eam rem dabit, nimirum gratiam ſuam, ſpiritum ſuum, verbum ſuum, ſacramenta ſua, & bonum paratumque animum vobis inſeruiendi. Hic eſt & erit, cui veſtram ſalutem tranſcribere debetis. Et quamquàm nunc eum agnoſcere non vultis, hoc tibi tamen confirmo, quod te neque opera legis, neque lex tua ſaluum facere poterit. Ille tibi auxilietur oportet, aut per iſti æternum. Ille etiam eſt, quem multi Reges & Prophetæ videre & audire cupuerunt, neque tamen viderunt aut audierunt: vos hæc duo habere poteratis, ſed non vultis.

*Chriſtus quæ ſua eccleſiæ reliquerit.*

*Ioa. 20.* Idcirco pereundum vobis eſt, niſi reſipueritis. Contra, beati oculi ſunt qui eum nunc vident, & qui poſtmodum in eum credent, licet eum non videant. Hic vide, quàm pulchrè Chriſtus Legiſperito hac ſimilitudine nõ ſolũ indicauit, quis proximus eius ſit, ſed etiam quis præcipuus modus ſit iuſtificationis noſtræ & ſalutis. Etenim hac in parte Iudæi craſſè errabant, dum legi ſuæ iuſtificationem tribuebant, quã tamen principaliter gratia Dei per Chriſtũ effuſa in nobis operatur. Quẽadmodum igitur Chriſtus in hodierno Euãgelio de iuſtificatione & ſalute hominis loquitur, ita etiã de ea Paulus ſcribit in hodierna Epiſtola. Quia in annũtiatione diuinę gratię per Chriſtũ, idẽ cõtradicedi p̄tinax ſtudiũ Iudęorũ ſentiebat quod Chri-

quod Christus ipse senserat. Cæci homines Dei gratiã agnoscere nolebant. Moysen non solum æquiparabant, sed longè etiam anteponebant Christo. Non sufficiebat illis Euangelium ad salutem sine obseruatione legis Mosi. Ideoque initio Christianitatis volebant Gentes ad legem Mosi & circumcisionem cogere. Sed hoc Paulus ferre nolebat: Etenim detrahebat hæc res non parum Dei gratiæ, & imminuebat meritum Christi, perindè ac si mors eius & sanguinis effusio peccata nostra non possent tollere: aut quasi legis opera tantum valere deberent, quantum opera & merita Christi. Quapropter Paulus in hodierna Epistola seriò loquitur contra eiusmodi blasphemiam Dei, & euidenter probat cum Iudæos tum Gentes sine respectu præcedentium suorum operum, gratuito per Christum ad adoptionem filiorum Dei receptos esse: idque Iudæos non per legem & circumcisionem consecutos, nihilo magis, quàm Gentes ob antecedentia crimina sua à tali gratia exclusæ fuerunt. Secundum hominem dico (inquit) scitis quòd hominis confirmatum testamentum nemo spernit aut superordinat: quomòdò igitur testamentum Dei superordinare audetis? Deus testamentum fecit cum Abraham, & extremam suam voluntatem ei indicauit: nimirum vt in semine eius, qui Christus est, omnes populi benedictionem cõsequerentur. Hoc liberè promisit, sine vlla mentione legis & circumcisionis: quin etiam viginti quatuor annis antequàm ei circumcisionem, quadringentis autem & triginta annis priusquàm posteris eius legem dabat. Atqui neque circumcisio, neque lex, quæ vtraque longo pòst tempore venèret, eiusmodi promissa Dei tollere & antiquare potuerunt. Aut si promissio Dei sublata est, vos Iudæi docete, vbi scriptum sit. Quòd si non potestis, ego vobis monstrabo, quòd Deus benedictionem per Christum gratuito planè promisit, voluitque per hoc significare magnitudinem misericordiæ suæ. Qui igitur dicere non verecundamini, nullum hominem benedictionis per semen Abrahæ participem esse posse, nisi circumcisionem habeat, & legem veterem seruet, cum tamen Deus in promissione sua harum non meminerit? Annon autem hoc est Dei testamentum infringere, & gratiæ eius detrahere? Et si hoc vrgetis necessariò hoc consequi oportere, alioquin legem inanem esse & frustraneam: responsio, Non. Lex propterea frustrã data non est, licet hominem per se non iu-

Act. 15.

Gal. 3.

Gen. 12.

Gal. 3.

Gal. 3. **Rificet.** Fuit enim veluti pædagogus: homines carnales in me-  
 Roma. 7. tu disciplina continuit, donec semen promissum veniret: ho-  
 minibusque peccata eorum indicavit, quò futurum Seruato-  
 rem cupidius acciperent. Et quanquam Evangelica nostra  
 doctrina hoc habet, quòd lex sit antiquata & mortua, non ta-  
 men sequitur inde, legem contra promissionem Dei esse: sed  
 solum æquum esse, vt coruscante luce, cesset umbra. Hæc ho-  
 dierna fuit Epistola, veruntamen magis iuxta sensum, quam  
 iuxta literam. Vult ergo Paulus, nos iam inde ab initio gra-  
 tuitò ad Evangelicam gratiã accitos esse, & nos etiam adhuc  
 quotiescùnque nobis peccata dimittuntur, potissimum Chri-  
 sto trãscribere debere. Attamen monet nos Paulus indidem,  
 ne ob id dicamus: Quid igitur lex? Quantum ergo audio, ope-  
 ra nostra ad nihil prosunt, & necessaria sunt: imò opera no-  
 stra & fides non patiuntur seinvicem. Non: nequaquam hæc  
 sententia est. Siquidem certum est ex sacra Scriptura, peccata  
 desistere, confiteri, orare, ieiunare, eleemosynas dare, proximo  
 dimittere, &c. quæ tamen opera nostra sunt plurimum eò fa-  
 cere, vt peccata nobis dimittantur. Sed hoc talia opera potif-  
 simum habet ex passione & merito Christi: alioqui nihil pro-  
 desset ad beatitudinem, ni Christus mortuus fuisset: imò  
 nec nunc prosunt quisquam sine fide, vt videmus in Iu-  
 daeis, Gentibus & hæreticis. Cæterum si in vera fide fiant, &  
 ex charitate proficiantur, certè etiam ad iustificationem fa-  
 ciunt. Qua quidem etiam de causa Christus docet, vt dimit-  
 tamus, & fore vt dimittatur nobis: vt petamus, fore vt detur  
 nobis. Et Petrus: Pœnitentiam agite, & accipietis remissio-  
 nem peccatorum vestrorum. Vbi ergo gratia prædicatur, nul-  
 lus Christianus homo dicere debet: Quid igitur lex? Quo-  
 rum ergo nostra opera? &c. Nec dicere debet aut cogitare bo-  
 na opera fidei contraria esse. Minimè. Fidei contraria nequa-  
 quam sunt, si solis operibus non transcribatur quod gratiæ  
 Dei præcipuè debetur. Nam alioqui fides & bona opera ferre  
 seinvicem optimè possunt: imò necessariò coniuncta esse  
 Iaco. 9. oportet. Fides enim sine operibus mortua est: nec sine fide  
 Hebr. 11. Deo placere quisquam potest, etiam si abundet externis ope-  
 ribus. Summa: Christus non solum vult homines habere qui  
 dicunt, Domine, Domine: sed qui faciunt volútatem Dei. Hoc  
 docet nos Evangelium, istud vnà cum eius Epistola. Ea pars  
 est de qua modo tanta cõtrouersia est: quam quidem ob rem  
 tantò proli-

tantò prolixius de ea dicere visum est. Deus det nobis omnibus suam gratiam, Amen.

DOMINICA DECI-  
MAQVINTA POST PEN-  
TECOSTEN, EVANGELIUM  
LIVM LVC. XVII.

**E**T factum est dum iret Hierosolymam, & ipse transiuit per mediam Samariam & Galilæam: Et cum ingrederetur quendam vicum, occurrunt ei decem viri leprosi, qui steterunt procul, intentaque voce dixerunt: Iesu præceptor miserere nostri. Quos ut vidit, dixit illis: Ite ostendite vos sacerdotibus. Et factum est ut inter eundem mundati sint. Vnus autem ex illis ut vidit quod mundatus esset, regressus est cum voce magna glorificans Deum: & prostravit in faciem ad pedes eius, gratias agens ei: & hic erat Samaritanus. Respondens autem Iesus, dixit: Nonne decem mundati sunt! Nonne autem illi ubi! Non sunt reperti qui redierint, ut darent gloriam Deo, nisi hic alienigena. Et ait illi: Surge, vade, fides tua te servauit.

EADEM DOMINICA EPI-  
STOLA SANCTI PAULI  
LI GALAT. V.

**F**ratres, Spiritu ambulate, & concupiscentiam carnis non perficietis. Nam caro concupiscit aduersus spiri-

tum, spiritus autem aduersus carnem. Hæc autem inter se mutuò aduersantur, ut non quæcunque uolueritis, eadem faciatis. Quod si spiritu ducimini, nō estis sub lege. Porrò manifesta sunt opera carnis, quæ sunt hæc, adulterium, scortatio, immunditia, lasciuia, simulachrorum cultus, ueneficium, inimicitia, lis, emulationes, iræ, concertationes, seditioes, sectæ, inuidia, cædes, ebrietates, comessationes, & his similia, de quibus prædico uobis, quemadmodū & prædixi: quòd qui talia agunt, regni Dei heredes non erunt. Cōtrà fructus spiritus est, charitas, gaudiū, pax, lenitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, temperantia. Aduersus huiusmodi non est lex. Qui uerò sunt Christi, carnem crucifixerunt cum affectibus & concupiscentijs.

P R I M V S S E R M O C O M P O N I T  
istud Euangelium cum Euangelio proximè  
præterita Dominica.

Luc. 10.



ODIERNVM istud Euangelium longè aliud præ se fert, quàm quod præterita Dominica habuimus. Tum habebat Christus longam disputationem & colloquium cum Legisperito quodam: hic autem facit Christus simpliciter miraculum, ueruntamen non vnum, sed decem vno tempore simul, & vno verbo. Hæc iuxta externam quidem speciem, duo sunt dissimilia negotia. Sed si verè loquendum de re est, in eundem omnia tendunt finem. Imò quod nobis Christus superiori Dominica per inuolucra parabolæ de Samaritano & vulnerato homine indicare uoluit, nimirum quis noster sit status ante & post fidem & agnitionem Dei, in hac historia decem leproforum, claris exemplis, imò factò & opere ob oculos positum habemus: & tam apertè, ut quiuis videre & palpare possit. In hodierno isto Euangelio (inquam) uideamus, quis Samaritanus sit, qui vulneratum hominem erexit, quomodò res gesta sit, quid ad id eum mouerit, & quid contrà postulet. Iesu præceptor (clamabant leprosi) miserere nostri. Hic ille est & non alius, qui per se auxiliari potest & auxiliatus est.

Luc. 17.

liatus est. Quale nomen, talis & laus eius. Iesus vocatur, au- *Psal. 47.*  
 xiliator & seruator est. Hunc læprosi sequebantur, hunc com-  
 pellabant: non sciebant alium in terris, qui ipsis opitulari  
 posset: spem vltiorem non habebant, quàm in illum: & si  
 illos planè deseruisset, ab omnibus creaturis fuissent deserti.  
 Habemus itaque in hoc Euangelio medicum nominatum  
 suo nomine, qui proximè elapsa Dominica Samaritanus no-  
 minabatur. Ite, ostendite vos sacerdotibus, &c. Habes hic *for Luc. 17.*  
 mam & modum, quomodò nobis Christus auxiliatus sit.  
 Semel hic Samaritanus de cælo venit ad vulneratos, semel  
 peccata nostra in se suscepit, semel pro nobis mortuus est, se-  
 mel pro nobis se hostiam obtulit, illáque hostia nos Deo re-  
 conciliauit: necesse non est, vt toties de cælo descendat, & de  
 nouo moriatur, quoties in terris morbo aliquo corripi-  
 mur. Non. Modus quo nobis nunc opem fert, est quòd nos  
 ad Ecclesiæ ministros vel sacerdotes remittit. His verbum  
 suum & Sacramenta commisit dispensanda, & ad auxiliand-  
 um nobis. Amplius dicit Euangelium, Christum vidisse  
 leprosos (intellige oculo misericordiæ.) Hæc præcipua cau-  
 sa est, quæ illum mouet ad auxiliandum miseris hominibus.  
 Misericors ipse erat, illi egentes: quomodò autem misericors  
 non subueniret, præsentem necessitatem & miseriam videns?  
 Imò si tamen, præteriret, misericors non esset. Hoc rur-  
 sus quadrat cum Euangelio præteritæ Dominicæ. Illic iace-  
 bat vulneratus homo, eius miserebatur Christus. Secundum  
 suam misericordiam saluos nos fecit, quemadmodùm Pau-  
 lus dicit. Postremò ait Christus: Non est inuentus qui redi- *Tit. 3.*  
 ret, & daret gloriam Deo. Hic vides Deum gratitudinem à  
 nobis exigere. Hic finis est, ad quem omnia spectant. Eruam *Psal. 49.*  
 te (dicit Deus) & honorificabis me. Atque hoc modo puta-  
 rem optimum quenque Christianum ex hoc Euágelio cum  
 fidem tum vitam suam Christianè posse instituere, etiam si  
 nullam aliam Scripturam aut prædicationem habere & au-  
 dire posset. Et si alicui paucis verbis, sed tamen clarè & perspi-  
 cuè indicare deberem totú processum Christianismi nostri,  
 quomodò ex Paganis Christiani, ex peccatoribus iusti, ex  
 Adæ filijs Dei filij fiamus, maneamúsque, cui id imprimis  
 acceptú ferre debeamus, & quid ad eam rem pertineat, video  
 me hoc efficere meliùs non posse, quàm vt illi hanc historiã  
 de decem leprosis ob oculos ponã: clarè nimirum hæc omnia

& apertè videre posset. Nam quemadmodum Christus cum leprosis egit ita indubiè etià nobiscum agit, & quèadmodum illi ad sanitatè peruenerunt, ita etiam nos ad eam peruenire oportet. Tum quod Christus ab illis exegit, idè à nobis quoque exigit. Id Paulò clariùs exponendum est. Et primò, certum est, nos omnes naturâ filios iræ esse, nos omnes in peccatis cõcipi & nasci, veluti Dauid ait: Omnes immundi sumus, vt Isaias dicit, fateamur oportet, nos non solùm propter peccata paradiso tanquàm pollutos & leprosos ciectos esse, Deo & omnibus creaturis inuisos, deformes intollerabiles esse factos: sed etiam per nos & creaturas omnes sine Christo in hac lepra in peccatis nostris, & ira Dei æternum nobis pereundum fuisse. Hoc cognoscere primum est Christianæ doctrinæ, & est primus gradus ad salutem. Huius admonere se optimus quisq; Christianus pulchrè potest circa istud Euangelium: si cogitet, qualis lepra morbus sit, quomodò totù corpus occupet & corrumpat, quàm hominem dehonestet ac deturpet, quàm omninò immedicabilis sit humana arte & viribus. Hoc vnù est, quod circa hanc historiam considerandum est. Secùdò, certum est, neminem alium nostram leprã tollere, & nos mundare in anima à peccatis posse, præter Christù, vt qui solus agnus Dei est, qui tollit peccata mundi, vnde gloriari in nulla re alia possumus cum Diuo Paulo, quàm in cruce Christi, quèadmodò leprosi posteaquã leprosi declarati erãt, in nullo alio homine perinde spè habere poterãt, & refugiù atq; in Christo, vt in quo obseruarãt, quæ signa aliqua fecisset Deo tantù possibilis. Sic etiam scire nos oportet, nò esse aliud fundamētũ & esse posse, cui nos superstruamus, præter Iesum Christù, & non esse aliud nomē sub sole datũ hominibus, in quo eos saluos fieri oporteat, quã nomen Iesu. Eum enim Deus cõstituit propitiatorem & thronum gratiæ: per eum habemus accessum ad Deũ & gratiam eius: ei dedit Deus potestatem super omnem carnem, vt æternam vitam daret omnibus quos ei dedit Pater, Illi omnes Prophetæ testimonium perhibent, quòd omnes in ipsum credentes, remissionem peccatorum per eum accipiunt. Ideò venit, vt quæreret & saluum faceret quod perierat. Et ideò etiam illum Deus misit ac dedit, vt omnis qui videt eum & in eum credit, habeat vitam æternam. Et ideò omnia cum beato Paulo, Philip. 2. arbitrari debemus vt ster-

cora, vt

cora, vt Christum lucrifaciamus. Hæc omnia sanè agnoscere & rectè credere, est altera pars Christianæ doctrinæ & secundus gradus ad nostram salutem. Huius nos icidem admonere hodiernum Euangelium potest. Tertiò, certum est, quòd tametsi Christus verus medicus est qui omnibus hominibus subuenire potest, nec quenquam eijcit, quæri tamen & inuocari vult. Siquidem neminem ad salutem & fœlicitatē suam cogit. Videndum, audiendum se præbet, præcedit nos, stat medius inter nos, vocat nos ad se, iubet nos venire: sed neminem inuitum cogit, nec quenquā repellit ex animo ad se currentem, & gratiam petentem. Hoc studio addo. Multa enim requiruntur, si quis cum Christo agere velit. Adsit primò oportet humilis confessio & deploratio propriæ culpæ. Secundò, summum desiderium diuinæ gratiæ. Tertiò, ardens oratio. Quartò, viuæ fides, & nulla ad agendum pœnitentiæ mora. Ista fieri oportet, dum Christus in terris adhuc inueniri potest. Ambulate dum lucem habetis (inquit Ioan. 12.) vt non vos tenebræ comprehédant. Dum lucem habetis, credite in lucem, vt filij lucis sitis. Quandiu in mundo sum, lux sum mundi: sed venit nox, quãdo nemo potest operari. Ioan. 9. Et ad Iudæos Luc. 17. Venient dies quando desideretis videre vnum diem filij hominis: imò quæretis me, & non inuenietis, & quo ego vado, vos venire non potestis, sed moriemini in peccatis vestris. Omnis itaque mora hic pernitiōsa. Scriptū est, Isa. 55. Quærite Dominum, dum inueniri potest: inuocate eum, dum propè est. Hoc demùm verè ad Christum accedere dici possit. Hæc tertia pars esset Christianæ doctrinæ, & tertius gradus ad nostram salutē. Huius bonus quisque Christianus sese commonefacere possit, quãdo cogitat quomodò decem leprosi sese erga Christum gesserint. Nempe quod ad ipsum currebant: à longè stantes alta voce clamabant, vocantes eum Iesum saluatorem, eius misericordiam seriò implorantes. Et in his omnibus festinabant, priusquã Christus ciuitatem ingrediebatur. Hoc tertium est. Quartò, certū est, quod Christus duo media ordinauit, per quæ quotidie adhuc sanitatem adipiscimur animarum, nimirum sanctum verbum suum, & sacramenta. Euntes (inquit) docete omnes Gentes: baptizantes eos in nomine Patris, & filij, & Spiritus sancti. Hæc & reliqua sacramenta, media sunt per quæ nobis Christus hic auxiliatur. Quòd si sanitati restitui cupis, non est quod

sursum hies versus cœlum expectans quâdo Christus redeat & auxilietur tibi. Nequaquâ. Propter peccata tua non redibit de cœlo secundo. Semel executus est quæ vult: quæ adhuc facienda restant, seruo suo commisit, hoc est, suis Apostolis, & eorû successoribus, Ecclesiæq; ministris: ad hos currendû est. Illic Euangelium & verbum Dei audies, illi obtemperes, illud factis exequaris. Illic porrò inuenies etiâ pharmacopolium sanctorû Sacramentorû pretioso sanguine Christi præparatum. His vtere sicut decet, & sanitatē consequêris. Hæc quarta pars est Christianæ doctrinæ, & quartus gradus ad salutē. Huius optimus quisque Christianus se admonere circa Euangelium istud potest, quando reputat secum, quomodo Christus leprosos mundauerit: nimirû quod aliud nihil ad illos dicebat, quàm, Ite, ostendite vos sacerdotibus: & quod dum irent mundati sint: quanquâ etiam alia ratio erat cum leprosis. Hos excludere nemo audebat, nisi prius sacerdos illos leprosos declarasset: nec recipere eos quisquâ audebat, nisi sacerdos mundos dixisset. Sic illis præceptum erat in lege, atq; hoc animo mittebat illos Christus ad sacerdotes. Iam mûdati erant. Sacerdos iudicare debebat, num verè mûdati essent.

*Ostendere se sacerdotibus.*

*Leuit. 13.*

*Merita Christi quibus nihil conferant.*

*2. Cor. 5.*

Nostri autem Apostoli & eorum successores, maiorē potestatem habent & mādatum, maiora apud illos inuenimus: nimirû media, per quæ salutem per Christum acquisitam ad nos accommodare possimus. Repertus thesaurus adest, efficax & sufficiens ad salutem totius mundi: sed videamus oportet, vt illum arripiamus, illo rectè vtamur, fruamur, ad nos applicemus & adducamus, alioqui nihil nobis commodauerit. Quem admodû fons domum tuam præterfluens, sitim tibi nō restinguit, nisi accepto vase haurias: ita etiam nos homines licet parata communi redemptione per Christum, semper in ira Dei manemus, & perimus in peccatis nostris, si nō haurimus ex fonte diuinæ gratiæ per legitimū vsum Sacramentorum, quæ vera vasa sunt, in quibus merita Christi latent, & per quæ communem redemptionem Christi adipiscimur, vtilémq; nobis facimus. Vnde & D. Paulus confidenter de seipso loquitur, & suis collegis: Pro Christo legatione fungimur tanquâ Deo exhortante per nos. Deus quidē mundum reconciliauit sibi per Christum, in nobis autē posuit verbum recōciliationis. Obsecramus igitur, recōciliamini Deo. Apud nos verbū est reconciliationis, & media per quæ communem re-

munem recôciliationem vobis facere propriam potestis. Sic nos ergo Christus mittit ad sacerdotes. Quartû est. Quintò, certû est, q̄ quemadmodû per viuam fidem: & humilem verâmq; potentiam Dei gratiam consequimur: sic eam rursus amittimus per ingratiudiẽ, per peccata & vitæ impietatem. Et idcirco quemadmodû per viuam fidem & feruentẽ orationem Dei gratiã nos quærere oportet: sic etiã per gratitudinem & obedientiam conseruanda est. Hæc quinta pars est Christianæ doctrinæ, & quintus gradus ad salutẽ. Atq; huius rei iterû se commonefacere quiuis bonus Christianus potest circa istud Euangeliû, quando cogitat quid Christus in his leprosis laudauerit aut improbarit. Nonnè decem (inquit) mandati sunt, & nouem vbi sunt? Hoc reprehendit Christus. Vnus regressus est, cû magna voce magnificans Deum. Hoc laudabat Christus. Surge (inquit) quia fides tua te saluû fecit. In morbo omnes deuoti erant. Deindè verò nõ nisi vnus erat qui sciebat, ante & post morbû ad Deum currendum, Deoq; obtèperandû esse, si modò in gratia quis manere velit primû feruenti oratione, deindè stabili obedientia & gratiarum actione. Eãq; propter, hic vnus laudatur, & certa ei salus Luc. xi. promittitur: alijs autè certè postrema eorû tempora peiora fiebãt priorib<sup>9</sup>, etiam si id scriptû nõ esset. Nã quid expectari boni potest, vbi Dei recordatio & timor amittitur? Quid corporalis prodest sanitas, si anima p̄ peccatû auertit sese à Deo? Et quid multis verbis opus est? Decẽ isti omnes fidẽ & fiducia

habebant in Christû, posse eum auxiliari & auxiliaturû: is autem solus à Christo laudabatur, qui fidẽ suam in opus conferebat. Fides in opus  
conferenda.

Per fidẽ enim accõmodamur quidem ad sanitatẽ & alia dona: ceterû nisi accedat charitas vnã cû alijs virtutibus quas charitas secum fert, facilis eius iactura est. Hoc scire, quinta pars est Christianæ doctrinæ, & quintus gradus ad salutem.

Sed vide iam an non tota sacra Scriptura quinque his partibus occupata sit: annuntiat nobis peccata nostra & condemnationem: remittit nos ad Christum: docet quomodò coram illo comparere debeamus: indicat quibus rebus nobis opem ferat, & postremò etiã quid à nobis requirat. Horû omnium Euangeliû istud hodiernû nos cõmonefacere posset. Idcirco dico adhuc, quemadmodû initiò dicebam. Si paucis indicare deberẽ summam Christianæ doctrinæ, & tamen ita clarè, vt non posset quis non intelligere, id efficere melius nõ possem,

quàm cum isto Euangelio. Bonus Christianus rem secū existimet, & sciat, nobis omnibus quicūque etiam simus, vnicam & certā esse viam ad salutē æternā quemadmodū in hac historia nobis ostensum est. Peccatū agnoscendū, Christus quæredus, & viua fide amplectēdus: media, id est, sacramēta quæ in salutē nobis cōtulit, legitimè vsurpāda & adhibenda: post gratiam acceptā in gratiarū actione perseuerandū, ne per peccata gratiā amittamus. Hæc illa sunt, quæ ex hodierno isto Euangelio vnusquisque Christianus obseruare debebat. Verū in tribus posterioribus plurimū deficiamus, vt neq; gratiā quæramus, neq; legitimis medijs vtamur, neq; etiam grati simus: quanquā etiam in duabus prioribus partibus desideratur in nobis, q̄ neq; nos ipsos neq; Christū satis agnoscimus. Quid igitur mirū, si etiā in tam atrocibus peccatis & certo periculo æternæ cōdemnationis, nobis tamen nō timeamus, neque auxilium quæramus, nec emēdationē meditemur? Enimuerō nemo auxilij quæredī gratia huc illuc discurret, qui nesciat & credat, sibi aliquid deesse. Et si quis multū intentāq; voce clamat, frustra tamen id fit, si neminē qui auxiliari possit videat.

*Psal. 66.* Fratres, haud res inanis est, q̄ David tam ardēter orat: Deus fac vt cognoscamus viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum. Hoc enim initiū nostræ salutis est. Quod vbi nō videtur ac scitur, nulla ibi speranda salus. Nimiū, heu dolorē, id in nobis Adæ filijs patet. Vnde etiā omnis Scriptura passim eō directa est, vt primū nos ipsos, & deindē etiā Christū discamus probè agnoscere. Et quidem in hodierno Euangelio ea simul pulchrè videre possemus, quemadmodū superius indicatū est: sed fallit nos sæpè propriū nostrum iudiciū: opinamur quod nō est: facimus quod nō nunquā leprosus facit: etiam si suspicio de lepra sit: imò etiam si ipse sese ea infectum cognoscat, ægrè tamen conuinci se patitur: reluctatur quantū potest, ne pro tali habeatur, eiiciaturq;: studet id occultare & tegere, donec tam crassè erumpat, vt celari amplius nō possit. Quapropter etiam alij homines constituendi sunt, qui ea de re iudicāt & censurā faciunt, sicuti in veteri Testamēto sacerdotes ad id ordinati erant: alioqui nemo seipsum pro leproso agnosceret & proclamaret. Eodē modo res nobiscum habet, nimium nobis credimus: quocirca nobis Scriptura lepram nostram tantò clariùs ob oculos ponit, quemadmodū Paulus facit in hodierna Epistola, & Scriptura aliàs passim in le-

in lege Mofi & & Prophetis. Sed de hoc alio tempore plura. Deus det nobis omnibus suam gratiam, Amen.

S E C V N D V S   S E R M O   C O M P O N I T

*Euāgelium istud cū 19. Psalmo: docētq; quid  
historia spiritualiter significet.*



**Q**UIS QVIS hodiernum istud Euangelium legit, is indubiè nunc ad gaudium, nunc ad tristitiam commouebitur. Idque nõ iniuria: quandoquidem duo tam dissimilia in eo nobis proponuntur. Nimirũ summa gratia seu humanitas Dei aut Christi, & summa ingratitude hominũ. Erenim in initio dicit Lucas, quã Christus se benignũ exhibuerit etiam erga leprosos, quã omninò illos non horruerit, quã citò orationẽ illorum exaudierit, quã velociter & sine mora illis auxiliatus sit, etsi nihil de illo meritis, & ipso sciente illos ingratos fore. Quomodò autem homo qui id legit, non permoueatur ad tam beneficũ Dominum nõ verbo, sed reuera amandum? Quis non ex animo cum sancto Dauide canat. Cõfitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum *Psal. 117.* misericordia eius? Ad hæc, Euangelium istud nobis etiã propterea afferre gaudium debet, quandoquidem tam clarè in eo videmus religionẽ Christianam certam & firmam esse, & nos non ædificasse super arenam, cum Christo per fidem & charitatem adhæsimus: quãdoquidem tot tamq; manifestis & mirificis signis demonstrauit, se omnia posse, & neminem excludere gratiã ita vt oportet petentẽ. Nam si etiam immedicabilissimũ morbum leprã tam facilè curare potuit vnico verbo, & in tot hominibus vno tẽpore: certũ est illi nihil impossibile esse aut fore. Quòd si etiã omniũ abiectissimos homines leprosos, quos omnes fugiunt & abominantur, non repulit à se: certũ est q̃ nullum hominẽ repellat à se, toto corde ad se conuersum, relictisque vitijs, iustitiæ viuere statuentem. Et sic quoq; ipse dicit in Ioanne, *Ioan. 6.* Omne quod dat mihi Pater ad me veniet: & eum qui venit ad me, non eijciam foras: quia descendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me. Hæc est enim voluntas eius qui misit me, Patris: vt omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in nouissimo die, &c. Hoc luce clariùs impletum videmus in isto Euāgelio: tantò iustiore

causam habemus circa Euangelium istud religiosè latandi. Nam in hoc nostra spes consistit & solatium, quòd seruatorem habemus tam potètem, vt ex omni malo eripere nos possit: tamque bonum, vt id semper facere velit, si nos idoneos præstemus. Vndè bono Christiano nullum exercitium melius circa Euangelium istud indicare possèm, quàm vt verba diligenter ad animum reuocet, & vsurpet quæ olim David *Psal. 91.* de Dei operibus cecinit. Bonum est (inquit) confiteri Domino, & psallere nomini tuo Altissime. Ad annuntiandum manè misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem. Quia delectasti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo. Quàm magnificata sunt opera tua Dñe? nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ. Vir insipiens non cognosceret, & stultus nō intelliget hæc, &c. Omnia verba ista inueniuntur in Euangelio hoc, si quis propiùs inspiciat. Quæ res non eget multa demōstratione. Primò nāq; cogita optime Christiane, qualis lepra morbus sit, & quòd oranes humanas artes ac vires superat, leprosum mundare. Sed interim vide, quòd Christus in hoc Euangelio nō solùm lepram pellit, sed facit id etiã tantùm modò suo verbo, & in decem hominibus vno tempore, vno momento. Hoc considera (inquam) & fateberis, nō hominis sed Dei opus esse. Vnde ex summa admiratione dices cum Dauide: Quàm magnificata sunt opera tua Domine. Longè optimum hoc esset exercitiò, quòd bonus Christianus circa Euangelium istud habere possit. Imò verum hoc fundamentum est omniũ bonorum exercitiorum & meditationum circa miracula Christi, vt primò & ante omnia pro veris & certis Dei operibus habeantur, credanturq;. Quæ res deindè occasionè præbet multò plura cogitãdi. Nã vbi operatur Deus, causa aliqua omninò subest.

**2. Tim. 2.** Omnia sustineo propter electos (inquit Paulus, fidelis imitator Christi) quemadmodùm etiam Christus propter illos omnia fecit, & passus est. Eundem in modum nos quoque Euãgelium istud accipere oportet, nimirùm, quòd Christus decem hæc miracula in decẽ leprosis, nō solùm illis, sed etiam nobis & omnibus credentibus in bonum fecerit, vt etiam nos in omni necessitate quantũuis magna, etiã si nullus mortalium auxiliari amplius possit, & omnes animum despondeant, humiliter tamen ad Christũ dicamus: Iesu præceptor miserere nostri. Nec esse nobis dubium debet, quin quate-  
nus ad

nus ad ipsum pertinet, possit & velit auxiliari:quãdoquidem  
 etiam ad Samaritanum dicit:Fides tua te saluũ fecit. Huc per *Luc. 17.*  
 tinet verbum,quodd David dicit:Delectasti me Dñe in factu-  
 ra tua. Certẽ nõ paruum nostrum solatium est,quod credimus,  
 quod Christus in alijs fecit hominibus , id facere cum posse  
 & velle etiam in nobis. Hoc pacto Euangelium istud non so-  
 lum admirationem nobis incutere potest, sed etiam gaudium  
 & solatium afferre:imò fidem nostrã & charitatem in Deum  
 confirmare. Hoc vbi consideramus, tertium vltro sequetur,  
 vt dicturi simus, Bonum est confiteri Domino, & psallere no-  
 mini eius:ad annuntiandum manẽ misericordiam eius, & ve-  
 ritatem eius per noctem. Manẽ tẽpus est fœlicitatis: tum Dei *Manẽ, mysti-*  
 misericordiã recordari debemus , & omnem fortunam bo- *cẽ.*  
 nũmq; non nobisipsis, sed Dei gratiã transcribere. Nox au- *Nox.*  
 tem tẽpus est aduersitatis: tum veritatis & promissionis Dei  
 meminisse debemus, nec dubitare, quin nos feruenter orãtes  
 auditurus sit, nobisque auxiliaturus:quãdoquidem tã apertẽ  
 promisit, vbi in Dauide inquit: Inuoca me in die tribulatiõis, *Psal. 49.*  
 & eruã te, & honorificabis me. An non autẽ Euangelium istud  
 benẽ, Christianẽ & vtiliter à nobis auditum esset, si triplicia  
 hæc exercitia simul haberemus? si agnosceremus pro Dei ope-  
 re, quicquid Christus in eo fecit: si crederemus nostrã & om-  
 nium credentium vsque ad finem mundi, vtilitatis & solatij  
 causa factum esse; & idcirco nunc & omni tempore Dei mise-  
 ricordiam & veritatem laudaremus prædicaremusque. Eius  
 misericordiã dico, quòd miseris & egenis tam clementer opi-  
 tulatus est: veritatem autem eius, quòd similiter etiam nobis  
 spiritualiter promisit & seruat. Hæc tria sunt, in quibus di-  
 ctus Psalmus Davidis, per omnia cum hodierno isto Euange-  
 lio quadrat. Sed nondum sunt hæc omnia. David adhuc plu-  
 ra habet in illo Psalmo. Tum etiam Euangelium istud indicat  
 non solum miraculum per se, sed etiam circũstantias. Vt potẽ  
 primò, quòd leprosum decem mundabatur, & tamen  
 nõ plures quàm vnus reuertebatur, qui Deo gloriam dabat,  
 & Christo gratias agebat. Sed hoc illud ipsum est, quod Da-  
 uid etiam in iam dicto Psal. dicit: Vir insipiens nõ cognoscet,  
 & stultus non intelliget hæc. Verus querela hæc, & maximus *Ingratitudo*  
 defectus semper in terris fuit in filijs hominum, quòd non *hominum.*  
 agnoscunt aut considerant quid cum ipsis agat Deus. Iã indẽ  
 ab initio maior pars semper fecit, quod nouem leprosi fecere:

nos adhuc facimus. Atq; vtinā nihil peius faceremus, vtinam inter decē vel vnus inueniretur, qui Deo pro gratia gratiam haberet ex animo. Dei dona & gratiā accipimus, & fruimur ijs quotidie, ceterū maior pars est & manēt ingrati ijsq; abutuntur. Hoc omnes Prophetæ omnibus sæculis cōqueſti ſunt.

*Iſa. 1.* Audite cœli (inquit Iſaias) & auribus percipe terra, quoniā Dñs locutus eſt. Filios enutriui, & exaltaui: ipſi autem ſpreuerunt me. Cognouit bōs poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Dñi ſui: Iſraël autē me non cognouit, & populus meus nō in-

*Hier. 8.* tellexit, &c. Id genus querelas habet etiā Hieremias. Miluus in cœlo cognouit tēpus ſuum: turtur & hirūdo, & ciconia cuſtodierunt tempus aduentus ſui: populus autē meus non co-

*Mich. 7.* gnouit iudicium Dñi. Similiter Michæas queritur de ingrati tudine hominum. Væ mihi (inquit) quia factus ſum ſicut qui colligit in autūno racemos vindemiæ: nō eſt botrus ad come dendū, præcoquas ficus deſiderauit anima mea. Perijt ſanctus

*Pſal. 13.* de terra, &c. Et Dauid: Omnes declinauerūt & inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonū, non eſt vſq; ad vnum. Dñm non inuocauerunt, non eſt timor Dei ante oculos eorū, &c. Et in

*Iſa. 5.* Iſaia dicit Deus: Expectaui vt vinea mea faceret vuas, & fecit labruſcas. Eodē modo querit Chriſtus in hodierno Euāgelio: Nonne decē mundati ſunt? (inquit) & nouē vbi ſunt? Nō eſt inuētus qui rediret, & daret gloriā Deo. Sic etiā dum quæritur de nobis Chriſtus. Semp̄erq; præcipua fuit cauſa, q̄ Deus nonnūquā ſua dona hoībus iterū ſubtraxit: cōtrā verò multa aduerſa & mala in eos induxit. Satis experimur, qd nobis noſtra ingratitude vtilitatis adferat & hætenū attulerit: nimirum hāc vtilitatē, vt indies magis ac magis in nobis impleatur, quod Deus olim ad Iudæos dicebat: Vos reliquiſtis me,

*2. Par. 18.* & ego reliqui vos in manu inimici veſtri. Chriſtus quidem in hoc Euāgelio verbis tantūmodò quæritur ſuper ingratitude nem nouē leproſorū. Nobis etiā diu connixit? Sed quid dicit in Propheta? Tacui, nunquid ſemper tacebo? ſicut parturiens loquar, &c. Hoc autē ſtultus mūdus nō agnoſcit: nō cōſi-

*Eſa. 42.* derat id quod habet, non proſpicit futura. O vtinā ſaperēt & intelligerēt, & nouiſſima puiderēt, inquit Moyſes. Deut. 32. Hoc bono Chriſtiano etiā circa iſtud Euangelium cōſiderandum eſt: nimirum q̄ tametiſi Deo non ſufficientē remunerationem pro beneficijs eius facere poſſumus, atque ille etiā noſtra remuneratione opus nō habet, amet tamen gratitudi nem, vti

nem, uti in leproso isto Samaritano videre est. E diuersò autem execratur, & ignominia loco ducit ingratitude: eamque damnat nò solùm verbis, ut superiùs auditum, sed etiam re ipsa, uti experimur, & alij ante nos experti sunt, & omnes ingrati homines tandè & æternùm experientur. Bonù itaque *Psal. 91.* & salutare confiteri Domino, & psallere nomini Altissimi.

Sunt prætereà alia plura in hodierno Euangelio commemorata, quæ cù sæpè dicto Psalmo consonant. Nèpè quòd is adeò inter leprosos gratus inuentus est, què minimè credidisses: quoniã non Iudæus erat, & consequèter etiã tantò minus de Deo sciebat, sed Samaritanus. Reliquorù nullus Deo gratias agebat, qui tamen Iudæi erãt, & idcirco primi fuisse debebant in laude Dei & gratitudine erga Christum. At verò *Ibid.*

istud occultorù iudiciorum vnum est, de quibus David dicit: Nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ Dñe. Imò argumentum illud iam erat, Gentes pro accepto gratiæ beneficio, multò gratiores futuras, quàm Iudæos: quin primos nouissimos, & nouissimos primos fore. Hæ profundæ sunt cogitationes Dei, veluti David dicit: imò sunt occulta & partim etiam terribilia iudicia Dei super Iudæos & Gentes, de quibus Paulus dicit, nimirùm q̄ Deus Iudæos reiecit, Gentes verò elegit & suscepit. *Matth. 20.*

O altitudo diuitiarù sapientiæ & scientiæ Dei, quæ incõprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius? Quis em̄ cognouit sensum Dñi? aut quis cõsiliarius eius fuit? Et paulò antè: Vide ergo, ô homo, bonitatè & seueritatè Dei: in eos quidem qui ceciderunt, seueritatè, in te autem, bonitatè Dei, si permãseris in bonitate, alioqui & tu excidèris. *Rom. 11.*

Sed & illi si nò permãserint in incredulitate, inferentur, &c. Hæ sunt profundæ cogitationes Dei. Quapropter optimo cuique Christiano considerandum est, quod David in supra cõmemorato Psalmo dicit: & tum etiam istud Euangelium fructum afferet, si hoc modo fecerimus. Sic ergò paucis indicauimus, ad quid nobis Euãgelium istud secundù literã inseruire debeat ac possit. Sed patres nostri & antiqui ecclesiæ Doctores, præter hoc etiam aliud in eo obseruauerunt, nimirùm allegoriam. Et tandè re ipsa cõperimus, q̄ historia hæc & Euangelium, fuerit seu præludiũ quoddã, quæ ad modũ sancta Christianitas sese esset habitura. Quæ etiam duo silètio prætereunda non sunt. Quãobrem pro conclusione huius sermonis breuiter indicabo. Et primò, quia Christus non solù hic, sed etiam *Matth. 8.*

in Matthæo peculiari vtitur modo in leprosis mundandis, quo alioqui in nullo alio morbo vsus est, Patres nostri & ecclesie doctores non dubitauerunt, quin singulare quiddam significet. Nam alios omnes ægrotos Christus aut omnipotenti virtute sui verbi, aut impositione sacrarum suarum manuum sanauit: cæterum nullum eorum ad sacerdotes misit

*Leuit. 13.* præterquàm leproso. Et quâquàm etiam illud causam suam habebat ex lege Mosi, eò quòd sacerdotes id temporis iudicare habebant & cognoscere inter lepram & non lepram, inter mundum & non mundum, & deinde quoque quis ab hominum commercio arcendus, aut apud alios homines ferendus esset: sicq; dubium nullum est, quòd etiam Christus hac ipsa de causa leproso ad sacerdotes miserit, nihilò verò secius antiqui ecclesie doctores non dubitauerunt, quin aliud in super etiam indidem significatum sit. Deprehēderunt inter omnes

*Hæresis cur potissimum lepra designetur.*

spirituales morbos qui nobis hominibus adhærent, nullum lepræ assimilari meliùs posse, quàm hæresim, aut pertinacem errorem in fidei causis. Hæc non alia ratione pellitur, quàm quemadmodùm Christus leproso mundauit. Possem veteres multos indicare, qui lepram hoc pacto sunt interpretati. Legat quis Augustinum Quæstionum Euangelij libro secundo capit. 40. & Gregorium libro quinto Moralium. c. 11. rem sic se habere comperiet. Meritò autem hæresim & schismata in fide, negotijs lepræ comparauerunt. Nam vt leprosum corpus non vnus coloris est, sed variegati: hîc sano corpori simile est, natium colorem habens: hîc lepra erumpit, alium habens colorem: ita hæresis & error malis bona mista habet, nec omninò bona hæresis est, nec omninò mala.

Quòd si omninò bona & verax esset, hæresis esse non posset. Quia verò malum & falsum bono & vero mistū est, spiritualis vocatur lepra, curatu difficilis. Omnes alij morbi & vitia

*Hæresis difficile curatur.*

animę, sanari faciliùs possunt. Adulter, fur, homicida, blasphemus, &c. scit se malè facere, multò itaque faciliùs conuerti potest, quàm hæreticus aut seductor & factiosus. Talis enim se ipsum non agnoscit, non vult videri errare. Et tamen si ei consciëntia dictat, q̄ erret, superbia tñ eum in errore tenet, vt eum pudeat ab eo desistere, aut errorem suum confiteri, atq; palinodiam canere. Tãtò difficiliùs cõuerti potest: nullum enim audit diuersa docentem: & licet silentium illi imponatur, vt respondere nequeat, sed filere cogatur, virus tñ in corde ma-

net, sil-

net, illud clam effundit, si qua potest, & locum habet, ad eum ægrè lepra ista mundatur & pellitur. Alioqui inuenimus in omnibus historijs, quandoque multos & magnos peccatores conuersos esse & adhuc conuerti: raro autem legimus, hæreticum aut sectarum magistrum conuersum. Nam obstinatio proprium est hæresis. Ad hæc etiam spiritualis ista lepra, verè contagiosus & hæreditarius morbus est. Siquidè nullus hæreticus aut erroribus implicatus, virus suum apud seipsum retinet, sed omnibus afflat, quacumque ratione potest. Sermo etiam eorum (inquit Paulus 2. Tim. 2.) ut cancer serpit. Vnde etiã monet ac præcipit, hæreticum, si semel aut bis admonitus sit, & tamen in errore suo perseueret, vitandum esse: & sciendum, quod conuersus sit. Tum etiam vult Ioãnes in secunda Epistola, nihil commercij cum eiusmodi hominibus habendum esse: nec quidem salutandos, vel aue eis dicendum. Vnicum medium, per quod tales erronei homines à suo errore & spirituali lepra liberari possunt, est, ut mittantur ad sacerdotes, hoc est, ad communem intellectum, quem sancta Christianitas & catholica Ecclesia habet in causis fidei. Hoc qui facit, is ab omni spirituali lepra & errore purgatur, nec unquam errore contaminatur, quandiu apud communem intellectum sanctæ Christianæ Ecclesiæ manet: ceterum quisquis proprio suo iudicio plus credit, quàm communi intellectui sanctæ Ecclesiæ, indubiè in errorem incidit, nec facile abduci potest. Hoc viderunt Patres nostri ex eo quod Christus leprosos ad sacerdotes misit. Bonum quidem & necessariũ esset nos id etiam his temporibus ad animũ reuocare, vbi spiritualis istius lepræ, errorum & seductionis mira sentina est, & plerisque tenacissimè adhæret. Ite (inquit Christus) ostendite vos sacerdotibus. Quod nos ita accipere debemus: Nemo suo vratur & fidat iudicio. Intellectus què tota, sancta, & vniuersalis Christiana Ecclesia habuit iam inde ab initio ad nos vsque, is optimus & certissimus est. Hæc enim promissionem habet à Christo, quod eam Spiritus sanctus ducet in omnem veritatem. Hæc allegoria est istius Evangelij. Propriam nostram naturam & conditionem quoque in eo videmus, nimirum quod natura omnes leprosi, hoc est, peccatores & filij iræ sumus: in baptismo autem omnes mudamur in virtute sancti nominis & pretiosi sanguinis Christi. Ceterum post baptismum plerumque fieri consuevit, quemadmodum in iam dicto Evangelio indicatum est. Maior pars ingrati sunt & manent:

Raro respici-

scit hæretici-

Hæretici con-

tagiosi, ergo

vitandi, &amp; tol-

lendi è medio.

Vnicus hære-

ticos curandi

modus.

Ioan. 16.

Eph. 2.

quod indè adeò fit, q̄ iustificatio nostra cœpta solùm, & nondum perfecta est: quòd etiã post baptismũ parua concupiscentia & quædã reliquæ peccatorum in nobis adhuc hærent. Hi sunt hostes, quos Dominus dereliquit, & erudiamur in eis. Iam qui socors est, facit sua negligẽtia, vt inualefrant & superent: verùm qui obnitiũ, omnibus satis fortis est: attamen nõ ex se ipso, sed ex spiritu, quẽ è supernis habet. Hic apud Christum nobis feruẽtissimis precibus quærẽdus est cũ in modũ, quò illum quæsiuere leprosi. Dei gratia cũ omnibus nobis. Amen.

TERTIVS SERMO DE  
prima parte hodierni Euangelij.



**H**ODIERNVM istud Euangelium, si in genere dicẽdum de eo esset, duo nobis ob oculos ponit. Primò videmus in eo & ex sibi inuicẽ oppositis, quomodò vtraq; Deus & mũdus constituti sint. Deinde etiam videmus in eo, quomodò crux & passio, tentatio & miseria Adæ filios tam deuotos faciat, nec tamẽ eã deuotionẽ diutius durare apud illos, quàm donec crux cesset. Hæc autẽ duo bene cõsiderãda sunt. Primò autẽ Deus ea indole est ac natura, vt creaturis suis benefaciat, præcipuè autẽ homini. Nã nihil eorũ quæ creauit odit Deus. Sap. 3. Quineriam ijs benefacit, quos scit ingratos fore. Attamen etiam si aliqui, quinetiam maior pars, ingrati sint, nõ denegat suũ auxiliũ alijs inuocantibus se. Hoc videmus in hoc Euangelio in decem leprosis: videmus & experimur quotidie in nobis ipsis. Quantũcũq; Deus nostrã ingratitudinem expertus est, non desinit nobis benefacere: quinimò de seipso perhibet testimonium, benefacit nobis, imbrem nobis dat, & tempora fructifera de cœlo, implet corda nostra cibo & gaudio. Et vt Act. 14. maximè nõ credamus nec diligamus eũ, fidelis tamẽ permanet, seipsum negare nõ potest. Hæc natura & indoles est Dei. 2. Timo. 3. Contrã mundus aliã naturã & cõditionem habet: nimirum quòd etiam ex acceptis beneficijs Dei nõ melior fit: imò nec de Deo cogitat, nisi cõpulsus necessitate. Hoc rursum videmus in isto Euangelio in leprosis: experimur etiam quotidie in nobis ipsis, q̄ de die in diem deteriores simus, quãdo nobis Deus benefacit, & pacẽ largitur, tantũ abest, vt meliores euadamus. Quid ergo etiã Deus, cũ iam iudiciũ eius cœperit, facere poterit aliud, quàm quòd nos ex ira à se pellet, quos benefi-

beneficijs ad se allicere non potuit? Hoc vnū est, quod in isto Evangelio considerandum nobis proponitur. Deinde etiam videmus in eo, quàm nulla prorsus constantia & perseverantia sit in bono apud Adæ & mundi filios, & potissimum tēpore felicitatis, etiam si quandoq; bene incipiant, & valde deuoti sint in tribulatione. Id in decem leprosis compertū habemus: comperimus id ipsum adhuc in nobis. Magna cupiditate currebant illi ad Christum, cū adhuc leprosi essent, miserabilem edebant clamorē, prius instabāt, quàm Christus ciuitatē ingrediebat: cæterū sanitati restituti, vix reperiēbatur prioris suæ miseræ memor, & redemptori suo gratias agēs. Idem adhuc pro more habemus. Quā anxij sumus, quādo infortunū & periculū pro foribus est: tā dissoluti & leues simus, infortunio liberati. Atq; vtinā maior pars nostrūm deteriores non essemus quàm noueni isti leprosi fuēre: qui tamen in eoduntaxat carpuntur, quòd non redeunt, gratos sese exhibentes. Alioqui æternæ illis datur laudi, quòd in suo morbo & necessitate, Christum tanta fide, deuotione, & humilitate inuocauerunt. Quot autem inueniuntur apud nos, qui neque Dei recordantur in angustia versantes, neq; illum inuocant: tantum abest, vt faciant in rebus prosperis? Agē quàm Christus ad auxiliandū paratus est, si vera fide, ardore & humilitate inuocetur: tam illi displicet, si post acceptam gratiam & beneficia ingratus sis & indeuotus maneat. Hoc Euangelium vtraque ista nobis indicat, antequàm decem leprosi suam orationem vix bene absoluisent, imò simul atque eos Christus aspiciebat iam salui erāt. Postremò verò vno tantūm redeunte & agēte gratias, grauitè eos quoque Christus inculabat. Nobis hæc omnia dicta sunt: vtrobique indicatū nobis est, quæ spes nobis à Deo esse possit. Vtrobique videmus, quomodò Deus à nobis haberi & coli velit. Tempore necessitatis hunc sibi honorem poscit, vt inuocemus eum: in rebus secundis hūc honorem postulat, vt ei gratias agamus: contrā etiam tantò alacrius nobis de illo promittere possumus in tribulatione & necessitate, quòd audire nos & iuuare velit, si inuocemus eū in vera fide: quòd data beneficia nobis conseruare velit, si in rebus fortunatis erga eum grati & obediētes simus. Hoc solatijs nobis præbet istud Euāgelij, attamē hoc cū additamento, vt nil nisi merā indignationem expectare possis, nisi gratus sis. Decem leprosi senserūt ardentē orationem ad Deum

*Nota**Vt simus instabiles in bono.**Ingratitudo quàm inuisa Deo.**Psal: 49.*

non inanem esse. Sensit Samaritanus, Deo placere gratitudinem. Et huic etiam Dei istud donū soli haud dubiè in bonū cessit. De alijs dubiū nō est, quin nouissima eorū peiora sint facta prioribus: iuxta parabolam quam Christus profert de dæmonio semel pulso, at verò iterum admissio. Quisquis igitur animo præditus est Christiano, is sibi dictum putet. Causam inuocandi habemus, causam itē gratias agendi. Si in hæc duo ritè incubuerimus, Dei auxiliū & gratia nunquam nobis deerit. Tantū in genere de isto Euangelio: nunc etiā singula verba speciatim indagabimus. Dum iret Dominus Iesus (inquit Lucas) in Ierusalem, transibat per mediam Samariā & Galilæā. In his verbis remittit nos Lucas primū & ante omnia ad personā Christi: is est, qui hos leprosos curauit: is est, qui etiā nobis opitulatur, & opem ferre potest. Illi enim dedit Pater potestatem super omnē carnem, hoc est, super omnes homines. Et quidē hoc etiā veteres nō ignorarūt: in mādatis habuerunt, vt omnes homines ad Christum dirigerent. Sic enim dicit Deus ad Isaiam: Super montem excelsum ascēde, tu qui euangelizas Sion: exalta in fortitudine vocem tuā, qui euangelizas Ierusalem: exalta, noli timere. Dic ciuitatibus Iudæ, Ecce Deus vester: ecce, Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachiū eius dominabitur: ecce, merces eius cum eo, & opus illius corā illo. Sicut pastor gregem suum pascet, &c. Hunc pastorem & dominum nobis hīc Lucas ob oculos ponit, & illo etiam opus habemus. Nam vt corporalē leprā non nisi solus Deus propria virtute curare potest: sic quoq; morbum nostrum nimirum quod ante fidem & baptismū miseri peccatores, morti & condemnationi obnoxij sumus, nemo tollere potest, nisi Deus per Christum. Neque herba, neque malagma (inquit Sapiēs) sanauit nos, sed tuus Domine sermo, qui sanat omnia. Secundò, indicat nobis Lucas in hoc primo verbo, quando Christus hæc miracula in decē leprosis fecerit, Dum iret in Ierusalē. Hæc, vt ex omnibus circūstantijs colligi potest, vltima eius pfectio fuit à Capharnaō Hierosolymā versus, vbi iam tandē certò decreuerat voluntatem Patris sui implere, ad electos suos morte omnium probrosissima ab æterno exitio liberandos. In hoc itinere Christus decē leprosos mundauit, pro indicio, quod sacratissima sua passione & morte vulnera nostra & morbos sanare vellet, sicuti re ipsa factum est, & sanguine suo nos à peccatis nostris lauerit. Hac de causa non

Matth. 12.

Ioan. 17.

Esa. 40.

Sap. 16.

Apoc. 1.

causa non rectà Hierosolymam petebat, sed per mediã Samariam & Galilæam. Priùs multis in locis cõspiciendum se exhibebat, nõ vt ad fallendũ tempus oblectementa quæreret, sed vt multis hominibus suũ Euangelium prædicare, multis ægrotis auxiliari, multos ad pœnitentiã inuitare posset: & ve vndiquãq; pateret ad ipsum accessus, ad audiendũ eũ tanquã verũ & præcipuũ doctorẽ salutis: nec nõ ad petendum ab eo auxiliũ & cõsiliũ. Hæc erat causa, quã obrẽ per mediã Iudæã, & Samariã, & Galilæam iret. Ea ipsa de causa de cœlo venit, quòd decretũ ipsi erat pro omnibus hominibus mori, & per seipsum omnes mortales Deo reconciliare, sine respectu personarum. Apud eum enim nõ est Iudæus neq; Græcus, non masculus neq; fœmina, non seruus neque dominus: cõmunis redemptor, propitiator, & seruator est, & esse vult omniũ verẽ in se credẽtiũ. Sequitur in textu: Et cũ ingrederetur quoddã castellũ, occurrerũt ei decem viri leprosi. Hic videmus primò, initiũ salutis nostræ à Deo esse. Quĩ enim ascendere ad eũ potuissemus, nisi ad nos descendisset? Quippè nemo ascendere in cœlũ potest, nisi qui de cœlo descendit. Quomodò leprosi ad eũ venire potuissent, nisi priùs in nostrũ castellũ, in mundum ingressus fuisset? Nobis eum appropinquare prius oportuit: quomodò alioqui nos ægroti & peccatores ad eum accedere & appropinquare ausi fuissemus? Prior dilexit nos (inquit Ioãnes) quã nos eũ diligere potuimus. Non vos me elegistis (inquit ad discipulos) sed ego elegi vos. Sed ab eo tẽpore quo in nostrũ castellũ, in mundũ, quinetiã in nostrã naturã venit, cũ pia fiducia ad eũ accedere possumus, licet miseri peccatores simus. Quãdoquidem scimus eum dixisse, Omne quod venit ad me, non eiciã foras. Imò quoniã apertẽ dixit, Ioã. 7. Si quis sitit, veniat ad me & bibat. Promittit etiã Matt. 11. omnibus ijs qui grauati sunt, & laborãt, se consolaturũ eos & refecturũ, si ad se veniant & currãt. Proindẽ si decẽ istis leprosis felix occurus erat, quòd Christum verum seruatorem in via obuium habebant & inueniebant: quin adhuc felix occurus est, si quando homo afflictus videt vbi Christum reperire possit. Alij homines currunt in afflictione & rerum perturbatione ad ariolos, magos, & malos spiritus, quod tamen Deus palãm & sub cõminatione summæ indignationis suæ vetuit, & id Rex Ochozias ipso opere magno cum suo malo expertus est: pauci verò currunt in rebus aduersis ad

Gal. 1.

Ioan. 3.

1. Ioan. 4.

Ioan. 15.

Ioan. 6.

Deut. 18.

4. Reg. 2.

Deū, eū tamen nusquā certius auxiliū, quā apud ipsum inueniatur. Clamavit ad me (inquit) Psal. 90. & exaudiā eū: cum ipso sum in tribulatione: & eripiā eū, & glorificabo eum: Longitudine dierū replebo eū, & ostendā illi salutare meū. Apud quē simile inuenis? Imo quod magis est nō est quod quisquā ad Christū accedere vereatur, sicuti nonnunquā pudibundi apud magnates & potentes auxiliū quærimus. Nō enim mihi Deus filium suū in mūdum, vt mundū iudicaret & cōdennaret, sed vt mundum saluū faceret. Nec venit filius hominis perdere animas, sed seruare. Et omnis qui credit in eum nō iudicatur, quia in nomē vnigeniti filij credit: si tamē etiā seruat mandata illius, & facit voluntatē patris eius. Quod autem decē illi leprosi non in ciuitate seu castello, sed ante castellum Christo occurrebant, id idē factū est, quod Moses Leuit. 13. in sua lege, ex mandato Dei præcipit, ne leprosus cum alijs hominibus vitæ consuetudinem haberet. Hæc etenim sunt verba legis: Quicumque maculatus fuerit lepra, habebit vestimenta dissuta, caput nudum, os veste contactum, contaminatū ac sordidū se clamabit. Omni tempore quo leprosus est & immundus, solus habitabit extra castra. Quia ergo hi lepra infecti erant, in ciuitatibus seu vicis hominum commercio interesse non audebāt: & ob hanc eorum impuritatem, quia sciebant se alijs hominibus abominabiles esse, non audebant etiam Christo propius sese ad mouere, sed de longe stabant: nec sciebāt Deum multo aliter effectum esse, quā sunt homines, nec creaturas suas tam facillè reijcere, sicut homo hominem horret & fugit: imò Deum tā purum lumen esse, quem nulla impuritas hominum contaminare possit. Hoc, inquā, leprosi isti nondum sciebāt, idē de longē stabant: verebantur ne etiam Christus ipsos horreret, præsertim cum illorum tam multi essent. Potest hæc fortē ciuilitas quædam vel etiam humana pusillanimitas fuisse. Veruntamen videre istinc possumus, quomodo ad Christum eundem sit: nimirum nō superbo & elato animo, vt qui immodicè de se ipso sentit, quēadmodū Pharisæus in tēplo stabat, & seipsum alijs contemptis prædicabat, suasque laudes decantabat: sed humili meditatione & agnitione propriæ infirmitatis & indignationis, veluti Publicanus verè pœnitens faciebat, qui nec oculos suos ad cœlum attollere audebat, indignū se iudicans aspectu cœli domui & Regis, qui se rā turpiter &

Ioan. 3.

Luc. 9.

Ioan. 3.

Matth. 7.

Esa. 55.

Sapient. 11.

I. Ioan. 1.

Luc. 18.

piter & leuiter in suis peccatis gessisset. Quò enim magis ho-  
 mo, se ipsum humiliat & indignù censet, hoc magis Deo ap-  
 propinquat. Sentètia lata & pronùtiata est, Dominus Deus *Psal. 112.*  
 in altis habitat, & humiliat respicit in cœlo & in terra. Susci-  
 tans à terra inopè, & de stercore erigens pauperè, vt collocet  
 eum cù principibus, cù principibus populi sui. Nò igitur fru-  
 strà Sapiens bono cuique homini acclamat & dicit: Fili, acce- *Eccle. 2.*  
 dens ad seruitutè, sta in iustitia & timore. Is autè verè in timo-  
 re Dei stat, qui semper propria sua peccata & indignitatè ob-  
 oculos habet, ea detestatur & plangit, agnoscès se peccatorem  
 & omni gratia indignù. Hoc est de longè stare, sicuti leprosi  
 isti fecerunt; & ante eos Romanus Centurio in Capharnaò,  
 qui dicebat, Domine nò sum dignus vt intres sub tectù meù, *Matth. 7.*  
 &c. Et Petrus Lucæ 5. Exi à me, qa homo peccator sum Do-  
 mine. Sequitur de leprosis: Et leuauerūt vocem, hoc est, ore  
 simul & corde clamabant, &c. Sed clamor cordis eorù longè  
 maior erat, quàm clamor oris. Magna cupiditas & flagrans de-  
 siderium veræ sanitatis, clamor erat cordis eorù. Talem cla-  
 morè, talia vota pij cordis audit Deus faciliè & libenter. Hoc  
 videmus primò in Moyse. Is adeò coangustabatur ad conso-  
 landum populù suum in necessitate, vt verbis ad Deum orare  
 nò posset. Attamen Deus desideriu eius respiciebat, & dice- *Exod. 14.*  
 bat: Quid ad me clamas? Perinde ac si dicat: Noui desideriu  
 tuum, id iam dudum exaudiui, perge tantummodò, percutè  
 aquam & mare, & dabit vobis locù transeundi, &c. Idem vsu  
 venisse videmus Ionæ, in profundo maris iacenti, & in ventre  
 ceti, vt certè nò multa verba facere potuerit. Attamen dice- *Ion. 2.*  
 bat: Clamaui de tribulatione mea ad Dominù, & exaudiuit  
 me. Clamor autè (vti dixi) magis fuit ingens desideriu cor-  
 dis, quàm magnus clamor vocis. Susanna proba & sancta fœmi-  
 na, neq; verba, neq; clamorè faciebat magnù in sua tribula-  
 tiõe: cor autè eius (inquit Scriptura Dan. 13.) spem habebat  
 & plenà fiduciam in Deù. De tali etiã clamore loquitur Pau-  
 lus, Rom. 8. vbi scribit de credentibus, q̄ Spiritù adoptionis  
 filiorù Dei acceperint, gemitibus inenarrabilibus ad Deum  
 clamantè. Quisquis ergo à Deo aliquid impetrare vult, is cla-  
 met oportet, non tam alta & clara voce quæ sola non sufficit,  
 quàm magno desiderio, imò magna charitate & spe. Externus  
 enim clamor sine viua fide & desiderio Deo non admodum  
 acceptus est. Quemadmodum in Isaiã dicit cap. 29. Populus

hic me labijs honorat, cor autè eorū longè est à me. Còtrà autem dicit Christus Mat. 5. Beati qui esuriūt & sitiunt iustitiã, quoniã saturabuntur. Sed audi iam quomodò leprosi isti homines ad Deū clamauerint: Iesu præceptor, inquebãt, miserere nostri. Breuis, sed tamè pulchra & verè pia oratio: optandum foret, eam nobis semper in ore esse. Etem nō audis hic longas verborū ambages, quibus vtūtur quidã absq; vlla animi attentioe & amore erga Deū, persuadentes sibi ob verborum, quæ tamen nauseabūdi proferūt, prolixitatè, se tantò citiùs exaudiri: sed breuibus, & quidè electis verbis, cōfitentur hi leprosi pariter omnes potentiã atq; etiã bonitatè Christi, necessitatè suam ostendūt & misericordiam petunt. Hæ veræ sunt partes, ad orationè pertinètes. Sic orat David, vbi ait: *Psal. 50.* Miserere mei Deus secūdum magnam misericordiam tuam. Sic orat Daniel in captiuitate Babylonica, suam & populi sui deplorans necessitatè, confitens & accusans populi sui peccata, Deo tribuens gloriam, gratiam & veniam rogans: Domine (inquit) non in iustificationibus nobis prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis, &c. Sed quĩ fieri possit talem orationè non exaudiri, vbi hoc modo propria iniquitas corde còrrito plangitur, & tam humiliter Dei gratia petitur? Nobis ad exemplum scriptū est, quod imitari debemus, si modò quod petimus impetrare volumus. *Ioan. 9.* Peccatores em̄ in suis peccatis permanētes nō exaudit Deus, sed si quis Dei cultor est, & voluntatè eius facit, hunc exaudit. Præstet nobis omnibus Deus gratiam suam, Amen.

#### Q V A R T V S S E R M O D E altera parte Euangelij.

**I**N hodierno isto Euangelio inter alia indicatum est, quàm decè leprosi cupidè Christū inuocauerint, vt ipsoꝝ misereretur. Vbi peculiari-ter expressum est, id non in ciuitate aliqua aut vico factū esse, sed priusquàm castellum ingrederetur Christus: imò quòd Christus magis appropinquabat ciuitati, hòc magis festinabãt, ne illis elaberetur. Quia enim secundum legè Mosis, ab omnibus hominibus segregati, & ab omni eorū commercio exclusi erant, neglectum fuisset, simul atq; Christus in ciuitatè venisset. Quapropter etiã tanto instabant diligentius, dum eius copia dabatur, & ille adhuc in itinere erat.

itinere erat. Et quidē hoc illos imprimis decebat: latari deinde meritò potuerunt, & ante ipsas adeò portas, in eum incidebant. In ipso puncto aderant, & si vel paululum morā traxissent, fuisset illis elapsus. Hoc diligenter nobis considerandum est. In Euangelio Ioannis dicit Christus terribile verbū ad Iudæos: Ego vado, & quæretis me, & non inuenietis, sed moriemini in peccatis vestris. Et vbi ego sum, vos venire non potestis. Terribilius adhuc est, quod in Matthæo dicit: Nouissimè veniunt & reliquæ virgines, nempe fatuæ dicentes: Domine, domine aperi nobis. At ille respondens ait: Amen dico vobis, nescio vos. Vnde Christus non sine causa statim subiunxit, vt vigilemus & parati simus: quia nescimus qua hora veniet filius hominis. Et alibi: Ambulate dum lucem habetis, vt non comprehendant vos tenebræ. Dum lucem habetis credite in lucem, vt sitis filij lucis. In eandem quoq; sententiã dixit Ioannes nouissimam esse horam. Et sanctus Paulus 1. Corinth. 7. tempus esse breue: quocirca monet nos, ne cunctemur. Dum tēpus habemus (inquit Gallat. 6.) operemur bonum. Et iterum ait. Rom. 3. Scientes tempus, quia hora est iam nos de somno surgere. Nunc enim prior est nostra salus, quàm cū credidimus. Nox præcessit: dies autem appropinquauit. Abijciamus ergo opera tenebrarū, &c. Et rursus: Festinemus ingredi in requiē nobis promissam, &c. Id omne eò spectat, vt qui se ægrotum in anima sua sentit, properet ad Christum, dum adhuc in via est, antequàm se cum suis in cœlestem Hierosolymā recipiat. Nihil enim coinquinatum eò perueniet, vti Ioannes dicit, Apoc. 21. Quamobrem aut nunc mundari nos oportet, dum Christum adhuc apud nos in via habemus, aut perpetuò immundi maneamus necesse est, & exclusi à communionē electorum: verum si nunc id negligimus, audire postmodū cogemur, Nescio vos. Idcirco meritò nobis Ioannes Apoc. 22. acclamat: Beati qui lauāt stolas suas in sanguine agni, vt sit potestas eorū in ligno vitæ, & per portas intrent in ciuitatē. Foris canes, hoc est, qui belluinā agunt vitam, & omnis qui amat & facit mendacium. Vide in hoc nobis exemplum istud inferuire debet, nimirū vt ad Christū per pœnitentiā curramus, idq; sine mora. Id quod non temerè moneo. Maior enim pars hominū primū Adā sequuntur: nō ad Deū, sed à Deo fugiebat, vnde & tantò grauiores dare pœnas cogebatur. Dauid autē multò aliter faciebat, cur

*Pfal.* 50. rens cū ingenti cordis contritione ad Deū, & dicēs: Tibi soli  
*Luc.* 15. Domine peccavi, &c. Sic filius prodigus itē verē pœnitēs ad  
 patrē currebat: Pater peccaui, in cœlū & corā te, &c. Qua qui-  
 dem de causa statim inuenit gratiā apud patrē. Sed audiemus  
 quid Lucas amplius in hodierno Euāgelio scribat, & quomo-  
 dō sese Christus erga leprosos gesserit. Quos vt vidit (inquit  
 Lucas) dixit: Ite, ostēdite vos sacerdotibus. O benignū & fœ-  
 licē aspectum. Quē enim Iesus oculis suæ misericordiæ intue-  
 tur, ei proculdubio succurritur. Atqui Christus paratus est  
 omnes eos qui ex animo & in vera charitate ad eum clamāt,  
 ita aspiciere: nec illi vllum officiū aut honor gratior, quā vt se-  
 cundū exemplū & imaginē istorū leprosorū, in omni necesi-  
 tate ad eum feruēter curramus, & religiosa cum fiducia illius  
 gratiā, bonitatē & misericordiā imploremus. Hac ipsa namq;  
 de causa etiā leprosos, qui alioqui ab omnibus hominib<sup>9</sup> sub-  
 moti & exclusi erant, tam humaniter tractauit, & tam clemē-  
 ter se erga illos exhibuit, vt tali opere omniū hominū corda  
 prouocaret ad viuā fidē & amorē sui: & nō dubitandū, quin  
 quemadmodū his leprosis fecerat, ita velit etiā facere omni-  
 bus ijs, qui vero corde currūt ad se, si modò gratiā & bonum  
 humiliter petere à se possint: sicuti fides nostra id secū fert, &  
 animus Christianus semper facere debet. Hoc (inquam) illi  
 gratū est, vt humiliter & alacriter illius bonitatē & miseri-  
 cordiam imploremus, eaq; nō abutamur. Id abundē testatū  
 per hoc fecit, q̄ leprosos volens & sine omni cūctatione exau-  
 diuit. Nō promittit eis tanquā facturus, sed ita se habet erga  
 illos, quasi iam factū sit: loquitur perindē ac si petitionē eorū  
 sit executus. Nō dicit, Miserebor vestri, mūdabimini: sed sim-  
 pliciter ait: Ite, ostēdite vos sacerdotib<sup>9</sup>, quasi dicat. Nō opus  
 est multa verborum ambage: iam cōsecuti estis, quod petitis.  
 Corā me iam mūdi estis, quādoquidem piam de me fiducia  
 habetis & spem. Nec aliud iam vobis restat, nisi vt eatis, &  
 mūdationē vestrā sacerdotibus significetis: quales ego vos iu-  
 dico, & quemadmodū ego sentio, tales estis, tales reperiemi-  
 ni, &c. Hic vides iam quā verē dixerit Hier. Bonus Dñs spe-  
 rantibus in illū, & animæ quērēti eū. Ergo accedite (inquit  
*Thren.* 3. David) ad eum & illuminamini, & facies vestræ nō confun-  
*Pfal.* 33. dentur. Gustate & videte quoniam suavis est Dñs: beatus vir  
 qui sperat in eo. Hæc oīa nobis ad solatiū, & ad doctrinā scri-  
 pta sunt, quò videamus, vbi & apud quē auxiliū & salutē po-  
 tissimum

tissimū querere debemus, & quomodò accedere ad eū debeamus. Quòd autē Christus leprosos ad sacerdotes mittit, habet id primò suā allegoriā, veluti sūperius in alio sermone dixi. Deindè etiā propterea factū est, q̄ in lege Mosi præceptū erat, ne qs p̄ leproso excluderet, nisi à sacerdotibus leprosus fuisset iudicat⁹: nec reciperet, nisi mundū sacerdotes pronuntiaissent. Hoc sacerdotib⁹ mādātū erat, ij de lepra censurā facere debebāt. Et habebāt certa sua signa, iuxta quę iudicare debebāt, qs tanq̄ immūdus excludendus, & qs tanq̄ mundus recipiendus foret. Et necessariò id à Deo sic ordinatum erat. Quoniā em̄ lepra morb⁹ est cōtagiosus, nec quisquā seipse leprosum agnoscit, etiā si sentit se leprosum, necessariū erat, vt id iudicij alijs hominib⁹ delegaret, ne morbus latius serperet. Facile tamē æstimare est, multò plures leprosos exclusos quā receptos fuisse, quādoquidem rarò fit, imò nō sine singulari miraculo Dei, vt leprosus iterū mūdus fiat. Sic legimus in veteri Testamēto nō nisi de duobus leprosis, qui rursus mūdati sunt. Erat Maria Mosi soror & Naamā Syrus. Sed hæc nūc missa facio. De Iudaicis sacerdotib⁹ loquor: hi poterāt ad aliquē dicere, Tu leprosus es, proindè excludēris. Cōtra autē dicere nō poterāt: Mūdus esto, aut mūdare. Leprā cognoscere poterāt, sed nō pellere. Et qd solū dico de lepra? Nec alijs qdē in rebus omnib⁹ lex potuit p̄ se quicquā, nisi peccatū ostēdere & manifestare, sed nullū peccatū tollere. Peccatori maledicere potuit, sed nullū maledictione liberare. Cælum homini claudere potuit, sed nō aperire, &c. Christus ad leprosum dicere potuit, Mūdare. Et mox verbū res secuta est. Is ad peccatōtē dicere potuit Mat. 9. Remittūtur tibi peccata tua, & protinus ita factū est. Is ad defunctū adolescētem dicere potuit: Adolescēs, dico tibi surge, & exēplò factū est. Is ad latronē in cruce dicere potuit. Hodie mecū eris in paradiso, nec falsus est. Nihil itaq; miri, q̄ leprosi ægroti, & peccatores hoīes pl⁹ & cupidius ad Christū cucurrerint, q̄ ad Iudaicos sacerdotes qui qdē dicere alicui poterāt, q̄ ægrot⁹, leprosus & peccator esset, sed sola lege sua illū iuuare nō poterāt. Ad Christū nemo in vera & viua fide vnq̄ venit, cui nō auxiliū cōtigerit. Venite ad me oēs (inqt Mat. 11.) qui laboratis & onerati estis, & ego reficiā vos. Hoc multò magis admirādū est, talē apud nos Christianos amplius charitatis feruorē nō inueniri, cū tamen nemo meliora & maiora audiat ac sciat, q̄ nos. Id autem

Leuit. 13.

Num. 12.

4. Reg. 5.

Deut. 27.

Matth. 8.

Luc. 7.

Luc. 23.

aliundè non fit, quã quòd arida fide contenti, peccata nostra nō agnoscimus, nō plangimus ac emendamus, nō horremus spiritalē leprã: quinimò nō credimus nos per peccata à regno Dei excludi, cum tñ Paulus toties in suis Epistolis dicat:

**1. Cor. 6.** Qui hoc & hoc faciunt (intellige, peccatū, dedecora & iniustitiam) regnū Dei non possidebunt. Sed & hæc omitto, quò re

**Gal. 5.** deam ad Euangeliū. Ite (inquit Christus) ostēdite vos sacerdotibus. Magnū exēplū veræ humilitatis & magnæ existimationis diuinorū mādatorū & constitutionis, q̄ Christus, qui ipse Deus erat, & lōgè supra oēs Iudaicos sacerdotes, tātum tñ externis cæremonijs legis Mosaicæ & Iudaico sacerdotio tribuebat. Enimuerò lex cum ligare nō poterat, quia ipse met

**1. Thess. 4.** Dñs legis erat. Attamen seruabat legem, & mittebat leprosos ad sacerdotes, iuxta legis præscriptum. Voluit autem per hoc cōmunem dare regulã, vt etiam nos legibus, ordinationibus, moribus & consuetudinibus, in republica receptis & vñtatis subiiciamus cōformemúsq; quatenus id cum Deo fieri possit, etiã si iure obligati non essemus. Nã si Christus qui Dñs est in cœlo & in terra, etiam ab omnibus legibus liber, imò verus & vnicus legislator est, seipsum tamē submisit, cur nos miseri homines & grauaremur, tale exēplum capitis nostri, imò Dñi nostri & Dei imitari: & quod ad cōmunem pacem ac trāquilitatē seruire potest, nollemus seruare & ferre,

**1. Cor. 7.** ne cui offendendo simus? Certè Diuus Paulus hac in parte exēplum Christi grauitè & fortiter imitatus est. Cū liber essem (inquit) omnium me seruum feci, vt plures lucrifacerē: factus sum ijs qui sub lege sunt, quasi sub lege essem, vt eos qui sub lege erant, lucrifacerē. Iudæis factus sum tanquã Iudæus, vt Iudæos lucrarer: ijs qui sine lege erant, tanquã sine lege essem (cum sine lege Dei non essem: sed in lege essem Christi) vt lucrifacerē eos qui sine lege erāt. Factus sum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerē saluos. Hoc animo quoq; Christus leprosos ad sacerdotes misit, ne quis in eo offenderetur, vt qui legē despiceret: cōtrã verò oēs tantò magis ad eū traherentur, si nec sacerdotes aliter possent iudicare & dicere, quã decē leprosos verè lepra mūdatos esse. Sequitur: Et factū est: dum irēt, mūdati sunt. Hic simul vides virtutē seu omnipotentiam diuini

**Mar. 9.** verbi, nec nō energiã veræ ac viuæ fidei. Vnū verbum à Christo audierant: quia verò illud in vera fide accipiebant, omnes sanita-

*Christus qui  
tum etiam cæ  
remonijs tri-  
buerit.*

sanitatem adipiscébatur. Et hoc est, quod Christus in Marco *Mar. 5.* dicit: Si potes credere, omnia possible sunt credenti. Et ad Archisynagogum, cum filia nuntiabatur mortua, ne quid igitur Christum sollicitaret: Noli timere (inquit Christus) tantummodo crede, & salua erit filia tua. Sic dicebat in Ioãne c. 11. *Matth. 17.* ad Martham: Si potes credere, videbis gloriã Dei. Sic dicebat in Matthæo ad suos discipulos: Si habueritis fidẽ sicut granũ sinapis, dicetis monti huic, trãsi hinc illuc, & trãsibit: & nihil erit impossibile vobis. Hæc omnia eò spectant, vt verbo Dei discamus credere, eidẽmq; per omnia obtẽperare. Siquidem res longè alia est, Dei verbum & hominis verbum. Omnis homo ex seipso mendax, inquit David. Tum hominis verbum per se incertũ est & dubiũ. Deus autẽ verax est (inquit diuus Paulus. Rom. 3.) vndè etiã verbũ eius certũ, verax, & omnipotens est. Dixit, & non faciet? inquit Balaan. Numer. 23. Et Christus in Euangelio: Cælum & terra transibunt, verba *Luc. 21.* autẽ mea nõ transibunt. Sequitur in Euangelio. Vnus autem ex illis vt vidit, quia mundatus est: regressus est, cũ magna voce magnificans Deum, Hic vides, quid post acceptã gratiã & beneficia facere debeamus, nimirũ grati esse. Id enim à nobis exigit Deus. Sacrificium laudis, inquit Psal. 49. honorificabit me: & illic iter, quo ostendã isti salutare meũ. Ideò dicit David alio in loco: Benedic anima mea Domino: & noli obliuisci omnes retributiones eius, &c. Et iterum Psal. 101. *Psal. 101.* Quid retribuã Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Vota mea Domino reddam coram omni populo eius, in atrijs domus Domini, in medio tui Ierusalem. Sequitur: Et hic erat Samaritanus. Hoc addit Lucas, quò huic homini sua laus maior, alij verò tantò reprehensione maiore digni cognoscerentur. Huic, inquam, etiam coram hominibus perpetuo honori est, quòd cum Ethnicus esset, tñ se tã gratũ erga Deũ & Christum exhibebat, Deũ laudabat, Christo gratias agebat. E diuerso alij corã hominibus æterno dedecori est, quòd cum Iudæi, hoc est, ex populo fideli essent, & tñ pro tanta gratia & beneficio neq; Deum glorificabant, neq; Christo gratias agebat. Idem adhuc fieri in mundo consuevit: vt qui omniũ maxima scientia & donis præditi sunt, omnium sæpè sint ingratisimi. Sic inuentũ est apud Israëlitas, sic inuenitur apud nos Christianos: quẽadmodum etiã hic inter decem viros leprosos maior pars ingrati, imò non plures vno grati fuẽre inuenti. Idem

*Matth. 20.* adhuc inter nos vsu venire, assolet: multi enim vocati sunt, *Esa. 10.* pauci verò electi. Si enim fuerit populus Israël quasi arena maris, reliquæ conuertentur ex eo: imò nisi Dominus reliquisset semen, quasi Sodoma fuisset, & quasi Gomorrha similes essemus. Quare non satis est nos vocatos esse, benè incipere, ad tēpus deuotos esse, bona multa accipere, &c. *Matth. 24.* Scriptum est, Quicumquē perseuerauerit in finem vsque, saluus erit. Ad talem quoq; dicit Christus, Fides tua te saluum fecit: vade in pace. Faxit Deus vt omnes in illius gratia & vera pietate & charitate perseueremus in finem vsque, Amen.

## Q V I N T V S S E R M O

de Euangelio & Epistola.



**N** hodierno Euangelio duo hominū genera nobis proposita sunt: hi omnes eiusdē erant nature, vno laborabāt morbo, & vno tenebantur desiderio ad sanitatem adipiscendā, & oēs simul sanitati restituebatur. Ad extremū autem disiungebat eos gratitudo & ingratitudo, adeò vt nouē ex illis ingrati manerēt, vnus tantum Deo gratias ageret. Et si rē verè æstimare volumus, cōperimus nō solū fuisse historiā, sed etiā præfigurationē rerum futurarū. Talia enim etiā in regno Christi, hoc est, in sancta eius ecclesia fieri debebant, & erat futura: quē ad modū quidē

*Luc. 8.* factū est, & etiā dum fit quotidie. Enimuerò Euāgelistæ non sine causa similitudinem de semine, quod vix pro quarta parte fructificat, tam diligēter descripserunt. Nec Christus sine

*Matth. 13.* causa dixit & indicauit, apostolos rete suo piscatorio, hoc est, sua prædicatione nō solū bonos, sed etiam malos homines tracturos. Hæc omnia sancti Apostoli experti sunt. Beatus Paulus prædicabat Euangelium magno cū fructu, attamen sæpenuerò inueniebat, quod reprehendere cogebatur, & reprehendebat magna cū seueritate, etiam in ijs, quos antea docuerat. Hoc luce meridiana clariùs apparet in eius Epistolis, præcipuè ad Corinth. & ad Galath. Eius rei argumenta inuenis in prima Epistola ad Corinth. primo, secundo, tertio, quarto, quinto, & sexto capite, & penè ad finem vsque. In altera Epistola idē inuenis, vndecimo & duodecimo capitibus.

*Gal. 4.* Galatæ Euangelium Christi tanta cupiditate acceperant, vt Paulus ipse de illis diceret: Testimonium perhibeo vobis: quia si fieri posset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi. Sed quousque in

quousque in hoc ardore permanebant? Sanè non diu. Nã ille ipse Paulus postea cogebatur eos seuerissimè culpàre, & hæc ad illos perscribere verba: O insensati Galatæ, quis vos fasci- *Gal. 3.*  
 nauit nõ obedire veritati? Quèadmodùm igitur Christus mû-  
 dum reliquit, & quèadmodùm sancti Apostoli mûdum inue-  
 nerunt: ita illum nos adhuc inuenimus. Quando aspici-  
 mur tanquàm homines, omnes sumus æquales, omnes leprosi su-  
 mus, omnes in peccatis concepti & nati sumus, veluti David *Psal. 50.*  
 dicit: omnes sub peccatum venundati sumus, vti Paulus dicit  
 Rom. 7. imò omnes pariter corã Deo immundi sumus, sicuti  
 Isaias ait cap. 64. Porrò si aspici-  
 mur ceu Christiani, rursum  
 æqualiter sumus per baptismũ à peccatis purificati, & in re-  
 gnũ Dei suscepti. Etenim ad omnes in cõmune dicit Paulus: *Ephe. 5.*  
 Eratis aliquãdo tenebræ, nũc autè lux. Et iterum: Loti & san- *1. Cor. 6.*  
 ctificati estis per nomen Dñi nostri Iesu Christi. Vt ergo oēs  
 pari modo, hoc est, miseri peccatores ad Christũ venimus: ita  
 etiã pari modo ab illo in baptismo mundamur. Proindè siue  
 respiciamus ad primã nostram natiuitatẽ, siue ad nostrã spiri-  
 tualem regenerationem, oēs æquales sumus. Sed finis nos di-  
 scernit, quòd gratia nõ simili modo vtimur: imò quò maior  
 pars omniũ donorũ Dei obliuiscitur, & post acceptã gratiã  
 deterior fit, vt multis hoĩbus præstaret, si veritatẽ nunquã  
 agnouissent: quã quòd post agnitam veritatẽ retrocedant, vti  
 Petrus dicit. Imò satius esset nonnullis (veluti Christus ait *1. Petr. 2.*  
 Matth. 26.) eos natos nũquã fuisse. Ad eò dissimiles (inquã) *1. Petr. 2.*  
 sumus post acceptã gratiam. Alius hac, alius illac currit. Alius  
 gratus, alius ingratus est. Alius hoc studet, vt in gratia maneat,  
 & per bona opera certã faciat vocationẽ suam: alius non ma-  
 gnoperè curat eã. Alius bonis rebus operã nauat, alius malis.  
 Nõ solum inter decẽ, sed etiã vix inter centũ vnus reperitur,  
 qui perseueret vsque in finem. Hæc inæqualitas autem & dif- *Gal. 5.*  
 similitudo inde ad eò nascitur, q̃ duo in nobis habemus, quę  
 pugnant inter se, nimirum carnẽ & spiritum: atque ambo qui-  
 dem impellunt, caro ad malum, spiritus ad bonum. Si omnes  
 caro essemus, aut omnes spiritus, æqualiter omnes affecti esse-  
 mus, aut ad bonũ, aut ad malum. Quia verò vtraq; hæc habe-  
 mus, & alius spiritũ, alius carnem sequitur, hoc parit inæqua-  
 litatem, vt nõ eiũdem simus animi, nec eadem amemus, facia-  
 musque. Eãque ob causam enumerat S. Paulus multa ope- *Ibid.*  
 ra carnis, itẽmque fructus spiritus. Per carnẽ autem intelligit

hominem, qualis ab Adam est & venit. Per spiritum etiam intelligit hominē, sicuti per Christum regeneratus est. Hi duo homines adhuc simul sunt in Christiano. Adam nōdum penitus extinctus est, nec purus spiritus est in Christiano, sed carnem etiam adhuc in se habet. Quapropter nunc ad hoc, nūc ad aliud propensus est. Vnde semper etiā bellum & pugnam in seipso sentit. Carnalis homo, quatenus ab Adam venit, ad

**Joan. 3.** carnalitatē impellit, ad iram, ad rixas, ad omnia mala. Novus autē & spiritualis homo, ex Christo per spiritum sanctum re-

**Gal. 5.** natus, ad amorē & omnia bona impellit. Quatenus ergo impulsus veteris hominis sequimur, nil nisi caro sumus. Quod enim ex carne natū est, caro est. Quatenus vero instinctum diuini spiritus sequimur, filij Dei sumus. Hoc facit inter hoīes inæqualitatē illam, q̄ semper plures sunt, qui instinctum car-

**Math. 20.** nis, quā impulsus spiritus sancti audiunt. Hinc fit, uti superioris dictum, ut etiam inter nos Christianos multi vocati sint, ceterū pauci electi. Tārū hac de re, quod decē viri leprosi initiō tam æqualiter, in fine autē tā inæqualiter affecti fuerunt. Alioqui si in tota historia considerē, quā magna illi leprosi viri cupiditate & desiderio ad corporalē sanitatē recuperandā

**Luc. 19.** flagrauerint, & fuerint accensi, cū casu in Christū inciderent eiq; occurrerent, & quā illis sine mora, & haud grauatē Christus opē tulerit, & licet nihil de ipso bene meriti fuerāt: equidem nihil scio, quod precer melius & optem, quā ut cū Christo dicā, Vtinā & nos p̄bē cognoscemus. Et cū sancto Moyse: Vtinā saperemus & intelligeremus, & nouissima prouideremus. Nam si tantū videre possemus, quantū hi leprosi viri viderunt, cū in seipsis tum in Christo, haud minore cū utilitate præsentia eius vteremur, quam illi fecerūt. Illis morbus erat res admodū molesta, multò res molestior, q̄ morbo laborabant, quē oēs hoīes abominabātur & fugiebāt. Omniū autē grauissimū eis erat, quod per omnē vitā ab omniū hominum cōmercio segregati esse debebant. Hoc in illis excitabat tantum ardorē. Hinc illorū clamor, ideò tam seriò instabāt oratione ad Christū. Quòd si etiā videre possemus prauitatem malæ vitæ nostræ, & quā nos peccata nostra contēptibiles, deformes & tetros faciant coram Deo, omnibus angelis & electis, quin etiam nos æternum à Deo & electis eius separant: possemusq; prætereà credere, Christum in hodiernum adhuc inter nos esse & degere, non minorem habere potestatem &

peccata quam  
im nos deho  
estent.

statem & bonitatē quam semper habuit, nihil in ore crebrius habituri essemus, quàm verbū, orationē, & clamorem, quo decem viri leprosi utebātur, Iesu præceptor miserere nostri. Quæ oratio si assidua & ardens apud nos esset, atque ex corde verè contrito proficisceretur, facturus etiā Christus adhuc apud nos esset, quod apud decē viros leprosos fecit. Sed absco-  
*Luc. 19.*  
 ditum est ab oculis nostris. Nolumus scire & intelligere, sed  
*Psal. 81.*  
 ambulamus in tenebris. Sapientes & prudentes sumus ad fa-  
*Hiere. 4.*  
 ciendum malū: sed bona facere, & rectè nobis ipsis consulere nolumus, vti Hieremias dicit. Peccatorum nostrorū nō recor-  
 damur, nec credimus illa tam graua esse: ideò etiam non cla-  
 mamus, non plangimus. Non rectè credimus (inquam) ideò  
 nec loquimur. Alioqui si cū Dauide ita vt oportet credere.  
*Psal. 115.*  
 mus, vtiq; etiam cum illo loqueremur. Consultè igitur factū,  
 quòd nobis in hodierna Epistola spiritualis nostra lepra ob  
 oculos ponitur, quòd maiorem occasionem habeamus ad vten-  
 dum: tantò melius Christo seruatore nostro, dum propè est.  
 Ambulate spiritu (inquit Paulus) & desideria carnis nō per-  
*Gal. 5.*  
 ficietis, &c. Hæc hodierna fuit Epistola. Vbi clarè indicatum  
 est, quid spiritualis lepra sit, & quibus signis agnosci queat. *Leuit. 13.*  
 Siquidem etiā Moyses suis sacerdotibus signa quædam præ-  
 scribebat, ex quibus videre & internoocere poterant lepram à  
 non lepra. Tum mundus etiam adhuc signa sua & notas quas-  
 dam habet, ad discernendum, quis leprosus sit, quis nō. Alio-  
 qui fit sæpenuerò, vt pro leproso quis habeatur, qui tamen  
 mundus est: alius verò mundus censetur, qui lepra infectus  
 est. Sic & in spiritualibus rebus. Facile quis de seipso dixerit:  
 Christianus sum, fidem habeo & spiritū Christi. De alijs au-  
 tē, hic impius est, hypocrita: neq; spiritū, neq; fidē habet. Fa-  
 cile dictu hoc est: sed fieri potest, vt vtrobiq; falsus sis, vt tibi-  
 ipsi nimium credas, & nimis magnificè de teipso sentias: aliū  
*Spiritus san-*  
 verò nimis proteruè & iniquè iudices & condemnes. Qua-  
*ctus in qui-*  
 propter punit Paulus in hodierna Epistola certa quædam  
*bus iussit.*  
 signa, quibus cognoscere possumus, quis spiritualiter & corā  
 Deo sanus aut ægrotus, mundus aut immundus sit. Nam vbi  
 verus amor, spirituale gaudium, pax, patiētia, longanimitas,  
 bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, cōtinentia,  
 castitas est, ibi Spiritus sanctus regnat. Verūm si in homine  
*Signa carna-*  
 nihil aliud sentiatur, quàm scortatio, adulterium, lasciuia, ve-  
*lis hominis.*  
 neficia, inimicitia, lites, liuor, ira, dissidia, simultates, odia,

homicidia, crapula, ebrietas, & id genus alia, ibi certum est, hominē intus ægrotare, & plus carnis quàm spiritus habere. Tali subueniri aliter non potest, quàm vt leprosum se agnoscat: & ad Christum toto corde cōuersas, clamet vt vitia eius sua gratia curare velit. Quod nisi faciat & maturè, dum Christus adhuc in via est, immota sententia manebit, quam Paulus pronuntiauit. Prædico vobis (inquit) sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei nō consequētur. Hoc nobis hodie cōsiderandū datur, id quod quiuis Christianus ad animū reuocare debet. Si quidē Paulus nō frustra tāta cū grauitate locutus est. Et horrible sonat, quā dicit: Qui talia agūt, regnū Dei nō cōsequētur. Maximè, quia multa eiusmodi enumerat: neq; tamen illis cōtentus est, sed dicit: Et his similia: ea ipsa nominans, quæ potissimū in nobis cōspiciuntur, & quæ planè in nobis regnant & inualuere. Etenim si veri Christiani essemus, dominaretur in nobis vera charitas & in Deū & in omnes homines: tam aliorum hominum salute & fortunis grauifuri essemus, quàm nostra ipsorum salute: pacem & concordiam amaturi, pacifici futuri, & pacem facturi seruatūriq; essemus erga quosuis: comes essemus in verbis, benefici in operibus, cōpatiētes in corde, modesti & pudici in nobis ipsis, &c. At quid videtur & deprehenditur in nobis, nisi turpe adulteriū, vti negare nemo potest? nec aliud vulgare magis apud iuuenes & senes, apud Ecclesiasticos & sæculares, quàm scortatio: impudicitiam & inuerecundiā, tam in verbis quàm in gestibus, nemo amplius pro peccato æstimat. inimicitia, inuidia, odiū, ira, cōtētiō, dissidium omniū animos occupauit: crapula & ebrietas supra modum est, & plus quàm Christianos, imò homines decet: attamē Christianos nos existimamus: nemo has horret lepras, neque ij etiam, qui alioqui tam teneri sunt, vt oculos & nares obstruant, si vel procul leprosum videant aut sentiant. Nec alius alium monet ad cauēdas has lepras: quinimò alius aliū prouocat ad peccatū, & affricat illi suam lepram. Et ad hæc omnia, non aliter facimus, quàm si nunquàm à peccatis liberati fuisset, nunquàm de Christo audiuissemus: imò perindè ac si neque cœlum neque infernus foret, & veluti nullū nobis immineat periculū. Et tamen audimus, quàm seuerè hic Paulus loquatur, vt qui talia faciant, regnum Dei consequi non possint. Quinimò Paulus etiam deindè dicit, illos tantūm Christi esse, qui carnem suam cum

*Christianus  
verus quis sit.*

suam cum concupiscentijs eius & vitijs crucifigunt. Adimit nobis per hoc omnem excusationem, quam quis prætexere possit, quasi nihil possit aliud facere, quàm quemadmodum, aut quò eum praua sua cupiditas, & natura ducat. Verum est (vult Paulus dicere) quòd carnem nostram & corruptam natu-  
ram in nobis gerimus, & illa spiritui reluctatur: prouocat nos ad malum, vt non semper affecti simus, vt decebat, & vt libenter vellemus. Nō autem ex hoc sequitur, nos nihil propterea boni facere, aut vitijs minimè dominari posse. Quippe iam nō de Iudæis & Gentibus, sed de nobis Christianis loquor: Graue esse, & impossibile esse, longè diuersissima sunt. Graue etiam est Christiano bona facere, sed impossibile illi non est. Neque sequitur ex eo, vt propterea malum necessariò faciamus, quia propèsi ad id sumus. Multò aliud est, cum dicimus, Homo ad malum propensus est: & hominem oportet malū facere. Paulus dicit quidem, carne authore, nos in malū proclues esse: sed nō dicit, nos malum facere oportere. Quid ita? Spiritum etiam habemus. Si non nisi carnem haberemus, nil boni facere possemus, nec malo vlli resistere. Sed scire oportet, ingens discrimen esse inter nos Christianos & alios homines. Qui nil nisi homo est, nil nisi caro est. Tum euenit quod Ioannes dicit: Qui de terra est, de terra loquitur. Et Paulus: Quis terrenus, tales & terreni, ita secundus homo de cælo, cælestis. atque ideò non solū carnem, sed etiam spiritum, qui eum æquè impellet, prouocet & trahat ad bonum, atque illum caro ad malū pellicit. Si potes animaduertere, quò tua te corrupta natura ducit, nempè ad adulteriū, scortationem, iram, cædem, &c. & videris tibi sequi oportere: animaduerte etiā quò te spiritus trahat, nimirum ad charitatem, pacē, patientiam, comitatem, pudicitiam, & persuade tibi necessariò sequendum esse. Fratres, non excusabimur, quòd caro nos & deprauata natura ad malum pellicit. Ambulate in spiritu (inquit Paulus) & desideria carnis non perficietis. Verū vnū audire gaudemus, at non alterum. Imò interdum iactamus nos libenter bona facturos, si possemus: mala libenter omisiuros, si in nostra esset potestate. Paulus autē dicit, nos posse quidē, si vellemus: indicans magis voluntatē in nobis, quàm facultatem desiderari. Agè ergo hoc restabit, vt nostram leprā & impuritātē, ex hodierna ista Epistola discamus agnoscere: nec nobis ipsis blādiamur, sed omnē, adhibeamus operā, vt mūde-

*Vitia nos impugnant, sed ijs reluctari debemus.*

*Ioan. 3.  
I. Cor. 15.*

*Gal. 5.  
Et tū omnia  
possibilia sunt  
credenti, sed  
verè credenti.  
nō instar hereticorum.*

mur, dū adhuc Christū in itinere habeamus, ne nobis elabāz,  
& nos à cœlesti Hierosolyma ob leprā nostrā & peccata exclu-  
damur. Deus nobis omnibus suam largiatur gratiam. Amen.

DOMINICA DECI-  
MASEXTA POST PEN-  
TECOSTEN, EVANGELI-  
UM MATTH VI.

Luc. II.

**N**emo potest duobus dominis seruire:  
aut enim hūc habebit odio, & alterum  
diliget: aut huic adhærebit, & alterum negli-  
get. Nō potestis Deo seruire & Mammonæ.  
Propterea dico vobis, ne sitis solliciti vitę ve-  
strę, quid esuri sitis aut bibituri: neq; corpori  
vestro, quibus indumentis vsuri. Nōne ani-  
ma pluris est quā cibus? & corpus pluris quā  
indumētum? Vertite oculos ad volatilia cœ-  
li, quia nō serunt, neq; metūt, neq; cōuehunt  
iu horrea, & Pater vester cœlestis alit illa.  
Nōne vos longè præcellitis illa? Quis autē  
ex vobis sollicitè cogitando, potest addere ad  
staturam suā cubitum vnū? Ac de indumēto  
quid solliciti estis? Cognoscite lilia agri quo-  
modò crescāt: nō laborant, neq; neunt. Atta-  
men dico vobis, ne Salomonē quidē in vni-  
uersa gloria sua sic amictum fuisse, vt vnum  
ex his. Quòd si gramē agri, quod hodiè cum  
sit, cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit,  
annon multò magis vobis id faciet? ô parum  
fiden-

fidentes, Ne sitis igitur solliciti, dicētes: Quid edemus, aut quid bibemus, aut quibus operiemur. Nam omnia ista Gentes exquirūt. No-uit enim Pater vester cœlestis, quòd opus habeatis his omnibus. Quin potius quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.

E A D E M D O M I N I C A E P I -  
S T O L A S A N C T I P A V L I  
L I G A L A T . V . E T V I .

**F**ratres: Si uiuimus Spiritu, Spiritu & incedamus. Ne Cap. V I.  
Roma. 2.  
efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem nos prouocantes, inuicem inuidentes. Fratres: etiam si occupatus fuerit homo in aliquo delicto, uos qui spirituales estis, instaurate huiusmodi Spiritu mansuetudinis, cōsiderans tēmetipsum, ne & tu tenteris: inuicem alij aliorum onera portare, & sic complete legem Christi. Nam si quis sibi uideatur aliquid esse, cū nihil sit, suum ipse fallit animū. Opus autem suum probet unusquisque, & tunc in semetipso tantum gloriationem habebit, & nō in alio: unusquisque enim propriam sarcinam baiulabit. Communicet autem qui catechizatur sermone ei, qui se catechizat in omnibus bonis. Ne erretis: Deus enim non irridetur. Quicquid enim seminauerit homo, hoc & metet. Nam qui seminat per carnem suam, de carne metet corruptionem: sed qui seminat per Spiritum, de Spiritu metet uitam æternam. Bonum autem faciendo: ne defatigemur. Tempore enim suo metemus non defatigati. Itaque dum tempus habemus, operemur bonum, cū erga omnes, tum uerò maximè erga domesticos fidei.



*Christus peri-  
tissimus medi-  
cus.*

NON equidē spero, inter nos Christianos quē-  
quā adeo durū & immobile esse cui hodiernum  
illud Euangeliū, nō peculiare gaudiū & solatiū  
afferat, quandoquidē à capite ad calcē vsq; con-  
solatorijs verbis refertū. Etenim hīc comperi-  
mus Christū nō secus facere quā fidelis medicus solet,  
cui ægroti cōditio nota est: & idcirco nihil non tentat, quò il-  
li succurrat. Atqui nihil est, quod hominē magis angat & ir-  
requietum faciat, quā ventris & corporis cura. Atq; vtinam  
vel pro decima parte tantum curę impēderemus nostris ani-  
mabus, quantū pro corpore & vētre facimus. Hoc scit Deus,  
atque eam ob rem suos omnibus temporibus cōtra eiuſmodi  
inutilem curam munivit, nō verbis tantū, sed etiam exem-  
plis. Primò namque, quod inuenimus vel in solo Davide &  
eius Psal. consolatoria verba, ad hanc rē facientia? Dominus  
Psal. 22. (inquit) regit me, & nihil mihi dederit: in loco pascuę ibi me  
collocauit. Super aquam refectiōnis educauit me, animam  
meam conuertit. Deduxit me super semitas iustitię, propter  
Psal. 32. nomen suum. Et iterum: Ecce oculi Domini super metuen-  
tes eum, & in eis qui sperāt super misericordia eius. Vt eruat  
à morte animas eorum, & alat eos in fame. Et rursus. Time-  
Psal. 33. te Dominum omnes sancti eius: quoniam non est inopia  
timentibus eum. Diuites eguerunt & esurierunt: iniqui-  
rentes autem Dominum non minuentur omni bono. Item:  
Iunior sui, etenim senui: & non vidi iustum derelictum, nec  
Psal. 36. semen eius quęrens panem. Quia nouit Dominus dies im-  
maculorum: & hęreditas eorum in æternū erit. Non con-  
fundentur in tempore malo, & in diebus famis saturabun-  
tur. Et iterum: Oculi omnium in te sperant Domine, & tu  
Psal. 144. das escam illorum in tempore oportuno. Aperis tu manum  
tuam & impleſ omne animal benedictione, &c. Ne quis  
autem hīc cogitet, nuda esse verba, eccē Deus sæpè & mul-  
tum ipso facto comprobauit, & omninò certis exemplis.  
Nam quis primos nostros parentes paut in paradiso? Quis  
Abraham, Isaac & Iacob paut in longa eorum peregrina-  
tione? Quis Israēlitas in tanto numero quadraginta annos  
paut in deserto? Quis optimum Eliam paut in triennial  
fame &

fame & caritate? Quis quinque millia hominū tempore Christi pavit in solitudine? Quis pascit in hodiernū adhuc omnia animantia & tot hominū millia? nimirū Deus. Talia exempla nobis sufficere meritò debebant. At verò etiā Christus in hoc toto Evangelio nihil facit aliud, quàm vt nobis omne dubium & pusilla nimitatē ex animis nostris eximat. Perindē ac si dicere voluerit: Quid dubitatis vos Christiani, qui tam diuitem dominū habetis? Dubitent Ethnici, qui de Deo nihil sciunt. Quinimò meritò pusillanimes eos vocat, qui sub tam opitulēto & benigno patre solliciti sunt, ne fame pereant. Et quid multis verbis opus est? Euangeliū istud certos nos per omnia facit, Deū se à nobis nunquā alienaturū, deserturūque nos, si fideliter illi adhæreamus. Omnē sollicitudinē pro-

1. Pet. 5.  
Matth. 5.  
Ibid.  
Prov. 10.  
Eccle. 5.

ijcite in eum (inquit Petrus) quoniam ipsi cura est de vobis. Tantò charius & dignius esse nobis debet istud Euangeliū. Audi itaq; quid Christus in eo dicat: Nemo potest duobus dominis seruire. Ante hæc verba Christus suos discipulos & credentes hortatus est, primò ad eleemosynā, & deindē ne tēporalibus addicti nimiū essent. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, inquit: monens, nos nō creatos & redemptos esse ad possidendā terrā, sed cœlū. Atqui tēporalia malè seruata, nihil facere possunt ad cœlū assequendū. Nil proderūt thesauri impietatis, inquit Salomon, iustitia verò liberat à morte. Et Iesus Syrach: Noli attēdere ad possessiones iniquas: nihil enim proderūt in tēpore vindictę & obductionis. Quò autē hoc facilius in animos nostros intret, geminū nobis Christus ostēdit periculū & dāmnū, quod nobis ex tēporalib⁹ immineret. Primò, q̄ spiritualia & æterna per ea negligimus. Et secūdò, q̄ nec tēporalia seruare possumus, quādoquidē fures ea nobis auferre possunt, quin etiā ærugo & tinea cōsumere. Diuitiæ enim magno labore parātur, difficulter cōseruātur, & postremò tandē amittēdæ & relinquendæ sunt etiā nobis inuitis. Ea propter scribit Paulus ad discipulū suum Timotheū: Diuitibus huius sæculi præcipe, nō sublimè sapere, neq; sperare in incerto diuitiarū, sed in Deo viuo, qui præstat nobis omnia abundè ad fruendū, &c. In hisce verbis Paulus pulchrè indicat, quomodò diuitijs vtendū sit. Primò, ne in ijs speremus: siquidē corā iudicio Dei magis valebit bona cōscientia, quā crumena onusta, quādoquidē iudex ille neq; personā respicit, neq; muneribus mouetur. Secūdò, vult Paulus vt di-

uites in Deo speret, qui prestat nobis omnia abunde ad fruedum. Qua re subindicat, nos omnia à Deo habere. Vnde con-

sequitur te non dominum priorum, sed dispensatorem alienorum bonorum esse. Quid enim habes, quod non accepisti? Ter-

2. Cor. 4. tiò, vult Paulus, vt qui temporaria bona habet, enitatur vt diues

fiat in bonis operibus. Ac tum tibi pecunia tua prodest, non quado eam in terram defodis, sed si tibi amicos illa facias, qui

Luc. 16. te deficientem in æterna tabernacula recipiant. At verò vide

iam, quam illi ab hac doctrina Christi longè absint, qui omnem suam diligentiam eò conferunt, vt multa temporalia cogerant: longius autè absunt, qui suis opibus vti ipsi non audent, qui proculdubio omnium infelicitissimi homines sunt, vt qui ex suis temporarijs bonis nihil habent aliud, & inde repor-

tant, quàm curas, sollicitudines, labores & anxietates, vt Salomon ait: Est malum quod vidi sub sole, & quidem frequens apud homines, vir cui dedit Deus diuitias, & substantiam & honorè, & nihil decet animæ suæ ex omnibus quæ desiderat: nec tribuit ei Deus potestatem, vt comedat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud. Et iterum: Consideras reperi & aliam vanitatem sub sole: vnus est, & secundum non habet, non filium, non fratrem, &

Eccle. 4. tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi eius diuitijs, nec cogitat dicens: Cui laboro, & fraudo animam meam bonis? in hoc quoque vanitas est, & afflictio pessima. En, propterea docet & dicit Christus: Nolite thesaurizare thesauros in terra,

Matth. 6. vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt & furantur. Plerique quidem aiunt & persuasum habent, se probos & diuites simul esse posse. Esto: verum non sine causa Christus dixerit, diuitem difficile intrare in regnum cælorum: imò facilius esse camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum cælorum. In causa est, quod temporalia bona raro rectè parentur, vel etiã usurpentur. Omnis diues aut iniquus, aut iniqui hæres. Sententia est etiam antiquis Ecclesiæ doctoribus vsitata. Summa magnæ diuitiæ nunquam vel raro sine peccato parantur aut conseruantur. Hæc causa est, cur nos Christus in hodierno Euangelio ab inutili cura, imò à perniosa auaritia & cupiditate temporalium bonorum arceat. Nemo (inquit) potest duobus dominis seruire. Hoc autem seruire alicui est, si voluntati eius mos geratur, vt Paulus dicit, Seruus est eius cui quis obedit. Atqui fieri non potest in mundo & inter homines, vt seruus duobus possit seruire dominis,

Matth. 19. & satisfacere

Seruum quis

fit.

Rom. 6. do & inter homines, vt seruus duobus possit seruire dominis, & satisfacere

& satisfacere, quamlibet concordibus, multò minus discordibus. Nam hic seruus necessariò, si vni placere velit, alterum deserere cogitur & offendere. Tali verò exemplo Christus omnes eos taxat, qui existimât se velle & posse mûdo & Deo, mûdi principib<sup>9</sup> & Christo simul seruire & placere. Nò redit illis in mentê, quod S. Iacob<sup>9</sup> dicit: Quicunque voluerit amicus esse sæculi huius, inimicus Dei cõstituitur. Nò meminerunt qđ Paulus dicit: Quæ conuètio Christi ad Belial? Quæ participatio iustitiæ cū iniquitate? Quæ societas luci ad tenebras? Quæ pars fideli cū infideli? Cõtra tales homines clamat Elias: Vsq; quò claudicatis in duas partes? Si dñs est Deus, sequimini eum: si autē Baal, sequimini illū. Sic vtroq; claudicant, qui Euāgeliū Christi in ore habēt & prætexūt, & nihilominus tamen mundo & eius principibus adulātur: videri volunt, quasi qui Dei honorē querāt: cū tamen nò nisi seipso querāt. Sed quid dicit Christus? Nò potestis Deo seruire & mammonæ. Māmōna Syriacis sunt diuitiæ. Nemo his duobus dominis, Deo & tēporalibus bonis simul inseruire potest: quia talia mandāt ac iubēt, quæ per omnia cõtraria sint. Deus præcipit, vt tua largiaris egenti fratri & proximo, eiq; succurras in necessitate: & vt sobrius sis, tēporatēq; viuas. Auaritia iubet & hortatur te, vt aliena rapias quibuscūque possis modis, quo iure quaque iniuria, & in omni voluptate vitam transigas, nò obstatē, qđ frater tuus in necessitate & egestate cõstitutus sit. Quisquis ergo auaritiæ sese m̄cipat, eiúsq; voluntatē facit, Dei seruus esse nò potest. Deus enim totū hominem in suo seruitio requirit, nò dimidiatū, in quo hostis partem & cõmunionē habeat. Hoc diuites sibi dictū meritò existiment, secūmq; deliberēt, vtrū ex his duobus, Deum an auaritiā dominū habere malint & seruare. In Marthæo accedēs quidā ad Christū, magna p̄mittebat, facturū se omnia iussa: rogabat quid facere oporteret: ceterum Christo dicētes, Abi & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, tristis discedebat, quia locuples erat. En, hic conabatur seruire Deo, sed prohibebat eū auaritia: imò quā auaritiā & bona vellet relinquere, prius Christum & Euāgelij eius sanctissimum consilium relinquebat. Vnde & Christus verba que superius cõmemorauimus, statim subiicit, Difficile diuites intrāt in regnum celorum, &c. Obserua tamen, qđ Christus non dicit, Nò potestis Deum & tēporalia bona simul habere: sed, Nò potestis

Iaco. 4.

2. Cor. 6.

3. Reg. 18.

In pseudoeuāgelicos, veros hypocritas.

Mammona.

Deut. 15.

Deus totum vult hominē.

Matth. 19.

Deo seruire & mammonæ. Longè enim aliud est, bona habere tēporalia, & ijs seruire. Diuitias habere per se malū non est: quinimò benedictio est Dei. **Benedictio enim Dei diuites facit,** inquit Salomon. Tum dicit Paulus, Diligentibus Deum omnia cooperatur in bonū. Sic etiā Iob tēporalia bona habebat, & quidem plurima, verū non seruebat illis, sed dominus erat eorum, & impartiebat illa egetibus. Pater eram (inquit) **Iob 19.** pauperū, & benedictio perituri veniebat super me. Et iterum **cap. 31.** Si negavi quod volebāt pauperibus: si comedi buccellam meam solus, & nō comedit pupillus ex ea. Si despexi pereuntem, eò quod nō habuerit indumentū, & absq; operimento pauperem. Quia ab infantia mea creuit mecū miseratio, &c. Si putavi aurū robur meum: & obrizo dixi, Fiducia mea. Si **Psal. 39.** latatus sum super multis diuitijs meis. Talis erat Dauid, qui sedens in amplissimo regno dicebat: Ego mendicus sum & pauper: Dominus sollicitus est mei. Quasi dicat: Quantūcunque diuitiarū habeo & bonorū tēporaliū, certus tamen sum, quòd in illis me Dominus enutrit. Alioqui diuitiæ ex seipsis conseruare me non possent. Sic docet etiā alios homines: **Psal. 61.** diuitiæ si affluent (inquit) nolite cor apponere. Hunc in modū diuitijs qui vititur, bonorū suorū dominus est & non seruus. Is autē homo seruit mammonæ & temporalibus bonis, qui nimium illis inhiat, & quem amor temporalium bonorū totum possidet: nullam illi permittit quietē, facit vt iniquè illa acquirat, sollicitè possideat, nec possit interdū ipse illis frui: hic seruus est bonorū suorum. Hoc sentit Christus, vbi ait: Non potestis Deo seruire & mammonæ. Sed hīc confer vitam nostram & mores cū hisce verbis Christi. Quò nostræ cogitationes & consilia tendunt, quā vt quāplurima bona conquiramus? Hoc maximū est, pro quo nunc felicitati sumus. A minore vsq; ad maiorem omnes avaritiæ student, inquit Hier. à propheta vsq; ad sacerdotē pecuniam sectamur, pro pecunia & bonis digladiamur, & pecuniā nacti, pro nulla alia re curā gerimus, An nō autem magna vesania est, quod viles & insensibiles res tantū facimus? Quid tu Christiane temporalia bona tantoperè curas, cui æterna promissa sunt? Quod etiā Ethnici Philosophi despexerūt, tu Christiane in pretio habes, cui tamen longè meliora promissa sunt? Inter omnia, quæ bona sunt & nominantur, etiam Ethnici temporalia bona & diuitias in infimo posuerūt loco, & pro vilissimis habuerūt. Nec quic-

**Hier. 6.**  
*In pecunia cupidus.*

quicquam ita extra hominem est, vt pecunia, nihilque quod minorem adferat vtilitatem. Nam etiam si omne aurum & argentum quod in terris est, solus haberes, effésne tantò melior, tantò doctior, tantò sapientior, vel etiam in corpore sanior? Num illud aurum & argentum te formosiores, saniores, & iuniorem facere posset? Minimè profectò. Diuitiæ autem adferunt gaudium & voluptatē, dicat quis, faciuntq; vt homo in honore sit. Responsum. Esto, adferant sanè diuitiæ gaudium & voluptatem, sed perniciosum gaudium & voluptatem. Nam verum gaudium & voluptas, est tranquillitas, & pax cordis. Bona tua quid honoris tibi conciliant? vt tibi populus cedat & intueatur te? Homo stulte, non te aspiciunt, sed vestes tuas. Si miseria & egestas animæ tuæ oculis eorum pateret, infœlicissimè te dicerent, quem nunc beatum iudicant. Verus honos est Deo placere: Inquis, At diuitiæ amicos conciliant. Responsum: Non nisi falsos amicos, qui amant te quidem, sed proprii sui cōmodi gratia. Nemo te tanto amore prosequitur, quin te mortuum mallet, quò tua bona acquireret. Et vt vno verbo omnia dicā, commoda quæ diuitiæ afferunt, falsa sunt, vana, & instabilia. E diuerso autem adferunt vera mala, misérias & calamitates, curas, auxietates, inquietudinem, laborē, hominēmq; veris bonis & opibus spoliant, nimirum pace cordis, quod summum & iucundissimū bonum est in terris. Abi ergo tu Christiane, & mirificè admirare temporales diuitias, quas etiam Ethnici spreuerunt.

Quare si sentis te aut natura ad auaritiā propensum, aut dæmonem malum ad eam te instigare, reputa tecum primò dignitatem creationis tuæ: qui in hoc solū creatus atque etiam redemptus es, vt æternis bonis fruāre. Huius vocatiōnis nos admonet Christus, vbi ait: Non potestis Deo seruire & mammonæ, perindè ac si dicat. Dei estis serui, quos magno redemit: imò non estis vestri ipsorum iuris, sed eius qui redemit vos, & pro vobis mortuus est. Ergo vtimini ad seruitium Dei, quicquid estis, habetis & potestis: alioqui infideles & ingrati serui eritis, si quod Deo debetis, in tēporalia impenderit. Secūdò, quādo auaritia te infestat, cōser que vera aut falsa bona sint, que vera aut falsa vtilitas sit. Tertiò, disce considerare & amare summum bonum, quod solū humanum cor implere & saturare potest, etiam si nulla alia bona adessent, non obst ante, quod alioqui vniuersus mundus cor-

*Diuitia pernicioso afficiunt gaudio.*

*Auaritia remedia.*

*I. I. Cor. 6.*

*II. III.*

- Y III. humanum & cupiditatē eius explere nō potest. Quartò cōf-  
 I. Tim. 6. dera, quomodò primū in terras veneris, & quomodò in ter-  
 ram reuersurus sis: nimirū, q̄ nihil in mundum intuleris, nec  
 aliquid tecū auferre possis, id quod rursus avaritiam tuam  
 V. prohibebit & franget. Quintò, semper tibi ob oculos verse-  
 Luc. 12. tur diues in Euāgelio, ad quē dicebatur: Stulte, hac nocte ani-  
 VI. mam repetunt à te: quē autē parasti cuius erunt? Sextò, flecte  
 & verte cor tuū & animū à peruersa vita ac moribus mūdi,  
 ad contēplandā paupertatem Christi eiusq; Apostolorum.  
 Vulpes (inquit Christus Mat. 8.) foveas habent, & volucres  
 cœli nidōs, filius autem hominis nō habet vbi caput reclinet.  
 Et Paul. 1. Cor. 4. de seipso, & collegis suis: vsq; in hāc horam  
 & esurimus & sitimus, & nudī sumus, & colaphis cœdimur,  
 Luc. 6. & instabiles sumus, persecutionēque patimur, &c. Ante oīa  
 autem timere debes verbum, vbi Christus dicit: Væ vobis di-  
 Luc. 16. uitibus: quia habetis cōsolationē vestram. Et quod Abraham  
 ad condēnatum diuitē dicit: Recepisti bona in vita tua, idē  
 tu nunc cruciaris. Hæc si diligenter consideraueris, auari-  
 tiam tibi & amorem ad temporalia aut certē minuēt, aut pe-  
 nitus tollent. Deus nobis omnibus suam det gratiam, Amē.

## S E C V N D V S S E R M O

## de altera parte hodierni Euangelij.



I veri Christiani essemus, & verū Dei in nobis  
 amorē haberemus, nō sufficeret nobis Euange-  
 lium istud semel in anno audiuisse, sed quilibet  
 memoriæ commendaret, adeò insignia & præ-  
 stantia verba habet. Etenim primò, nemo tam  
 avarus est & avidus rerum tēporaliū & diuitiarū, si Euange-  
 lium istud diligēter legat vel audiat, quin propriā suam avari-  
 tiam reprehensurus sit, & odio habiturus. Contrā, nemo ita  
 grauatus est paupertate & cura domestica erga vxorē & libe-  
 ros alendos, qui nō solutiū hauriat, Euangelū istud legendo  
 vel audiendo. Atqui hæc duo vitia sunt, quibus laboramus  
 omnes. Si enim temporalia bona habemus, totis in ea animis  
 propendemus, semper nobis in mente versantur dies atq; no-  
 ctes: nulla torquemur alia cura, quā quo pacto tēporalia ser-  
 uemus augeamusq;. An non autem hoc ex pecunia Deum sa-  
 cere est? E diuerso vbi nullæ opes & temporalia bona sunt, ibi  
 animū despondere volumus, nec cōsolationē accipimus, non  
 secus ac

secus ac si Deus mortuus sit, & quasi vana sint omnia, quæ Deus antiquitus promisit ac fecit ad solatium pauperum.

Atqui Euangelium istud hodiernū, si diligēter cōsiderare tur, his duobus malis & vitijs occurrere & mederi posset, avaritiæ simul & pusillanimitati. Quarè cogita ô diues, avaritiã *Contra divi-* & inordinatum amorē seu cupiditatē bonorum tēporalium, *tū avaritiã.* nihil esse aliud, quã miseram, fœdam & grauem seruitutem. Secundò, te qui tam nobiliter creatus es, minimè decere, vt creaturis seruias te longè inferioribus. Tertiò, sine Deo & eius operatione, etiam oēs tuas curas & labores inutiles esse & inanes. Et postremò, te Deo & Mammonę simul inseruire *Matth. 6.* nō posse, vt Christus ipse dicit. Hoc tecum reputa (inquàm) *In pauperum* & multum avaritia tua & morbus pecuniarius remittetur. *pusillanimita* *tem.* *Contra cōsidera tu pauper, & fac verba istius Euāgelij sum-* mo studio pōderes, nimirū, q̄ in eo dicitur, Deum esse patrē nostrū, illū scire nostrā miserā & necessitatē, illum posse oīa, illum pascere volucres cœli, illum vestire & ornare lilia agri, illū iam olim, prius etiã quã eramus, corpus & animā nobis destinasse dedissequē. Hoc animo tecum reuolue, & nūquã in tua paupertate animo cades aut pusillanimis fies. Quapropter iterum dico quẽadmodū antè, vnūquẽque Christianum Euangelium istud memorię mandare debere, & quotidie secum mente repetere: secuturum indè ad minus esset, vt tantò pluris Deū nostrum faceremus, & tantò minus temporarijs bonis fideremus. Quod vt verum cōprobetur, verba Christi amplius audiemus. Sic Christus pergit dicere. Ideò dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neq; corpori vestro quid induamini, &c. Ab his verbis vsque ad calcē hodierni Euangelij, loquitur & vtitur Christus selectis planè verbis, quæ etiam ignauum & torpentē hominē permouere & excitare possent. Atque vtinam omnia verba ista nostris & omnium Christianorū animis profundissimè infixæ essent. Ex ijs enim diues posset discere, cui diuitias suas acceptū ferre debeat: cōtrà pauper discere posset, quibus rebus cōsolari se in paupertate sua debeat. Quid enim iucundius illi nūtiari potest, quã quod Christus dicit, Ne solliciti sitis animæ vestrę quid māducetis, &c. quia Deus curam vestri gerit. Nec Christus alia de causā tam consolatorijs verbis in hoc Euangelio vsus est, quã quòd nobis omnibus spem & fiduciam inijcere voluit. Quemadmodū multò antè per Dauidem promi-

*Pfal. 21.* serat ac dixerat: Pater, narrabo nomen tuum, hoc est, bonitatem tuam, tuam misericordiam, tuam veritatem fratribus meis, hoc est, hominibus & Adæ filijs, quorū frater futurus, & naturā eorum assumpturus sum. Sicut ergo id prædixit & promisit Christus, ita etiā iam indè ab initio ad finem vsque, ipso facto adimpleuit, præsertim in hoc Euangelio, vbi præter modum Dei amorem, curā, prouidentia non solum erga nos homines, sed etiā erga alias terrenas creaturas prædicat & ostēdit: quin etiā erga omnium minimas creaturas. Pater cœlestis (inquit) pascit volatilia cœli. Pater vestit & ornat lilia agri. Pater scit vos victu & amictu indigere. Et quā obrem tot vititur verbis, nisi vt solatium nobis, spem & fiduciam in Deum animis nostris indat: siquidē profectò res magna est, & in qua plurimum situm sit, Deo rectè credere & fidere.

*Pfal. 146.* Non in fortitudine equi voluntatem habebit Dominus (inquit David) nec in tibijs viri beneplacitum erit ei. Beneplacitum est. Dño super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius. Et iterū dicit David: De cœlo respexit Dominus: vidit omnes filios hominum. Qui finxit sigillatim corda eorum: qui intelligit omnia opera eorū. Nō saluatur Rex per multā virtutem, & gigas nō saluabitur in multitudine virtutis suę. Fallax equus ad salutem: in abundantia autē virtutis suę non saluabitur. Eccē oculi Domini super metuētis eum, & in eis qui sperāt super misericordia eius. In hanc spē & fiduciā nos erigere Christus vult, vbi ait, Ne solliciti sitis, &c.

*Laborem nostrum exigit Deus.*

Hic autem obserua, quòd non dicit, Ne laboretis: sed, Ne solliciti sitis. Laborem enim à nobis requirit Deus, curā autem ipse gerere vult. In sudore vultus tui (inquit ad Adā. Gen. 3.) vescēris pane tuo. Idè dicit Iob capitul. 5. hominem ad laborem natum, non aliter quàm auem ad volandum. Et David etiā Psalm. 127. eum pro beato ducit, qui labores manuum suarum manducat. Et hoc medium laboris Deus ipse ordinavit, vti modò auditum. Eo vti qui non vult, sed in cœlum tantum modò hiare, & sine omni sui labore expectare, donec pascat eum Deus, is tentat Deum. Ne sitis solliciti, inquit Christus. Laborare debemus, sed sine sollicitudine. Alioqui incredulus homo laborem suum sibi conduplicat, dum non solum corpore laborat, sed etiam in animo suo sollicitus est & anxius. Si colit agrum & seminat, rursus timet, ne non progerminet: si metit, fures timet: si in horreum reponit, timet ne corrump-

ne corrumpantur fructus aut lædantur, &c. Sic nunquã sine cura est, quæ illum intus non minus excruciat, quã labor extrinsecus grauat. Hoc prohibet Christus: vult animo quiescere, vt simus. Ob id etiam deinde dicit, Ne solliciti simus in crastinum: sufficere enim diei malitiam suam. Perinde ac si dicat: *Matth. 6.* Præsens hæc vita habet & affert secum suum malum & molestiam per se ipsam: imò plena molestiarum est, vnde necesse non est, vt geminemus eas. Satis est, si venientes & ingruentes patienti animo toleremus, & nobis ipsis non pariamus anxietatem & curas priusquam veniant. Super hoc Christus causas nonnullas indicat, quæ nos eò ducere debet, vt discamus Deo pie fidere. Et primò admonet nos beneficiorum, quæ iam pridè accepimus. Nonne anima seu vita (inquit) plus est, quàm escæ? & corpus plus quàm vestimētum? Qui ergo dedit id quod melius & maius est, nõ grauabitur minus sustētare, quod nobis dedit. Quando igitur te cura pro tēporalibus bonis angit & sollicitum reddit, recordare beneficiorum acceptorum à Deo, etiã sine tua sollicitudine: imò cū pro te ipso nõdum curare poteris: tantò melius etiam nunc Deo fidere poteris. Se cundò dat nobis Christus etiã exēplū volatiliū considerādū. Respicite volatilia cœli, quoniã non serunt, neq; metūt, neq; congregant in horrea: & pater vester cœlestis pascit illa. Sic etiam dicit David: Oculi omniū in te sperant Domine, & tu das escam illorum in tēpore opportuno. Et iterū: Dante te illis, colligent: aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. Solus homo præ cæteris animantibus ratione præditus, diffidit de Deo. Non sine causa autem Christus nobis exemplum volatiliū considerandum proposuit. Alioqui potuisset Eliam, Moysen, aut Ioannem Baptistam nobis proponere, quos sine cura eorum Deus pascit. Sic diceret hinc aliquis. Quid hoc me consolari possit? Si ea probitate essem, qua illi fuerunt, sperare eò melius possem Dei auxilium. En propterea nobis Christus volatilia pro exemplo dedit: vt detestandam nostram diffidentiã, tãtò melius disceremus agnoscere, considerantes securitatem & libertatē irrationabilium animantium. Ad hoc nobis etiam lilia agri pro exemplo præbet. Ignobiles hæ creaturæ sunt, & quæ breui pereunt: at tamen tantò illas ornatu vestit Deus. Est ergò mens Christi, quasi dicat: Quoniam Deum patrem habetis, qui tanta bonitate omnibus creaturis prospicit: non est, quod vos so-

*Remedium super sua sollicitudinis.*

*Psal. 144.*  
*Psal. 103.*

liciti fitis, imò vos, quibus tãta dedit ac fecit, quos ad immortalitatem creauit, & ad æternam gloriam sui nominis prædestinauit: quibus animam rationalem dedit, quorum causa oĩa fecit, quæ videntur: quorum etiam causa filium suum misit,

*Eph. 4.* & quos ipsemet adoptauit in filios, &c. Terriò quoque com-  
*Gentium cæci* monefacit nos Christus nostræ vocationis. Hæc oĩa (inquit)  
*200.* Gentes inquirunt, perindè ac si dicat: Memétote vos de tenebris ignorantix & erroris ad lucem veritatis vocatos esse & venisse.

Gentium hæc oratio est: Quid manducabimus, aut quid bibemus? aut quo operiemur? Quippè hi non credunt, Deo homines esse curæ, arbitantes Deum tam longè esse à nobis, vt quid desit nobis, scire non possit: alia esse negotia, quæ eum à nostri cura alienent: vndè nihil boni sibi de Deo promittere possunt, existimantes & credentes, proprio se suo labore & cura ali. Ad hoc, nesciunt meliorem adhuc restare vitam, ad quam omnes curæ dirigendæ sunt: quapropter ponunt fœlicitatem suã solùm in externis corporalibus rebus, magna cura & labore quærentes, quæ ad alimenta, operimenta aliãque corporis necessaria pertinent. Gaudent vbi illa adipiscuntur: metum, si quid damni in talibus rebus illis afferri

*Act. 17.* potest: dolent & quærentur, si amittunt. Nos Christiani autem scimus Deum nõ longè esse ab vnoquoque nostrum, sed  
*Hier. 13.* viuere nos in illo, moueri & esse: & Deum cœlum & terram implere, tam è vicino esse, quàm de longè. Tum verò etiam scimus, cum pro hominibus sollicitum esse, nobisque aliam & meliorem vitam paratam ac promissam esse. Quarè etiam superflua omnis cura rerum temporalium longè abesse à nobis debet. Hic obserua, quòd Christus eos homines vocet Gentes, qui inutili tantum cura rerum tẽporalium occupati sunt: & meritò Gẽtes nominãtur, nec Gẽtibus meliores sunt.

An non enim magna diffidentia est, nos Deo non fidere in paruo, cum tamen maiora acceperimus? Quis pater tã durus est & immisericors, qui liberis suis non prospiciat in ijs quæ necessitas eorum requirit? Quis pater dat filio suo lapidẽ, serpentem aut scorpionẽ, panem piscẽ aut ouum petenti? Si vos cum fitis mali (inquit Christus) nostis bona data dare filiis vestris, quantò magis pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petẽtibus se? Imò quæ ignominia & contumelia Dei est, nos ei nõ fidere, qui tamẽ patrẽ nostrum se nominat, & pater noster est, tam diues, potēs & benignus: vt omnibus sufficiat,

omnes crea-

omnes creaturas conseruet, nec vllam sua ope priuet? Si igitur Christus homines nominat gētes, necessaria vitæ inquirentes: quo nomine illi appellandi sunt, qui necessarijs non cōtenti, superflua quærunt? Quartò dicit Christus. omnem etiã *Sine Deo nil possumus.* curam nostram inutilem esse & inanē, Deo auxiliū suū subtrahēte. Quis vestrūm cogitās (inquit) potest adijcere ad staturam suam cubitum vnum? Si multis te torques curis, nihilo fis maior: sin animo otioso es, nihil magnitudini ruz decedit. Et sanè sæpè fit, vt non tantūm frustrā curis destingamur, sed frustrā etiã laboremus. Id autem fit, Deo permittente, nō alia de causa, quā quod nostræ curę & labori nimum, Deo verò eiusque prouidentię nihil transcribimus. Quin eaipta de causa varias in nos calamitates inducit, quòd plus nostris curis laboribus fidimus, quā Deo & eius auxilio. Imò cogitamus solūm nobisipsis auxiliari & fidere magis, quā Deo & eius præsidio. Quin nobisipsis tantummodò cogitamus *Agg. 1.* subuenire, Dei obliuiscētes, quemadmodū ipse in Aggæo dicit: Ponite corda vestra super vias vestras: seminastis multū, & intulistis parum: comedistis, & non estis satiati: operuistis vos, & non estis calefacti: & qui mercedes congregauit, misit eas in sacculum pertusum: respexistis ad amplius, & ecce factum est minus: & intulistis in domum, & exufflaui illud. Quam ob causam? Quia domus mea deserta est, & vos festinatis vnusquisq; in domū suam. Propter hoc prohibiti sunt super vos cœli ne darent rorem, & terra prohibita est, ne daret germen suum: & vocaui siccitatem super terram, & super montes, & super triticum, & super vinum, & super oleum, & quæcunque profert humus, & super homines, & super iumēta, & super omnem laborem manuum. Quamobrem vult Christus in hoc Euāgelio, vt Deum cognoscamus tanquā verum Patrem, à quo omnia, tam tēporalia quā spiritualia, petere debemus: & sine quo nihil boni in creaturis est, & esse *Psa. 146.* potest, vti Dauid dicit: Laudate Dominum: edificans Ierusalem Dominus, dispersiones Israël congregabit. Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum. En, hīc habes quòd Deus spiritualia largitur. Sequitur: Qui operit cœlum nubibus, & parat terræ pluuiam. Qui producit in montibus fœnum, herbam seruituti hominum. Qui dat iumentis escam ipsorum, &c. Hīc audis, quòd Deus etiam temporalia largitur. Bonum quidem esset verba hęc nobis sæpius in memo-

riam redire. Nemo siquidem est, quem ventris cura non disti-  
neat: quantumcūque etiam acceperimus, quantumcūq; no-  
bis promiserit Deus, semper tamen animum despondere vo-  
lumus, adeò profundas diffidentia in animis nostris egit radi-  
ces. Annon enim vera illa diffidētia est, quòd Deo etiā ne ven-  
trem quidem concredimus? Credere nos quidem iactamus,  
sed si nulla adsit tribulatio, & omnibus rebus abundemus,

**Luc. 8.** cæterùm in tribulatione & defectu cadimus. Proindè totum  
Euāgelium cum tot pulcherrimis verbis eò directū est, quòd  
Christus suis Apostolis & omnibus credentibus, scēdam auar-  
ritiam & ventris curam, imò non satis culpandam diffidētiā  
in Deum, ex animis illorum eximere velit: cōtrā verò synce-  
rum ac filialem amorem, timorem & fiduciam persuadere.  
Puer quàm diu apud Patrem est, à cura vacuus est, nec de ci-  
bo & vestitu sollicitus est: sed patri curam committit, & scit pa-  
trem hoc agere, nec pati, vt earum rerū sit inops. Et hoc ipsa  
natura cōparatū est: eaq; dicitur, vt pater pro liberis suis cu-  
ram gerat, bonaque necessaria cōgreget. Pater ferre non po-  
test, vt filius famē & inopiā patiat. Ideoque filius sine omni  
cura abit, hoc tantum cauens, ne patrem offendat: hæc illius

*Cuiusmodi er-  
ga Deum filij  
esse debeamus.*

summa cura est. Tales filios nos quoq; Christus esse vult, vt  
Deū pro vero nostro patre agnoscamus, habeamus, eiq; ho-  
norem exhibeamus: & credamus, cum pro nobis sollicitum  
esse, nec vnquā deserturū nos in necessitate nostra: propterea  
curā nostrā eò tantummodò dirigamus cōferamūsq;e, quo  
pacto talem patrem seruemus: omnē diligentiam adhibeamus,  
vt eius voluntati per omnia obsequamur: & cum primis cauea-  
mus, ne offendamus ipsum. Tales filios & credētes Christus  
vult: huc totū Euangeliū tēdit, & omnia verba in eo comme-  
morata, potissimum cū dicit: Scit pater vester quia his omni-  
bus indigetis. Perindè ac si dicat: Tantummodò curate, vt veri  
filij Dei sitis & maneatis, non deerit vobis victus & amictus.

**Matth. 6.**

*Deus pater no-  
ster.*

Quid ita? Quippe Deus per me & mea causa pater vester fa-  
ctus est: & scit quod patris sit officium: quibus filius egeat scit, &  
potest esse pater. Naturā & animū habet, habet sapientiā, in-  
tellectum & facultatem: habet bona & gratiam, imò longè  
plus quàm opus habetis: idcirco cura vestra inanis est. Nam  
si vilissimæ contemptissimæque creaturæ à Deo nō negligun-  
tur: multò minùs vos negligemini. Secundò, si Deus tam bo-  
nus est, vt vobis sine sollicitudine vestra iam pridem corpus &  
animam de-

animam dederit, det vobis spiritualia quotidie adhuc, & prætereà, æterna dare velit: rursum nõ est quòd vereamini, ne in minimis vos deserat: est ergo cura vestra superuacanea penitus, nec ad rem quicquam facit. Nam etiã per omnẽ vitam cura angamini, nec proceriores nec breuiores eritis: nec pinguescetis magis nec macrescetis. Ob vestrà curam cœlũ neq; plus neq; minus caloris aut humoris præbet: terra neq; plus aut minus fructuum. Quapropter cura vestra non in aliud cõfert, quàm vt vobis inutile negotiũ facestatis: quo tamen superfedere cõmodè possētis, quandoquidẽ tam fidelem patrẽ & potentẽ Deũ habetis, qui pro vobis curat. Summa de Gentibus & infidelibus, qui de Deo nihil sciũt, mirũ non est, si de temporalibus solliciti sint. Christianum verò, qui tot promissiones habet, nõ ab hominibus, sed ab ipso Deo, minimè decet, vt tam anxius sit de ijs rebus, quas Deus etiã malis & irrationalibus creaturis largitur. Hoc vult Christus in isto Evangelio: quæ omnia eiusmodi sunt, ob quæ nobis inuicẽ acclamare meritò debebamus cum Dauide, & dicere: Cõfitemini Domino quoniã bonus, quoniã in sæculũ misericordia eius, &c. Faxit Deus vt id animo diligenti consideremus, Amen.

*Cura nostra  
superuacanea.*

*Psal. 117.*

## T E R T I V S S E R M O D E

*ultimo verbo in hoc Evangelio.*

**S**I quis nesciret, Christũ verũ animæ medicum esse, vel ex hoc Evangelio id discere posset. Vt enim fidelis medicus suã temperat medicinã, & dat iuxta morbi qualitatem, & vt necessitas postulat, nõ obstante, q̃ ægrotus interdũ murmurat & impatiẽs est: ita etiã hic Christus facit: salutiferã doctrinã dat in hoc Euãgelio, sed mũdi cultoribus nõ admodũ gratã. Morborũ qui nobis adhærẽt, præcipuus est, quòd nos ipsos nimĩũ diligimus. Ex hac radice omne malum fluit: nimirũ quòd aut totos tẽporalibus nos m̃cipamus. cum obliuione spiritualiũ & diuinarũ rerũ: aut in vtrãque partem claudicamus, volẽtes Deo & m̃amonæ simul inseruire: vnde fit vt neq; frigidĩ neq; calidĩ simus: aut ad minus tẽporalia præferimus, spiritualiũ vix postremò rationẽ habentes. Contra hæc tria mala pugnat istud Euãgelium. Et Primò cõtra eos, qui in vtrunq; latus claudicãt. Ad hos dicit Christus: Nemo potest duobus dominis seruire: Et adhuc clarius: Non potestis Deo

*Amor sui radix malorum omnium.*

*Apocal. 3.*

*Matth. 6.*

seruire & mammonæ: quemadmodum non possumus simul & cœlum & terram intueri, aut vno tempore descendere & ascēdere. Quis autē nescit, amorem Dei nos sursum trahere: amorem verò mundi nos deprimere? Quamobrem hæc duo simul esse non possunt. Et quod Christus de tēporalibus bonis dixit, id etiā intelligendū est de diabolo & mūdo. Proinde fac animo deliberato vt sis, vtri seruire malis domino, & vtrū deserere. Benè diligentérq; vtriusque domini, Dei & māmōnæ, seu diaboli conditionem, seruitium, stipendium & habitationē perpendas: haud dubiè, nisi sensibus & ratione priuatus sis, Deū eliges dominum tuū, relicturus diabolum & avaritiam. Etenim primò res censetur honesta & utilis in mūdo, magnatibus, vti Regibus & Imperatoribus seruire: sed videmus interim etiam, quantum curæ, molestiæ, & laboris ea res desideret. Hoc seruitiū, honorem, & vtilitatē quisquis ambit, domum & fundum deserere cogitur: nunc huc, nūc illuc iter facere, non niue, non pluvia obstante: multa subire pericula, apud peregrinos diuertere, & singulis diebus mutare hospitium: nec tamen pro voto semper, ignarus quàm diu sibi in hoc seruitio esse liceat: & an tandē gratiam, vel indignationē, sit reportaturus. Honorem, fauorē, vtilitatē & gratiā omnes quidem quærunt in tali seruitio: sed multi falluntur, quemadmodū cum primis in Aman videre est in libello Hester. Tantò iucundius nobis esse debet seruitiū Dei. Nam vniuersum peragra orbem, omnium dominorum experire seruitia, omnium Principum & Regum perlustrare aulas, peruolue omnes historias: nullum reperies, cui honestiùs, vtiliùs, & faciliùs inseruire possis, quàm Deo. Primò nanque, videre vis qualis sit Dominus? Lege sextū cap. in Isaia, vbi sic inquit: Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum. Seraphim stabāt super illud. Et clamabant alter alterū, & dicebant: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum: plena est omnis terra gloria eius, &c. Et Daniel cap. 7. Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assiscebant ei. Talis Dominus est Deus. Vis deinde scire, quàm honestū sit Deo seruire? Si quis mihi ministrauerit (inquit Ioan. 12.) honorificabit eum Pater meus. Et iterum Ioan. 17. Pater, quos dedisti mihi, volo & vbi sum ego, & illi sint mecum, vt videāt claritatē meā quam dedisti mihi. Vis item tertio videre quàm

*Esai. 65.* sit vtile Deo seruire? Ecce (inquit) serui mei comedēt, & vos esurio-

*Incerta hominum gratia.*

*Maister 7.*

esurietis: serui mei latabuntur, & vos confundemini, &c. Vis  
 quartò videre quã tutũ sit seruire Deo? Noli timere (inquit  
 ad Abraham, Gen. 15.) ego protector tuus sum. Et in Isa. No *Esa. 43.*  
 li timere, quia redemi te. Cũ trãseris per aquas, tecũ ero, &  
 flumina nõ operient te: cũ ambulaueris in igne, nõ cõburẽris,  
 & flamma non ardebit in te, &c. Scire quintò vis, quomodò  
 Deus suis ministris prospiciat cibo & vestimentis? Audi quid  
 Christus in hoc Euãgelio dicat, Matth. 6. Ne solliciti sitis ani  
 mæ vestræ quid manducetis: neque corpori vestro, quid in  
 duamini. scit enim Pater vester, quia his omnibus indigeris.  
 Quarite primũ regnũ Dei & iustitiã eius, & hæc oĩa adijciẽ  
 tur vobis. Scire postremò vis, quã Christus suis ministris mer  
 cedẽ det? Nolite timere (inquit Christus) pusillus grex, quia *Luc. 12.*  
 cõplacuit Patri vestro dare vobis regnũ. Et iterũ: Vos qui me *Matth. 19.*  
 secuti estis, cũ Filius hominis sederit in throno maiestatis  
 suæ, sedebitis & vos super thronos, iudicantes duodecim tri  
 bus Israël. Et iterũ *Luc. 22.* Ego dispono vobis, sicut disposuit  
 mihi Pater meus, regnũ: vt edatis & bibatis sup mensam meã *Gene. 12.*  
 in regno meo. Et Deus ipse ad Abrahã: Noli timere, ego ero  
 merces tua magna nimis. Hoc conferto cũ seruitio cuiuslibet  
 principis mũdi, tãtò magis delectabere seruire Deo. Ita enim  
 res etiã habet in externis rebus. Cũ quis seruus seruitiũ &  
 dominũ nactus est, qui sibi nõ dedecori, sed honori sit, videt  
 præterea mẽsam liberalem, mercedẽ certã esse, & laborẽ ta  
 men nõ nimis magnũ esse: tantò ad seruiendũ paratior fit, &  
 seruit fidelius. Quod nisi faceret, aut desiperet, aut animi in  
 grati esset: dignus cui nõ solũ victus & merces, fauor & gra  
 tia talis domini subtrahatur, sed penitus domo exigatur, &  
 ad aliũ relegetur, à quo magnis pressus laboribus, neq; victũ  
 neq; mercedẽ, neq; honorem neq; cõmodum habere possit.  
 Atqui verò sine omni controuerfia, Deus vnicus est & sum  
 mus Dominus in cœlo & in terra: vnde etiã nihil esse hone  
 stius põt, quàm tali Domino seruire: nõ est quòd quis timeat,  
 ne apud talẽ Dominũ fame pereat: & supra hæc omnia reci  
 pere nos vult in æternũ suũ regnũ, vt supra dictũ. Quia ergo  
 Dominus, cui nos dedimus, tã magnus, seruitiũ tã honestũ, *Deo seruire*  
 cibis tam bonus, stipendiũ & merces tam certa est: æquũ opri *simè p...*  
 mus quisquis Christianus censebit, vt illi summa cũ diligen  
 tia seruiamus: fatebitur nimirũ summã esse ingratiitudinẽ, *dura.*  
 & omni reprehensione dignum, si talẽ Dominũ dereliqua-

mus alteri nos deuinciamus, aut ad minus, aliū Dominū iuxta illū agnoscamus. Sūma: quocūq; nos vertimus, nullum inuenimus, cui iustius, & tutius atq; etiā vtilius seruiamus, quā Deo: nec tamen illi seruire vnquā satis possumus: imò si vnus homo omnes homines & angeli essent, non possent tamē Deo seruire secūdū id qđ est, atq; etiā nobis fecit & dedit. Vnde & Christus dicit: Etiā si omnia fecimus quæ præ-

*Luc. 17.* cepta sunt nobis, inutiles seruos tamē nos dicemus. Hoc modo remittit nos Euangelium istud potissimū ad Deum & eius seruitiū, cōtra eos qui in vtrūq; latus claudicant, Deo

*Inguaros.* & mūdo sese partiētes. Secūdō pugnat Euāgeliū istud aduersum eos, qui se totos auaritiæ & colligendis bonis tēporalibus addicūt, cū nihil sit periculosius, vti Paulus ait. 1. Tim. 6.

Qui volūt diuites fieri, incidūt in tētationē & laqueū diaboli, & desideria multa inutilia, & nociua, quæ mergūt homines in interitū & perditionē. Multifariā enim delinquit homo in bonis tēporalibus & diuitijs: dū eas iniustē acquirat,

*Fraus diaboli*

aut malē vitur, aut immodicē amat & reponit. Quā igitur cæci sumus, qđ nos ipsos in talē discrimē cōieimus? Sed hoc facit diabolus: is primus nos instigat, vt necessaria rerū tēporaliū quæramus. Quæ necessaria vbi adepti sumus, prouocat nos vt superflua quæramus. Postremō etiā extimulat nos ad querendū quod malū & perniciosum est, vt est rapina, furtū, fœnus, & id genus alia. Sed quid dicit Christus? Ne sitis solliciti pro rebus tēporalib⁹: ait nō Christianū esse, sed Ethnicū, vbi tā anxie tēporalia inquirūtur. Admonet nos diuine bonitatis, quæ iam pridem nobis tanta dedit, & suapte sponte, te non rogata: remittit nos ad exemplum volatiliū & liliorum, quæ Deus sine ipsorum cura pascit & ornat. Postremō indicat quoque nobis, omnes nostras curas sine Deo inanes esse. Quanquā exemplum volatiliū ad id etiam potest ac debet inseruire, ne in terra iaceamus maneamusque, sed sursum in cœlum transuolemus, vti Paulus faciebat: Cupio (inquit Philip. 1.) dissolui & esse cum Christo. Simili modo nos Christus quoq; exēplo liliorum & fœni admonere vult, mortales nos esse, nec crastinū sibi polliceri quēquam posse: hodiē enim viuimus, cras mortuū sumus. Vita nostra vapor est ad modicum parens, & deinceps exterminabitur.

*Iac. 4.*

*In rerū spiritaliū incuriosos.*

Postremō Euangelium istud cōtra eos est, qui quidem interdum spiritalia quærun, sed valde segniter, vt quibus tempo-

temporalia semper potiora sunt: atq; isthâc nihil non præteximus. Alius dicit nō esse sibi tantum otij, vt Deo & spiritualibus rebus curam impendat. Alius prætexit iuvenilem ætatem, satis adhuc tēporis superesse ad seruiendum Deo, Tertius sibi ipse persuadet, Deum bonū esse, ob id non ita graui-ter irasciturum. Quartum pudet spiritualium & diuinarum rerum. Quintus conqueritur nimij laboris esse Deo seruire. Hoc pacto nunquā non inuenimus causam omittendi spiritualia. Ad temporalia autē omnes impigri sunt: neminem pudet, nemo queritur de labore, nemo differt, sed sine omni mora temporalia sectamur: cæterum nō est hic verus modus bona & diuitias consequēdi. Nam etiam si congestis bonis Alexandrum magnū æquales, & diuitē in Euangelio; exitus ta- Luc. 12.  
 men malus est. Quocirca non est medium melius, ad cumu-landa temporalia bona, quàm timor Dei: sicuti David dicit: Psal. 111.  
 Beatus vir qui timet Dominū, in mandatis eius volet nimis. Gloria & diuitiæ in domo eius: generatio rectorum benedicetur, &c. Hoc est, quod Christus in fine hodierni Euangelij dicit: Quærite primū regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Hunc in modū Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, David aliq; Patres, diuites facti sunt, cum spiritualiter tum temporaliter. Deo seruiebant, regnū Dei quærebant, iustitiam sectabantur, & ob id benedicebat illis Deus, vt omnibus rebus affluerent. Vti videmus in Abraham & Lot, Gen. 12.  
 qui ob nimiam pecorum multitudinē cohabitare non poterant. Optimus Iacob admirabatur ipsemet incredibilem bonorū affluentiam. In baculo meo transiui Iordanem, & nunc cum duabus turmis regredior, &c. Hoc faciebat benedictio Dei. Ea autē ijs solū promissa est, qui timēt Deum, & mandata eius obseruant. Idcirco Christus nō simpliciter dicit: Ne solliciti sitis, Deus non patietur vos penuriam pati: sed dicit, Quærite primū regnum Dei & iustitiam eius, & tum adijcientur vobis quibus indigetis. Quid ergo est regnū Dei & eius iustitia? Quidam intelligunt per regnum Dei, æternam Regnum Dei  
Luc. 21.  
 fœlicitatē, quemadmodū & alijs in locis intelligitur: vti cum Christus suis discipulis & credentibus æternum suum regnū promittit. Sed in eum modum hic non accipitur. Deus habet etiam suum regnum inter nos & in nobis: hoc primum quærendū est, illud vltro sequetur, si hoc fuerimus nacti. Nō inuertendus est ordo, quemadmodū à duobus filijs Zebedæi sic-

- bat: qui etiam quærebant & petebant, vt liceret illis in illo regno Christi principē tenere locum, haud cogitates alia præcedere oportere. Sed quid dicit Christus ad illos? Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicē, quem ego bibiturus sum? Sic de nobis res habet: frustra in cœlū hiamus, & illud optamus, nisi hic in terris regnum Dei quæramus, inueniamusq;.
- Matth. 20.** Summa regnū Dei nō à longè quærendum, sed regnum Dei (inquit Christus) intra vos est. Tum Paulus dicit Rom. 4. regnum Dei esse iustitiā, pacē & gaudiū in Spiritu sancto. Regnum Dei Christus in nobis instituit: per illū namq; impetramus iustitiam seu remissionē peccatorū, pacē & gaudium conscientia. Rex à Deo cōstitutus est super hoc regnū, sicuti ipsemet in Dauide dicit: Speciosus forma præ filijs hominū: imò fortissimus & potētissimus: regnat inter suos in veritate, & māsuētudine & iustitia. Virga directiōis virga regni eius, nimirū Euangelium & sanctum verbū eius: cū hoc regnat in
- Luc. 17.** domo Iacob in æternū: imò cū Euangelio & verbo suo si illi studiosè obtēperemus, instituit regnū in nobis. Quemadmodū ad Pilatū dicit Ioan. 18. Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundū, vt testimoniū perhibeā veritati. Omnis qui est ex veritate, audit vocē meam. Et iterum dicit, Ioan. 14. Si quis diligit me, sermonē meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionē apud eum faciemus. Vbi ergo Deus hoc modo in nobis habitat & regnat, ibi omnia illi subiecta sunt, quæcūq; in homine sunt, corpus anima & vita, verba, cogitationes & opera, ratio, memoria voluntas, & omnes vires hominis. Imò vbi Deus est & regnat, ibi etiā membra nostra & corpus, templū sunt Spiritus sancti in quo Deus habitat: & est Deus noster, nos autē populus eius. Ibi regnamus & dominamur etiā nos in Deo & p Deū super peccatū, mortē & diabolū. Ibi conscientia nostræ pax datur & quies, & nos à spiritualibus nostris inimicis liberamur defendimurq;. Ibi internus noster homo fructibus spiritus, hoc est, charitate, pace & gaudio, &c. perfunditur repleturq;. Ibi robur & vires acquirimus, ad inimicos & omnibus tentationibus resistendū. Ibi anima nostra promptè & cupidè Dei perficit mādata. En, hoc est regnum Dei, quod Christus iubet quærere. Beatus homo, in quo sic Deus regnat: habet enim in hoc certissimū pignus futuri æterni regni Dei.
- Psal. 44.** Quamobrē rectè benēq; dicit Dauid: Beatus populus, quem Deus ele-

Deus elegit in hæreditatem sibi. Et nisi Deus hoc modo in homine regnet, nihil illo homine infœlicius: quia regnat in eo diabolus, & mundus cum tota sua familia: omnia peccata & flagitia ducunt hominem in varia crimina, & tandem præcipitant eum in æternum exitium. Ideò docet nos etiã Christus, vt dicamus in nostra oratione, Matth. 6. Pater adueniat nobis regnũ tuum. Quod perindẽ est, ac si dicamus: Ex spontanea tua & immerita bonitate, ò pater cœlestis, è regno huius mundi & diaboli asseruisti nos, & in tuum regnum introduxisti. At diaboli regnum nondum in nobis penitus eradicatum est: si quid primi & veteris peccati in nobis reliquum factum est, id semper in nobis refullescere nititur: ad hoc diabolus etiam & mundus nos infestant. Quare fac ò benigne Pater, peccatum in nobis prorsus extinguatur: da nobis, vt in te & per te omnia peccata, & quicquid in nobis est, quod ad diaboli regnum pertinet, debellemus, vincamusque. Da nobis vt omnes vires nostræ, tibi & diuinæ tuæ voluntati omninò subijciantur & subiectæ sint. Da nobis (quos tu semel è tyrannide diaboli in regnum dilecti tui filij transtulisti) vt in accepta nostra libertate persistamus, nec vnquã per peccatũ è tuo regno & à te, in diaboli tyrannidẽ recidamus. Da etiam gratiam tuam, vt regnum tuum in omnibus hominibus accrescat, diaboli verò regnum minuatur. Da & auxiliare, vt Christo domino nostro & regi, quem regem & dominum super regnum tuum constituisti, omnia subijciantur: quia nondum illi per omnia subiecti sumus. Nondum est vnum ouile & vnus pastor. Multi homines adhuc nesciunt, quæ sit fœlicitas, Deo & regno eius sese subijcere. Itaque malunt indignissimam malo dæmoni præstare seruitutẽ, quàm effici cohæredes Christi. Fac igitur pijsimè Domine, nobisque auxilio sis, vt adueniat regnum tuum, adeò vt nihil reliquum sit in terris, quod non vtrò sese tibi subijciat: quò tu maneat in nobis, & nos in te, quò perfectè etiam & penitus tibi vniamur, æternũque coniuncti maneamus. Sic nos iubet Christus orare pro regno Dei: sic querere oportet regnum Dei & iustitiam eius. Ea incipit primùm in fide, sed per charitatem perficitur & consummatur. Per fidem viuam applicamus nobis Christum eiũque merita: per charitatem prorsus Deo vnimur. Qui enim in charitate manet, in Deo manet, & Deus in eo: est ergo regnum Dei, 1. Ioan. 4.

*Adueniat regnum tuum.*

*Colos. 3.*

*Psal. 2.*

*Ioan. 10.*

quando in nobis habitat & regnat: iustitia autem regni illius est, quando illi vera fide, & flagranti charitate adhæremus. Quæ duo si quærimus, vti decet, nihil in alijs necessarijs rebus nobis deerit. Dei gratia cum omnibus nobis, Amen.

Q V A R T V S S E R M O D E  
Euangelio in genere.



I hodiernum istud Euangelium vnquàm apud bonos Christianos diligenter consideratū fuit, sicuti nullum dubiū est, cum primis & summo studio considerari debet, quando difficilia & cara tempora incidunt, & fruges aut sterilitate aut tempestate aut bello impediuntur pereuntq; , aut aliæ necessitates & defectus vnicuique homini singulatim impendent: tum, inquam, hodiernum istud Euangelium singulari studio considerandum & summo gaudio acceptandum. Si quidem verè consolatorium verbum est, contra omnes curas & pusillanimitatem, quoad corporale alimentum attinet. Imò in hoc Euangelio clarissimè liquet, quod David dicit: *Psal. 117.* Bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine. Bonū est sperare in Domino, quā sperare in principibus. Rogas quomodò? Promittit nobis hîc Christus, nihil nobis neq; in cibo, potu, operimentis, neque in omnibus ijs, quibus ad naturalem vitam indigemus, defuturum, si regnum Dei quæramus & eius iustitiam. Promittit nobis, nos habere patrem in cœlo, qui in eiusmodi rebus nostri gerat curam: imò talem patrem, qui etiam volatilia cœli absq; labore eorum pascit, & lilia agri absq; eorum sollicitudine ornat. Nos homines verò, quos secundū imaginem suam creauit, & sanguine vnigeniti filij sui redemit, longè pluris fecit, quàm omnes alias terrenas creaturas. Hęc omnia (inquā) certò nobis promittit Christus in hoc Euangelio. Porrò etiam alijs in locis Scripturæ, clarè indicatū habemus, Deum hoc facere posse, sæpè & antiquitus fecisse, & quotidie adhuc facere velle, & facere. Ita S. David, tua est, inquit, Domine, magnificentia, & potentia, & gloria, atq; victoria, & tibi laus: cuncta enim quę in cœlo sunt & in terra, tua sunt. Tuum Domine regnū, tuæ diuitiæ, & tua est gloria: tu dominaris omnium. In manu tua virtus & potentia, in manu tua magnitudo & imperium omnium. Tua sunt omnia & quæ de manu tua accepimus, dedi-

mus ti-

2. Para. 19.

mus tibi. Peregrini enim sumus corā te & aduenæ, sicut omnes patres nostri, &c. Hic audis, Deum omnipotentē esse, & suos seruare posse. Hoc sepè ipso factō & mirificè cōprobauit. Israëlita quadraginta annis in deserto erant, vbi nihil crescebat ad hominis cibū pertinens, nec tulerant secum ex Aegypto, neq; panes, neq; frumentum, sed solū tantū farinæ cōspersæ, quantū vna vice pinsere poterant: nec illis apportabat *Exod. 12.* quisquā, sed Deus illis panes & cibum de cœlo mittebat: & si *Exod. 16.* tim quærētibus, nec inuenientibus aquā, dabat aquā ex dura *Num. 11.* petra: & desiderantibus quodam tēpore carnes, aues seu curnices trans mare mittebat, tantis cū agminibus, vt manibus apprehendere & capere possent. Hic vides, q̄ Deus suos non solūm conseruare possit, sed ipso etiā factō demonstra- uit: & nō in vno homine tantūm sed in toto Israëlítico populo: ierant sexcenties mille numerati & scripti milites, quorū nullus infra vigesimū annū erat, exceptis vxoribus & liberis, quorum numerus multō maior fuit, vt ne interim cōmemento- rem tribū Leui. Attamen conseruabat & pascebat illos Deus omnes cœlitus, non vnum diem solūm, sed totos quadraginta annos. Vide, sic Deus magno & numeroso populo declara- uit, se suos conseruare & posse & velle. Id ipsum quoque simili modo in nōnullis, imò in multis peculiaribus personis demonstra- uit. Abraham ad præceptum Dei, relictis paternis *Gen. 12.* laribus, cognatis & patria, cōmigrabat ad peregrinos & igno- tos: Deus alebat illum vt & ditesceret, & foelici successu rerū *Gen. 28.* vteretur. Iacob pauper & profugus trans Iordanem peregrè *Gen. 32.* proficiscebatur: quia autem Dei se committebat præsidio, accidit vt breui reuerteretur cum duabus turmis, & libero- rum, & armenti. Ioseph à suis infidis fratribus in exilium in- *Gen. 37.* ter peregrinos vendebatur, vbi grauem paupertatem & mi- seriam, quin etiam captiuitatem pati cogebatur. Deus rem *Gen. 42.* ita destinabat, & tantis illum diuitijs locupletabat, vt ger- mani eius fratres frumentum ab ipso petere & quærere co- gerentur. Moses fugam ex Aegypto dare cogebatur. Deus *Exod. 2.* illum pascebat etiam inter peregrinos. Adeò Eliam maledi- cta Iezabel persequebatur, vt nusquā apparere auderet, la- tens in syluis, cauernis & deserto: Deus mittebat illi cibum *2. Reg. 19.* per coruos, necnon per angelos. Vidua Sarephana non nisi *3. Reg. 17.* vnum pugillum farinæ habebat: Deus autē ita augebat eam, vt ipsa, & filius eius, & Elias tres annos & sex menses ex ea

**Dan. 14.** viuerent. Daniel in Babylone in lacu Leonum iacebat: Deus procurabat illi victum per multa miliaria. Habacuc erat cui-dam nomen in Iudaica regione, hic messoribus suis cibū portare volebat: sed apprehendens eum capillis Dei angelus, cum cibo ad Danielem deportabat. Cū Helizæus Propheta & prædicator esset in populo Israëlítico, tempore caritatis (vt habes 4. Reg. 4.) centum personas viginti panibus pascebat. Cū Christus in terris ambularet, quinque millia hominum pascebat quinq; panibus. Ioã 6. Et alio tēpore quatuor millia hominū septē panibus. Matth. 15. Tā multūm & sæpè Deus in nouo & veteri Testamēto manifestis & magnis miraculis significauit ostenditque, se suos in necessitate, & posse & velle alere ac nutrire. Quod autem id etiam adhuc facere velit, declarant non solūm verba quæ Christus in hoc Euangelio, sed etiam quæ Deus ipse in Isaia loquitur. capite 49. Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum: vt non misereatur filio vteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. Eccè, in manibus meis descripsi te, &c. Et hoc est, quod Dauid dicit Psalm. 102. Quomodò pater miseretur filiorum, misertus est Dominus timentibus se: quoniam ipse cognouit figmentum nostrum. Et alio in loco. Psalm. 144. Suauis Dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius. Ita comperimus in hodiernum diem, quòd Deus in primis & non noster labor, peritia, & sollicitudo nos alat. Simul atq; enim manum suā Deus abstrahit, perit, dilabitur & euanescit vno tēpore, quicquid longo tēpore, & multis annis omni nostro labore, peritia, & cura nacti sumus. Hoc multo homines calamitosis istis temporibus magno suo malo experti sunt, apud quos alioqui ea res fidem merita non fuisset. Quoniā igitur ita repente & facilè euanescit quicquid cōgregamus, congerimúsque, vel solūm Deo in id flante, vt in

**Agg. 1.** Aggæo dicit, certum vtique est, nos ab illo ali. Ex his omnibus abundè probatum existimo, non nuda, inania esse verba, sed indubitata veritatem, quod Christus dicit: Pater cælestis pascit & regit vos, & scit quia his omnibus indigetis. Et quis pater est? Qui nos sumus? Non ille indiget nostri, sed nos illius indigemus. Attamen verissimum manet verbum Petri,

**1. Pet. 5.** Ipsi cura est pro nobis. Rectè igitur ait Dauid, melius esse sperare in Domino, quàm in homine aut principibus. Homines enim instabiles sunt & infideles: nec semper sicut cuperent

auxi-

auxiliari possunt, licet magni principes & reges sint: Deus autem verax & certus est in suis promissionibus, nec illum remorari quisquam potest à suo proposito. Satis igitur & certius, in illo *Esa. 14* considerare, quam in mortalibus hominibus & principibus, vel etiam in nobis ipsis & proprio nostro labore, cura & peritia. Homines fallere possunt, principes & magnates opere ferre non semper possunt. Labor noster, scientia, & cura itidem fallere nos possunt. Dei promissa nunquam fallent: tamen additam conditionem & appedem consideramus seruamusque, non avaritiam, proprium compendium, abundantiam, lucrum, &c. sed primum regnum Dei & iustitiam eius quærentes: tum, inquam, promissa Dei non fallent nos. Cæterum si scientiam nostram, curam, & laborem solum ad avaritiam dirigimus, regno Dei seposito, nullam curantes iustitiam, nihil esse isthinc firmi potest, quantumcumque etiam cogamus, & ut maxime retineamus, in maiorem nobis tamen cedit condemnationem: quandoquidem pluris id facimus, quam Deum & regnum eius. Hoc modo arbitror neminem non videre posse, nobis omnibus plurimum momenti in hoc Evangelio situm esse: debetque propterea ab unoquoque Christiano summa cum diligentia considerari: siquidem à capite ad calcem usque nihil aliud habet, quam consolatoria verba: ita ut sit optatum & omnibus modis electum Evangelium, ijs præsertim, qui sic, ut dictum est, diligenter persistunt & procedunt in sua vocatione: nempe ut primum quærant regnum Dei & iustitiam eius. Etenim hic vident, quid Deus apud ipsos faciat & facere velit. Hic audiunt eum nolle committere, ut penuriam patiantur earum rerum, quas etiam malis, & rationis expertibus animantibus dat. Quærite primum (inquit) regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adicientur vobis. In hoc verbo *Matth. 6.* totum Evangelium comprehensum est. Dictum quidem facile, & quod memoria possit haud ægrè retineri: & est vera certaque via, tam ad temporalem quam æternam salutem. Sed ægrè in animos filiorum mundi inerat. In causa est, mala cupiditas: ea omnia perdit, & inuertit, quod primo quæri debebat, ad extremum reijcit: & quod postremo quærendum erat, in primo collocat loco. Vbi curæ potissimum adhibenda erant, à curis vacua est, nimirum in spiritualibus & æternis rebus: verum circa ea quæ omnium minimi momenti sunt, præcipue occupata est. Christus rectè ordinem constituerat, ut nullo in loco nobis de *Regnum Dei.* futurum quid esset, si eiusmodi ordinem seruaremus. Hic au-

tem verus est ordo, vt primò de regno Dei cogitemus: hoc est, vt Christo per fidem & charitatem incorporeremur. Nam qui Christo incorporatus est, & per eum filius Dei factus est, iam in se habet regnũ Dei. Si filij (inquit Paulus) & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Secundò, iustitia nobis curæ esse debet: hoc est, rectè viuere debemus in regno & domo Dei, ne rursus eijciamur, vt ille qui veste nuptiali non erat indutus. Hæc duo si haberemus, quærentes regnũ Dei & iustitiã, tertium in nobis nequaquam desideraretur, nec opus esset aliqua cura eo in loco. Quid enim homini illi desit, qui Deum habet, & in quo Deus regnum suum & habitationem habet? Aut quomodò Deus, qui etiam irrationalia animantia pascit, hominem sibi seruentem deserat? Hic, inquàm, verus esset ordo. Sed peruersa & cæca cupiditas nostra præposterè omnia agit: facit vt primũ & potissimũ de temporalibus cogitemus. Amore itaque & cura de temporalibus accrescente, Dei & regni eius perit recordatio, iustitia nihili penditur, iniustitiam nullus pudor prohibet, tantũ vt bona & pecuniæ cumulentur. Porro vbi iustitia negligitur, ibi regnum Dei antè amissum est: quia iniustus non intrat in illud, nec partem in eo habet: quinetiam nullus in id venit, nisi iustitia eius maior sit omni Iudaicorum Phariseorum iustitia. En, hoc modo malè sana cupiditas perdit nobis omnia, & inuertit: priuat hominem omni bono: ad temporalia ei nihil conducit: facit vt spiritualia negligat, & æterna assequi non possit. Cõtrà vbi vera charitas & fiducia in Deum est, ibi optimum & maximè necessarium primũ quæritur, & omni bono & pietati studetur. Illic Deus longè abesse non potest: imò illic homini neque temporalia neque spiritualia desunt. Pietas (inquit Paulus) ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, & futuræ. Hoc nos docet Euangelium istud hodiernum: id quod cuilibet Christiano diligenter considerandum est. Ethnico non adedò vitio vertendum est, si mentem temporalibus tantummodò intentam habeat: quandoquidem de futura vita nihil scit aut sperat. Sed Christianum minimè decet, vt temporalibus nimium se dedat, posteaquàm illi Deus cœlũ promittit. Infanti non daretur vitio, si pomum pluris faceret, quàm aureum nummum: inscitæ imputaretur: cæterum homini adulto

**1. Cor. 13.** pro summa stultitia & infania reputaretur. Cũ essem paruulus, (in-

lus, (in-

lus, (inquit Paulus) loquebar vt paruulus, sapiebã vt paruulus, cogitabam, vt paruulus. Quando autẽ factus sum vir, euacuauit quæ erant paruuli. Qui in nouo testamẽto est, & Euangelium Christi audit, satis prouectæ & adultæ ætatis est: sat etiam intellectus habet, quia videt & audit quæ multi alij non vident & audiunt. Tantò circumspectius agere debet: tantò *Luc. 10.* minus rerum inutilium cura sese occupare debet.

Quæ videntur, temporalia sunt: quæ autem non vidẽtur, *2. Cor. 4.* æterna sunt. Idcirco quærite primùm regnũ Dei & iustitiam eius. Hoc est, quod ex isto Euangelio discimus.

Huc seruit, quod Paulus in hodierna Epistola dicit: Si viuimus spiritu, spiritu & ambulemus, inquit, &c. Sententia est, si ad hodiernum Euangelium trahas, perindẽ ac si Paulus dicere voluerit: Fratres, audiuiſtis modò ex Euãgelio, quid à Deo vobis datum ac promissum sit: cõsiderate nunc, quid vicissim à vobis requiratur. Quinimò audiuiſtis, Christum velle, vt ante omnia quæratís regnum Dei & iustitiam eius: audite etiam nunc, quæ ad id requirantur. Deus pater vester factus est, & manere vult, videte vt vos morigeri filij eius fiatis, maneatque. Si viuimus spiritu, spiritu & ambulemus. Si habemus spiritum, vitam, victum & amictum, & omnia à Deo, vicissim nos illi seruire par est. Illi (inquã) nõ mãmonæ, non mundo, non ventri, vt auari, superbi, & carnales faciunt: sed Deo Dño nostro, idq; non simulate, sed in spiritu & veritate, *Ioan. 4.* sicuti in Ioãne habetur. In timore & tremore, vti David ait: *Psal. 12.* imò in sanctitate & iustitia, veluti Zacharias docet. *Luc. 1.* Tum autem seruimus Deo in sanctitate, *Seruire Deo in sanctitate.* imò in iustitia, quando facimus proximo nostro, quẽadmodum vt nobis fieret vellemus: imò quẽadmodum Deus nobis fecit. Nemo autem non desiderat in peccatis cõpansionem, in grauaminibus auxilium, & in paupertate subsidium. Abi, factu similiter quoq; proximo tuo. Si vides aliquem in peccata incidere, ne exultes, ne efferare, ne inuideto illi, ne irrites illũ, ne condẽnato illũ: sed instrue illum in spiritu lenitatis, & peccatorem te esse memento, & quotidie tentari quoque posse. Secundò, si vides aliquẽ grauatũ, eius oneri serẽdo socium te *Gal. 6.*

*1. Pet. 2.* præbe, & ita legē Christi implebis. Quia & ipse onus nostrū portauit, nimirum peccata nostra in cruce. Atqui in rebus externis triplicia onera sunt & grauamina, quæ in proximo no-

*Tria proximo  
rum ferenda  
onera.* stro cogimur & debemus ferre. Primū est ignorātia, obliuio, ira, stultitia, deliratio, &c. Hos & id genus defectus sentiunt pueri in suis parentibus, vxores in suis maritis, mariti in vxoribus, subditi in suis magistratibus, imò frater in fratre, vicinus in vicino. Non est domus aut cōgregatio, in qua tales de-

*Gal. 6.* fectus non reperiantur. Hic Paulus audiendus: Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Compatere tu alteri in suis defectibus, & ille compatietur tibi in tua imperfectione. Alterum onus est, corporalis ægrotudo. Si vides onus istud & grauamen in tuis parentibus, cōiuge, liberis, familia, vicinis, &c. vnā cum illis porta, consolare illos, serui illis, &c. Hodie enim in illis est, cras in te. Tertium onus est, externa necessitas & defectus in temporalibus rebus. Hoc onus & grauamen si vides in proximo tuo, adiuta illū, dando, commodando, &c. Hoc si nequis, at verbis illum cōsolare, ne pauper cogitet, se ab omnibus hominibus desertum. Hæc in parte non respice ad id quod expendis, sed quod in futura messe metes: quia vita æterna tibi parata est. Hinc Paulus verbo isto concludit: Dum tempus habemus, operemur bonū, non deficientes, &c. tempore enim suo metemus non deficientes, &c. Hæc illa sunt quæ hodie docemur. Hæc illa sunt, quæ apud hodiernum Euangelium à nobis requirūtur. Hæc sequamur, & nunquàm nobis defuerit, quod Christus nobis in Euangelio promisit. Dei gratia cum omnibus nobis, Amen.

*Mercēs aternā  
bonorum  
operum.*

## DOMINICA DECI- MASEPTIMA POST PEN- TECOSTEN, EVANGELIUM LIVM LVC. VII.

**I**Bat Iesus in ciuitatē, quæ vocatur Naim, & ibant cū eo discipuli eius multi, turbāq; copiosa. Cū autē appropinquaret portæ ciuitatis, ec-

tis, ecce defunctus efferebatur, filius vnicus matris suæ! & hæc vidua erat, & turba ciuitatis multa cum illa. Quam cùm vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit illi: Noli flere. Et accessit, tetigitq; loculum. Porrò qui portabāt substiterunt. Et ait: Adulescens, tibi dico, Surge. Et resedit qui erat mortuus, & cœpit loqui: & dedit illum matri suæ. Accepit aurē omnes timor, & glorificabant Deū, dicentes. Propheta magnus surrexit inter nos, & deus visitauit plebem suam,

E A D E M D O M I N I C A E P I -  
S T O L A S A N C T I P A V -  
L I. E P H E S. I I I.

**F**RATRES: Quapropter peto, ne deficiatis ob afflictiones meas, quas pro uōtis tolero, quæ est gloria uestra. Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis à Patre cognatio in cœlis & in terra nominatur, ut det nobis iuxta diuitias gloriæ suæ, ut fortitudine corroboremur per Spiritum suum in internum hominem: ut inhabitet Christus per fidem in cordibus uestris, fixis in charitate radicibus, & fundamento iactò: ut ualeatis assequi cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & profunditas, & sublimitas: cognoscereque præminentem cognitionis dilectionem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei. Ei uerò qui potest cumulatè facere ultra omnia quæ petimus aut cogitamus, iuxta uim agentem in nobis, sit gloria in Ecclesia, per Christum Iesum in omnes ætates sæculi sæculorum.



bant exempla: vt in Matthæo cap. 8. veniebat Christus in domum Simonis, & confestim socrus eius febre liberabatur. Veniebat in domum Matthæi, illicò ex Publicano fiebat Apostolus. Veniebat in domum Zacchæi, Luc. 19. quàm primùm contingebat illi domui salus æterna. Sic veniebat hîc Naim, & è vestigio mortuus adolescens vitæ reddebatur, & tristis mater exhilarabatur. Contrà sicubi Christus aliquem deferit, nihil non mali indè sequitur. Sic Martha mortem sui fratris huic imputabat, quòd Christus longo tempore ab illis abfuerat. Domine (inquit Ioannes 11.) si fuiffes hîc, frater meus non fuiffet mortuus. In Iudaico populo omnium optimè cernere est, quid mali consequatur cedente Christo: ab illis recessit, vnde in hodiernum adhuc in omni miseria & calamitate hærent. Hinc discite causam, quamobrem nos etiam tantum ærumnarum videamus, neque pacem neque securitatem aliquam habentes. Haud dubiè id indè adeò fit, quòd Christum in domum nostram non recipimus & admittimus. Vnde euenire solet, quod olim ad Iudæos dicebat: Vos reliquistis me, & ego reliqui vos.

I. Paral. 12.

Cùm autem appropinquaret portæ ciuitatis, ecce defunctus crebatur, filius vnicus matris suæ. Apparet fortuito factum, quòd Christus id adeò temporis Naim veniebat, cum defunctus adolescens ad sepulchrum deferretur. Apud Deum autem nihil casu fit: omnia antea sunt cognita, considerata, & deliberata, vel sic ordinata, quanquam nobis seculus videatur. Deus omnia nouit priùs, quàm eueniant: apud illum etiam decretum est, quo quidque tempore fieri debeat. Vidua non videbat Christum, nihilque minus cogitabat, quàm ipsius aduentum: Christus autem videbat viduam in suo luctu. Hoc nimirum est, & esse debet summum nostrum solatium, quod Deo necessitas nostra & defectus cogniti sunt: imò quòd iam in via est ad opitulandum nobis, saltem vt patienter expectemus, & de bonitate illius ne dubitemus. Si moram fecerit (inquit Habacuc) expecta illum: quia veniens veniet, & non tardabit.

*qui ad modum .h.  
p. in sy. quidam  
ceus, n. a. s. n. p.  
sua culpa sed  
magnificatur in  
de: a. l. a.  
zay moxi p. ay  
s. v. v. v. v. v. v.  
quasi d. s. u. s. in  
Habac. 3. p. d. s. s.  
m. a. u. d. s. a. p. i. s. s. i. s.  
h. u. i. m. o. i. s. i. b. i. q. p.  
f. i. c. i. o. b. u. i. n. g. v. o. l. u. n. t.  
v. t. q. m. a. i. n. s. e. m. i.  
d. q. s. a. l. b. e. r. a. t. e. s. d. e.  
m. o. r. t. u. e. s. :*

Iam verò obserua hîc, quot verbis Euangelista vtatur, quò magnitudo mali seu calamitatis melius indicaretur, atque etiam bonitas & potentia Christi magis patefieret. Ecce (inquit) defunctus efferebatur. Mors hominis per se ipsam miserabilis est: sed hîc alia accedebant, quæ mortem miserabi-

liorem faciebant. Etenim primò adolescens erat: est autè miserabilius, si quis adolescens moritur, quàm si senex: quippè adolescens in ætate crescente adhuc est, & magno labore ad eam ætatem educatus est & perductus.

Secundò, hic defunctus homo non solùm adolescens erat, sed etiam vnicus filius matris suæ. Vt autem nihil clarius est vnico filio, ita summum adfert dolorem mors vnici filij. Atque ideo sæpenumerò in Scriptura summa tristitia significatur per luctum super filium vnigenitum: vti cum Hieremias dicit: Luctum vnigeniti factibi planctum amarum. Et zacharias de Christo: Plangent eum planctu quasi super vnigenitum: & dolebunt super eum, vt doleri solet in morte primogeniti. Tertiò, erat etiam mater defuncti vidua, id quod mortem longè miserabiliorem faciebat. Tantum miseriarum confluxerat: Christus autem sua præsentia id omne auferebat. Qua de re nemini desperadum, quocunque in malo degenti, Dei enim potentia, nostra miseria infinitis partibus maior est.

Vnum porrò obserua, quàm Deus mirabiliter nobiscum agat. Tum demum auxiliatum nobis & consolatum venit, quando iam de alijs rebus omnibus desperatio nos inuasit. Hæc vidua nullum amplius in terris solatium sperare poterat, posteaquam illi primò maritus, deindè etiam filius mortuus erat. In tali necessitate autem Christus ostendebat sese suo auxilio: sed non veniebat viuente adhuc filio, sed cum iam mortuus erat, & ad sepulchrum deferebatur, omni spe sublata. Sic autem Deus instituit opera sua. Occidit, & viuificat: vulnerat, & sanat: ducit in infernum, & educit: priuat hominem primò omni solatio quod à creaturis habere posset, & dat illi suum solatium. Quare quo pluribus miserijs cinctus & quasi coopertus es, hoc tibi Deus proximior est, si inuoces illum. Quia iuxta est Dominus ijs qui tribulato sunt corde. Sequitur in textu: Et turba ciuitatis multa cum illa.

Sunt qui putant hominem Christianum minimè decere, mortuos deffere. Verisimum est, si addatur, quemadmodum Gentes & infideles suos mortuos deffent & plangunt, qui mortem summum malum censent. Hunc in modum (inquam) hominem Christianum nequaquam decet, mortuos deffere, more canum, aliam aut meliorem vitam nescientium.

1. Thessal. 4. Vnde & Paulus dicit: Nolumus vos ignorare fratres de dor-

*thobie*  
*Zacha. 12.*  
*5. barmibz*  
*sona bntu / heu ma*  
*fiq mjt qud te*  
*m. p. u. n. v. f.*  
*ti. p. v. p. n. r.*  
*thobu. x.*

*Vt nos Deus*  
*consoletur.*

*1. Reg. 2.*

*Psal. 33.*

*Mortui non*  
*plangendi.*

*sed ad hunc meo alioy pbatur qd bona car que jany alioy a plio in*  
*terrenis hic consolatorij na si vroz hic aud spu alioy ve linguji*  
*gi i aud cotribij solati usq: vt ostendit qd se mtr potissimij di*  
*uina asere copolatiue vbi de si huz na desperatij qd qd qui diti*  
*amij solatia tenentur dei copolatiue qd qd vbi diti hinc car*  
*spenofem. d. b. t. q. n. t. o. t. f. s. v. d. s. m. i. r. i. t. i. o. n. e. m.*

mientibus, vt non contristemini, sicut & cæteri, qui spem non habent. Secundò, à Christianorum sepultura seu funere omnes inepti gestus abesse debent, quales Gentibus vilitati sunt: qui eiusmodi gestibus plerunq; maiorem præ se ferunt dolorem, quàm in corde habent, insanis hoc modo similiores, quàm lugentibus. Non enim hæc Christus patitur in suis fidelibus. Veruntamen etiam in Christiano reprehendi non potest mediocris luctus & mæror super defunctos, quatenus ex fide & vero amore proficiatur. Sic enim Patres quoque in veteri Testamento fecere: quinimò ubi verus amor est, temperare sibi ipsi homo à lachrymis & tristitia non potest, dum alij moriuntur: quin etiam in qualibet necessitate sui proximi, licet non ignoret electis omnia cooperari in bonum. Hoc cernimus in diuo Paulois Spiritu sancto plenus erat, attamen gaudebat, & gratias agebat Deo, quòd Epaphroditum morteliberauerat. Et quid solum dico de Paulo, in quo minor Spiritus Dei plenitudo fuit, quàm in Christo? Quis in animo suo constanter & immobilior fuit illo? Attamen quia verus homo erat, & homines verè diligebat, lachrymas continere non poterat, cum de futura deuastatione & interitu Iudaici populi, & ciuitatis Hierosolymitanæ loqueretur. Sic etiam plorauit apud sepulchrum Lazari. Et quid multis verbis opus est? Natura & amor naturalis dicitant, hominem tritari morte suorum amicorum & dilectorum. Fides autem docet, ne luctus & mæror modum excedat. Habemus enim nos Christiani solatium, de quo Ethnici nihil sciunt: nimirum quòd in Domino mortui, viuant adhuc apud Deum, & quòd etiam corpora eorum per Christum ad vitam reuocari debeant. Tristari nobis licet, veruntamen ne tristitiæ nimium largiamur, & ne propterea quid contra Deum agamus faciamus. Sic dicere possum etiam de pompa & celebritate, quæ in sepeliendo exhiberi solent: quòd honestum & moderatum est, iuxta personæ qualitatem, vituperari non potest nec damnari. Sic enim veteres & optimi Patres fecerunt: quemadmodum videmus in Iosepho, qui de mortui sui patris corpus honorificè ex Aegypto transferri in terram Chanaan curabat. Caterum ubi non nisi fastus, superbia, & immodici sumptus apud mortuos fiunt, minimè ludandum est: imò apud nos Christianos ne feredum quidè. Sequitur in

Philip. 2.

Luc. 19.

Ioan. 11.

2. 22. 22 fle

11. 11. abne

g. h. o. s. e. e. l. e. g. i. o.  
 s. e. p. u. l. c. h. r. i. s. t. i.  
 u. t. i. s. a. c. 12. e. v. i. t. e.  
 p. u. l. c. h. r. i. s. t. i.  
 G. e. n. 50. 1. p. m.  
 d. e. f. u. n. d. i. a. s. p. u. l. c. h. r. i. s. t. i.  
 o. r. g. a. n. a. d. e. i. a. d. i. a.  
 m. o. r. t. u. i. s. h. o. m. i. n. u. m.  
 u. t. i. s. a. c. 12. e. v. i. t. e.

videtur firmiter... 7. melius... d. l. q. n. d. ...  
 a. c. h. e. l. s. i. e. f. s. ad h. e. u. c. o. s. t. i. t. u. t. i. o. n. e. s. m.  
 sicut... in... v. d. p. e. n. n. u. m. q. m. s. i. m. p. t. d. n. s. p. e. r.  
 p. a. n. t. i. s. ... l. c. o. n. s. o. l. a. t. i. o. n. i. s. i. n. s. i. t. r. i. b. u. l. a. t. i. o. n. e. n. i. n. g.  
 b. e. r. c. h. r. i. s. t. i. s. i. n. s. i. t. r. i. b. u. l. a. t. i. o. n. e. n. i. n. g.

**Euangelio.** Cùm vidisset Dominus viduam, misericordia motus super eam est. Verbum hoc diligenter cōsiderandum. Magnum enim & incredibile nobis solatium præbet, quan-

**Psal. 9.** do quidem in eo videmus, Davidem rectè dixisse. Tibi domi-  
**Psal. 145.** ne derelictus est pauper: orphano tu eris adiutor. Et iterum:

**Psal. 112.** Dominus custodit aduenas, pupillum & viduam suscipiet,  
& vias peccatorum disperdet. Et rursus: Quis sicut Domi-

**Eccle. 35.** nus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in  
cœlo & in terra? Et iterum dicit Sapiens: Dominus non despi-

**Exod. 22.** ciet preces pupilli, nec viduam, si effundat loquelam gemitus  
Nōne lachrymæ viduæ ad maxillam descendunt, & exclamatio eius super deducentem eas? A maxilla enim ascen-

dunt vsque ad cœlum, & dominus exauditor delectabitur in  
illis. Eaque propter Dicit Deus per Mosē, viduæ & pupillo  
non nocebitis. Si læseritis eos vociferabuntur ad me, & ego

audiam clamorē eorum, quia misericors sum. Hoc nostrum  
solatium est, quod ex isto verbo habemus, vbi Euangelista  
ait, Misericordia motus est super eum. Deindè etiam nobis  
in eo indicatur, merā gratiam esse, & ex mera misericordia  
Dei potissimum proficisci quicquid à Deo accepimus &  
accipimus: quemadmodum etiam beneficium quod huic viduæ  
& filio eius contingebat, potius gratias quàm meritum  
erat. Quia nihil de Christo merita fuisse legitur: nec sperare  
poterat, sibi ab illo tale beneficium posse exhiberi, ideoque  
nō rogabat eum. Ipse verò est, & erat tā bonus, vt commise-

**Iaco. 1.** ratio eius moueret eum ad auxiliandum illi. Sic nos docet S.  
Iacobus: Nolite errare (inquit) fratres, hoc est, nolite putare,

quòd ex vestris viribus sine Dei gratia habeatis aliquid,  
aut consequi possitis. Omne donum perfectū desursum est,  
descendens à Patre luminum, apud quem non est transmuta-

tio, nec vicissitudinis obumbratio. Omne donū perfectum  
(inquit) hoc est, quicquid boni habemus, siue externum sit,

siue internū, vt vita, sapiētia, fortitudo, sciētia, sanitas, forma,  
diuitiæ, remissio peccatorum. Omne donum perfectum, de-

sursum est: non ex nostris viribus neque tam ex nostro me-  
rito & iustitia, quàm ex gratia & misericordia Dei. Hæc ani-

*Vidua & pu-  
puli defendē-  
di.*

mis nostris semper nobis obseruari debent, vti ne simus in-  
grati. Tertiò, quòd Christus huic perturbatæ viduæ etiam  
non rogatus opitulatus est, exemplum est, quod imitari om-  
nes Christiani debent, imprimis verò qui potestatem ali-

quam &

quam & magistratum gerunt, vt etiam non requisiti, viduas & orphanos defendant, cōtra eos, à quibus grauantur opprimunturque: neq; expectent donec requirantur, quandoquidem tam miserabiles personæ quandoq; suam queri necessitatem vel indicare non audent. Sic enim præcipit Deus omnibus regentibus: Subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam. Et iterum: Hæc dicit Dominus: Facite iudiciū & iustitiam, & liberate vi oppressum de manu calumniatoris: & aduenam & pupillum, & viduam nolite cōtristare, neq; opprimatis iniquè. Sic faciebat S. Iob, Ego (inquit) liberabam pauperem vociferantem, & pupillum, cui non esset adiutor. Benedictio perituri super me veniebat, & cor viduæ consolatus sum. Iustitia indutus sum: & vestiui me, sicut vestimento & diademate, iudicio meo, Oculus fui cæco, & pes claudus. Pater eram pauperum: & causam quam nesciebam, diligentissimè inuestigabam. Conterebam molas iniqui, & de dentibus iniqui auferebā prædam. Hoc optimus Iob de seipso verè dicere poterat, etiam coram aduersarijs suis, quid illi euertere & refellere non poterant. Nos autem contrarium facimus. Non solum pauperum clamorem & vociferationem non audimus, sed facimus, inque causa sumus, vt plorare eos necesse sit: non curamus quod Scriptura dicit: Quid obturat *Prou. 21.* aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit & non exaudietur. Sequitur: Et Iesus dixit viduæ: Noli flere. Et accessit, & tetigit loculum. Videmus hîc, Christum duobus modis *Duobus modis* consolari. Primò, suo verbo & sacra scriptura. Quæcunque *Christus nos* enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per *consolatur.* patientiam & cōsolationem Scripturarum spem habeamus. Secundò, consolatur nos Christus beneficia sua manu & suis operibus, quæ semper nobis exhibet. Tantò minus desperandum nobis est, dandaque opera, vt illi grati simus, posteaquam verbum eius & promissionem semper habemus & laudimus, eiúsque beneficia semper sentimus. Et quid amplius faceret quod non fecit? Itaque meritò eum Paulus vocat patrem *2. Cor. 1.* misericordiarum, & Deum totius cōsolationis. Sequitur: Hi autem qui portabant, steterunt. Hoc tandem consequitur, vbi Christus ad hominem venit, & eum contingit: nimirum quòd omnes commotiones & inquietudo cordis componantur. Is enim est, qui sedare potest omne id quod inquietos nos facit. Quemadmodum in Matthæo legimus, *Matth. 8.*

quòd etiam mari & ventis imperabat, vt conquirefcere cogerentur. Hoc potest eius manus & còtactus. Sed audi iam, quid etiã vox illius & verbũ possit: Adolescens tibi dico surge. Et refedit qui erat mortuus, & cœpit loqui. Hic vides virtutẽ diuini verbi. Omnia potest, omnia penetrat: viuum est verbũ & efficax, & penetrabilius omni gladio ancipiti: pertingens vsq; ad diuisionẽ animæ ac spiritus, &c. Et id nobis omnibus cor nostrũ mollire posset, si locũ ei daremus. Nunquid nõ verba mea (inquit Deus) sunt quasi ignis, & quasi malleus cõterẽs petram? Hic malleus & ignis diuini verbi, ita mollebant re-  
*Hebr. 4.* fractarium cor Sauli vno momento, vt diceret, *Act. 9.* Quis es Domine? Domine, quid me vis facere? Hoc loco sermo Christi mortuum vitæ restituebat: imò profligabat mortem, & dabat vitam. Minimè itaque mirũ populum timore correptum fuisse, & protinus vnanimiter magnificasse Deum. Eundem in modũ etiã nos omnesq; alij, Dei opera accipere debemus summa cũ admiratione & laude Dei. Sed de hoc in sequentibus sermonibus plura. Dei gratia cũ omnibus nobis, Amen.

## S E C V N D V S S E R M O D O C E T

*quid in defuncto Adolescente con-*

*siderandum sit.*



**N** Euangelio isto describit sanctus Lucas adprimè pulchram & consolatoriam historiam: imò mirificũ Dei opus, & verè consolatorium miraculum, quod in hodiernum adhuc vnumquẽque verè fidelem hominẽ exhilarat, & co-

*Scripturã sa-  
cra breuis.*

*Mundi sapien-  
tia futilis.*

Piosam ei optimarum meditationũ materiam suggerit. Breuis quidem in narrando Euangelista est, sed hoc vilius nobis esse non debet. Ea enim vera sacræ Scripturæ conditio est, vt breuibus & simplicibus verbis magna complectatur & proponat: quemadmodũ contrà mundana sapientia magnis, multis, & amplis verbis vtitur, in quibus tamen plerũque vis nulla inest. Quocirca ingens discrimen est inter Euangelicæ & alias mundanas historias. Requirit etiam Euangelicæ historie proprios suos auditores. Alia fide, deuotione, attentione opus est, cũ aliquid de Christo audis vel legis, quàm si de Annibale aut Iulio Cæsare legas. Historiæ enim de Christo propter nos gestæ sunt, idcò plenæ solatij, institutionis, salutis & vitæ sunt. Talium autem rerum nihil inuenis in prophanis hi-

phanis historijs. Proindè ubi de Christo eiusque præclaris operibus sermo fit, nõ solum aures, sed etiam cor aperire nos oportet, quò eiusmodi consolatoriæ verba altius inscribantur. Beatus homo quisquis talem thesaurum secum fert, ex quo de promere semper possit quod ei necessarium est, partim ad resistendum hosti, partim ad conscientiam suam instaurantiam. Nobis Christianis etiam meritò lætandum est, & gratiæ agendæ Deo, quò nos Deus eo tempore nasci voluit, quo Evangelium Christi iam multis sæculis ubique locorum & palàm prædicatum est: deditque nobis, ut ipsi gloriosa & mirifica opera Christi nosse possimus. Dico enim vobis (ait ipse) quòd multi Prophetæ & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt. Regina Saba non nisi semel audita sapientia Salomonis in tantam rapiebatur admirationem, ut exclamaret & diceret: Beati viri tui, & beati serui tui hi, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam. Sit dominus Deus tuus benedictus, cui cõplacuiisti: & posuit te super thronum Israël, &c. Apud nos autem plus est Salomone, nimirum Christus filius Dei, quem in dies videmus & audimus. Quantò igitur beatiores essemus supra omnes homines, id animo nobiscum reputare si possemus? Hæc omnia eò dico, ne Evangelium istud hodiernum silentio prætereamus, sed diligenter disquiramus etiam omnia verba: nec dubitemus, quin magna in eo nobis proponantur, uti etiam verissimum est. Etenim Evangelium illud indicat nobis primò, quæ sit vita nostra hinc in terris, quò discamus nos ipsos cognoscere. Secundò, indicat nobis manifesto miraculo, quis Christus sit: idque ad conformationem fidei nostræ, quò videamus illam nostram fidem certam & indubitaram esse: & ut videamus, unde auxiliũ petendum sit. Tertiò, ponit nobis Evangelium istud etiã exempla quædam præ vitæ ob oculos, è quibus facillè apparet, quid nos facere conveniat ac debeamus. Et postremò, etiam in hac historia significatus est & indicatus totus status sanctæ Christianitatis hinc in terris. Hæc omnia (inquam) ex hoc Euãgelio habere possumus & desumere. Id ordine nunc audiemus. Principiò in hoc Euãgelio descripta est & proposta nobis mors adolescentis, fletus viduæ, & processio ad sepulchrũ. In his tribus rebus, si probè cõsiderentur, expressam habebimus imaginẽ huius præsentis vitæ. Enimverò vita nostra

Luc. 10.

3. Reg. 10.

Matth. 12.

1. cõsiderata

Forma præsentis vitæ.

M 2

totus hic sermo fuit de præsentis vitæ

hic in terris aliud nihil est, quàm quod quotidie talis calamitas ob oculos nobis versatur. Vita nostra nihil aliud est, quàm funeris processio. Quocumque nos vertimus, videmus aut viuos plorare, aut defunctos ad sepulchrum deferri. Quin nos ipsi talem miseriam in nobis sentimus: omni hora propius ad sepulchrum accedimus, etiam nolentes. Nec est tam expertus quisquam, qui, ne id videat, cauere possit. Fuerunt quidem, qui liberos suos incluserunt, ne tam miserabile spectaculum videre cogerentur in alijs hominibus, & per hoc in mœrorem inciderent. Videmus in hodiernũ quoque nobiles quandoque & diuites arces suas & domus procul ab alijs hominibus ædificare: imò plerumque in altis montibus & abditis syluis, ne tantum miseriarum videre necesse habeant. Sed frustra: Causam omnium miseriarum atque etiam mortis, in sinu nobiscum ferimus: ita ut tam vigilantes esse non possimus, quin mors per fenestras in domum nostram descendat.

- Hier. 9.* Vbi homines conuersantur vnãque viuunt, ibi videtur istud *Vita nostra calamitosa.* spectaculum, aut lachrymantis viduæ, aut morientis adolescentis. Hæc conditio est vitæ nostræ hic in terris. Nihil habet aliud, quàm ærumnas, tribulationes, ægritudines & pericula, sicuti Iob id pulchrè indicauit: Homo (inquit) natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miserijs. *Qui*
- Esa. 24.* quasi flos egreditur & cõteritur, & fugit velut vmbra, & nõquàm in eodem statu permanet. Idem indicat Isaias alijs verbis: Formido & fouea, & laqueus super te qui habitator es terræ: qui fugerit à voce formidinis, cadet in foueam: & qui se explicauerit de fouea, tenebitur laqueo. Hinc Ethnici quidam dixerunt, optimum esse non nasci, aut natũ quàm ocysfimè aboleri. Vnde & Salomon dicit: Considerans & videns *Mors vt insistetur nobis.* vanitatem vitæ, laudari magis mortuos, quàm viuentes. Talem laboriosam vitam hic in terris tandem acerba consequitur mors: ea ita vestigijs nostris insistit, ut vmbra etiam eius videamus: veluti olim Dauid 1. Reg. 28. dicebat: Viuit Dominus, quia vno tantum gradu, ego morsque diuidimur. Sic etiã diuus Paulus vmbra mortis viderat, vbi inquit 2. Corinth. 1. Supra modum grauati sumus supra virtutem, ita ut tæderet nos etiam viuere. Non solum autem sequitur nos mors, sed nos illi vltro occurrimus, & properamus ad mortem. Imò quocumque is, siue ad conuiuium, siue ad choreas, siue ad leuitatem, &c. nimirum morti occurris. Quia enim non iunio-

non iuniores, sed seniores fimus: certum est, nos morti semper magis ac magis appropinquare: & quot dies viuimus, tot gradus in sepulchrum descendimus. Atque hoc modo veluti nobis videntibus, per fenestras illabitur mors. Habet enim *Mortis in nos*  
 ius in nos, & quidem geminum ius. Primò nanque, quia ho- *geminum ius.*  
 mines sumus, & Adq̃ filij, mors ius in nos habet, posteaquàm  
 Deus sententiam super Adam & omnes eius posteros tulit:  
 Terra es (inquit Genes. 3.) & in terram reuertêris. Secun- *Rom. 6.*  
 dò, quia ipsi etiam peccatores sumus, & peccata in dies cumu-  
 lamus, rursus mors in nos ius habet. Stipendia enim peccati,  
 mors. Et quicùnque contra Dei mandatum agit, mortis reus  
 est. Nam peccatum punit Deus morte: & propter peccatum  
 venit ira Dei in filios diffidentix. Idcoque nihil prodest *Ephes. 5.*  
 contra mortem, neque iuuentus aut senectus, neque nobilitas  
 aut honestas, neque potentia aut gloria, neque sapientia  
 aut eloquentia, neque scientia aut experientia, neque fauor  
 aut amicitia, neque xdificia aut arma, neque sanitas aut vo-  
 luptas, neque aurum aut diuitix, &c. Eaque propter vocat  
 Iosue mortem non immeritò, viam vniuersæ carnis. Omnis  
 enim caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri. Exic- *Ios. 23.*  
 catum est fœnum, & cecidit flos: verbum autem Domini no- *Esa. 40. 1*  
 stri manet in æternum. Summa: omnes morimur, & sicut *2. Reg. 14.*  
 aqua dilabimur: non est homo qui non moriatur: neque hîc *Psal. 48.*  
 frater fratrem redimere potest, &c. Nec refert, quis prior aut  
 posterior moriatur. Serius aut citius, sedem properamus ad  
 vnam. Hæc vita nostra est hîc in terris: melior nobis contingere  
 non potest. Hoc considerandum habemus apud la-  
 chrymantem viduam & defunctum eius filium. Magnoperè  
 nobis necessaria est talis consideratio, maximè in his infestis  
 simis temporibus. Quippè nihil est quod humiliare super- *Mortis comme*  
 biam nostram melius possit, & leuitatem nostram coërcere *moratio utilis*  
 & reprimere, quàm recordatio mortis. Memorare nouissi-  
 ma tua (inquit Sapiens Ecclesiast. 7.) & in æternum nō pec-  
 cabis. Quia ergo Euangelium hodiernum mortis nos admo-  
 net, celsamus à peccatis, ne etiam in anima moriamur: quæ  
 mors tantò perniciosior & formidabilior est, quàm corpora-  
 lis mors, quantò anima dignior & nobilior corpore est. Per *Peccati multi*  
 illam enim mortem, hoc est, per peccatum amittit homo pri- *plex pernicius.*  
 mò suam dignitatem, ex homine fit bellua: amittit verum  
 suum intellectum de spiritualibus & diuinis rebus, vti David *Psal. 48.*

- dicit: Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus  
 11. est iumentis insipientibus, & similis factus est illis, &c. Secun-  
 do, amittit per spiritualem mortem & peccatū, nomen suum  
 coram Deo. Sic enim ipse Deus dicit Exod. 32. Qui peccauit  
 111. rit mihi, delebo eum de libro meo. Tertio, amittit homo per  
 peccatum & spiritualem mortem, etiam nomen suum & opi-  
 nionem coram hominibus. Nomen impiorum putrescet  
 (inquit Salomon Prouer. 10.) memoria iusti cum laudibus.  
 1111. Quarto, amittit homo per peccatum omnes spirituales diui-  
 Luc. 9. tias. Habenti enim (inquit Christus) id est, qui accepta gra-  
 tia & Dei bonis rectè utitur ad omnem pietatem, dabitur: ab  
 eo autem qui non habet, hoc est, qui accepta gratia abutitur,  
 v. & quod habet auferetur. Quinto, amittit homo per peccatū  
 & spiritualem mortem, omnes etiam amicos suos, hoc est,  
 defensionem & custodiam sanctorum Angelorum: de qua  
 custodia Dauid dicit Psalm. 90. Angelis suis mandauit de te:  
 ut custodiant te in omnibus vijs tuis, &c. Hoc amittit autem  
 Hier. 5. peccator. Curauimus Babylonem (dicebant Angeli & legati  
 Dei in Hieremia) & non est sanata: derelinquamus eam, &  
 vi. eamus vnusquisque in terram suam. Postremo amittit etiam  
 homo Deum per peccatum & spiritualem mortem, quia ipse  
 Deut. 30. solus est nostra vita, & longitudo dierum nostrorum. Quan-  
 to igitur animæ mors perniciosior est quā corporalis mors,  
 tanto debemus Christi præceptis & Euangelicis institutio-  
 nibus studiosius obtemperare, ne in peccata, quibus anima  
 occiditur, recidamus. Imò quo perniciosior mors est spiritua-  
 lis, hoc diligentius cauere debemus, ne posteaquàm semel per  
 Christum spirituali morte peccatorum liberati sumus, mors  
 illa per fenestras domum nostram iterum subintret, & no-  
 uissima nostra peiora fiant prioribus. Quare in tempore cō-  
 quiescamus à peccatis, prius quā mors veniat, & nos inopinā-  
 tes opprimat. Nam vix illi, quem mors in peccatis inuenit &  
 Matth. 12. comprehendit. Pœnitentiā agamus de admissis criminibus,  
 Matth. 4. Pœnitentibus enim regnum cœlorum promissum est. Dum  
 Pœnitentibus enim regnum cœlorum promissum est. Dum  
 primum dicitur re-  
 gnum cœlorū. tempus habemus, bona operemur: uti Paulus docet Gala. 6,  
 Luc. 16. Thesaurus thesaurizemus in cœlis: ubi neq; ærugo neque ti-  
 nea demolūtur, neq; fur furari potest. Mat. 6. Et erit aliquā-  
 do tempus, cū thesauris eiusmodi collectis opus habebimus:  
 quæadmodū videmus in diuite condēnato: is nihil spirituale  
 reposuerat, & od id defectum suum queri æternum cogeba-  
 tur &

tur & sentire. Faciamus nobis amicos de mammona iniquitatis. Alioqui enim nihil ex hac vita nobiscum auferimus. Quòd si multa fueris largitus, multa in extremo iudicio recipies. Ad hæc nobis mors istius adolescentis seruire debet. Et hæc ad nos omnes attrinent, quotquot etiam sumus. Nihilominus verò, quia adolescens fuit, qui tum tēpotis defleatur, & ad sepulchrū deferebatur, meritò iuuenilis mundus aliquantò plus & diligētius ad animū id reuocare debebat, quā alij. Equidem nescio quid homo adolescēs meliūs & vtiliūs facere posset, quā si exēplum istud defuncti adolescētis benè ad animū reuocet. Iuuentus (proh dolor) per seipsam ad vitia magis propensa est, quàm senectus. Nunc parentum negligentia, multis malis exemplis. Magistratus lenitate fit, vt iuuentus in omnia peccata & dedecora, scelera & flagitia prolabatur, inq; ijs adolescat. Vndè accidit, vt ecclesia omnibus diebus filios habeat, quos defleat. Cuius enim animum non moueat? Quis nō indolescat, quòd tāta iuuenilis populi multitudo tā miserè pereat in peccatis & omni turpitudine? Quàm rarū nunc illud est, quod Salomon tam fideliter monuit ac docuit, Memēto creatoris tui in diebus iuuetutis tuę, antequā veniat tempus afflictionis tuę, & appropinquent anni, de quibus dicas, Non mihi placent: antequàm tenebrescāt sol & luna, &c. Nemo (inquàm) nunc curat eiusmodi admonitionem. Iuuentus remisso fræno morti & interitui occurrit. Sed quid dicit Christus? Tibi dico adolescens, surge. Hoc homini adolescenti perindè esse debet, ac si Christus dicat: Memento ô homo vbi iaceas, nempè in morte: cogita quò te tua cupidò ducat & ferat: nimirū ad foueam desperationis, è qua exire nunquàm poteris. Quæ comparatio esse cōgruentior potest, quā peccatoris & mortui hominis: Quod em̄ anima facit in corpore, hoc facit Deus in anima. Aufer animam à corpore, omnia mēbra, quātūcūq; formosa & vtilia erāt: sicut deformia, inutilia & imbecilla. Aufert Deum ab anima, omnia ablata sunt. Sine Deo enim nihil possumus. Idcirco clamat Christus, & dicit: Adolescens surge, ne te mors in peccatis tuis opprimat: ne peccando in consuetudinem venias, Nam si mutare potest Aethiops pellem suā, & tu poteris benefacere, cum didiceris malum. Adolescens enim (inquit Salomon Prou. 22.) iuxta viā suam, etiam cū senuerit, non recedet ab ea. Quare dico tibi, ô adolescens, ô iuuenilis ætas, sur-

Matth. 25.

Exhortatio  
iuuentutis.

Eccle. 12.

Peccatoris  
& cadaveris  
cōparatio.  
Ioan. 15.

Hier. 13.

ge in tempore: ne tibi ipse promitte longam vitam; siquidem res incerta est. Ne sis confidens, quòd Deus misericors est: quia & iustus est. Ne tu tibi ipse blādiaris in peccatis tuis, eò, quòd etiam alij peccent: vnusquisq; enim pro se rationem redditurus est, & onus suum portabit. Neminem ad peccandum prouocantem te audias, quia certò ad sepulchrum te deferunt: ducunt te ad mörtem, in foueã desperationis te cõijciunt, si vel vnum horum quatuor in te radices agere fueris. Christum itaque audi tibi acclamantem, Dico tibi adolescēs, surge: hunc imitare, & non solùm tristem tuam matrem, sanctam ecclesiam & Christianitatem exhilarabis, sed tibi etiam ipsi æternam vtilitatem paries. En, hoc adolescenti homini imprimis circa Euangelium istud considerandum est, quamquam alioqui etiam nobis omnibus dictum est. Huius rei gratia precemur cum Diuo Paulo, & genua nostra flectamus ad patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur, vt det nobis secundum diuitias gloriæ suæ virtutem corroborari per spiritum eius in interiori homine, Christum habitare per fidem in cordibus nostris, in charitate radicati & fundati: vt possimus comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum: scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, vt impleamur in omnē plenitudinem Dei. Hoc hodiè precari debemus circa istud Euangelium. Hæc vera capita sunt, in quibus spiritalis vita animarũ consistit, & per quæ etiam conseruatur, Amen.

T E R T I V S   S E R M O  
docet quid circa personam Christi  
considerandum.

**I**N hodierno isto Euangelio optimus quisque Christianus, qui prudens sit rerum spiritaliũ, iucundum spectaculum habet, ex quo voluntatem & gaudium in hodiernum adhuc capere possit. Duo diuersa hominum genera occurrunt sibi inuicem in hoc Euangelio: Christus cum suis discipulis, & vidua cum suis ciuibus. Sed dispar admodum apparatus erat: ab altera parte erat vita, ab altera parte mors. Qui cū vidua erant,

dua erant, omnes lugebant, & non immeritò: quãdoquidem nihil aliud videbant, quàm mortem & humanam miseriam. Qui autem cum Christo erant, gaudebant, idq; non immeritò: quia verum seruátorem secum habebant. Verútamen indicatum simul est, quòd vita mortem vincebat, & tristitia in gaudium vertebatur: ex duobus vnus cœtus fiebat, qui vtrinque Deum laudabant, dicebãntque: *Propheta magnus surrexit in nobis: & Deus visitauit plebem suam.* Hoc spectaculum ponit nobis Euangelium istud ob oculos: Istuc ipsum est, quod adhuc quotidie videmus & experimur. Paulus totũ humanum genus in duos diuidit cœtus: in altero ponit Adam cum omnibus eius posteris: is est populus de Naim, vbi aliud videtur nihil, quàm peccatum, maledictio, mors & condemnatio. Vndè nihil aliud sequitur & sequi potest, quàm ploratus & lamenta: vt qui istiusmodi miseriam sentiunt, nunc hinc nunc illuc vociferentur. Alius dicit: *Væ mihi mater mea, quare genuisti me?* Alius dicit: *Pereat dies in qua natus sum: quare non in vtero matris mortuus sum? quare egressus ex vtero non statim peri?* cur lactatus vberibus? quare exceptus genibus? Tertius ait: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est.* Quartus exclamat: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* In altera verò parte collocat Paulus Christum cum suis. Atque ibi nihil aliud apparet, quàm gratia, iustitia, benedictio, salus & vita. Vnde necessario sequitur gaudium & gratiarum actio: vt qui sentiunt, alius alibi capat, & Deum laudibus vehat. Alius dicit: *Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum.* Secundus dicit: *Benedictus Deus, qui regenerauit nos in spem viuam per Iesum Christũ, &c.* Tertius dicit: *Scimus quoniam translati sumus de morte ad vitã, &c.* Hi duo cœtus vbi sibi inuicem occurrunt, rectè agitur: ibi in hodiernum deprehenditur, gratiam fortiorem esse peccatis, benedictionem efficaciorẽ maledictione, vitam potentiorẽ morte, Christum plus prodesse, quàm Adam nocuit, & Deum superiorem Diabolo. Cæterum vbi Adæ filij Christum in via non inuocant, ibi certè ad mortem tendunt: nihil aliud sunt, quàm grex ad victimam: mors depascit eos, & omne auxilium eorũ veterascit. Sepulchra domus illorũ, &c.

Luc. 7.

Hier. 15.

Iob 3.

Psal. 119.

Rom. 7.

1. Cor. 15. 54. &amp; 55.

1. Petr. 1.

1. Ioan. 3.

Psal. 48.

ues Naim faciebant. Vndè videre facilè possumus quæ nostra miseria sit, & cui eam acceptam ferre debeamus. Nunc in isto sermone alterum quoque cœtum nobis proponemus, Christum cum suis discipulis: audiemusque quomodò civibus Naim tristitiam eorum in gaudium verterit: qua ex re facilè patefcer, cui etiam nos salutem nostram acceptam ferre debeamus: nimirùm illi ipsi qui vitæ exempto adolescenti

*Christus quid agat.*

vitam reddebat, hoc est, Christo. Audi itaque quid Christus facit. Mox ut videt miseriam viduæ, miseretur illius, accedit, consolatur verbis, contingit loculum, excitat mortuum, & in vitam reuocat, per hoc omnem tristitiam vertès in gaudium, ut tristes civitatem egressi, læti redirent, canentes & laudâtes Deum, qui visitasset populum suum. Et hîc vides quid faciat, vbi Christus in tristè cœtum filiorum Adæ venit. Hîc vides, quomodò & per quem nobis mors, aliâque miseria auferatur.

*Christum quis sit.*

Imò hîc Christus palàm declarat quis sit, & ad quid venerit. Quis igitur Christus? Verba & opera eius apertè demonstrât, quòd sit misericors & omnipotès, & deindè etiam Deus. Nam quomodò alijs hominibus qui nihil de illo me-

*Ioan. 3.* riti fuerant, opitularetur, nisi naturâ misericors esset? Quomodò hæc signa & miracula facere potuisset, nisi Deus cum illo esset: imò nisi ipse Deus omnipotens fuisset? Etenim mortuos suscitare, eo modo quo Christus illos suscitavit & ad vitam reuocavit, opus est solius Dei. Is vocat illud, quod nō est æquè atque id quod est. Proindè miraculum, quod Christus in hoc defuncto adolescente fecit, certum auctoramentum & confirmatio est fidei nostræ in Christum, vt de deitate illius dubitare nō possimus. E diuerso miraculum istud etiam

*Rom. 4.* omnes eos confundit, qui deitatem Christi abnegant. Iudæi scindebant vestes suas, & pro summa contumelia ducebant, si nominaret se filium Dei. Sæpè illum propterea lapidare in animo habebât. Romani longè eum humiliorem iudicabât, quàm vt illum inter deos suos referrent. Iulianus apostata & perfidus Cæsar, ex contemptu eum Galilæum vocabat. Celsus præstigiatores, Arius creaturam. Miraculum autè istud omnes eos confundit. Nam quod Christus hîc fecit, id neq; præstigiatores apud Ethnicos, neq; Prophetæ per se apud Iudæos facere potuerunt & adhuc faciunt: nihil aliud sunt, quàm præstigiæ & delusiones oculorum. Miracula quæ Prophetæ, Moyses, Elias, Helisæus fecerūt, vera quidem miracula sunt:

*Matth. 26.* neque ea

*Ioan. 8. 10.*

neque ea

neque ea Prophetæ ex propria virtute, sed per inuocationem diuini nominis fecerunt. Sic quidem etiam Elias, & Helisæus mortuos excitauerunt: verum non propria virtute, sed per veram fidem & orationem ad Deum. Domine Deus meus (inquit Elias) reuertatur obsecro anima pueri huius in viscera eius. Helisæus orabat etiam ad Deum, puerum ex mortuis excitaturus. Christus autem non solum vera signa fecit, sed etiam ex propria virtute, potentia & verbo suo. Loquebatur, vt qui potestatem haberet: & verba res etiam ipsa sequebatur, & vis. Ad leprosum dicebat, Mundare, & confestim mundabatur. Dicebat ad mutum, Marci 7. Ephphatha, & protinus mutus loquebatur & audiebat. Dicebat Lazaro, Ioan. 11. Veni foras, & mox defunctus Lazarus è sepulchro prodibat, in quo quatrimum iacuerat. Sic hoc loco dicit: Tibi dico adolescens, surge: & statim resedit defunctus. Hæc & id genus alia miracula, clarè nobis significant, Christum cum esse, qui à constitutione mundi dicebat, Gene. 1. Fiat lux, & facta est lux, &c. Vnicum verbum est, vnicus opifex, vnicus dominus, qui creaturas condidit & conseruat. Ex his omnibus vides, quis Christus sit. Huc pertinet, quod in Ioanne dicit, cap. 11. Ego sum resurrectio & vita: qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet. Et iterum, Ioannis 5. Sicut pater suscitatur mortuos & viuificat: sic & filius quos vult viuificat. Sicut enim pater habet vitam in semetipso: sic dedit & filio habere vitam in semetipso, &c. Hinc est, quod Petrus in Iudæorum concilio intrepidè dicebat, Acto. 4. Notum sit omnibus vobis, quòd iste qui aliquando claudus erat, in nomine Iesu Christi Nazareni, hinc adstat coram vobis sanus. Hic est enim lapis qui reprobatus est à vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli: & non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Hoc est, quod nos consolatur, erigit, spem & animum facit in hac calamitosa vita. Hoc est, quod nobis omnem mœstitiam, quinetiam horrorem mortis discutit: quandoquidem clarè in hodierno Euangelio videmus, quòd Christus is sit, qui mortuos viuificat, & viuos consolatur. Ecquid amplius petis? Aut vbi alium reperies, qui hoc similiter nosset & posset? Vnum porro obserua, quòd Christus non vbique fecit, quod hic in Naim fecit: multas ciuitates & oppidula præterijt, vbi nullum mortuum excitauit: verum ad hanc cum

3.Reg.17.

4.Reg.4:

Matth.8.

Cur in Naim  
 præcipuè mor-  
 tuum Domi-  
 num excitauit.

veniret ciuitatem, consistebat, & auxiliabatur, & suam declarabat potentiam & gratiam: attamen non immeritò id faciebat, quia cum defuncto suo ex ciuitate processerant Christo obuiam. Aliæ ciuitates habebant etiam mortuos & viduas: quia verò nõ exhibant Christo obuiam, præteribat Christus.

*Quid agendum nobis.*

Hoc nobis dictum est: non satis est scire, quòd Deus omnia possit, sed surgere oportet, prodire, itineri se committere, in qua it Christus, & isthïc implorare & expectare salutem Dei, & illi necessitates nostras detegere. Et hoc est quod Paulus dicit, Eph. 5. Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Nemo hac vidua miserabilior videbatur: erga defunctum autem filium nihil penitus spei reliquum erat, attamen cum Christo obuiam fierent, ambo consolabantur. Idem adhuc vsu venire solet, quod illi cum primis sentiunt, qui in tribulatione positi, Christo sua oratione occurrunt. Quemadmodum etiam in sancto Paulo videmus, qui in tot afflictionibus, Dei tamen semper præsentiam & opem sentiebat. Vnde alacriter dicere poterat: Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. Neque mirum, si vbique consolationem à Deo inueniebat, qui Deo nusquam non occurrebat viua fide & ardenti oratione. Sancti martyres & alij probi, similiter quoque fecerunt. Nobis nihil aliud deest, quòd non etiam manum Dei & potentiam semper ita præsentem sentimus: nihil aliud (inquam) nobis deest, quàm quòd non eximus, cum tamen adhuc quotidie Christus domus nostras prætereat: quinimò is qui Dei est sapientia, in omnibus plateis nobis acclamet. Facile remedium & opem habere possemus, sed non curamus. Ciuitatis voluptas & amœnitas nos tenet, quòd minùs prodeamus ad Christum. In quem tandem reijciemus culpam nostræ condemnationis? Enimuerò neque in Deum neque in Christum poterimus reijcere. Quid enim Deus facere debuit, & non fecit? Christus suo etiam functus est officio. Venit ad nos, vocauit nos: dona sua & merita, quinetiam æternum suum regnùm & gloriam obtulit. Ecquid amplius facere debuit? Num præter voluntatem nostram nos coget? minimè. haud faciet. Miser homo, an nõ sufficit tibi, quòd prætereuntem illum vides, audis strepitum, vides aliorum cõcursum? Proindè nos ipsi authores sumus nostræ con-

*I. Corint. I.*

*Proverb. I.*

stræ con-

stræ condemnationis. Vnde verè de nobis dici potest, Lux venit in mundum : sed homines magis diligunt tenebras, *Ioan. 3.* quàm lucem. Et iterum potest Christus ad nos dicere: Quo- *Luc. 13.* ries filios tuos volui congregare, & noluisti? Vehementer nos olim pœnitebit istius nostræ negligentæ. Venient dies (inquit Christus) quando desideretis videre vnum diem filij ho- *Luc. 17.* minis, & non videbitis. Quare properemus dum Christus *Matth. 25.* adhuc in via est, priusquàm nobis è manibus & oculis elabatur, & ostium claudat. Tum frustra pulsabimus, & audire cogemur Christum dicentem, Nescio vos. Hoc alterũ est, quod in isto Euangelio considerare oportet: nimirum Christũ & eius turbam, quemadmodũ primò viduam cum tristi eius turba considerauimus. Hæc duo adèò dissimilia sunt, vt quisquis ea simul considerat, bifarios etiam indubiè affectus & cogitationes in seipso sentiat, putà tristitiam & dolorem ex consideratione defuncti adolescentis, & conturbatæ matris: gaudium autem, ex vtriusque ipsorum inopinata & celeri consolatione per Christum. Et tamen Christus est, qui vtraque illa fecit & instituit, dolor è & gaudium. Quàm certò adolescentem à mortuis excitauit: tam quoque certò eum prius mori fuit. Quia potestatem vitæ pariter & mortis habet: mortuo vitam reddere potest, & viuum potest vitæ eximere. Imò hoc etiam possunt creaturæ, illud autem solus Deus potest. Diabolus, & mali homines, quinetiam feræ, leones, vrsi, serpètes, &c. hominem vita priuare possunt, Deo permittente: nemo tamen illi vitam dare potest præter vnum Deum. Ego (*Deute. 32.* inquit) occidam, & viuere faciam: percutiam & sanabo. Quamquàm quidem Lucas alterum tantum commemorat in hoc Euangelio, nimirum quòd Christus adolescentem à mortuis *ho. 10.* excitauit: nec dicit, quòd illum mori siuerit: haud tamen res *ph. 10.* aliter cum illo habuit, quàm cum cæco nato, & cum lazaro: non fortuitò, sed Deo item disponente, factum erat, quòd alter cæcus natus fuerat, alter moriebatur, & ad tempus sepultus erat, Deus sinebat alterum cæcum nasci, & alterum mori, non in hoc, vt iste semper mortuus, & alter semper cæcus esset, sed vt opera Dei in vtrisque manifestarètur: imò vt filius Dei in alterius cæcitate, & in alterius morte clarificaretur. Sic res etiam habebat cum hoc adolescente. Dispositio Dei erat, quòd tum adèò moriebatur, & ad sepulchrum deferebatur, cum Christus huic loco appropinquabat. In morte illius

omnes homines videre & experiri debebant, quòd Christus in manu sua vitam & mortem haberet. Ideòque tam grauitè loquitur: iubet cessare matrem à fletu: iubet baiulos consistere: loquitur ad defunctum non tanquàm ad mortuũ, sed tanquàm ad dormientem. Tibi dico (inquit) adolescens, surge. Et resedit qui erat mortuus. Et hoc quid aliud est, quàm quòd antea per Moysen dixit, Occido & viuere facio, &c. Quisquis ergò cogitat, quòd Deus homini iuueni, forti & diuiti, vitam ita breui momento auferre queat, nec eum impedire possit vlla creatura, is meritò cum Dauide dicit: Timebunt Genes nomen tuum Domine, & omnes Reges terræ gloriam tuam.

*Dente. 23.*

*con sideratio:*

*Psal. 102.*

Contrà, qui reputat, secum, quòd Christus defuncto adolescenti, cui nulla per se creatura opitulari poterat, tam facillè sine omni labore & sumptu: quin etiam sine multis precibus & obsecrationibus vitam reddit: & is meritò cum Dauide dicit: Qui timeant Dominum, sperauerunt in Domino: adiutor

*Psal. 113.*

eorum & protector eorum est. Hi duplices illi sunt affectus, quos bonus Christianus ex hoc Euangelio sentire debet: imò hoc est quòd ex ista historia discere nos oportet: nimirum Deum timere, qui vitam nostram, spiritum & halitum in ma-

*Dan. 5.*

nu sua habet, auferre potest, quando & quemadmodum velit, sine omni impedimento: contrà verò etiam in Deo sperare, quando quidem in Euangelio isto videmus eum illis etiam vitam reddere posse, quibus antea ademit. Et quid melius discere possemus, quàm timere Deum, & tamen etiam in illo sperare? Imò quid nos tota sacra Scriptura docet aliud, quàm Dei timorem, & spem firmam cum amore coniunctam. Nec quicquam est, in quo nobis plus desit, quàm in his duabus rebus, Dei timore, & spe eiusmodi. In rebus secundis nulla timoris Dei recordatio extat: in aduersis nulla spes in nobis est. Verùm vbi nullus timor Dei est, necessariò omne malum, peccatum & impia vita consequitur: Contrà, verò vbi nulla spes est, desperatio non procul abesse potest: quin iam principium habet & liberum aditum. Beatus homo (inquit David) qui timeat Dominum. Ediuersò dicit Isaias: Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem: assumunt pennas, sicut aquilæ: current, & non laborabunt: ambulabunt, & non deficient. Tantò maiore in pretio Euangelium istud habere debemus, quòd ad timorè Dei simul & spem seruire nobis possit. Quòd si igitur initio audis, quòd mors etiam iuuen-

*Psal. 111.*

*Esa. 40.*

nem auſit inuadere, nec tamen vlli parcat, noli metuere mor-  
 tem per ſeiſam, ſed illud quod cū ea venit & comitatur. Ro- *ſ. d. d. d.*  
 gas quid mors ſecum ferat? Quòd tempus gratiæ in morte ſi- *In morte quid*  
 nem habet, & poſt mortē nemo operari amplius poteſt: quē *timendum.*  
 admodūm Chriſtus dicebat in cæco nato, Ioan. 9. Nec quiſ-  
 quam amplius Dei iram effugere poteſt. Quid ergo etiā mor *Matth. 24.*  
 tem ſequitur? Quod Paulus dicit Romano. 14. Omnes ſtabi-  
 mus ante tribunal Chriſti: itaque vnusquiſque pro ſe rationē  
 reddet Deo, &c. Imò hoc poſt mortem ſequetur, quod Chri-  
 ſtus ipſemet dicit Matthæi 25. Tunc dicet Rex his qui à ſini-  
 ſtris erunt, *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, &c.*  
 Proindē non mors, ſed iudiciū Dei nobis metuendum. Mors  
 nobis timenda non eſſet, ſi iudicium nullum ſequeretur. Mor-  
 tem effugere nemo poteſt, idēo fruſtrā mors timetur: iudiciū  
 Dei euitari poſſet facile, ſi ipſi vellemus. Hic meritò expaue-  
 ſcimus. A iudicijs tuis timui, inquit Dauid. Idcirco mors hu- *Pſal. 118.*  
 ius adoleſcentis meritò nos terrere poteſt. Contrā autē quan-  
 do audimus, quòd Chriſtus mortem tam potēter proſtigat,  
 & vitam vno verbo det ac dare poſſit: meritò nos corroborare  
 & ſpem facere nobis debet. Certum enim hic eſt, & luce  
 clarius demonſtratum quod Chriſtus in Ioanne dicit: Venit *Ioan. 5.*  
 hora & nunc eſt, quando mortui audient vocem filij Dei: &  
 qui audierint, viuent, &c. Hoc ſolacium nobis præbet Euan-  
 gelium iſtud. Quiſquis ergo apud mortem adoleſcētis diſcit  
 agnoſcere proprium ſuum periculum, & timere Deum: apud  
 potentiam verò quam in hoc declarauit miraculo, diſcit con-  
 fugere ad Deum, & ſperare in illum, vno is tempore ſatis di-  
 dicit. Dei gratia cum omnibus nobis, Amen.

Q V A R T V S S E R M O D E  
*bonis exemplis in hodierno Euangelio*  
*nobis propoſitis.*



**H**ODIERNVM iſtud Euangelium, in quo  
 Chriſtus lachrymantem viduam tam compa-  
 rtiēter conſolatur, eius verò defunctum filium  
 tam ſine omni mora, tam promptē & tam po-  
 tenter à mortuis excitat, debebat nos meritò  
 Prophetæ Oſeæ admonere, in quo etiam Deus etiam mul- *Oſe. 14.*  
 tis retrò ſæculis, verbis tam perſpicuis omnia iſta promiſit,

- quæadmodû in hoc Euangelio ipso vsu cõperimus. Sarabõ (inquit) cõtritiones eorû, diligã eos spontaneè : quia aduersus est furor meus ab eis. Ero quasi ros Israël, germinabit sicut liliû, &c. Et ante hæc sic ait: De manu mortis liberabo eos, de morte redimã eos: ero mors tua ô mors: morsus tuus ero inferne, &c. Omnia hæc verba cõponat quis cû isto Euangelio, videbit nimirû, promissionem hæc in Christo esse etiam Amen: quemadmodû omnes aliæ promissiones in illo & per illû cõpletæ sunt, & adhuc quoridiè complentur. Etenim primò, an nõ hoc est cõtritiones nostras sanare, quod Christus vno tẽpore viuã matrẽ suã tristitia, & mortuû filiû morte liberat? Quid premit, grauat & cõterit nos Adæ filios magis, quã quod vita hæc nostra tantã tristitiæ amaritudinẽ habet, & postremò mors etiam demû sequitur? Homo (inquit) natus de muliere, breui viuens tẽpore repletur multis miserijs:
- Job 14.* Qui quasi flos egreditur & coneritur, & fugit velut umbra, & nunquã in eodem statu permanet. Quantum medicus argenti & bonorû mereret, quantum concursum haberet, si nobis Adæ filijs hæc duo possiet auferre, tristitiã & mortem? Hic autem medicû habes qui id facere possit. Ego (inquit) contritiones eorum sanabo. Et addit, Diligam eos spontaneè. Hæc omnia probata sunt in isto Euangelio. Tristis mater & vidua ciuitatem exhibat, læta reuertebatur: mortuus adolescens efferebatur, viuus domum redibat. Dicis: Quid hoc mihi gaudij afferre potest, quod nõ nisi in vno homine factû est? Audi qd Deus dicat antea in Propheta: De manu mortis liberabo eos, de morte redimã eos. En, hic non de vno sed de multis loquitur: & quod magis est, minatur etiam morti & inferno, Ero (inquit) mors tua, ô mors: morsus tuus ero, inferne. Hæc certè sunt omninò verba consolatoria, quæ etiã Paulus magnificè adducit. Vbi (inquit) est mors victoria tua? vbi est mors stimulus tuus? Deo autè gratias, qui dedit nobis victoriã per Dominû nostrû Iesum Christum. En, hic audis, quod etiã Paulus hæc verba de Christo interpretatur, Tãto minus alicui mirû videri debebat, quod modò dixi, vt nos Christiani circa istud Euangeliû verba Prophetæ iam cõmemorata, in mente habeamus: quãdoquidem impletio talium verborum ita potenter adest, vt nemo dubitare possit,
- Luc. 7.* quin populus confiteri & dicere sit coactus, magnum Prophetam, quẽ Deus promississet, venisse & surrexisse: quinimò Deus ipsum

Deus ipsum

Deum ipsum visitasse populum suum. Et cui transcribere alio qui poterant? Opus quod Christus faciebat, tam manifestum est, ut nemo dubitare possit, quin sit is qui in Propheta dixit, De morte redimam eos. Certè talia nunquam visa sunt iam inde ab initio. Nec quisquam poterat dicere rem dolo geri. Omnes sciebant adolescentem mortuum: funus institutum erat, sepulchrum factum, baiuli mortuum humeris gestabant: mater flens sequebatur, & copiosa turba communi dolore affecta: nec quisquam erat in tota multitudine, qui de aduentu Christi cogitasset. Tantò minus inimici nostri istud miraculù reprobare aut suspectum reddere possunt. Contrà verò, tantò certiores nos esse possumus, Christum eum esse, qui ipse in Propheta dixit, se de morte nos liberaturum. Idque alijs etiam *Matth. 9.* in locis comprobauit: primò in defuncta duodecim annorum *Ioan. 11.* puella: & deinde quoque in Lazaro quatrduo in sepulchro iacente, de cuius ad vitam reditu, etiam germanæ sorores desperauerant. Si credideris (inquit Christus) gloriam Dei videbis. Et iterum Resurget frater tuus. Et, Ego sum resurrectio & vita: qui credit in me etiam si mortuus fuerit, viuet: & omnis qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum.

Hæc omnia nobis Christianis solatium & gaudium afferre debent, nec non confirmationē fidei & charitatis nostræ: cum in vita tum in morte: quandoquidem per hæc miracula certissimus, quòd Christus nos non solum tristitia huius vitæ, sed etiã acerbitate & terrore mortis liberare potest. Ab acerbitate (inquã) & terrore mortis: alioqui enim mortē effugere nemo potest. Quicquid natū est, rursus moriat̄ necesse. Omne quod ex Adam est, maledictionē Adæ ferat oportet. Sed longè aliud est, corpore mori, & acerbitem mortis experiri & sentire. Christus suos immunes facit non à corporali morte: quia prima sententia procedat necesse est, ubi Deus dicit, *Gen. 3.* Terra es, & in terram reuertēris. Hoc autem facit Christus: non sinit suos terrorem & acerbitem mortis sentire. Si quis sermonem meum seruauerit (inquit) non gustabit mortem in *Ioan. 8.* æternum. Huc spectant etiam verba Prophetæ: De morte eos redimam, &c. Hoc nostrum solatium est: qua re nos Christiani circa Euangelium istud gaudere meritò debemus. Imò qui non esset Christianus, apud Euangelium istud Christianus fieri debebat: quandoquidem in eo videt ac inuenit, quòd alioqui in terris nusquam inueniri potest: nimirum certam gau-

dium in omni luctu, quin etiam certam vitam in medio mortis. Hæc duo sunt, quæ in mundo nusquam inueniuntur apud quenquam mortalium: apud Christum autem inueniuntur. Id in hoc Euangelio comprobatum est. Vidua inueniebat solatium & gaudium apud illum, etiam in summo mœrore. Defunctus adolescens inueniebat apud eum vitam etiã in medio mortis. Et id minimo negotio à Christo fiebat vtrobiq; : vno verbo profligabat Christus mortẽ & omnem tristitiã. Eo ipso verbo dabat vitã & gaudium. Quis igitur non libenter Christianus sit & maneat, totõq; se pectore Christo, dedat? Domine (inquit Petrus) ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. Et Dauid: Domine, nõ discedimus à te: viuificabis nos, & nomen tuum inuocabimus. Et iterum: Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine Domini Dei nostri inuocabimus. Quis non etiam libenter Christianus fiat, etiam si antea Christianus non fuerit: quão audit & videt, Christum dare, & dare posse, id quod homines potissimum desiderant, nimirum gaudium, & vitam? Hæc duo autem nusquam reperiuntur, quàm in Christo & per Christũ. Venite ad me (inquit) & ego reficiam vos. Et rursus: In me pacem habebitis, ego vici mundum. Et iterum: Qui credit in me, suscitabo illum in nouissimo die. Atque hoc pacto duo ista homini Christiano circa hodiernũ istud Euangelium considerata forent. Admonet enim nos mortis, & simul indicat nobis etiam victorem mortis. De hoc iam satis. Videbimus nunc, quæ exempla veræ pietatis in hoc Euangelio nobis proponantur, vt funiculus fiat triplex, & nos Christianam doctrinam perfectam habeamus, ne in alterũ latus claudicat. Atqui duobus proximè præcedentibus sermonibus ex hodierno Euangelio didicimus, qui simus naturã, & quid Christus apud nos fecerit ac faciat: quæ quidem præcipua sunt capita Christianæ doctrinæ, vt nos ipsos & Christum agnoscamus. Hoc ante omnia dicendum, quia ad fidem pertinet: sed eodem & tertium spectat. Quando scimus, quid credendum sit, videre deinde oportet, etiam quũ viuendum, quid faciendũ sit. Hoc nos docuit Christus verbis simul & exemplis. Discite à me (inquit Matthæ. 11.) quia mitis sum & humilis corde. Et iterum Ioan. 13. Exemplum dedi vobis, vt quemadmodũ ego feci vobis, ita & vos faciatis. Item Matthæ. 16. Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. In hodierno Euangelio multa exẽpla indicata habemus, cum

Ioan. 6.

Psal. 79.

Psal. 19.

Matth. 11.

Ioan. 16.

Ioan. 6.

Scis quid credendum, discere & quid agendum.

bemus, cum in Christo tum in populo, iuxta quæ etiam nos  
 vitæ nostram instituere merito debemus. Primo siquidem vi-  
 demus in populo Christum comitante, veram fidem & deuotionem.  
 Ea enim sola vera fides est, quæ per charitatē operatur, & Chri-  
 sto perseveranter adheret. Ea sola vera deuotio est, quæ sem-  
 per manet, nec vñquā deficit. Non enim qui aliquid boni inci-  
 pit, sed qui in bono perseverat in finē vsq; saluus erit. Deinde  
 & secundo, videmus etiā in populo viduam sequente, egregium  
 exemplum charitatis & cōpassionis, quod non solum viuus, sed  
 etiā vita defunctis charitatis officia & opus misericordiæ ex-  
 hibebant. Hoc opus cum primis in Tobia commendatur. Sic  
 enim de illo loquitur Scriptura: Esuriētes alebat, nudisque ve-  
 stimenta præbebat, & mortuis atque occisis sepulturā sollici-  
 tus exhibebat. Denique cū Rex Sennacherib iratus multos oc-  
 cideret ex filijs Israēl, Tobias sepeliebat corpora eorum. Atq;  
 ideò etiam Angelus ad eum dicebat: Quando orabas cum la-  
 chrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium  
 tuum, & mortuos abscondebas per diem in domo tua, & nocte  
 sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino. Et nunc  
 misit me Dominus vt curarem te, & Saram vxorē filij tui à dæ-  
 monio liberarem. Eodem modo laudabat Dauid viros Iabes-  
 galaad, quod corpus sui regis Saūlis, quod Philistæi in contume-  
 liam in muro suspendierant, noctu & clam abstulerant, & sepe-  
 lierant. Benedicti (inquit) vos Domino, qui fecistis misericor-  
 diam hanc cum Domino vestro Saūl, & sepelistis eum. Et nūc  
 retribuet vobis quidem Dominus misericordiam & veritatē:  
 sed & ego reddam gratiam, eò quod fecistis verbum istud. Vide,  
 talem laudem habet in sacra Scriptura, vbi etiam mortuis cha-  
 ritas & opus misericordiæ exhibetur, terræq; mādantur. Pre-  
 tereo nunc, quod funus comitari, etiam nos admonet humanæ  
 conditionis, & primæ sententiæ in hominem latæ, vbi Deus  
 inquit: Terra es & in terram reuertēris. Vnde & Salomon Ec-  
 clesiast, 7. rectè beréque dixit, melius esse, ire ad domū luctus  
 quam ad domum conuiuij. Nam in domo luctus quilibet sui  
 finis cōmonest; ac tum homo mēte secū voluit, dum in viuus  
 adhuc est, quod secururū sit. Hoc itaq; pacto de vtrisque cœtib;<sup>9</sup>,  
 tum eorū qui Christū, tū eorū qui viduam sequebantur, egregia  
 & insignia exēpla & incitamenta ad pietatē haberemus. Ante  
 oīa autē exemplū Christi cōsiderandū est, in ea potissimū pte,  
 quod in tanta populi frequētia, neq; diuites, neq; nobiles, aut

Galat. 5.

Matt. 24.

De funerali officio

Tob. 1.

Tob. 12.

2. Reg. 21.

Funus comi-  
tari.

Gen. 3.

*Christus pupillorum pater, &c.* & statim in primo suo aduentu. Per hoc primū indicauit declarauitque, se patrē esse orphanorum, & iudicem seu protectōrē viduarum, vti Dauid de illo dicit Psal. 145. Dominus custodit aduenas, pupillum & viduam suscipiet, & vias peccatorum disperdet. Deindē autē & ante omnia, voluit nobis Christus per hoc exemplum dare misericordiæ charitatis & compassionis erga omnes afflictos & miseros homines, quanquam proh dolor, paucos imitatores habet hac in re. Nam quod sublimē est, facillē videmus: quod humilē, id nemo videt. vnde fieri solet, vt ad diuitem, qui in extremis ciuitatis locis sedem habet, gregatim curratur, pauperē verò vicinū, cuius ædes nostris contiguæ sunt, quique nostros semper ob oculos versatur, nemo curet. Omitto nunc quōd eiusmodi pauperes derelictos supra id etiam grauemus & opprimamus omnibus modis, posteaquā neminem habent quibus curæ sint: imō multi extent in quibus verissimē cōperitur, quod olim de Iaconia dictum est: Ex leonibus & prædonibus natus erat, & factus est leo: & didicit capere prædam, hominēmq; comedere: didicit viduas facere, & ciuitates in desertū adducere, &c. Tales homines (inquā) plurimi inueniuntur, & plures quā è re omnium est. Mundus propemodū iam nihil aliud fert, quā tales leones. Sed quomodò hoc & alia nostra iniqua & minimē fraterna opera cōgruunt cū exemplo Christi? Ioannes ait: Qui dicit se in Christo manere, & eius esse discipulum, debet sicut ille ambulauit & ipse ambulare. Et Christus ipse Ioan. 13 & Matt. 11. monet, vt humilitatē, charitatē & mansuetudinē ex ipso discamus. In his tribus reb<sup>9</sup> proponi nobis præcipuē vult in exemplum. Sed vide iam quomodò illud exemplū sequamur. Christus consolatur viduam, videre non potest, vt lachrymetur, nos viduas & pupillos ad lachrymas perpetuò prouocamus. Christus excitat mortuos, nos iugulamus viuos. Christus exhibet charitatis officia & misericordiā, etiā ijs qui nihil de seipso meriti sunt: nos exerimus inuidiā nostrā & iram etiā erga eos, qui nunquā nobis nocuere. Christus Apostolos & discipulos suos his & similibus operibus pellicere voluit ad charitatē, beneficentiam, pacē & vnitatem: nostri nunc Apostoli nihil norunt aliud, quā omnes homines instigare ad bellum, seditionem, sanguinis effusionē, & petditionē aliorū hominum. At nihilo minus Christiani & Euangelici prædicatores dicuntur: cum ta-

*Psal. 67.*

*Ezech. 19.*

*1. Ioan. 2.*

*Christus in quibus nos se sectari præcipuē velit.*

*Novi Apostoli sanguinary.*

cum tamen legant in Euangelio, & Christus dicit Luc. 9. Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare. Et iterum Ioan. 3. Non misit Deus filium suum in mundum ut iudicet mundum, sed ut saluetur mundus per ipsum. Quod si igitur qui nunc est, mundi cursum componimus cum exemplo Christi, in hodierno Euangelio fieri non potest, quin bonus Christianus in admirationem adducatur, unde spiritus ita minime Euangelicus in animos Christianorum veniat, ut contra Christum profus omnia agamus, & tamen defendere cum Euangelio contendimus. Ioannes & Iacobus duo filii Zebedæi, erant etiam aliquando ita vindictæ cupidi, eò quod in ciuitate quapiam non intromittebantur, ut dicerent, Domine, vis dicimus ut ignis Luc. 5. descendat de cælo, & consumat illos? Audientes verò quod Christus diceret, Nescitis cuius spiritus estis? desisteabant, prædicabant & hortabantur: deinceps tantò ardentius ad charitatem, quantò cupidius ad Samaritanorum ultionem antè ferebantur. Apud nos autem qui id consideret, nemo est, cuius spiritus sit, & Christianusne an Turca sit. Proinde dat nobis exemplum istud charitatis & cõpassionis Christi erga lachrymantem viduam & defunctum eius filium, non solum doctrinam & institutionem ad bonum: sed carpit etiam nostram duritiam, & etiam nostris confratribus non facimus & exhibemus, quod Deus etiã malis & ingratis exhibet & dat: Quinimò tantò minus etiã excusatiõis habemus, & cum tantum doctrinæ & exemplorum nobis suppetat ad charitatẽ & misericordiam, nullum tamen eorũ sequimur: cum optimus Iob nihil horum haberet Iob 29. neque doctrinã neque exempla, & verè tamen dicere posset, Iob 31. Eram pater pauperum, &c. Ab infantia mea creuit mecum miseratio, & de utero matris meæ egressa est mecum. Quam nos verò procul absumus à tali exẽplo? Quid igitur postremò nobis aliud cõtingere potest, quã quod Salomò dicit Prou. 21. Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur. Sed mundus nullum curat pauperem: unde verum perpetuò manet quod Dauid dicit: Tibi Domine derelictus est pauper: orphano tu eris adiutor. Alioqui nemo est, qui ploratum viduæ & orphani consideret: nemo est qui consoletur eos, & lachrymas eorum abstergat: cum tamen Deus Psal. 9. Operum charitatis & misericordiæ erga viduas, pupillos, & omnes alias miserabiles personas potissimum requirit. maximè requirit.

oppresso, iudicate pupillo, defendite viduā, &c. Et iterū. c. 58.  
 Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosq; induc in do-  
 1. Ioan. 2. mum tuam. Cum videris nudum, operi eum. Nā qui habuerit  
 substantiam mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, &  
 clauerit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in  
 eo: Hoc considerare habemus circa exemplum Christi in isto  
 Euangelio. Deus nobis suam largiatur gratiam, Amen.

DOMINICA DECI-  
 MA OCTAVA POST PEN-  
 TECOSTEN, EVANGELIUM  
 LIVM LVC. XIII.

**A**ccidit vt introiret in domū cuiusdam  
 principis Phariseorum sabbato, ad ca-  
 piendum cibum: & ipsi obseruabant eum. Et  
 ecce homo quidam hydropticus erat ante il-  
 lum. Et respondens, Iesus dixit ad Legisperi-  
 tos & Phariseos, dicens: Num licet sabbato  
 1. Matth. 12. sanare? At illi tacuerunt. Ipse verò apprehen-  
 sum sanauit eum, ac dimisit. Et respondens  
 ad illos, dixit: Cuius vestrū asinus aut bos in  
 puteum cadet, & non continuò extrahet il-  
 lum die sabbati? Et non poterant ad hæc re-  
 spondere illi. Dicebat autem & ad inuitatos  
 parabolam, intendens quo modo primos ac  
 cubitus eligerent, dicens ad illos: Cum inui-  
 tatus fueris ab aliquo ad nuptias, ne accū-  
 bas in primo loco, ne fortè honoratior te sit  
 inuitatus ab illo, & veniens is qui te & illum  
 vocauit, dicat tibi: Da huic locū, & tunc inci-  
 pias cum

pias cum rubore extremum locum tenere. Quin potius cum vocatus fueris, vade, accūbe in nouissimo loco: vt cū venerit qui te inuitauit, dicat tibi: Amice, ascende superius: tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus. Quia omnis qui se exaltat, deijcitur: & qui se deijciet, extolletur.

## E A D E M D O M I N I C A

## E P I S T O L A S A N C T I

P A V L I, E P H E S. I I I I,

**F**Ratres: Hortor itaque uos ego uinctus in Domino, ut ambuletis ita ut dignū est uocatione, qua uocati estis, cum omni submissione ac mansuetudine, cum animi lenitate, tolerantes uos inuicem per charitatem, studentes serua re unitatem spiritus, per uinculum pacis. Vnum corpus & unus spiritus, quemadmodum & uocati estis in una spe uocationis uestræ. Vnus Dominus, una fides, unū bap̄isma, unus Deus & pater omnium, qui est super omnia, & per omnia, in omnibus uobis.

## P R I M V S S E R M O

de prima parte istius Euangelij.



**N** hodierno isto Euangelio duo nobis proponuntur: primò gloriosum miraculum, & mox deindè pulcherrima prædicatio & admonitio, quam Christus indiem fecit: quæ utraque benè diligentèrque consideranda sunt. In Euangelio præteritæ Dominicæ habebamus etiam miraculum, sed præterea nihil. Non enim legimus Christum mox sub illud miraculum aliquid amplius locutam, aut docuisse. Nec erat necesse. Nam omnes qui miraculum uidebant, agnoscebant Dei opus esse: itaque statim prorumpēbant cum laude

Luc. 7.

Dei: credebant in Christum, confitebantur eum magnum esse Prophetam, quem Deus per Moysen promiserat: ideoq; grati erant: Atqui tales homines ubi sunt, non opus est multa & prolixâ prædicatione aut adhortatione. Cæterum in hodierno Evangelio res longè alia erat: malè affectos auditores habebat Christus, vnde & pluribus verbis vti cogebatur: alioqui in miraculo magis offensi, quàm correcti fuissent. Sed de hoc postea.

*Deut. 18.*

Porro quid bonus Christianus in miraculis Christi considerare debeat, alio tempore abundè dixi. Nam etsi eorum multa, nec vniuersi, sed omnifaria parravit: omnia tamè vnum

*Christi gestorum omnium quis scopus.*

spiritum habent, & in vnum finem omnia directa sunt. Imò quicquid de Christo literis proditum est, eò tendit, vt videre possimus & scire, in quo sperare, quem imitari, & quomodo viuere debeamus. Etenim primo, in quo spem nostram & fiduciam certius collocare possumus, quàm in illo, qui miraculis tam multis tamque admirabilibus palàm declarauit, se omnia posse, & paratum esse, quantum in ipso est, omnibus hominibus opitulari? Secundo, à quo iustius exemplum & formam piæ vitæ sumemus, quàm ab eo, qui omnibus in rebus & perfectissimè voluntatem Dei fecit, & executus est: idq; tanta cupiditate & alacritate, vt diceret, suum esse cibum & refocillationem, voluntatem Patris sui perficere.

*Ioan. 4.* Vnde & ante passionem suam verè dicere poterat: Ego te cla-

*Ioan. 17.* rificauit: ô Pater cœlestis super terram: opus consummaui, quod dedisti mihi vt faciam. Quisquis igitur miracula Christi diligenter considerat, is facillè videbit, nos spem nostram & fiduciam tutò & certò in illo ponere posse ac debere, & in nullo alio: aequè ac in ipso: quia nullus vnquam fuit, nec futurus est, qui eiusmodi miracula sua virtute designarit, vt ipse. Præterea etiam qui mente recolit, quomodo se Christus erga quosuis, omnibus etiam in locis & omni tempore exhibuerit, tam verbis quàm factis, inter amicos & inimicos, erga sanos & ægros, diuites & pauperes, Iudæos & Gentes, in templo, in domibus, in plateis & in mensa: is facillè videbit, quid etiam ad Christianam & piam vitam seruiat. Hæc duo diuinus Lucas supramodum pulchrè in Evangelio expressit & indicauit. Verba itaque eius audiemus: Et factum est (inquit) cum intraret Iesus in domum cuiusdâ principis Pharisæorum sabbato manducare panem, &c. Ex his & similibus locis diuinæ scripturæ videmus, quòd Christus Dñs noster, si quādo inuitatus fuit, non

*Luc. 14.*

fuit, non recusauit, sed iuit, siue à Phariseis, qui ab omnibus sancti habebantur, siue à peccatoribus vocatus esset. Eius rei multa exempla habemus in Euangelio. In domo Pharisæi mensa accubebat, cū ad eū veniret peccatrix, & illi pedes lauaret. *Luc. 7.* Matthæus Publicanus illum etiam ad mensam inuitabat. *Matth. 9.* Zacchæus primarius inter Publicanos, similiter quoque faciebat. *Luc. 19.* Christus neminē spernebat illorum, quantūcūque Pharisæi contrā murmurarent. Sed vbique tamen sui similis manebat: vbique sese gerebat, sicuti Doctorem iustitiæ decet. Propter epulas nemini assentabatur, nec veritatem vlli obticebat. Ad Pharisæos ibat: sed semper significabat, sibi nō placere hypocrisim illorum, & simulatam sanctimoniam. Ad Publicanos ibat quoque, sed nulli vnquā in peccatis suis adblanditus fuit. Non fecit more adulatorum & palponum, (quorum plenus est nunc mundus) qui vt ventri consulant, & gulæ satisficiant, vnicuique ad placitum loquuntur. Hoc autem Christus non fecit: in nullius gratiam locutus est, sed in omnibus munere suo, ob quod venerat, functus est: nimirum peccatores ad poenitentiam vt vocaret. Sumebat ab illis qui se inuitabant, cibum corporis: dabat illis vicissim cibum animæ. Vti clarè in hoc Euangelio cernere est, dum hospiti simul & conuiujs salu tiferam ac piam doctrinam & exempla præbet. Hoc exēplum Christi imitari meritò omnes debēt, qui Christianos se nominant, & de nomine Christi gloriantur: maxime verò ij, qui officij & status ratione, lux & sal esse debebant alijs, hoc est, qui alijs præpositi, illos ad bonum ducere, & à malo abstrahere debebant, ne quid in mensa eorum & in conuiujs agatur dicaturæ, quod non ad honorem Dei, & ad emendationem eorum, qui cum ipsis cibum capiunt, seruiat: multò minus, quod contra honorem Dei, & in proximi scandalum cedere possit. Sic enim spiritus sanctus per diuum Paulum docuit & præcepit. Sermo vester semper in gratia sale sit conditus: vt sciatis quomodo oporteat vos respondere. Et iterum: Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat: sed si quis bonus ad ædificationem fidei, vt det gratiā audiētibus. Omnis amaritudo, ira & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis cū omni malitia. Estote autē inuicem benigni, misericordes, donantes inuicem. Hūc in modū hominis Christiani sermo sale mistus & conditus esse debet. Vt enim cibus sale non conditus, insipidus est: ita etiam inconditus & insipidus sermo est, qui non ad

*Munus Christi.*

*Matth. 5.*

*Colo. 4.*

*Eph. 4.*

*Sermo non-ster cuiusmodi*

*erit.*

- bonum & ædificationem facit. Summa, sermo hominis Christiani sale mistus esse debet: hoc est, non debent insipida, non infructuosa, non inania neq; otiosa verba esse: sed debent aut tristes consolari, aut peccatores increpare, aut errantes docere & in viam reducere, aut ignauos vrgeri, aut ignorantem meliora cōsulere, &c. Otiosa enim & inutilia verba procul ab omnibus Christianis esse debent: quandoquidē Christus ipse dixit, de omni verbo otioso rationem reddituros homines in die iudicij. Quod vel solum & meritò terrere nos debebat, qui quandoque tam friuola, tam inepta loquimur, & maximè in mensa discumbentes, Dei dona accipientes, ijsq; fruētes: quæ tamen accipere debebamus, vt iterum Paulus dicit. Siue manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite. Sed vt Christum in alijs rebus imitamur: ita etiam imitamur eum hac in parte. Imò omnibus in rebus vita nostra cum illius exemplo pugnat, non obstante, quòd nos toties ad sui imitationem hortatur: nec ipse solum, sed etiam sancti Apostoli, Petrus 1. Pet. 2. Paulus Ephes. 5. Ioan. 1. Ioan. 2. Sequitur in Euangelio: Et ipsi (Pharisæi, qui eum inuitauerant) obseruabant eum. Hic vides, quales Christus id temporis auditores habuerit. Multò alij homines erant, quàm in Nain inueniebat, vt initio dictum. Cum illis Christo nihil difficultatis erat. Porrò etiam quantum ad hydropticum hominem attinebat, non opus erat longo tempore & multis verbis. Apprehensum sanauit, ac dimisit. Tam facile erat etiam huic succursum, quia credebat in Christum, sperabat in ipsius bonitatem, & toto animo desiderabat eius opem. Id genus hominibus facile præstitum auxilium est. Cū Pharisæis autem res longè alia erat. Imò quemadmodum Christus semper & vbique sibi constitit: ita etiam plerique ex illis vndiquaque similes sui erant: hoc est, manebant qui erant, nimirum superbi & fiste probi, & interim tamè maliciosi homines. Progenies erat viperarum: quid igitur facere poterant aliud, quàm virulenta verba & opera exhibere? Mali erant: quid igitur boni loqui aut facere poterāt? Adolescens (inquit Salomon) iuxta viam suam etiam cū senuerit, nō recedet ab ea.
- Matth. 12.** Si mutare potest Aethiops pellem suā (inquit Hieremias) & homo poterit benefacere, cū didicerit malum. Nihil boni inerat in plerisq; Pharisæis: non nisi simulata species erat, quæ admodū ipse Christus de illis dicit. Matth. 23. omnia in hoc solum fa-

lūm faciunt, vt videantur ab hominibus. Ita etiam hīc simulabant se amicos, nihilominus tamen obseruabant eum (intellege) si fortè aliquid loqui aut facere vellet, quo illum possent traducere. Sed hostile omnino hoc factum est. Nihil tamè noui aut rari est, quòd illum hoc modo obseruarunt. Fecerūt id ipsum quoq; alibi: vt in Matt. cap. 22. mittebant semel suos ministros ad eū, qui quærebāt ex eo fucate blanda oratione, num liceret Cæsari pendere tributum: sed nihil aliud per hoc captabant, quàm quod sperabant eum in nassam illectū iri, & aut Cæsareanos aut plebem offensurū. In Luca inuitabat eum Pharisæus, sed malo animo. Vnde etiam Christus quàm primū incipiebat illis hypocrisin eorum & sceleratum animū detegere, eūmq; taxare. In Ioanne mulierem in adulterio deprehensam ad eum adducebant, cognituri ex ipso, qua pœna mulctanda esset: in id omnia, quòd putabant illum lapsurū in sermone. Itidem hīc quoq; faciunt. Ea quippè natura omnium impiorum hominum est, vt quantūlibet in specie omnia bene proponāt, & quantumuis se humiles exhibeant: nunquàm tamen sint bene affecti erga eos, qui crimina ipsorum & flagitia carpunt, sed semper occasionem contra tales quærunt calumniandi nocendiq;. Vt cum primis videre est in libello Sapientia, vbi homines impij hunc in modum ad se inuicem loquuntur: Venite, circumueniamus iustum, quoniam inutilis est nobis, & cōtrarius est operibus nostris, & impropertat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ: grauis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est alijs vita illius, & immutatae sunt viæ eius. Tanquàm nugaces æstimati sumus ab illo: & abstinet se à vijs nostris tanquàm ab immunditijs, &c. Non est igitur nobis ferendus, &c. Hæc omnia cernuntur in Rege Achab. Is quadringentos falsos prophetas pati poterat & alere: solum Michæam ferre non poterat, eò quòd veritatē ipsi dicebat, eūmq; propter peccata culpabat. Odi eum (inquit) quia nō prophetat mihi bonum, sed semper malum. Sic Christus ipsemet dicit ad suos cognatos, Ioan. 7. Non potest mundus odisse vos: me autē odit, quia ego testimoniū perhibeo de illo, quòd opera eius mala sunt. Et iterum Ioan. 3. Omnis qui malè agit, odit lucē, & nō venit ad lucem, vt non arguantur opera eius. Et Salo. Prou. 1. Stulti exosam habēt scientiā & disciplinā: nō acquiescūt consilio, & detrahunt vniuersæ correptioni. Hoc deprehenditur vndiquaq;

Luc. 11.

Ioan. 8.

Natura impiorum.

Sap. 2.

3. Reg. 22.

in istis Pharisæis. Vtinam nos mansuetudinē Christi imitare-  
 mur, qui obseruatoribus suis nō cōuitijs, sed efficacibus argu-  
 mentis silentiū imponebat, eosque cōfundebat. Pharisæi, qui-  
 bus cum Christo tum negotium erat corpore sani erant, sed  
 anima & coram oculis Dei grauius laborabant, & miserabi-  
 liores erāt, quā hydropticus coram oculis hominū. & tamen  
 omnes norunt, hydropticū hominē miserabile spectaculū esse.  
 Attamen cum Pharisæis res peius habebat. Etenim primò ex-  
 cæcatio tanta, & tam horribilis in illis erat, vt eum, præ oculis  
 & præsentem videre nō possent, quem in omnibus suis libris  
 legebant. Erat excæcatio illa, quam eis Deus in Isaia intermi-  
 natus fuerat, vt vidētes nō viderēt, & c. Erat iudicium illud de  
 quo Christus dicit Ioan. 9. In iudiciū in hunc mundum veni: vt  
 qui nō vident videant, & qui vidēt cæci fiant. Erat execrabilis  
 ingratitude, de qua Ioan. loquitur cap. 1. In propria venit, &  
 sui eum non receperunt. Deindē etiam erat in illis tam inhu-  
 mana inuidia, vt etiā filium Dei, qui propter salutem ipsorum  
 venerat, odissent, & sine omni causa. Sicuti Christus ipsemet  
 dicit Ioā. 15. Adimpleri oportet sermonem qui in lege eorum  
 scriptus est, Odio habuerunt me gratis. Et rursus Ioan. 10. Mul-  
 ta bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorū  
 opus me lapidatis? Tertiò, ad eō infatiabilis in illis auaritia  
 erat, vt etiā præcepta Dei ob eiusmodi suā auaritiā mutare nō  
 vererentur: sicuti Christus eos conuincit. Quartò, eos occupa-  
 rat superbia & philautia, vt cuncta sua opera humanæ dūtaxat  
 laudis & gloriolæ captādæ gratia efficerent: quēadmodū Mat.  
 23. Christus ipse testatur. Horū quatuor si vel vnum in homi-  
 ne deprehenditur, is indubiē grauius & periculosius laborat,  
 & deformior est coram Deo, quā hydropticus iste erat. O  
 infœlicem igitur creaturam, in qua omnia quatuor ista cōcur-  
 runt. Hinc est, quòd Christus tā multū & sæpē ad Pharisæos,  
 imò contra eos locutus est. Nam interim taxat cæcitatē illo-  
 rum, interim auaritiā: quādòq; reprehendit superbiam eo-  
 rum, quādòq; inuidiam: ea verò tamē omnia magis propter  
 nos, quā propter illos faciebat. Sciebat enim illos obduratos  
 & excæcatos esse. Ideoque dicebat ad suos Apostolos: Sinite il-  
 los, cæci sunt & cæcorū ductores. Sic ergo etiam malitia eorū  
 nobis profuit: per hanc enim Christo occasionem dabant mul-  
 ta bona dicendi, quæ alioqui suppressa fortē fuissent. Id autem  
 omne in nostram cedit vtilitatem. Vnde Paulus verē rectēque  
 dixisse in-

dixisse inuenitur, Diligentibus Deum, omnia cooperantur in *Rom. 8.*  
 bonum. Nihil enim fieri finit Deus, ex quo non aliquid boni  
 procuret & efficiat. Quemadmodum ergo in prædicatione  
 Euangelij, Iudæorum incredulitas & defectio, causa fuit quòd  
 Euangelium & regnum Dei ad Gentes peruenit: quia diminu-  
 tio eorum diuitiæ Gentium, vti Paulus ait: & quia Euange-  
 lium illi respuebant, sancti Apostoli causam sumebant prædi- *Roma. 11.*  
 candi Gentibus, vti iterum Paulus dicit. Ita etiam res hęc ha-  
 bet. Quòd plus Pharisæi Christo reluctabatur, hoc plus & vti-  
 liora Christus loquebatur. Nec sua malitia profecerunt aliud *Act. 13.*  
 quicquam, quàm quòd libros nostros Euangelicos hoc maio-  
 res fecerunt.

Sic cum Christum calumniabantur, facere eum miracula *Matth. 12.*  
 sua præsidio & virtute diaboli, occasionem ei præbebant, vt  
 multa egregia cõmentaretur, & diceret de suo regno, quin-  
 etiam de diaboli regno: & tertio etiam de peccato in Spiri-  
 tum sanctum, &c. Sic etiam cum obiurgarent Apostolos,  
 quòd illotis manibus panem manducarent, occasionem illi  
 subministrabant, vt pulchrè & prolixè differeret & doceret,  
 quid hominem coinquinet, aut non. Talia exempla reperis  
 etiam *Matth. 12. & 21. Ioan. 5. 6. & 8. cap.* Ita hoc quoque loco,  
 per id quòd Christum tanquam amici inuitabant, & eum ta-  
 men tanquam inimici obseruabant, occasionem illi præbe-  
 bant multa bona dicendi, sicuti in alijs sermonibus audie-  
 mus. Hoc vnum est, ad quod malitia eorum & obseruatio  
 profuit nobis. Deinde verò eiusmodi eorum falsitas & ma-  
 litia etiam nobis solatium præbere potest, si qua iniuria no-  
 bis ferenda est. Nam si etiam Christus filius Dei, habuit ob- *Bernardus.*  
 seruatores in operibus, & contradictores in suis verbis, quin-  
 etiam illusores in sua passione: quid mirum si idem nobis acci-  
 dat? Seruus non est maior domino suo, inquit Christus *Ioan.*  
*15.* Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio ha-  
 buit. Et iterum dicit: *Matth. 10.* Si patrem familiars Beelzebub  
 vocauerunt, quanto magis domesticos eius? Atque ideo vult  
 Paulus, vt semper aspiciamus in authorem fidei, & consumma- *Hebr. 12.*  
 torem Iesum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersum se-  
 metipsum contradictionem, vt ne fatigemur, animis nostris  
 deficientes, &c. Hoc nobis in primis hodierni Euangeli ver-  
 bis considerandum est. Faxit Deus, vt exemplum Christi imi-  
 temur, Amen.

## SECUNDVS SERMO DE

altera parte Euangelij.



**N** hoc Euangelio pulchè nobis simul ostensum est, & in primis statim verbis, quis verus sit aut falsus amor & amicitia. Christus sinebat se etiam à Pharisæis inuitari, qui summi eius hostes erant.

Veniebat in domum, in qua antea fortè nunquam fuerat: inueniebat ægrotum, à quo nunquam fuerat desideratus: videbat & animaduertebat inuitatos & cõuiuas plus mūdanz gloriæ, quàm salutiferæ doctrinæ amore teneri. Vbique & erga quoslibet humanus erat. Pharisæo totus expositus & paratus erat, ægrotum sanabat, conuiuis dabat doctrinam, totam domum implebat Dei verbo & operibus, non obstante quis quilibet erat. Quineriam non obstante, quòd illorum omnium corda perspecta habebat: & ita perspecta, vt tali eius humanitate minimè digni essent. Hic verus amor & charitas est: hunc in modum describit etiam Paulus charitatem, vbi ait: Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum: non gaudet super iniquitate: congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet, & c. Hoc exemplum habemus in Christo. Deindè quidem etiam speciem præ se ferebat veri amoris, quòd Pharisæi Christum inuitabant. Quia verò illum obseruabant, indicium præbet, fucatum fuisse amorem & falsam amicitiam. More Pharisaico institutum erat, inuidum & sanguinarium suum animum tegebant obtentu conuiuij. Clàm fore sperabant, cogitaturumque Christum, merum esse amorem & amicitiam, neminem esse qui malum cogitaret, omnes bonos esse, & aureos amicos, & c. Vera natura & virtus hypocritarum est, bona loqui, & mala cogitare: amicitiam offerre, & homicidium meditari. Ioab & Iudas idem nouerant, eandem frequentauerant scolam. Salue frater (inquit Ioab ad Abner) & statim percussit illum in iugine. Aue rabbi, inquebat Iudas ad Christum: sed interim tradebat eum. Et quàm facile fieri potest, inò quoties sit, vt simplex tali specie decipiatur? Ioab duobus imponebat, quos sub amicitia specie occidebat. Iudas existimabat nec Christum intellecturum, non visurum animum proditorem machinantem præ bona specie amicitia. Sed longè falsebatur. Fru-

*Vera amicitia.*

*Ioan. 2.*

*1. Cor. 13.*

*Falsa amicitia.*

*1. Reg. 3.*

*Matth. 26.*

lebatur. Fru-

lebat. Frustrà iacitur rete ante oculos pēnatorum, inquit Sa-  
lomon Prouerb. 1. Homo videt ea quæ parent: Dominus au-  
tem intuetur cor, dicit Samuël 1. Reg. 16. Amice (inquit Chri-  
stus ad Iudam, Luc. 22.) ad quid venisti? Et iterum: Iuda osculo  
filium hominis tradis? Ex talibus verbis homini condemnato  
cor eius dictare poterat perditionem suam Christum non la-  
tere. Eodem modo etiam Pharisei isti arbitrabantur, si Chri-  
stum inuitarent, non animaduersurum ipsos in animis suis ma-  
lum aduersus eum cogitare. Sed frustra. Quod illi maximè oc-  
cultum volebant, id Christus primùm omnium in mediū pro-  
ferebat: imò prius quàm discumberet, in lucē producebat ma-  
lum quod in corde habebant. Si nolebant ipsi rem palàm fa-  
cere, ille incipiendum sibi censebat. Hæc duo exempla veri &  
falsi amoris, hodiernū istud Euangelium primum omnium no-  
bis considerandum præbet. Speculum est, in quo faciliè appa-  
ret, quem nos Christiani potissimùm nunc initemur, Christū  
an Phariseos. Aeternæ Deus, quàm rarus in terris verus amor  
& fida amicitia? Ediuerso quantà falsitas, infidelitas & fucata  
amicitia nunc passim deprehenditur? circuite vias Ierusalem  
(inquit Hieremias cap. 5.) & aspiciate, & cōsiderate, & quærite  
in plateis eius, an inueniatis virum facientē iudicium, & quæ-  
rentē fidem. Et post Hiere. 9. Vnusquisq; in fratre suo non ha-  
beat fiduciam: quia omnis frater supplantans supplantabit, &  
omnis amicus fraudulenter incedet. Non est veritas, & non est  
misericordia: & non est scientia Dei in terra, inquit Osee: Pe-  
riit sanctus de terra, & rectus in hominibus non est: omnes in  
sanguine infidiantur: vir fratrem suum ad mortem venatur,  
inquit Michæas cap. 7. Vani filij hominum (inquit Dauid)  
mendaces filij hominum in statèris: vt decipiant ipsi de vani-  
tate in idipsum. Et iterum Psal. 54. Moliti sunt sermones eius  
super oleum, & ipsi sunt iacula. Pericula in falsis fratribus, di-  
cit S. Paulus. Conquesti sunt etiam hoc patres antiquitūs, tales  
dolos & infidelitatem senterunt & experti sunt: aduersam ea  
prædicauerunt, scripseruntque. Quid facturos arbitramur,  
si his temporibus viuerent, vbi omnis iniquitas abundat, &  
omnis charitas refrixit? Quocircà non satis est, nos contra  
Phariseos istos apud Euangelium istud incandescere: nos ipsos

2. re. 17. abfalon  
mon in niq. uij  
1343  
mca. 16. ptolome  
simonij marabeij  
cuj duob; filij, in  
cuiusq; natiu  
sal. ps. 29. mlti  
sunt vultu d. q.  
o. b.

Rara in ter-  
ris sincera a-  
micitia.

Ose. 4.

Psal. 68.

2. Cor. 11.

Matth. 24.

Tantum de principio Euangelij. Restat, vt reliqua etiam ver-

ba audiamus. Sequitur in textu: Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. In his verbis iterum apparet malus animus Phariseorum. Occasionem habebant bona faciendi pro suis oculis, sed ea omissa, occasionem venantur calumniandi. Aderat homo morbo laborans prope immedicabili, huic merito (si sancti fuissent, uti videri volebant) misericordiam exhibuisse debebant, & Christum cuius bonitatem saepe experti erant, pro aegrotato deprecari, ne solitam suam bonitatem ei denegaret. Sed horum nihil faciunt: sed occasionem criminandi capiunt, ubi iustius occasionem bene operandi cepisse debebant. Haec autem natura est impiorum hominum, ut facillime causam inueniant alios laedendi, aegre autem bene faciunt, etiam oblata occasione. At quis non videt quantum nos etiam hac in parte reprehensibiles simus? Damnamus quidem Phariseorum impios mores, sed ipso opere & facto haud multo aliter facimus quam ipsi: quin deterius quandoque facimus, quam illi. Sequitur: Et respondens Iesus, dixit. Si licet sabbato curare? Pulchra quaestio, quam Christus non solum hic, sed alijs etiam in locis Phariseis obiecit. ut in Matthaeo, cum ei quidam daretur obuius manu arida. In Luca simile inuenis. Non temere autem Christus cum illis de sabbato disputauit, quippe videbat quod preceptum illud de sabbato non recte intelligebant. Ad Mosi tantummodo preceptum respiciebant, ne quid operis sabbato fieret. Sed videre nolebant, quod Moses addiderat, Sabbatum sanctifices. Hinc fiebat, quod Christum tories violati sabbati condemnabant. Vti cum dicerent, Hic homo ex Deo non est, quia sabbatum non seruat. Rogat ergo eos Christus, si sabbato liceat curare, quo occasionem habeat recte exacteque docendi, quid sit seruare sabbatum. Etenim sanctificatio sabbati non in hoc consistit, ut ad fornacem manibus complicatis sed eas, aut alioqui ocieris nihilque agas. Non: siquidem etiam Turcae & Gentes hoc facere possunt. In hoc autem consistit sanctificatio sabbati, ut tali die sanctis verbis & operibus occupati simus. Atqui non sunt sanctiora opera, quam Dei honorem, nostram salutem, & proximi utilitatem, & commodum promouere. Eiusmodi operibus sabbatum non prophanatur. Et idcirco dicit Christus, quod sacerdotes in veteri testamento sabbatum non violauerint, licet non sine magno labore sacrificia fierent: quia res illa ad honorem Dei spectabat. Caeterum hoc ignorabant Pharisei, ideo

Matth. 12.

Luc. 6. 13.

Ioan. 9.

Sabbatum ut  
sanctificandū.

Matth. 12.

risæi, ideo rogabat illos Christus, si liceat sabbato curare. Et quot inueniuntur inter nos Phariseis similes, arbitantes se dies festos æquè seruare, si non laborent, etiamsi toto die nihil boni agant, sed mala multa designent? Sequitur: At illi tacuerunt. Rursum hîc vide malitiam corû. Tacere malebant, quã veritatem confiteri, quam tamen deprehendebant & nouerant. Impius enim animus Deo honorem deferre non potest, neque propriam suam malitiam confiteri etiam conuictam. Veluti in primo homine videre est: is sciebat se peccasse, attamen eò adduci non poterat, vt crimen confiteretur, & à Deo veniam peteret. Ipse verò (Christus) apprehensum ægrotum sanauit, ac dimisit. Aegroto & egeno benefaciebat, nõ obstante, quòd Pharisei offendebantur: Similiter & nos facere debemus, de omnibus benè mereri: & non curare, hominibusne id placeat, an non, modò Deo placeat. Dum habemus, bona operemur erga omnes: nemo enim pro te respõdebit. quisque secundum suum laborem mercedem accipiet. Qui parcè seminat, parcè & metet. Vnde Salomon dicit: Quodcũque facere potest manus tua, instanter operare. Sequitur in Euangelio: Cuius vestrum asinus aut bos in puteum cadet, & non continuo extrahet illum die sabbati? Is his verbis & hac similitudine reddit Christus causam suorum factorum, ostendens se nihil contra præceptum de sabbato fecisse. Et quanquã indigni erant, vt suarum rerum illis causas aperiret: attamen docere nos voluit, vt nihil accipiamus faciamusque in spiritualibus fidei negotijs, cuius ex verbo Dei rationem reddere non possimus. Quapropter etiam Petrus vult vt semper parati simus ad satisfactionem omni poscenti nos rationem de fide & spe, quæ in nobis est. Est itaq; verborum istorum Christi sententia, perindè ac si dicat: Estote vos ipsi iudices, ex vestris ipsorum operibus iudicium feretis. Nam si vestrum alicui contingat brutum animans, bouem aut asinũ sabbato in puteum cadere, non differretis illi opem ferre post exactum sabbatum vsque? Haudquaquã tandiu expectaretis, nec sineretis animal ita perire. Quod si vobis tantum in pecude situm est, vt existimatis, si ei opem feratis, ne pereat, non esse violatum sabbatũ: cur igitur offendimini in me, & irascimini, quòd hunc hominem ex præsentate necessitate in sabbato eripui? Ad opus respicite. maioris certè laboris est bouem ex puteo extrahere, quã quo ego nunc labore vsus sum in sanando homine.

Gen. 32.

Gal. 6.

2. Cor. 9.

Eccle. 9.

1. Pet. 3.

Imo sine omni labore negotium peractum est : vidi eum & contigi, & mox surrexit & abiit. Sin personā respicitis, certè hominis salus plus apud vos valere debet, quàm multorū brutorum animantium sanitas & profectus, sed alieni estis ab omni dilectione, quæ vestra sunt tantum quærentes. Idcirco non

*Charitas quæ  
grata Deo.*

potestis rectè iudicare. Etenim charitas, vera interpretatio est omnium præceptorum & legum. Verum non vultis intelligere, Deo magis placere charitatem & misericordiam, quàm

*Ose. 6.* sacrificia, sicuti in Propheta dicit. Atque ea de causa magis propensi estis pecudibus vestris auxiliari, quàm proximo vestro. Utinam tales homines non etiam inter nos inuenirentur, qui quandoque paruum animalculum boue multò vilius pluris faciunt, sicubi de ipsorum commodo agitur, quàm salutem & profectum proximi: imò qui citius mille animas hominum perire sinerent, quàm vt suo commodo decedere aliquid patiantur. Ex his omnibus videmus, quæ sit sententia Christi in hoc præcepto de sabbato: nimirum quòd sabbatum tum demum rectè obseruatur, quando vtilitatem proximi nostri consideramus & promouemus, nec transgredimur legem

*Ad charitatis  
normam præcepta omnia  
dirigenda.*

charitatis. Et quòd Christus hïc de sabbato dicit, id etiam de alijs omnibus præceptis & legibus intelligendum est. siquidem omnia præcepta, leges & conditiones iuxta regulam & amussim charitatis institui & intelligi debet: nec amplius hominem deuinciunt, quàm charitas Dei & proximi pati possit,

*Rom. 1.* quemadmodum postea in alijs sermonibus prolixius indicabitur. Hinc etiam dicit Paulus, charitatem legis esse implementationem. Nam qui proximum diligit, legem impleuit. Imò illa adeò lex, Non mœchaberis, Non occides, Non furtum facies, Non loquēris falsum testimonium, & si quòd aliud præceptum est, in hoc verbo instauratur, Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio proximi, malum non operatur: Plenitudo ergo legis est, dilectio. Sequitur in Euangelio: Dicebat autem & ad inuitatos parabolam, intendens quomodò primos accubitus eligerent. Hæc similitudo eiusmodi esse videtur, quasi externam solum mensæ disciplinam & civilitatem doceat. Et si alius talem similitudinem dixisset, non posset etiam alio referri, quàm ad mensæ mores. Quia verò eam Christus cœlestis doctor locutus est, dubitare nemo potest, quia eò magis spectet similitudo, vt intus in anima & coram Deo, quàm exterius coram mundo ornati & laude digni simus. Quo-

simus. Quocirca Christus hac similitudine ostendere voluit quid mali superbo cuique expectandum sit, nimirum certa & æterna deiectio & præcipitium: è diuerso autem, quid humili deserto homini boni sperandum sit, nimirum certa exaltatio. Quamobrem tu tibi ipse ne locum aliquem deligito, vbi sedem locare velis, hoc est, opera & merita tua non iactites, nec nimis efferas apud teipsum, sed Deo committas. Ne facito sicut Phariseus in templo, ne te alijs meliorem censeto: Deo suum iudicium relinquito, is vnicique locum designabit pro meritis. *Luc. 18.* Nostrum est, vt cum publicanis nos humiliemus, & omni bono indignos iudicemus: imò vt nos ipsos pro inutilibus seruis agnoscamus, etiamsi omnia fecerimus, quæ nobis præcepta sunt. Nam omnis qui se exultat, humiliabitur: qui autem se humiliat exaltabitur. Certa ac vera sententia & dictum. Nemo ad æternam gloriam & exaltationem admittitur & recipitur, nisi illum hæc Deus prius per gratiam respiciat. Atqui Scriptura passim dicit, Deum humiles tantum respicere, quemadmodum Isaias clarè dicit, imò etiam Dauid multis in locis. Oculi enim Dei non sursum suspiciunt: quandoquidem solus Altissimus est, & supra eum nihil esse potest. Neque oculi eius ad latus respiciunt, quia nemo illi æqualis est aut esse potest inter omnes creaturas. Sequitur ergo, quòd Deus solùm in seipsum & deorsum despiciat. Quanto igitur magis homo se sub Deo humiliat, tantò illum videt citius, quemadmodum Danielis socij dicebant: Sedet super cherubim, & intuetur abyssos. Et Dauid: Dominus Deus in altis habitat, & humilia respicit in cælo & in terra. Docere itaq; nos Christus vult hac similitudine veram humilitatem, quæ sola Deo placet: & detertere nos vult ab omni superbia cordis, vt quæ coram Deo subsistere non possit. Quemadmodum principio in lapsò angelo, & deinde etiam in homine profligato videre est. Videbam (inquit Christus) Satanam sicut fulgur de cælo cadentem. Hortatur itaque discipulos suos ad humilitatem, & ne vlla re gaudeant, nisi quòd nomina eorum scripta sunt in cælis. Summa igitur parabolæ in hoc consistit, vt Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Iacircò Petrus rectè benèq; docuit, vt humiliemur sub potenti manu Dei, & ita fore, vt exaltemur in die visitationis nostræ. Præstet id noi is omnipotens Deus, Amen. *Luc. 10.* *1. Pet. 5.*

## TERTIVS SERMO

## de Sabbati præcepto.



N ho dierno isto Euangelio rursus infigne miraculum habemus, quod Christus aliquando in terris fecit: haud quidem tam magnum videtur, vt miraculum quod proxime elapsa dominica habuimus. Id enim temporis excitabat mortuum, hinc autem sanat ægrotum. Vtrobique tamen vniuersi modi Dei potentia est, vniuersi modi virtus & operatio diuini verbi: quin etiam vniuersi modi causa, finis & sententia. Nam quod Christus illo miraculo spectauit & quesuit, id ipsum etiam in hoc querit: nimirum vt ne dubitemus, quin sit is, per quem nos Deus in vita & morte iuuare, imò vitam & salutem dare velit & possit. Id quod in hoc miraculo æquè apparet, atque in illo: vnde nulla est inæqualitas, licet re ipsa multò maius videtur, mortuum ad vitam reuocare, quàm ægrotum sanare. Atque ideo plus admirationis adferebat apud homines, cum Christus defunctum adolescentem excitabat, quàm cum hydropicum sanabat. Illic omnes vnus corripiebat timor, vt Deum laudarent, ac dicerent: Magnus propheta surrexit inter nos, & Deus visitauit plebem suam. Hinc autem omnes silent. Nemo est qui admiretur & Deum laudet. Pharisei nihil boni cogitabant: alij ad mensam accumbebant, non curabant quid Deus faceret. Sed tamen miraculum istud per se nihilò vilius est. Nos Christianos longè aliter iudicare oportet, quàm mundus facit. Quicquid Christus loquitur & facit quantumuis in specie pusillum, id omne apud nos magnum, gloriosum & admirabile esse debet: quòd quidem scimus, quòd verba eius spiritus & vita: opera verò eius Dei opera sint. quemadmodum ipsemet dicit: Opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me. Atqui habemus hinc aliud verbum & opus Christi, & quòd miraculum per se nimis exile apparet, id suppleat circùstantiæ, hoc est, verba Christi, quæ antè & post locutus est.

Ioan. 8.  
Ioan. 10.

Rogas quæ illa sint verba? Primò, quod dicit, Si licet sabbato curare? Secundò, quod dicit, Hypocritæ, cuius vestrum bos aut asinus in puteum cadet, & non continuo extrahet illum die sabbati? Hæc verba neutiquàm relinquenda sunt. Deinde loquitur Christus alia verba plura ad inuitatos vnà in mensa accumbentes, sed illa nunc omitto. Illa verò quæ primū commemorauimus, pecu-

raui, peculiariter ad istud miraculum pertinent. Christus non solum confitetur se hydropicū istum sanasse, sed etiā q̄ hoc in sabbato fecerit. Et hoc cōtrouerſiam parit. Pharifæi nefas esse censebant: Christus autē fas esse & benè factum contendebat, nec quicquā peccatum contra Dei præceptū. Propter miraculum nihil illi obijcere potuissent: videre cogebatur & in seipſis experiri, quod Dauid dicit: Peccator videbit & irascetur, *Psal. 118.* dentibus suis fremet & tabescet: desiderium eius peribit. Quia autē miraculum in sabbato faciebat, videbantur sibi iustā contra eum habere causam. Nec est alioqui res vlla alia, in qua Christo magis & manifestius sunt aduersati: nec Christus illis vlla in re melius & magis egregiè obuiauit. Vt in *Matth. 12.* tēpore quodā Christus ibat per segetes, ibi discipuli eius vellebant spicas, manibusq; cōfricabant, fame vrgēte: mox aderāt Pharifæi & calumniabantur. Ecce (inquiēbat ad Christū) discipuli tui faciunt quod nō licet sabbatis. Christus autē silentium eis imponebat duobus exēplis Scripturæ. Primò de Dauid, qui in famis necessitate de panibus propositionū manducabat, quod illi tanquā laico aliās nō licebat. Alterū exemplū de sacerdotibus, qui sabbato potissimū operabatur: sed tamen nō ideo sabbatū violabant, quia præscripserat eis Deus sacrificiorū morem. Et eo in loco verba aliquot pulchra addit: Dico vobis (inquit) quia templo maior est hic. Et deinde: Si sciretis quid est, Misericordiā volo, & nō sacrificium, nunquā condemnassetis innocentes: dominus enim est filius hominis etiā sabbati. In Marco aliud insuper addit verbum, Sabbatū propter hominē factum est, & non homo propter sabbatū. Paulò post, & in eo ipso sabbato veniebat Christus in eorū synagogam: videbat illic hominem habentē manū aridam: rursus lis incrudescēbat, incipientibus Pharifæis ac dicētib; Si licet sabbato curare? Sed Christus illis imponebat silentium exemplo, quod ipsimet faciebant in sabbato in suis iumentis, &c. Atque hīc pulchrā sententiā subiicit. Itaq; licet sabbatis benefacere. In Luca rursus eadem lis oriebatur. Christus mulierem erectam faciebat, quæ annis decem & octo inclinata fuerat, nec omninò poterat sursum respicere. Aegrè quidem hoc princeps synagogæ ferebat, nec tamen ad Christum aliquid dicere audebat, sed versus ad populum dixit: Sex dies sunt in quibus oportet operari: in his ergo venite, & curamini, & non in die sabbati. Sed rursus illi Christus silentiū imponit

proprio eius facto. Hypocrita (inquit) vnusquisque vestrum sabbato non soluit boue suum aut asinum a præsepio, & ducit ad aquam: hanc autem filiam Abrahæ, quã alligauit Satanus, ecce decem & octo annis, non oportuit solui a vinculo isto die sabbati? In Ioanne. c. 5. Christus sanabat ægrotum die sabbati, qui annis octo & triginta decubuerat, rursus lis gliscebatur. Christus autem obijciebat illis exemplum Dei, Pater meus vsque modo operatur, & ego operor, &c. Paulò post illuminabat Christus die sabbati cæcum natum. At tum illi incipiebant, Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit. Et quãquã Christus eo tẽpore præsens nõ erat, & respondebat, satis tamẽ id antea Ioan. 9. defenderat exemplo circumcisionis. Si circumcisionem accipit Ioan. 7. homo (inquit) in sabbato, vt nõ soluatur lex Moysi: mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in sabbato? En toties Christus cum Pharisæis de sabbato disputauit & collocutus est: sed tamen semper palmam obtinuit & triumphauit, vt illi respondere non possent, vt etiam in hodierno Euangelio videre est. Verumtamen vbique inuenimus, qd Christus nusquam temerario ausu cõtra præceptum de sabbato fecit, sed solum vbi charitas & necessitas postularet: imò quicquid Christus vnquam in sabbato fecit, de quo inimici eius cõquesti fuere, eius semper iustam causam dedit, ne infirmi offenderentur, & leues non ansam inde sumerent, sabbatum etiam sine causa violandi. Sũma: Christus sabbatum custodiuit & custodiri fecit: sed pati noluit, vt cõscientiæ sine necessitate irretirerentur, & præceptum longius excederetur, quã Deus extendit. Atqui Pharisæi illud adeo tetenderant, & conscientias ita illaqueauerant, vt omnium opinione sabbatum violatum putaretur, si quid laboris fieret, etiam necessitate, aut charitate proximi cogente. Quæ quidem res multas faciebat irrequietas & perplexas cõscientias. Nam si sabbato pauperi opitulari deberent, vereri cogebantur, ne sabbati religionem violarent. Sin pauperem desererent in sua necessitate, timere habebant, se contra alia præcepta facere. Hoc Christus minimè ferendum ducebat. Ideoq; toties significabat, exẽpli que probabat, sabbatum non violatum esse, si quã necessitas aut charitas, vel etiam gloria Dei aliud postularent. Proinde summa omnis istius disputationis, in duobus verbis cõsistit, quæ Christus dicit, Dñs est filius hominis, etiã sabbati, & homo non propter sabbatum factus est, sed sabbatum propter hominem. Ex his duobus verbis plurimum bonæ & vtilis do-

lis doctrinæ desumere possumus. Vtpotè primò depromere isthinc possumus, quòd ceremoniæ, hoc est, externa ordinatio & ritus in diuino cultu non sufficiant ad perfectam sanctificationem: nam eiusmodi sanctificationem ostèdunt quidem, sed dare nò possunt. Arqui præceptù de sabbato, quod ad corpora lé quietè attinet, ceremoniale quiddā est. Erenim in annūcia- *Præceptum de*  
 tione illius præcepti, duo cōmemorata sunt. Primum est, q̄ ab *sanctificando*  
 externo labore quiescimus: alterùm, quòd dies illa sanctificari *sabbato dno*  
 debeat. Et postremum erat præcipuum: imò illud erat à Deo, *exigit.*  
 quod in externa quiete quærebatur intelligebaturq̄. Propter-  
 eā præcipiebatur illis quies ab omni labore in die sabbati, vt  
 tantò plus tēporis & occasionis haberèt, diè illā sanctificandi.  
 Hoc autem intelligere Pharisei nolebāt: quinimò hoc præce-  
 ptum solùm intelligebant de externa quiete, sanctificationem  
 omittebant. Qui contra otium & quietè faciebat, is sabbatum  
 violasse dicebatur: qui contra sanctificationem agebat, is nulli  
 culpe obnoxius cēsebatur. Et propter eiusmodi præposterum  
 intell. Etum studiosè etiā Christus diebus sabbati sua magna  
 faciebat miracula, quò apparet, sabbatum non solùm otium,  
 sed multò magis omne in bono exercitium flagitare. Nā otium  
 quid Deo delectationis adferre possit? Aut quid otium homi- *Rom. 7.*  
 ni conducatur sub peccatum vendito, vti Paulus dicit: imò cuius *Gen. 6.*  
 mens & cogitationes ad malum propensæ sunt ab ineunte *Eccle. 33.*  
 ætate? Enimuerò sapiens apertè dicit, otium inuenisse omne  
 malum, promouisseque. Certè Iudæi propter ipsorum otium  
 in die sabbati, etiam à Gentibus deridebantur, vt aliqui tales  
 dies nominarent ignauos dies. Alij dicebant de illis, perdere  
 eos septimum diem vitæ suæ otio. Viderunt Gentes & derise- *Thro. 1.*  
 runt Hierosolymæ sabbata eius, inquit Hieremias. Et quis  
 laudaret, quando præter otium aliud nihil videtur? Eodem  
 propemodùm modo res cum nostris ferijs habet. Vulgus ho- *In eos, qui fe-*  
 minum opinatur, si cesset à labore, iam benè peractas esse fe- *stos dies male*  
 rias, haud cogitans de sabbato sanctificando, imò totum diem *collocant.*  
 nihil facit aliud, quàm quòd illum prophanet comedendo,  
 ludèdo, imò omni peccatorum & flagitiorum genere: vt sanè  
 Christus, si nunc prædicare deberet, ferias nostras non mi-  
 nùs reprehensurus esset, quàm apud Iudæos fecit: imò plus  
 etiam quàm illos. Et quidem multis in rebus reprehensione  
 maiore digni sumus, quàm illi fuerunt. Sanè in Apostolorum  
 actibus inuenimus, Iudæos sabbatis conuenisse, audisse legem

**Act. 13.** & Prophetas. At quot inueniuntur inter nos Christianos, qui toto anno nunquam cum alijs Christianis verbum Dei audiunt? Quam quidem ob rem dixi, caeremonias seu externos ritus & ordinationes non sufficere ad perfectam sanctificationem, sed monstrant nobis quid ad perfectam sanctificationem pertineat. Vtpote in externa quiete sabbati, indicatur nobis feriandum esse a peccatis & vitijs, imò a proprijs nostris operibus, & soli Deo permittendum, vt in nobis operetur. Itidem res habebat cum circuncisione, cum sacrificijs, cum sacris vestibus & alijs externis ritibus. Omnia hæc sola non poterant hominem per se sanctificare, sed ostendebant quid ad sanctificationem pertineret. Per circuncisionem indicabatur illis, vt spiritualiter etiam omnia peccata & vitia a vita sua & moribus reciderent. Per externa sacrificia discere debebant, etiam se ipsos voluntati & obedientiæ Dei offerre & immolare. Sacræ vestes denotabant, vt sanctâ irreprehensibilem conuersationem ducerent, &c. Quod si Iudei sciuisent, nequaquam solis externis ritibus omnia tribuisent. Itidem nobiscum res habet. Maior nostrum pars existimant se esse iustos & sanctos, si inter alios Christianos versentur, si cum illis canant & orent, si cum illis ferientur & ieiunent, & alios ritus atque ordinationes obseruent. Talia autem facere nondum sufficit ad perfectam sanctitatem. Id enim omne etiã mali facere possunt. Amplius quiddam eo requiritur. Non enim hæc sola sanctitatem dant, sed etiam quippiam significat. Ieiunium & abstinentia a cibis quibusdam significat, vt etiam ieiunemus, & abstinemus a peccatis. Feriæ hoc habent, vt a propria nostra voluntate desistamus, Deoq; pmittamus, vt in nobis operetur. Cantus in templo significat, vt semper in Deo & eius gratiæ operibus gaudeamus, nosque oblectemus. Sic de cæteris ritibus. Quapropter semper hæc duo simul consideranda sunt: nimirum quid nobis extrinsecus præcipiatur: & deinde etiã, quid per id significetur. Et si vltimum hoc desit, primum nihil profuerit. Frustrâ & temerè est quicquid extrinsecus facis, ieiunando, feriando, canendo, &c. nisi illud etiam exhibeas, quod in ieiunio, ferijs, &c. denotatur. Et hoc primum est, quod ex verbis Christi de sabbato desumi potest. Secundò etiam desumi inde potest, vt in omnibus legibus potius attendamus mentem & sententiam Legislatoris, quam literam & verba legis. Sæpè enim euenire solet, vt a litera legum receden-

*Sabbati quiet.**obseruatio**sub**Circuncisio.**sacrificia.**Vestes sacra.*

20

cedendum sit, si non omninò sententia Legislatoris labefacta  
 ri debet. Sicuti sacerdos Abimelech faciebat contra literam le  
 2. Reg. 21.  
 gis, cum Dauidi panes propositionis daret, qui tamen solis sa-  
 cerdoribus comedendi debentur. Sed non faciebat cōtra men-  
 tem Legislatoris: quandoquidem Deus omnia sua præcepta in  
 Mat. 22.  
 charitatem direxit, inq; ea complexus est, & ob hanc causam  
 etiam Christus laudat Abimelech: imò si in litera legis man-  
 Mat. 12.  
 sisset, & Dauidi fame periclitanti panes propositionis dene-  
 gasset, vtique contra Dei mentem fecisset, qui ante omnia cha-  
 ritatem vult: misericordiam ait sacrificio multò sibi potiorem  
 esse. Sic etiam sacerdotes omnibus sabbatis contra literam le-  
 Ose. 6.  
 gis facere cogebantur: laborandum illis erat, donec pecudes  
 mactassent, & holocausta cremassent. Verùtamen nihil pecca-  
 bant contra mentem Legislatoris, quippè res ea seruiebat ad  
 gloriam Dei. Moyses per quadraginta annos nullum inter  
 Ios. 5.  
 Israëlitas circūcidi sinebat, id quod aperte erat contra literam  
 legis. Ea siquidem volebat, vt omnes pueri octo dierum circū-  
 ciderentur. Nec tamen Moses faciebat contra mētem Legisla-  
 Gen. 13.  
 toris. Necessitas id enim postulabat, quandoquidem nūquam  
 de mouendis castris certi erant. Ita etiam hīc in præcepto de  
 sabbato, quinimò in omnibus alijs præceptis, magis respicien-  
 dum ad spiritum, quàm ad literam: magis ad mentem eius qui  
 legem dedit, quàm ad verba legis. Atqui dicit Christus. In his  
 Mat. 22.  
 duobus mandatis vniuersa lex pendet, & Prophetæ. Hæc de-  
 mùm mens est Legislatoris, vt Deum & proximum nostrum  
 diligamus. Quòd si ergò facimus, quòd dilectio Dei & proxi-  
 mi requirit, satisfacimus legi, etiã si à litera recedamus. Atque  
 ideò sabbatum non est violatum, si quid facias, quòd ad dile-  
 ctionem Dei aut proximi tui requiritur. Dicit quidem lex, sab-  
 bato non esse opus faciendum: sed mēs Legislatoris est, Deum  
 & proximum esse diligendum. In hoc postremò, plus momēti  
 situm est, quàm in litera. Ideòq; iure permittitur. Idem etiam  
 fit & fieri debet in omnibus alijs constitutionibus, siue illæ  
 sint ecclesiasticæ, siue monasticæ cōstitutiones: vt mēs Legisla-  
 toris magis sit consideranda, quàm litera legis, sciamúsq; nul-  
 lam legem ligare hominem, si mens Legislatoris quid aliud  
 7  
 quàm verba legis postulat, &c. Tertiū, quòd ex verbis Christi  
 3  
 de sabbato sumi potest est, quòd sabbatum nō violatur benefa-  
 ciendo, sed malè faciendo. Idq; Christus ipse demonstrat suis  
 verbis & exemplis. Nunquam acrius institit docendo, & li-

bentius ægrotis opitulatus est, quàm sabbatis. Porro expressis  
 verbis dicit, nihil obstare quo minus liceat benefacere sabba-  
 to. Illud autem solum bonum est, quod ad dilectionem Dei &  
 proximi pertinet & seruit. Imò nò solum licet & debemus be-  
 nefacere sabbato, sed etiam præceptum est nobis. Non enim  
 lex simpliciter dicit, Memento vt die sabbati ab opere vaces,  
 sed vt sanctifices. Hoc rursus Iudæi intelligere volebant: dice-  
 bant violatum esse sabbatum, quod Christus ægroti opitula-  
 batur: cum tamen pecudes sua ope non destituerant etiam  
 sabbato, quia id eorum commodum concernebat, sicq; plu-  
 ris faciebant pecudes suas, quàm hominum salutem. Idem fer-  
 mè nostrarum rerum est: quod corpus nostrum & bona con-  
 cernit, id protinus sentimus: cæterum si animæ pereant, nemo  
 curat. Iob autem non ita faciebat. Imò cum iam omnes facul-  
 tates & substantiam amisisset, & deindè etiam in corpore pœ-  
 nas dedisset, non tamen scindebat vestimenta sua, donec audi-  
 ret filios perijsse. Imò ad interitum iumentorum suorum dice-  
 bat, Dominus dedit, Dominus abstulit, &c. In dolore corporis  
 sui dicebat, Si bona suscepimus de manu Domini, mala autem  
 cur nò sustineamus? Solum interitum filiorum suorum desiet.  
 Nihil animabus apud nos contemptius. Quapropter sabba-  
 tum non violatur bona faciendo, sed mala faciendo. Hinc fie-  
 bat, quod Deus Iudæorum sabbata & festa reijciebat, eò quod  
 manus eorum plenæ sanguinæ erant, &c. Quartum, quod ex  
 verbis Christi de sabbato desumi potest, est ne quis à commu-  
 nibus & receptis constitutionibus & ordinationibus proprio  
 ausu recedat, nisi prægnantibus & iustis de causis: contemptus  
 enim legum multa mala parit. Etenim primò simplices per  
 id offenduntur: secundò alluesunt homines ex eo etiam maio-  
 ra contemnere: & tertio summam inducit rerum perturba-  
 tionem & inordinationem. Quocirca etsi Christus Dominus  
 legis erat, seruabat tamen legem. Et tamen Dominus sabba-  
 ti erat, nunquàm tamen sabbatum violauit. Iudæi quidem id  
 illi ascribebant, sed falso. Nihil faciebat sabbato, nisi quod  
 gloria Dei, & charitas erga homines postularet. Veruntamen  
 ne infirmi offenderentur, semper cur id fecisset docebat. Qua  
 quidem etiam re nos docuit, vt scandalū vitemus. Non quidem  
 sub lege sumus, si tamen spiritus ductū sequemur: sponte enim  
 facimus, quod lex imperat. Neque sumus filij ancillæ, sed veræ  
 matris familiars: non sumus serui, sed filij: imò in & cum Chri-  
 sto Do-

Matth. 12.

Exod. 20.

Iob 1.

Iob 2.

Esa. 1.

47

Luc. 2.

Vitandū scan-  
dalum.

Gal. 5.

Gal. 4.

sto Do-

sto Domini sumus super peccatum & mortem. Et libertas nostra tanta est, vt nullas mortalium ad peccatū cogere nos possit: nec vllis eiusmodi legibus conscientiaē nostrae ligari possunt, quae iniquum & impium aliquid exigent. In talibus enim nulli subiecti sumus. Attamen ob id bonae leges & ordinationes aspernandae non sunt: id enim Christiana libertate esset abuti. Christus aliter docuit & fecit, similiter & Paulus. Omnia mihi licent, sed non omnia aedificant, inquit Paulus. Quamobrem imitemur Christum legibus ex animo obtemperantem. libertate nostra recte vtamur, Deoq; gratias agamus. Corpus & animam omnibus constitutionibus & ordinationibus subijciamus: quippe hoc vtile est etiam corpori & animae: Quò enim magis corpus & praua voluntas nostra constitutionibus coërcetur & reprimitur, hoc magis vera libertas spiritus accrescit. Quod si facimus, nobis ipsi profuerimus, proximum nostrum aedificabimus, Deoque rem gratam faciemus. Deus det nobis omnibus suam gratiam, Amen.

I. Cor. 10.

#### Q V A R T V S S E R M O D E Euangelio & Epistola.



**H**ODIERNVM istud Euangelium duo nobis proponit, nimirum principio pulchrum & gloriosum miraculum: in fine autē pulchrā salutaremq; doctrinā. Vtrobique Iudaici Pharisei taxantur, & ita, vt merito canatur, Iustus es Domine, & iustū iudiciū tuum. Etenim primò an nō iustū iudicium est, quòd Christus tot homines ante se habeat, & tamen nouit dare quid vnicuiq; debeatur: aegrotis solatium sanitatem, ignorantibus doctrinam & institutionem: malis verò & peruersis, correptionem & contradictionem: & hæc quidē omnia requirit iustitia. Nam qui non auxiliatur vbi potest, & illius imploratur auxiliū, & non decet, vbi doctrina eius desideratur, nec reprehendit vbi malum videt, is iustus nō est. De Christo autē verè canere possumus, Iustus es Domine. Hoc enim triplex hominum genus id temporis ante se habebat in domo Pharisei. Hydropicus auxilio indigebat, & Christus auxiliari poterat. Pharisei peruersi erant, reprehensione opus habebant, eamq; inueniebant: alij spectatores & familia, qui exemplum tam malum videbant, doctrina opus habebant seu institutione. Et quàm certo aegrotus ex diuina virtute sanus & incolumis sur-

Psa l. 119.

Iustus qui non sit.

gebat: tam certò alij bonæ mentis homines, ex verbis Christi doctrinâ & institutionē acceperunt. Pharisei rubore suffundebantur, hi reprehendendi erant, & vtrobiq; cōfundēdi, idq; meritò. Audire eos oportebat, q̄ nō solūm cōtra Scripturam, sed etiam cōtra omnē rationem agerent & loquerentur, dum Christū propterea damnare volebant, q̄ Sabbatō ægrotos sanaret, cum tamen semper pecudibus suis opē ferrent, siue Sabbathum esset, siue nō, idq; sine omni formidine. Audire deinde cogebantur, quòd Christus secreta cordiū illorum detegebat manifestabatq; vt qui nihil aliud quàm fastūm & auaritiā quærebant sub bona specie. Summa: duo inueniebat Christus in Phariseis, quæ in sua domo & in suis credentibus irreprehensā nō dimittit. Primum erat, simulata sanctimonia ex falso intellectu Scripturæ. Alterū erat, externa superbia & ambitio, vt semper alius alium loco præcellere vellet. Quæ duo vbi sunt, res nō bene geritur in domo Dei. Vbi sacra Scriptura nō rectè intelligitur, ibi periculum animæ est. Porro vbi quis primum amat accubitū, nemo alteri cedere vult, nec quisquā sua conditione cōtentus est, ibi indubiè oritur lis, iurgiū, bellū & internecio. Hoc qui non potest credere nec vult, is mūdi istius cursū intueatur. Quis communi Ecclesiæ & Christianitati nūc maius affert dānū quàm prauus intellectus sacræ Scripturæ? Rogas quī: Fit ex indē, vt persuadeamus nobis, nos Christianos esse, etiam si nihil Christiani in nobis habemus, loquimur, cogitamus aut facimus. Alius cōtentus est nonnullis operibus quæ facit. alius fidei suæ fidei, & tamen ipse vsus docet, maiorem partem, neque de fide neq; de bonis operibus aliquid probè cognitū habere. Certè non est illa fides, quando verbis solūm potes dicere, Credo. Fides actiua & efficax res est, ad omnia bona in pelles. Et nisi hoc pacto impellat, ibi non est viua, sed mortua fides, sicuti eā Iacobus nominat. Eius rei multa egregia habes exempla in Epistola ad Hebræos, de vera ac viua fide Patrum in veteri Testamento. Cum his confer nunc nostros Logochristianos, videbis, quidd quantumcūq; fidem iactitent, nihil tamen aliud est, quàm putris & mortua fides. Hoc pacto falsus intellectus sacræ Scripturæ facit, vt super fundamētum putridum ædificemus, &c. Sic etiam in externis rebus, quid tantum bellorum & discordiarum inter nos concitat Christianos, quàm quòd vnusquisque principem tenere vult locum: nemo cōsiderat suam vocationem: nemo sua sorte

conten-

*Vitia Phari-*  
*eorum duo.*

*Prauu Scri-*  
*pturæ intelle-*  
*ctus.*

*Fides mortua.*  
*Iacobi 2.*

*Logochristia-*  
*ni.*

contentus uiuit. quilibet alteri sese præferre uult, discipulus magistro, rusticus prætori, ciuis nobili, nobilis principi, princeps Cæsari, ecclesiasticus prophano, prophanus ecclesiastico, &c. En hinc omnia bella. Nemo hinc cogitat quod Paulus dicit, *Philip. 2.* Superiores sibi inuicè arbitrantes. Sed hoc apud mundum istum iam nihil amplius ualet, donec summus paterfamilias tandem negotium suscipiat, bellum componat: curetque ut alius post alium cum probro descendere cogatur. Sententia enim lata est, Omnis qui se exaltat, humiliabitur. Itaque nihil melius foret, *Luc. 14.* quam ut hodiernam Epistolam bene ad animum reuocaremus. *Eph. 4.* Ego Paulus uinctus in Domino (inquit) obsecro, ut dignè ambuletis uocatione, qua uocati estis. Hæc hodierna erat Epistola, in qua uidere facile quibus potest, quam pulchrè Paulus cum Christo consentiat in hodierno Euangelio. Tota Epistola cõ tendit, ne quis sibi ipse capiat primum accubitum, sed unusquisque suæ uacat uocationi, & secundum illam uiuat, ambulet & agat: cogitet se non totum corpus, sed membrum solum in corpore esse, & quod non solus Spiritum Dei omnem habeat, sed quod alij Spiritum Dei etiam habeant. Imò non solum Spiritum, sed etiam fidem & baptismum, quinimò Deum ipsum. Quod si consideraremus, & secundum id faceremus, profectò non tantum motuum habituri essemus, sicuti *In Euangelicos seditiosos.* ab hinc iam aliquot annis uidimus. Et ut plus dicam, si sanguinarij nostri concionatores hanc unicam Epistolam suis militibus probè inculcarèt, futurum esset, ut multi manus cohiberent, qui iam gladium strictum in manu habent: multi pudore suffunderentur, qui putant se iustam habere causam. Sed operatur iam Spiritus ille passim in prædicatoribus tam domi quam ruri, qui nihil aliud quam ad bellum & inquietudinem hortatur. Si Spiritus est Christi, aliam induerit naturam prorsus necesse est, quam habebat, cum Euangelium primum prædicari & literis comprehendere sinebat. Sed quid attinet multa dicere, uidemus, & tamen uidere nolumus. *Volumus seduci.* Mundus cupit seduci. Probus cogitur uidere & audire quod prohibere non potest. Sed hæc missa facio. De Epistola paulò plura audire nos oportet, quæ ab ipso nobis indicat, cuiusmodi Paulus prædicator fuerit, & quid à suis auditoribus postulet. Etenim primò in ipso statim principio apparet apud uoculam, ubi ait, Ego Paulus uinctus in Domino. Ex hoc uerbo (inquam) uidemus, quod Epistolam hæc ex captiuitate & carcere, & è Roma scripse-

rit. Sciunt autem Geographi, quòd ciuitas Philipporum longè à Roma difsita fit. Attamen Paulus, fidelium qui Philip-  
 pis erant, obliuisci non poterat, quantumuis procul ab eis ab-  
 erat: quinetiam habebat illos apud se in suo corde & in suis  
 vinctulis. Secundò, etsi in manibus & potestate crudelissimi ty-  
 ranni Neroniserat, plus tamen curæ gerebat pro ijs quibus  
 prædicauerat, quàm pro seipso. Alius cogitasset quomodò ex  
 manibus & potestate Neronis euadere posset. Paulus verò om-  
 nem curam eò dirigit, vt ij quibus prædicauerat, in vera fide  
 permaneant. Hinc fit, quòd multas Epistolas ex captiuitate  
 Romæ scripserit: nimirum illam ad Ephesios, ad Philippen-  
 ses, secundam ad Timothæum, & illam ad Philemonem. Nec  
 vllis in Epistolis tanto cum affectu loquitur, vt in ijs quas in  
 sua captiuitate scripsit. Et hoc luce clariùs videmus in ho-  
 dierna Epistola. Primò nanque non simpliciter dicit, Rogo:  
 sed, Obscuro. Non simpliciter rogat, sed seriò. Secundò dicit,  
 Ego vinctus. Perindè ac si dicat: Si ego vinctus tantam pro vo-  
 bis curam gerò, quantum vos pro vobisipsis curare debetis?  
 Tertiò admonet eos, vt non solum credant, & in fide persèt,  
 & constantes maneant, quemadmodum antea fecit: sed monet  
 eos, vt secundum vocationem suam ambulent & viuant. Hæc  
 enim duo simul vrget Paulus, in fide persistere, & in vocatio-  
 ne ambulare. Et quisquis prædicator alterum horum omit-  
 tit, vt non simul tractet, is doctòr fidelis non est. Atqui nos  
 Christiani duplicem vocationē habemus. Primò vocati su-  
 mus ad fidem, & ad Christianismum. Et hæc vocatio nobis  
 omnibus communis est. Secundò ad peculiaria munia & sta-  
 tus vocamur, & hæc in parte quilibet propriam suam voca-  
 tionem habet, vt i Paulus dicit: Dedit quosdā Apostolos Deus,  
 quosdam Prophetas, alios Euangelistas, alios Pastores, & Do-  
 ctòres, &c. Et alio in loco: Diuisiones gratiarum sunt, idē au-  
 tem Spiritus. Et diuisiones ministracionum sunt, idem autem  
 Dominus. Et diuisiones operationum sunt, idem verò Deus,  
 qui operatur omnia in omnibus. Vnicuique autem datur ma-  
 nifestatio Spiritus ad vtilitatem. Alij quidem per Spiritum  
 datur sermo sapientiæ: alij autem sermo scientiæ, secundum  
 eundem Spiritum, &c. Et alio in loco. Vnumquēq; (inquit) si-  
 cut vocauit Deus, ita ambulet, & sicut vnicuiq; diuisit Domi-  
 nus. Circūcisus aliquis vocatus est: nō adducat præputium. In  
 præputio aliquis vocatus est: nō circūcidatur. Seruus vocatus

*Fides & ope-  
ra.*

*Christiano-  
rum duplex  
vocatio.*

*Ephe. 4.*

*1. Corint. 12.*

*1. Corint. 7.*

es: non

es: non sit tibi curæ. sed etsi potes fieri liber, magis vtere, &c. Et postea: Alligatus ex vxori: noli quærere solutionē. Solutus es ab vxore: noli quærere vxorē. Si autem acceperis vxorē, nō peccasti. Et si nupserit virgo, nō peccauit. Hæc & id genus alię sunt hominum peculiare vocationes, vt hic ad istud munus & statū, & alius ad aliud munus & statū vocetur: præterquàm quòd antea ad fidē & Christianissimum omnes vocati sunt. In vtraque autem vocatione oportet nos ambulare, sicuti decet. Ad quam rem præcipue duo pertinent, Humilitas & charitas. Hæc duo Paulus commemorat in hodierna Epistola. Docet quid vnumquodq; sit, & quid ad vtrūq; nos mouere debeat. Ea autē est vera humilitas, vbi homo seipsum ex animo agnoscit, quòd peccator sit, & nihil ex seipso boni habeat aut possit. Deindē, vbi humanū & amicabilē se præbet erga homines alios. & postremò etiam patiens est in tentationibus & aduersitate. Hæc tria complectitur Paulus, & ponit simul. Ambulate (inquit) in vocatione qua vocati estis cū omni humilitate & mansuetudine, cū paciētia, supportantes inuicē in charitate, &c. Ad talē autē humilitatem mouere nos debet nostratio. Quicquid enim boni habemus, id non ex nobis ipsis habemus, neq; per nos ipsos ad eiusmodi gratiā peruenimus: sed vocati sumus, idq; non ex nostris præcedentibus meritis, sed ex gratia. Quamobrem nullā habemus causam nos efferendi: magnam verò causam nos humiliandi. Deus vocauit nos de tenebris in admirabile lumen suū, ait Petrus. Summa, nihil habemus boni ex nobis ipsis, sed omnia ex eo qui vocauit nos. Huc pertinet humilitas, vt id agnoscamus cōsideremusque. Et hoc vult Paulus, vbi ait. Obsecro vos vt dignē ambuletis vocatione, qua vocati estis. perindē ac si dicat. Quia ad cōuiuū Euangelij, ad nuptias Christi, imò ad mēsam Dei vocati estis, obsecro & hortor vos, vt eam accedatis, idq; ea vos geratis, sicuti vtrobiq; loci decet. Id autē tum fiet, quando vocationem vestrā considerabitis, eūmq; imitabimini, qui vos inuitauit. Is enim cum in forma Dei, atq; ideo summo loco dignus esset, in infimum se dimisit locū, assūmēs formā serui, & humiliās se in mortē vsq; crucis: humiliās se vsque ad lotionē pedū suorum discipulorū, versatūque inter eos nō tanquàm Dominus, qui seruitiū ab ijs postulasset, sed tanquàm seruus, qui illis omnibus seruiuit. Et in hoc infimo loco tantisper sedit, donec iuberet Pater eū honoratiōrē capere locū, in sancta eius resurrectione.

*Ibidem.**Humilitas & charitas.**1. Pet. 2.**Imitari Christū debemus.**Philip. 2.**Ioan. 13.**Math. 20.*

*Philip. 2.* ne & ascensione. Illic enim exaltabat eum Deus supra omnia, & dabat ei nomen super omne nomen: imò omnem potestatem in cœlo & in terra, &c. Hunc imitare in tali humilitate, & ambulabis dignè vocatione tua. Hoc vult Paulus primò docere in hodierna Epistola. Deindè verò docet nos veram charitatē quę duabus in rebus cōsistit. Primò in eo, si nos inuicē toleamus in charitate. Secundò, dum solliciti sumus seruare unitatē spiritus in vinculo pacis, &c. Ad eiusmodi charitatē verò primò mouere nos & trahere debet, quòd nō solū vnus natura, sed etiam vnus corpus & vnus spiritus simus. Quis autem est cui propria sua membra non chara sint? Atqui nos omnes inter nos inuicem membra sumus. Secundò ad charitatem nos mouere debet, quòd tot tātāq; bona cōmunia habemus. vnus Dominus (inquit Paulus) vna fides, vnū baptisma, vnus Deus, vnus Pater omnium nostrū. Cur igitur nō illum amē, qui Dei, Christi, beatitudinis æquē particeps est, atq; ego? Etiā si pauper sit ægrotus, aut humilis cōditionis, nō tamē id me mouere debet, quādoquidē in Christo & in spiritualib⁹ bonis æquē diues est atq; ego. Ex hoc vides, quā pulchrè Paulus cū Christo cōsentiat. Quisquis igitur honoratum locū cupit in cōuiuio Christi, is ambulet in humilitate & charitate. Sententia enim lata est, Omnis qui se humiliat, exaltabitur: Et qui misericordiam aut charitatem præstat, is vicissim misericordiam consequetur. E diuerso autem sententia etiam lata est in omnes superbos & immisericordes. Omnis (inquit Christus) qui se exaltat, humiliabitur. Et, Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remisistis vnusquisq; fratri suo de cordibus vestris, &c. Sūma, hæc quatuor cōiuncta sint oportet: humilitas ne alter alterū cōtēnat: māsfuetudo, ne alter alterū lædat: patiētia, vt alter alterū ferat ac toleret: & charitas, vt alter alteri auxilietur. Hæc quatuor vbi sunt, ibi ambulatur sicuti decet in Christiana vocatiōe. Et ibi verè dici potest, nos vnū esse corpus, & vnū spiritū, &c. habere nos vnū Deū & Christū fidem & baptisma. Ea verò vbi non sunt, ibi neque Deus est, neque Christus: imò neque prodest fides neque baptisma. atque hīc aperiāmus oculos. Nunc ingens lis est & controuersia, qui veri Christiani sint. Et si res paulo diligentius consideretur, inuenitur vtrobique neque humilitas, neque mansuetudo, neque patientia, neque amor. Et ob id nullum dubium est, quin si diuus Paulus adhuc prædicare deberet, talium homi-

hominum qui hisce carent virtutibus, nullum pro vero Christiano agnosceret. Hoc consideremus: non enim regnum Dei *1. Cor. 4.* est in sermone, sed in virtute. Deus det nobis gratiam ad consideranda omnia, præstandaque: Amen.

DOMINICA DECI-  
MANONA POST PENTE-  
COSTEN, EVANGE-  
LIVM MAT. XXII.

**C**onuenerunt in vnum Pharisei, & in- *Marc. 1.*  
terrogauit eum vnus ex eis legis doctor  
quispiam, tentans eum, & dicens: Magister,  
quod est mandatum magnum in lege? Ait *Deut. 6.*  
illi Iesus: Diliges Dominum Deum tuum  
ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in  
tota mente tua. hoc est primum & magnum  
mandatum. Secundum autem simile est huic:  
Diliges proximum tuum perinde ac teipsum.  
In his duobus mandatis tota lex & Prophe- *Luc. 20.*  
tæ pendent. Congregatis autem Phariseis,  
interrogauit eos Iesus, dicens: Quid vobis  
videtur de Christo, cuius filius est? Dicunt  
ei: David. Ait illis: Quomodo ergo David in  
spiritu vocat eum Dominum? dicens: Dixit  
dominus domino meo, sede à dextris meis:  
donec ponam inimicos tuos scabellum pedum  
tuorum. Si ergo David vocat eum dominum,  
quomodo filius eius est? Et nemo poterat ei  
respondere quicquam: neque ausus fuit quis-  
quam ex eo die eum amplius interrogare.

E A D E M D O M I N I C A  
E P I S T O L A S A N C T I  
P A V L I , I . C O R I N -  
T H I O S I .

**F**ratres: Gratias ago Deo meo semper pro uobis de gratia Dei, quæ data est uobis per Christum Iesum, & in omnibus ditati estis per ipsum in omni sermone, & omni cognitione, quibus rebus testimonium Christi confirmatum fuit in uobis, adeò ut non destituamini in ullo dono, expectantes reuelationem Domini nostri Iesu Christi: qui & confirmabit uos usque ad finem, inculpato in diem Domini nostri Iesu Christi.

P R I M U S S E R M O D E  
E u a n g e l i o i n g e n e r e .



Rom. 1.

**H**ODIERNVM istud Euāgeliūm, in quo tam breuibus, & tamen tam perspicuis verbis indicatum est quid & credere & facere debeamus, eius me admonet, quod Paulus dicit, nec Gentes excusationem habituras coram Deo, eò q̄

Deum ex creaturis agnoscere potuissent: cæterum eiusmodi veritatem & agnitionē Dei, in iniustitia detinuerint: hoc est, etsi Deum agnouerint, iniusti tamen & impij manserūt. Istorum verborum admonet me hodiernum Euangelium. Nam si nec Gentilium excusabit impiam vitam tam tenuis imperfe-

1. Cor. 2. Etāque cognitio Dei, multò nos minus excusare poterimus:  
 Luc. 10. siquidem nobis Deus per Spiritum suum reuelauit, quod etiā magni & potentes nō sciuerūt. Nos videmus & audimus quod  
 1. Cor. 7. multi Reges & Prophetæ non viderunt neque audiuerunt: imò reuelata facie videmus gloriam Christi, vti iterum Paulus dicit. Neq; prætexet quispiam, & dicet, sibi non reuelatum aut annunciatum esse: quandoquidem sanctorum Apostolorum sonus in omnem terram exiuit. Neque dicere quisquam poterit, se tam hebetis esse ingenij, nec tam vlla memoria præditum, vt talia non intelligere aut retinere possit. Nemo (inquam) hisce sese excusabit. Ea enim ipsa de causa, ne eiusmodi excusa-

excusa-

excusationem prætexere possimus, sacra Scriptura quandoq; *Summa Christi-  
summa Christianæ doctrinæ vnico verbo cõplexa est & com-  
prehendit, vti cū Moyses dicit: Et nunc Israël, quid Dominus  
Deus tuus perit à te, nisi vt timeas Dominũ Deum tuum, & di-  
ligas in toto corde tuo? Vide in his breuibus verbis Moses to-  
tam legem & tam innumera præcepta complexus est & pro-  
posuit. Et quis tam insanit & obliuiosus est, vt verba tam pau-  
ca intelligere non possit, & retinere? Eodẽ modo posteaquam  
Salomon multũ & prolixè in suo Ecclesiaste scripserat & do-  
cuerat, postremò tandem omnia in vniciũ & breue verbũ con-  
tulit: Finẽ loquendi (inquit) pariter omnes audiamus. Deum  
time, & mandata eius obserua: hoc est enim omnis homo. Sic  
etiam Michæas omnium prophetarũ Scripturas cõprehendit  
vno verbo, vbi ait. Indicabo tibi õ homo, quid sit bonum, &  
quid Dominus requirat à te: vtique facere iudiciũ, & diligere  
misericordiam, & sollicitũ ambulare cū Deo tuo. Eodem modo  
cõprehendit etiam Paulus 1. Corinth. 13. omnes suas prædi-  
cationes & doctrinã in hoc vnico verbo, vbi ait: Nunc autem  
manent fides, spes, charitas, tria hæc maior autẽ horũ est cha-  
ritas. Itidem quoq; facit Ioannes: Hoc est mandatũ eius vt cre-  
damus in nomine filij eius Iesu Christi, & diligamus alteru-  
trum. Eundem in modum facit Christus in hoc Euangelio.  
Quicquid vnquã docuit de fide atq; etiam de bonis operibus,  
id hoc loco paucis verbis cõplexus est: nimirũ vt Deum diliga-  
mus ex toto corde, & credamus q̃ sit Christus Davidis filius  
& dñs, hoc est, Deus & homo. Et quis tam crassus & obliui-  
osus, qui tam clara verba non intelligat, & tam pauca verba nõ  
possit retinere? Atqui plurimum ea momenti habent. Etenim  
in his paucis verbis omnia habemus, quæcũque Deus vnquã  
à nobis postulauit. At quid necessarium magis quã scire quid  
à nobis poscat Deus? Aut quis timere sibi potest, & gratiã ro-  
gare, qui nescit se peccasse? Quocirca vnumquẽque Christianum  
admonitum velim, vt hodiernum istud Euangelium di-  
ligenter consideret, ne Iudaicis Pharisæis similes fiamus,  
qui quotidie de sacra Scriptura loquebantur & disputabant:  
veruntamen neq; veram fidem habebant, neq; vitales bonorũ  
operam fructus proferebãt. Vnde audire eos oportebat quod  
Christus dicit: Regnum Dei à vobis auferetur. Et domus ve-  
stra relinquetur vobis deserta. Quapropter Euangelium istud  
latius disquiremus, ne simile quiddam nobis contingat.*

*Deut. 10.**Eccle. 12.**Mich. 6.**1. Ioan. 3.**Matth. 21.**Matth. 23.*

Principio non est necesse, vt multa & prolixè loquar de Phariseorum quorundã hypocrisi & malitia: quandoquidem proximè præcedente Dominica etiã audiimus, mansisse eos, qui fuerant antè. Quotiescũque sese ostentabant, & quantumlibet bonam speciem falsò prætexebant, re ipsa tamen declarabant se nihil aliud esse quàm simulatè probos, quemadmodum hïc videmus. Bonã speciem obtendunt, de maximo mandato interrogant, & tamen nec minimum obseruabant. Alia in hoc Euangelio commemorata sunt, quorũ plus nostra refert. Vtpotè primò, q̃ Christus non omnia præcepta commemorat, sed tantummodò charitatis meminit. Per hoc enim Christus indicare voluit primò, q̃ præcepta sua & leges non nõ in lapideis tabulis aut libris, quemadmodum Moses fecit, sed in cordibus hominũ scribere volebat, quemadmodũ Hieremias vaticinatus est: & q̃ fideles suos nõ præceptis tantum ad bonum cogere, & à malo deterrere, sed etiam per Spiritum sanctum & charitatem & beneficia prouocare volebat. Quæ quidem etiam de causa legem suam suaue iugum, & leue onus nominat. Secundò, quoniam dicit, quòd in his duobus præceptis charitatis, omnis lex & prophetæ pendent: significat nobis per hoc, q̃ mandata Dei, nõ solum externa opera, sed etiã & potissimum cor requirant, neque opere solo complentur, sed charitate: quia Deus longè aliud requirit in suis mandatis, quàm mundi regentes. Hi enim nihil nisi opus exigunt: hoc indigent, haud curantes, volensne an inuitus. Deus autem qui nostris operibus opus non habet, cor postulat imprimis: deinde etiam opera ex charitate & ex animo proficiscentia. Tertio, ne quis falsò sibi persuadeat, tanquam charitatem Dei & proximi habeat, ambo mandata Christus interpretatur, Dominum Deum tuum (inquit) diliges ex toto corde tuo, hoc est, ex omni desiderio tuo & cogitationibus: & ex tota anima tua seu vita, vt per totam vitam tuam nunquam desinas illum diligere: & ex totis viribus tuis, hoc est, pro omni tua facultate. Hïc vide, quàm strictum & magnum sit hoc mandatum, & quantum requirat. Imò si non per philautiam es excæcatus, videbis profectò cor tuum absque Dei gratia longè aliter affectum esse, vitam tuam multò aliter institutam, & vires tuas peccato vitiatas etiam repugnare. Et deinde in hoc præcepto cognoscis imbecillitatem tuam, & quam ex teipso sine Dei gratia & ope, illi non possis satisfacere. Quapropter merito tibi rogan-

tibi rogandus Deus cū sancto Dauide pro gratia & corde pu- *Psal. 50.*  
 ro & recto Spiritu, & pro eo obtinēdo simul etiā omni studio  
 connitendū. Id etiā inuenis in alio p̄cepto de charitate pro-  
 ximi: id Christus etiā ita proponit, vt fateri cogamur, nos  
 proprijs viribus longē adhuc abesse. Summa, hæc duo manda-  
 ta conuincūt, nos adhuc imperfectos esse, semp̄q; superesse,  
 in quo crescere ac progredi in charitate queamus: nec tamen  
 propter hanc imperfectionē damnationi obnoxij sumus, quan-  
 diu in charitate perseueramus. Imperfectū meū, ait S. Dauid, *Psal. 138.*  
 viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur. Quarto,  
 duobus verbis, vbi de charitate Dei dicit, Hoc maximū & p̄-  
 cipuum mandatū est. Et de charitate proximi. Hoc primo si-  
 mile est: hisce verbis (inquā) Christus clarē indicauit, optima  
 illa bona opera esse, primò Deum, deindē etiā proximum no-  
 strum diligere: cōtra verò summum peccatū etiā, quicquid cō-  
 tra charitatem Dei & proximi fit. Et ex hoc discite tu ipse con-  
 scientiam tuam instituire, vt scias vbi peccatū & non peccatū:  
 imò vbi maxima peccata sint, ne facias id quod olim Iudaici  
 Pharisei, qui pro summo peccato habebat, quod peccatū non *Matth. 23.*  
 erat: contra verò, vbi maximū peccatū erat, pro nullo peccato  
 reputabant, quemadmodū illis prolixē Christus cōmemorat *Ioan. 8.*  
 in Matthæo. Et vnusquisque videre ipsemet potest, p̄cipuē  
 in passione Christi, vbi pro peccato ducebāt, in domū Ethni-  
 ci intrare: at Christū innocentissimū neci rradere, omni culpa  
 vacare sentiebant. Quintò, q̄ Phariseus non nisi de vno eōq;  
 summo mandato interrogat, Christus verò alterū statim sub- *1. Ioan. 4.*  
 iungit: factū est ad iudicium, q̄ primū mandatū seruari nō  
 possit, nisi alterū quoque & ante seruetur. Qui enim fratrem  
 quē videt nō diligit: quomodò Deum diligere potest, quē non  
 videt: Hoc cōtra illos est, qui sibi ipsi in sua deuotiōe placent:  
 iactant dilectionem Dei, cū tamen interim nec in minimo  
 cōpassionis affectu tangētur erga suum proximū. Tales erant  
 etiā Pharisei: hi de maximo mandato interrogabant chari-  
 tatis Dei, cū tamen Christo, qui proximus eorū erat, imò fra-  
 ter, nō solū nullum amorē & cōpassionē p̄stabant, sed  
 etiā eum crudelissimē persequebātur. Sextò facit Christus al-  
 terum mandatū de charitate proximi, primo de charitate Dei  
 simile, quò ad charitatē proximi magis trahamur: simūque  
 docet, vbi Deum querere debeamus ad amādum illum, nimi- *Deus vt aman-*  
 rum sub cruce, hoc est, in necessitate p̄ximi nostri. Illic quere *dis.*

Deum: illic exhibe ei charitatem, illic ciba & vesti Christum.

*Matth. 25.* Id accipiet, perindè ac si ipsi fecisses. Alioqui enim inueniuntur homines, qui Deum tantum in alto, hoc est, apud diuites & potentes quærant: cæterum vbi certò inuenitur, ibi non quæri-

*Ibid.* tur: idè etiam coram tribunali Christi audire cogètur, Discedite à me maledicti in ignem æternum: esuriui enim, & non dedistis mihi māducare, &c, Et hoc circa primā partem huius Euangelij obseruandum. Sequitur porrò in Euangelio, quòd Christus Pharisæis etiam quæstionē obijciebat: & postremum erat, vnde illos interrogabat. Sed vide quàm pulchrè multiplicem disputationem cū illis concluderit, dum concludit cum ea ipsa parte, quæ omnium maximi momenti est: nimirum quis Messias sit, & quid de illo sentiendum sperandumque sit.

*Matth. 16.* Hoc animo etiā antea suos discipulos interrogauerat, non solum quid vulgus de illo sentiret, sed etiam qualè ipsi illum reputarent. Et ad ambas quæstiones illi respondebant. Alij (inquiiebant) Ioānem Baptistam, alij autem Eliam, alij verò Hieremiam, aut vnum ex Prophetis te dicunt esse. Nos autè (dicit Petrus pro se & alijs) credimus & persuasum habemus, te esse Christum filium viui Dei. Eodem etiam modo interrogat hinc Christus Pharisæos, quid de Christo aut Messia sentirent. Cūque humiliter & abiectè admodum de illo existimarent, imò ni hil aliud quā quòd filius Dauidis esset, ad sublimius aliquid considerandum illis ansam dabat ex sacra scriptura: quin hanc ipsam ob causam potissimum interrogabat illos, quid de Christo & Messia eorum sentirent, quò occasionem haberet ad introducendum Psalmum, in quo Dauid aperte indicat non solum magnam gloriā Messia, sed etiam omnium suorum inimicorum oppressionem & ignominiam.

*Psal. 109.* Sententia est, perindè ac si Christus dicere voluerit: Multa hactenus inter vos & coram vobis locutus sum ac feci, sed omnia frustra. Agè, quod meū est feci: vos sequi denegati. Vnum adhuc vobis dicam. Legite centesimum & nonum Psalmum, videbitis quid scriptura de gloria Messia seu Christi, & confusione suorum aduersariorum dicat. Etenim decretum iam & constitutum est, vt sedeat ad dexteram Dei: & quòd omnes eius inimici, quantūcūq; etiam reluctentur, tandem illi subijci debeāt. Et talè ordinationem Dei nemo mutare poterit aut impedire. Et hinc vide, quā pulchrè eos trahat & prouocet ad poenitentiam, & abrogationē impij eorū cōtra ipsum propositi. Sed

fiti. Sed omnia frustra, respondere non poterāt, nemo tamen eorū institui cupiebat: audiebāt sententiā in se latā esse, nemo tamē eorū veniā petebat. Nos autē hęc penitiūs cōsiderare debemus: nostrū est nō desistere à quærēdo, donec genuinum intellectum horū verborū inuenimus. Docet ergo nos locus iste *Christus homo.* quis Christus sit: nimirū primò, q̄ homo sit, & filius hominis. Quid enim David aliud fuit quā homo: Quid autē hoc bono Christiano solatij adferre possit, ex verbis Pauli intelligitur, vbi ait. Heb. 2. Non cōfunditur Christus fratres nos vocare, dicens Psal. 21. Nuntiabo nomen tuū fratribus meis: in medio ecclesie laudabo te. Et iterum: Eccē, ego & pueri mei, quos dedit *Esa. 8.* mihi Dominus. Et in Ioanne. c. 20. Ascendo ad Patrem meum & patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum. Secundò, *Christum Davidis filium.* non solū Christus homo est & filius hominis, sed etiam Davidis filius. Non ideo solū, quòd de semine & progenie Davidis originem ducit secundum humanam naturam, sed etiā, quòd is est, qui Davidi promissus est, & quē David alijq; patres expectauerunt, & quem sacra scriptura Davidis filium nominat: hoc est, in quo & per quem omnes promissiōes Dei sunt, Amen. Pro tali eum agnouerunt, qui ad eum clamabant. Mat. *1. Cor. 3.* 15. & 20. Miserere nostri, fili David. Tertiò, nō solūm filius David est, sed etiam Davidis Dominus, propter diuinitatem eius: *Christum Davidis Dominum.* quinetiam propter regiam eius dignitatem. David enim solūm temporalis & mortalis Rex fuit: Christus autem spiritualis, & ob id etiam æternus Rex est, quemadmodum Isaias. c. 9. prædixit, nec non Daniel capitul. 7. Ad hęc, Davidis regnum imbecille erat & inualidum, propterea per Christum confirmari debebat: quin Davidis regnum etiam maledictum erat, & ob id per Christū benedici debebat. Et David solus Rexerat in terris: Christus autem regnat ad dexterā Dei, accepit omnē potestatem in cœlo & in terra. Vnde Rex est Regum & Dominus Dominantium. Ideò meritò Davidis Dominus vocatur, sine quo etiam Davidis Regnum non est: imò sine quo David saluari non potuisset: & ad quem omnes promissiones spectant Davidi factæ, vt ipse & regnum eius exaltaretur in æternum. Sed, inquis, Quid prodest nobis, & Christus Davidis Dominus est? Audi quod etiā ad te attinet. Christus ille est ad quem Deus dixit Psal. 109. Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellū pedum tuorū. Talis Rex est Christus, qui à dextris dominatur, hoc est, cuius regnum spirituale est.

Sinistra enim significat tēporale. Rex est & victor non solum in seipso, sed etiā in nobis. Quapropter etiā ad nos dicit: **Ioan. 16.** Confidite, ego vici mundū. Sed audi iam, quomodò in nobis regnet & vincat. Dominare in medio inimicorum tuorū, dicit Dñs ad eum. Nō dicit, Profligabis inimicos tuos, vt nullus amplius sit: sed, Inter medios hostes eris, vbiq; ab illis affligeris, sed tamen Dominus, & Rex manebis. Nō em̄ tollit penitus à nobis malū Christus, sed dat virtutē ac fortitudinem, vt vincamus.

**Cant. 2.** Huc seruit, quod Salomō dicit: Sicut liliū inter spinas, ita dilecta mea inter filias. Quapropter cōtenti esse debemus, & gnauius vt illius gratia, si non vult auferre à nobis, quod nos premit, sicuti ad Paulū dicit. Interea tēporis etiam nos cū Christo regnare oportet, & inter medios hostes, donec nobis Deus tandem etiam inimicos nostros pedibus nostris subijciat, vt verē

**2. Cor. 12.** possimus dicere: O mors, vbi nunc potētia & victoria tua: Deo gratia, qui nobis victoriam dedit ac dat per Iesum Christum Dñm nostrū. Postremò etiā talis Rex est, cui omnes inimicos eius subijci oportet: idq; duabus vijs. Alij vltro se illi dedunt,

**Ast. 9.** & agnoscunt eū pro Domino suo, vt Paulus. Is posteaquā diu hostis & persecutor Christi fuerat, postremò cōuertebatur, vt diceret, Dñe quid vis faciā? Ita fiebat scabellum pedū Christi: imò fiebat electū vas, vt nomē Christi portaret ante Reges & principes, ante Iudæos & Gētes. Talem in modū quoq; etiam peccatrix subijciebat se pedibus Christi: irrigabat illos suis lachrymis, Ita etiā nos aliquādo inimici eramus, nūc autē agnoscimus Christū pro nostro Dño. Beati hoīes qui hoc modo, & volētes scabellum Christi fiunt. Verū qui non vltro se dedunt Christo, ij vel inuiti æterno ipsorum dāno illi subijci cogūtur. Interea tēporis autē patitur illos, nobis ad exēplum, vt similiter etiam faciamus, malos toleremus, eosque ad pœnitētiā trahamus prouocemúsque. Quòd si eiusmodi nostram charitatem aspernantur, veniet tēpus, vt nō amplius nos possint contemnere. Deus det nobis omnibus suam gratiam, Amen.

### Secundus sermo de Euangelio & Epistola.



**H**ODIERNVM istud Euangelium duo in se comprehendit, quæ quidem omnibus Christianis sumnt. operē necessaria sunt, sed tamē homini carnali aliud alio acceptius est. Primū est, qd Christus primū & summū mandatū, verbis tam egregijs &

egregijs & pōderosis indicat ac proponit. Alterum est, q̄ tam pulchrè ex Dauide indicat, quid de se sentiri & credi velit. Quisquis igitur hæc duo diligenter cōsiderat, facile videbit, q̄ Euangeliū istud duo à nobis requirit. Nam q̄ in eo ex Dauide cū diuinitas tum humanitas indicatur Christi, fidem à nobis postulat. Quòd autē etiam maximū mandatum legis in eo introducit, id exigit nostrum opus. Et quod hīc vides, id etiam aliās inuenis in alijs locis sacre scripturæ, quæ quandoq; fidē, q̄nq; etiā opera nostra postulāt. Et qui sacra scriptura & verbo Dei rectè & vtiliter vti velit, is duo hæc simul accipiat oportet. hoc est, nō solū verbū Dei credere debet, sed etiā opere ipso declarare: & vt non opere tantū vtrūq; impleat, sed etiā corde credat. Hæc duo cūprimis necessaria sunt. Atq; id non temerè dico. Etenim Adæ filij rarò simul ea accipiunt. Id quod in Pharisæis apparet in hoc Euāgelio, necnon in nobis. Iudaici Pharisæi hoc quærebant, quod esset maximū mandatum in lege: hoc est, disputabāt solū de sua lege & externis legis operibus, gratiā Christi non morabātur: cōtrā nos eam tantū quæstionē agitamus, quis Christus sit: hoc est, iactamus fidē & agnitionē Christi, mandata verò & bona opera nō curamus. Atqui vtrobiq; nimis parū est. Malū quidem nō erat, q̄ illi Pharisæi lege sua sese occupabant: sed q̄ solūm per legem, & propria opera putabant iustificatos se & saluos fieri: persuasum itaq; habentes, se Christo eiusque gratia penitus nihil opus habere, hoc malū erat & perniciosum. Quid enim lex posset sine Christo? Nam gloriare de lege quantumcūque velis, tuis tamen viribus nunquā implebis. Quorsum autem attinet multum de lege gloriari, & legi nūquā satisfacere? Quid porrò etiam lex solatiij & pacis conscientiæ nostræ dare posset, quando cor nostrum nobis dictat, nos legi absque Dei gratia nunquā satisfecisse, sepius autem contrā fecisse? Rectè igitur benèq; factum, & quidem etiam necessariò, quòd Christus Pharisæis, qui lege sua gloriabantur, quæstionē reijciebat, quid sentirent de Christo. Et talibus quidem, qui solis suis operibus totum tribuunt, non melius respōderi potest, quā vt quis dicat: Quid sentitis de Christo? O vos insensati homines, quid tantūm gloriāmini proprijs vestris operibus? Dedit quidem Deus legem & com-

Fides.

Opera.

Verbum Dei factū præstandum.

Psal. 118.

**Gen. 3.** sola nos in cœlum perducere & seruire potuisset? Contrà verò nōne scriptura aperte dicit, & Christo attribuit, vt serpenti infernali caput contereret, & q̄ ille omnibus gētibus & populis benedictionem Dei allaturus esset, atq; hoc pacto popu-

**Gen. 22.** lum suum à peccatis eorum liberaturus? Quòd si Christus hoc

**Matth. 1.** facit, certum est, homines istos omnes longè errare, qui sperant se id ex sola lege & proprijs dūtaxat operibus consequi posse.

**Gal. 2.** Si per legē iustitia, (inquit Paulus) ergo gratis Christus mortuus est. En, hoc Iudaicis Phariseis defuit, q̄ licet lege occupati erant, contēbant tamen gratiā Christi: nolentes agnoscere, q̄ Deus salutē hominibus non per legem, sed per Messiam

*In Euangelij  
sacclatores.*

promisit: & non ex præcedenti debito, sed ex gratia. Contrarium adē in nobis deprehenditur: acceptamus quidem & iactitamus Euangelium, sed spernimus omnia præcepta Dei. Imò maior pars ad eam deducta persuasionem est, vt existiment, verbum Dei nihil postulare à nobis amplius, quam vt credamus. Hinc fit, vt ex Euangelio nihil aliud sumamus retineamusque, quàm quod ad fidem pertinet, & de gratia dicit: sed tamen periculosè etiam in hoc erratum est. Verissimū quidem est, quòd Christus gratuito nos saluos facit. Verūtamen non est mens illius, vt nihil boni faciamus, nec mandata vlla curemus, multò minus vt impiè viuamus. Satanas huic rei author est: tantò maior adhibenda cura, ne aut verbum Dei penitus tollat, aut inutile nobis faciat. Et quemadmodum Iudæis legem eorum inutilem reddidit: ita etiā omne adhibet studium, vt Euangelium nobis inutile reddat. Sciebat illis legem nihil profuturam, si fiduciam suam in ea sola collocarent cū contēptu gratiæ Christi. eamque ob rem etiam illos à Christo abducebat, non curans quàm mordicus legis literæ inhærent. Ita etiam nunc scit, Euangelium nihil nobis profuturum, nisi

*Euangelij si-  
ne bonis operi-  
bus nihil pro-  
dest.*

**2. Cor. 2.**

fidem nostram declaremus bonis operibus. Et ob id abducit nos à mandatis Dei, haud curans, quòd Euangelium mirifice iactamus. Non ignoramus cogitationes eius (inquit Paulus) imò non ignorare debebamus. Proindè quāquam certum est, nos in Euangelio videre primū debere ea quæ fidē cōcernūt: non tamen in eo frustrā nobis etiā duo prima & summa mandata proponuntur. Imò quoniā eiusmodi mandata charitatis, non solum in Euangelio hodierno, sed etiam alijs in locis verbis tam prægnātibus & eximijs proponuntur, certum præbet iudicium, etiā in mandatis magnū momentum situm esse. Sed

hoc quis

hoc quis mundo huic persuadebit? quandoquidem res eò loci *Vide quò de-*  
 peruenit, vt capita agitemus, quando non nisi nominari man- *uolutus sit po-*  
 data audimus. Imo quisquis nunc post fidem etiam bona ope- *pulus Chri-*  
 ra docet, is hypocrita statim vocatur, imò pro eo reputatur, vt *stianus.*  
 qui abneget Christum, & cõtumeliam inferat sacrosancto &  
 pretioso sanguini Christi, adeò nũc Dei mandata & bona ope-  
 ra inuisa sunt & derisa. Id autẽ debemus Nouatoribus istis, qui *Nouatores*  
 per tot annos rudi populo inclamarũt inculcarũntque, salutẽ *Euangeliũ.*  
 nostram & fœlicitatem consistere solũ in munda fide: Chri-  
 stianum nullo opus habere ad fœlicitatem suam, quã fide:  
 Deum non curare quomodò viuamus, si tantummodò creda-  
 mus: Euangeliũ ignorare bona opera, hominem non habere  
 liberum arbitrium ad bona facienda, Omnia necessariò fieri,  
 Dei mandata hominibus seruatu impossibilia esse. nec ob id  
 data, vt seruare necessẽ sit, sed tantũ vt peccata nostra cõdem  
 nationẽmq; videamus, agnoscamusque. Hęc & id genus no-  
 ua, & sanctæ Christianitati antea incognita dogmata, tales  
 nobis attulere fructus, vt amplius de Dei mãdatis & bonis ope-  
 ribus audire velimus. Et quicquid non de mera gratia dicitur,  
 id pro Euãgelio agnoscere nolumus: atque ita securẽ viuimus  
 & proteruẽ, pro libidine facimus omnia, iniquẽ agimus, pec-  
 camus sine omni metu & formidine: in eo tantũ fiduciã collo-  
 camus, vt possimus dicere, Credid Christũ pro me mortuum,  
 legẽ pro me impleuisse. Hoc existimamus sufficere nobis ad  
 fœlicitatẽ, etiã si aliud nihil habeamus. Et vt verẽ dicamus, acci-  
 piendũ hoc pacto foret, si certum esset. Sat pulchre, si sat verẽ.  
 Libenter utique accipimus, si via tam lata tamq; facilis nobis  
 fingatur. Sed quis verũ esse tibi testificabitur, maximẽ cum sa-  
 cra Scriptura aliter doceat, & tora sancta & vniuersalis Chri-  
 stiana Ecclesia aliter credat, & tibi etiã propriũ tuũ cor seu cõ-  
 scientia aliter dicat? Imò si nihil ad nos attinet, quã ea quæ  
 Dei gratiam loquuntur, & nulla nobis res ad fœlicitatẽ neces-  
 saria est præterquam fides, vbi hodiernũ Euangeliũ remane-  
 bit: Quid dicemus, q̃ mandatũ de charitate Dei, tam multum  
 tamq; sæpẽ in Scriptura, tam noui quã veteris Testamenti  
 proponitur, repetitur & introducitur? Vtpote Deut. 6. Mat. 22.  
 Mar. 12. Luc. 10. Et quod Ioannes in prima sua Epistola tã seue-  
 rẽ vrget charitatẽ proximi. Multa quidẽ prætexere possumus, *O signenta.*  
 ad excusandũ nos. alius enim dicit, præcepta in hoc nobis esse  
 data, vt sint speculũ, in quo peccata nostra & infirmitatem de-

bemus & possumus videre & agnoscere. Alius queritur, sibi mandata Dei obseruatu impossibilia esse. Tale effugiū autem nihil nobis profuerit: nec dogmata ista & noua doctrina perstare potest ad lucē veritatis. Etenim primò falsum est & erroneū, mādata Dei propterea solū data esse, vt peccata per ea co-

*Præcepta non  
in hoc solū  
data, vt pecca  
ta cognosca  
mus.*

gnoscātur. Paulus dicit Rom. 7. per legē venire cognitionem peccati. Sed nusquā dicit, mādata seu legē propterea solū data esse, & nō etiā vt seruētur impleanturq;. Imò sacra Scriptura apertē contrariū dicit. Sic enim, inquit Moyses Deut. 6. Audi Israël, & obserua, vt facias quæ præcepit tibi Dominus. Nō dicit, vt agnoscas peccatū tuū, sed, vt facias, Et iterū Deu. 30. Considera q̄ hodiē proposuerim in cōspectu tuo vitā & bonū, & cōtrario mortē & malū: vt diligas Dominū Deū tuū. Sic dicit

*Psal. 118.*

& Dauid: Tu Domine mādisti mādata tua custodiri nimis. Et paulò post: Maledicti qui declināt à mādati tuis. Sic dicit ipse

*Matth. 7.*

Christus: Omnis qui audit verba mea hæc & facit ea, assimilabitur viro sapiēti qui ædificauit domū suā super petrā: & descēdit pluuia, & venerunt flumina, & flauerūt venti, & irruerūt in domū illā, & non cecidit, &c. Omnis autē qui audit verba mea hæc, & nō facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificauit domū suā super arenā, & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domū illā, & cecidit, & fuit ruina illius magna. Et alio in loco: Si vis ad vitā ingredi, serua man-

*Matth. 19.*

data. Et iterum: Hoc fac & viues. Loquitur autem de charitate

*Luc. 10.*

Dei & proximi. Et Ioannes: Hæc est charitas Dei, vt mandata

*1. Ioan. 5.*

eius custodiamus. Qui dicit (inquit) se in Deo manere, & man

*1. Ioan. 2.*

data eius non custodit, mendax est. Ex his & similibus locis sacra Scripturæ, egregiē cōuincitur, mandata Dei non propterea solū data esse, vt per hæc peccata nostra discamus agnos-

*Deute. 30.*

scere, sed etiam vt illa faciamus atq; hoc pacto nobis perit prima excusatio. Altera excusatio quam præteximus, nec illa cōsistit: nimirum si dicamus, mandata Dei obseruatu impossibilia esse. Nam sacra Scriptura etiam hac in parte multò aliter loquitur. Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodiē, non supra te est, neq; procul positum, nec in cœlo situm, vt possis dicere: Quis nostrūm valet ad cœlum ascendere, vt deferat illud ad nos, vt possimus audire & facere quod præceptum est? Neq; trās mare positum, vt causeris & dicas: Quis è nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos vsque deferre: vt possimus audire & facere quod præceptum est? Sed iuxta te est ser-

mo val-

mo valde, & in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illū. Sic etiam dicit Christus, iugū suū esse suauē, & ōnus suū leue. Et Ioannes *Matth. 11.* in prima Epistola, cap. 5. Mādata eius (inquit) nō sunt graua. Facile quidē cōcesserim, nos mādata Dei sine gratia Dei & ex nobis ipsis seruare nō posse: quēadmodū etiā ipse Christus dicit Ioā. 15. Sine me nihil potestis facere. Et Paulus: Nō sufficien- *1. Cor. 1.* tes sumus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficien- tia nostra est ex Deo. Habet autē homo Christianus quiddam amplius, quàm alij homines. Etenim primò: habet Spiritum Christi, qui infirmitati nostræ auxiliatur: deindē habet etiam *Rom. 8.* Dei gratiā, per quā illi placere possimus. Tertiò Deus etiā ipse virtutē dat & fortitudinē, vt illius voluntatē faciamus. Postremo dat nobis etiā bonā volūtātē, & vt illā perficere possimus. Et quomodò igitur dicere possumus, mandata Dei obseruatu impossibilia esse? Quod autē nos Christiani tantum cōmoditatis habemus præ alijs hominibus, indicat hodierna Epistola clarissimē. Gratias ago (inquit Paulus) Deo meo semper pro *1. Cor. 1.* vobis in Christo Iesu, q̄ in omnibus diuites facti estis in illo, in omni verbo & in omni sciētia (sicut testimoniū Christi cōfirmatum est in vobis) ita vt nihil vobis desit in vlla gratia, expectantibus reuelationē Domini nostri Iesu Christi, &c. In his verbis videmus, quomodò Paulus de nobis Christianis loquatur: imò quòd lōgē aliter de nobis loquitur, quā de alijs hominibus. Certē magna sunt, vbi quis in omnibus rebus diues sit, in omni verbo, in omni cognitione, vt nihil illi desit in vllō dono. Quòd si igitur homo Christianus diues est in talibus rebus, & ita vt nihil in aliquo dono ei desit, quin Deus ipse corroboret & cōfirmat eū, & nō vnū diē, sed in finē vsq; & is ad cō Deum qui fidelis, cōstans & verax est: si, inquā, Christianus tantū cōmoditatis habet, quomodò igitur illi mādata Dei impossibilia obseruatu sint? Quid ergo impossibile esse potest ei, qui ipsam Dei gratiā, Dei Spiritū, quin Deum ipsum habet? An nō Spiritus sanctus omnipotēs est? nōne Dei gratia omnia potest? Nōne Christus ipse dixit, Credēti omnia possibilia esse? *Matth. 17.* Et iterū: Amen dico vobis, quia quicūq; dixerit huic monti, *Mar. 11.* Tollere, & mittere in mare, fiet ei. Nōne etiā Paulus dixit, se *Philip. 4.* omnia posse in eo, qui ipsum cōfortat? Ex his omnibus facile videre est, nos nullā excusationē habere & effugiū, si non post fidē nos vertam⁹ ad impletionē diuinorū mādatorū. Quippē sentētia lata est, Seruus qui scit voluntatē Domini sui, & non

*Luc. 2.* facit eam, multis vapulabit. Hæc paucis indicare volui, ne quis cogitet, præceptū charitatis nihil ad nos attinere amplius: nec referre, seruemus illud necne. Bonus Christianus hæc duo simul coniungat: videat vt rectè credat & sentiat de Christo, & vt in illa fide etiam charitati erga Deum & proximum suum operam nauet, tum hodiernum istud Euāgelium rectè & utiliter audiuit. Deus det nobis omnibus suam gratiam, Amen.

TERTIVS SERMO DE  
*Euangelio & Epistola.*



**H**ODIERNVM istud Euāgelium indicat, quod Christus olim interrogatus fuit, quod sit mandatum maximū in lege. Pulchra & præcellens quæstio, ad hæc etiam utilis & necessaria. Sed additū est, quod Phariseus Christo proposuerit eam non alia de causa, quam quod illū tentare volebat: & hoc illi negotiū perdebat, vt interrogatio nihil sibi prodesset, alioqui bona per seipsam. Respōsio parata erat & certa, sed interrogator inutilis erat, & mēs illius mala erat. Proinde quæ admodum Euāgelium proximè præterita Dominica, duo nobis ob oculos ponit, nimirum humanum miseriam, & humanam malitiam: ita etiā in hoc Phariseo duo videmus, nimirum hypocrisim & ignorantiam. De maximo mandato quærebat, & tamen minimū nondū seruauerat. Et de vno solo quærebat, tanquā alia nihil essent & valerent. Hæc hypocrisis est impij cordis, vt quantūcūq; malū sit, mala cogitet & faciat, velit tamen probū censeri & bonum iudicari: & si paulum quiddam habet, quo se ornare possit, videtur sibi nulla alia re indigere amplius: ita vt verū maneat quod Hieremias dicit, Prauum est cor hominis, & inscrutabile. Nos Christiani autem aliter docti sumus. Scimus iustitiam nostram maiorē esse oportere iustitia Phariseorū & Scribarum. Tum scimus Deo seruiendum esse, nō in sola specie, sed in Spiritu & veritate: aut vt de Ezechia legitur, in veritate & perfecto rectōq; corde. Quocirca non vnum, sed omnia mādata Dei magnificiēda. Leo rugiet (inquit Amos cap. 3.) quis non timebit: Dominus Deus locutus est, quis nō prophetabit: Deus manifestat suam voluntatē: quis nō obediat, qui modò rationem habet, vt ne dicā veram & viuā fidem? Tantū de Pharisei hypocrisi. Illius porrò ignorantia sese prodit, q̄ de maximo mandato quærit, cum tamen nihil cer-

*Hierr. 17.*

*Matth. 5.*

*Ioan. 4.*

*Esa. 36.*

nihil certi sciret de Christo aut Messia: ordinē hoc pacto inuertens, supremā ædificij partē volens ponere, nondum iacto fundamento. Animaduertenda nimirum & crassa inscitia & ignorantia in eo qui Rabbini & doctoris nomen sibi arrogabat. Hoc itaq; agit Christus: respondet quidē ad illius interrogata, mox alterā quæstionē obijciens: approbat quidē vt superioris ædificij memores simus, sed tamen docet prius fundamentū ponere. Inquis: Quod igitur est fundamentum spiritua-  
 lis ædificij? Responsum: Fides viua in Christum. Et quod est superius ædificiū: Charitas erga Deū & proximum. Quemadmodum autē in omnibus rebus fundamentum primum ponendū est, & deinde ædificium superstruendum: sic etiam fides charitatem præcedat oportet: quandoquidē etiam natura dicitur, cognitionem præcedere voluntatē. Nihil volitum (vti in Pro-  
 uerbio est) nisi cognitum. Si rem quampiam debeo velle & cupere, scire prius oportet, & cognoscere. De qua enim re nihil scio, eam non desidero: cæterum quæ res cognita est, & sit bona, utilis & iucunda, ea verò desideratur. Sic etiam hoc in loco. Si mihi diligendus est Deus, prius cognoscendus est. Sed vbi melius cognosci potest, quàm in æterno eius verbo, in vni-  
 co illius filio? Nemo Deū vidit vnquam (inquit Ioānes) Vnigenitus filius qui est in sinu Patris, ipse enarrauit nobis. Hoc confitetur ipse in vltima sua oratione: Ego (inquit) ô Pater, clarificaui te in terris: ego impleui opus & perfecti, quod vt fa-  
 cerem mihi commisisti. Manifestaui nomen tuum hominibus quos dedisti mihi de mundo, &c. Nemo sibi de Deo tantū boni polliceri potuisset, nisi Vnigenitum suum filium in hoc misisset. Is expressa imago Dei est: imò splendor est illius gloriæ, & imago eius substantiæ. Atque ideò dicit in Euangelio: Qui videt me, videt Patrem. Et iterum: Si cognouissetis me, & Patrem meum vtique cognouissetis, quia ergo in Patre sum, & Pater in me: imò loquitur, & operatur in me. Proindē oportet nos primò, & ante omnia de Christo quærere: quem si rectè cognouerimus, altera quæstio de maximo mandato vltro sequetur: quandoquidem res nulla est, quæ hominem validius ad charitatem Dei trahit, quàm vera agnitio Christi. Atq; hoc etiā vtitur Ioannes in sua Epistola, indicans primò, quid nobis Deus p̄ Christū dederit. In hoc (inquit) apparuit  
 charitas Dei in nobis, quoniā filiū suū vnigenitum misit Deus in mundum vt viuamus per eum. In hoc est charitas: nō quasi

Fides.  
Charitas.

Ioan. 1.

Ioan. 17.

Hebr. 1.

Ioan. 14.

1. Ioan. 4.

nos dilexerimus Deū, sed quoniā ipse dilexit nos, & misit filiū suū propiciationē pro peccatis nostris. Hoc (inquā) præmittit Ioānes: & deinde tandē infert, Charissimi, si sic Deus dilexit nos, & nos debemus alterutrū diligere: imò diligamus nos eum, quoniam Deus prior dilexit nos. Vide, hoc pacto vult nos Ioānes per agnitionem Christi ad charitatem Dei & proximi trahere. Et quē cōsideratio earū rerū, quas Christus nobis fecit, nō ad charitatē Dei & proximi trahit ac pellicit, eū nihil mouerit. En, hoc pacto Christus approbat, vt de maximo mādato quæramus: & dicit etiā, charitatē erga Deum & proximū, esse illud mandatū: sed indicat interim, frustra esse, de mādatīs quærerere: nisi fides præcedat, & q̄ nemo Deū diligere verē possit, nisi Christū probē cognoscat & cōtēpletur. Hic veras illas partes inuenit, quæ ipsum trahūt. Quid hominē trahit magis quā beneficia? Quis autē pluribus nos ornavit beneficijs quā Deus per Christū? Atq; hi sunt Adæ funiculi de quibus Deus in Osea loquitur, se tracturū nos eiusmodi funiculis, quos Adæ filij libēter sequuntur. Tantū de duabus quæstionibus. Similiter apud nos etiā quæritur & disputatur, quod sit maximū mandatum inter hæc duo, videlicet fidei & charitatis, vtroque enim Scripturas habemus. Paulus dicit apertē, inter hæc tria, fidem, spem & charitatem, maiorem esse charitatem. Tum dicit Christus, in duobus præceptis charitatis consistere & pendere vniuersam legem & omnes prophetas. Satis certē hoc clarē vtroque dictum est. Cōtrā verō dicit Deus in Hieremia: Non sum cum patribus vestris locutus de holocaustomatis, intellige, quod tāto perē oblecter talibus sacrificijs: Non. Hoc autem illis expressis verbis cōmissi & præcepi, Audite verbum meū, & obedite voci meæ: hoc est, nō tam agebatur mihi de sacrificijs, quā de fide viua & obediētia, hanc quærebam in sacrificijs. Et iterū dicit Hieremias: Domine, oculi tui respiciūt fidē. Quomodō nunc cōponimus bellū? Vtrum maius est inter hæc duo, fidē & charitatē. Non quid maius est aut plus valet corā Deo, vt illi fidē habeam in sancto eius verbo, aut illum diligam? Hic igitur hæremus in contrarijs. Altera pars vult fidē plus valere corā Deo, quā charitatē: altera vult, charitatē plus valere quā fidem. Marcus hoc bellum componere & sedare potest: is ex duobus mandatis vnum facit. Sic enim in Euāgelio eius legimus quod Christus cū eū interrogabat Pharisæus de summo mādato, hoc illi responsi

responsi dabit: Audi Israël, Dominus Deus tuus. Deus vnus est. Et diliges eum ex toto corde tuo, &c. Et hoc illi cōfirmat Pharisæus: Magister (inquit) rectè dixisti, quia vnus Deus est, & non est alius præter eum: & illum diligere ex toto corde &c. plus est quàm omnia sacrificia, &c. In eandem fermè sententiam loquitur etiam Ioannes. Hoc (inquit) Dei mandatum est, vt credamus in nomine filij eius Iesu Christi, & nos inuicem diligamus. En, hîc vtraque habes, fidem & charitatem in vno mandato: non quòd fides & charitas idem sint, quæ separari non possint, sed quòd non debeant separari. Neutrum enim sine altero Deo placet, præsertim in homine adulto. Fides sine charitate, fides mortua est: tam charitas sine fide inutilis est. Imò non est charitas, vbi non est fides. Nam quomodò diligere possum, de quo nihil scio? Quapropter Christus in Marco illa cōiunxit: Idem facit etiam in hoc Euangelio: quamquam non ita clarè, dum propter charitatem fidei meminit. Quocirca non est opus multa disputatione credere, sperare & diligere, summa sunt præcepta. Veruntamen hoc habet charitas præ alijs duobus, quòd diutiùs manet. Etenim credere & sperare in hac solummodò vita manent: nunc credere & sperare debemus, illîc verò videbimus & habebimus & sed quod videtur, id non opus est credere: quod habemus, id sperandam non est. Quapropter fides & spes cessabunt, charitas autem manet etiam in futuro sæculo, nunquam excidit: imò maior semper fit & perfectior, & hac in parte plus habet, quàm fides & spes. Deindè etiam in hoc plus habet, quòd nos proxime cum Deo coniungit, & quòd alia duo ad charitatè referuntur. Ideò enim credimus & speramus: vt ad charitatè prouocemur: alioqui hæc tria coniungi oportet, fidem, spem, & charitatem. Proindè hodiernum istud Euangelium rectè vocari & dici possit omnium Christianorum communis regula & vita, à qua nemo exceptus est, aut etiam excipere sese potest, per peculiarem viuendi regulam: modum & ordinationè. Nisi etiam cōmunis hæc regula obseruetur, nulla peculiaris viuendi regula aut modus prodest. Hæc oportet facere (inquit Christus) Generalis regula omnium Christianorum, duo puncta in se cōprehendit: nempe, fidè & charitatem. Hæc Christus vtraq; charissimè interpretatus est. Fides ita constituta fit oportet, vt Christum non modo pro filio Adæ, hoc est, pro homine, sed etiã pro Dauid: sicut hoc est, pro rege, quia etiam pro Dauidis domino, hoc est, pro

I. Ioan. 3.

I. Cor. 13.

Matthæ. 23.

Deo firmiter habeat & credat. Charitas ita constituta sit oportet, vt Deus ex toto corde, ex tota anima, & ex totis viribus diligatur, & propter Deum etiam proximus noster. Hæc duo Christus in hodierno Euangelio clarissimè enūtiat. Super primum Psal. Davidis introducit, in quo multa cōmemorata sunt quæ de Christo nos credere oportet & sentire. Vt potè primò, quod nō solum homo, sed etiam Davidis & Abrahamæ semē est iuxta Dei promissionem. Sic enim dicit Deus Gen. 21. ad Abraham: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Ad Dauidem verò Psal. 131. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Secundò de Christo credere oportet, q̄ Rex sit, non super temporalia, sed spiritualia bona, & quòd illi data sit omnis potestas in cœlo & in terra, licet nōdum omnia subiecta sint. Ideò Deus ad eum dixit, Psal. 109. Sede à dextris meis, & dominare in medio inimicorum tuorum, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum Tertiò, de Christo credendum, q̄ sit Dominus Deus: id quod in eo verbo indicatum est, vbi David ait Psal. 209. Dixit dominus domino meo. Quartò, de Christo credendum, q̄ sit verus noster & æternus sacerdos. Id indicat David hisce verbis: Iuravit Dominus & non pœnitebit eum. Tu es sacerdos in æternum secundū ordinē Melchisedec. Quintò, de Christo credendum, q̄ sit cōstitutus Rex super omnes homines, Similiter quoq; id indicat David in prius commemorato Psal. hisce verbis: Dominus à dextris tuis, confregit in die iræ suæ Reges. Iudicabit in nationibus, implebit ruinas: conquassabit capita in terra multorum. En, hæc omnia credenda de Christo, & ob id remittit nos Christus ad hunc Psalmum. Ad alterum, hoc est, ad charitatem, adducit sextum caput quinti libri Mosi, quo vtrinque appareat, etiam antiquitus Scripturam sic conclusisse ordinatæq;: O quanti illa res esset momenti si vtraq; hæc, fides vera in Christum, & charitas Dei ac proximi, sic considerarentur? Quid posset ac deberet magnos bellorum motus & sanguinis effusionem, & perditionem pauperum citius & melius componere, quam si irrequietis animis hæc duæ quæstiones in hodierno Euangelio comprehensæ, quotidie inculcarentur? Homo, quod est maximum mādātum in lege? Homo, quid sentis de Christo? imò hoc persuasum habeo, si quis Christiani animi venam in se habeat, fore vt hæc verba ad animum reuocaret, & multa intermissurum, quæ nunc perulauter & sine omni cōscientia seu metu Dei facit. Imò plura dicam. Si

*Psal. 107.*

*Matthæ. 28.*

*1. Cor. 15.*

*Deute. 6.*

tam: Si hæc duo verba omnibus Christianis infixæ essent, nunquam bellum inter nos Christianos exoriturum esset. Quomodo enim Christianus in corde habeat, alteri à quo nunquam læsus fuit, imò qui fidei & baptismi ratione frater est, vnum inferre & perdere eum, si memor esset charitatis erga proximum? Quomodo quis non refugiat & verecundetur tam ferociter & impiè agere, quemadmodum nostris temporibus visum est, & videmus, si Christum mente recolat, qui tantopere sese humiliavit, cum esset in forma Dei: Davidis, hoc est, hominis filius factus est, cum Davidis & omnium hominum dominus, imò Dei filius esset? Sed nemo id secum reputat, & tamen omnes Christiani & Evangelici esse volumus, nec patimur in eiusmodi proposito nos aut reprehendi, aut impediri. Sed ubi manet mandatù de charitate proximi? Proximum tuum (inquit Christus) diliges sicut teipsum. Hoc vnum ex præcipuis mandatis est, imò summis simile. Vbi manet exemplum Christi, qui nobis passim charitatem & humilitatem in speculi vicem prætulit? Nonne Iudæi & Turcæ merito contra nos clament, & dicant: Vos Christiani, nunquid etiã scitis quod sit maximum mandatum in lege vestra? Nunquid scitis cuiusmodi vobis Christus exemplum prætulit? Quid sentis de Christo? Nùm hoc Christianè actum, vt mandatum & exemplum eius ita penitus retroijciatis: Videte fratres, hoc tempore isto circa Euangelium istud considerandum foret. Dictu quidem facile, Christiani sumus, sed audimus in hoc Euangelio, multa ad id pertinere: quinimò non solùm fides, sed etiam charitas requiritur: & non solùm qualiscunque fides, sed vera & viua fides, non solùm qualiscunque charitas, sed quæ Deum supra omnia syncerè diligit. Iudæi quidem credebant, Messiam suum Davidis filium, hoc est, hominem fore. Christus autem dicit probatq: non satis esse: credere etiam oportere, quòd Davidis dominus, hoc est Deus sit. Tum etiam dicit Christus non solùm, Diliges Deum: sed addit. Ex toto corde tuo, &c. Non dicit, Diliges proximum tuum: sed addit. Sicut teipsum. Sed hoc est metam procul ponere, ita vt mirum sit, quid cogitemus nos huius æui tepidi Christiani. Longè alios Christianos ætas prior tulit: tibi fides & charitas potenter simul regnabat, vt ad id totus mūdus obstupescere cogeretur. Quod verum esse, clarè indicat Lucas in Apostolorum Actibus: in hodierna Epistola videmus similiter. In ea scribit & proclamat

Phil. 2.

Matth. 22.

Ad Christianismum quæ requiratur.

Act. 4.

- 1. Cor. 1.** Paulus ita laudes eorum, significans eos omni bono plenos fuisse, nihil aliud quæsisse, quam spirituale & æternum, & semper summo desiderio expectasse vltimum aduertum & reuelatione Christi. Talibus hominibus optat, vt Deus illos in bono confirmet. Si huic mundo scribere & prædicare deberet, haud laudaturus esset: inò dicturus, sicuti alijs in locis dicit: O insensati
- Gal. 3.** Galatæ, quis vos fascinoit non obedire veritati? Et iterum: gæ-
- Phil. 3.** pè dicebam vobis (nunc autem & flens dico) multos ambulare sicut inimicos crucis Christi, quorum Deus vèter est, & gloria in confusione ipsorum, &c. Deus Opt. Maxi. faxit: vt id consideremus, atque etiam opere cõpleamus, Amen.

## Q V A R T V S S E R M O D E Euangelio itidem & Epistola.



- N** H O C Euangelio clarè & apertè inuenitur, quòd proximè præcedenti Dominica dixi: nimirum quod Deus charitatem pluris facit, quam Iudaicum sabbatum. Iudæi habent multa mandata in sua lege: eorum tantam summam numerant: vt quis meritò exhorrescat, nimirum circiter sexcenta: vt diuus Petrus non sine causa dixerit, legem tale onus fuisse, quod neque ipsi, neque patres eorum portare potuerunt. Dicit autem Christus, vniuersam legem, quin etiam omnes Prophetas consistere & pendere in duobus mandatis charitatis erga Deum & proximum. Hinc sequitur, nullum mandatum impleri, quicquid etiam fiat, nisi ex charitate Dei & proximi fiat. Quapropter etiam si Iudæus, Ethnicus, hereticus, falsus Christianus non maledicit, non furatur, non occidit, aut adulterium committit: inò è diuerso sabbatum obseruat, externum Dei Cultum perficit, colit patrem & matrem, orat, ieiunat eleemosynas dat, &c. nisi in charitate Dei faciat, legem nondum impleuit, aut ei satisfacit.
- Rom. 13.** Finis. enim legis est, charitas: & omnia mandata ad charitatem referuntur. Etenim Deus non solùm opus postulat sed etiam & imprimis cor & charitatem, nam hilarem datorem diligit Deus, inquit diuus Paulus. Huc pertinet, quod Christus etiam alijs in locis Phariseorum opera ob peruersam intentionem reijcit, hoc est, ieiunium eorum, orationem & eleemosynas. Amen dico vobis (inquit) receperunt mercedem suam. Et tamen valdè industrij videri volebant in talibus operibus,
- Matth. 6.** nullis coram hominibus parcebant laboribus. Cur autem nullam

nullam mercedem expectare poterant apud Deum pro eiusmodi laboribus? Non faciebant ex amore erga Deum aut proximum, sed tantummodo ut viderentur, & consequerentur gloriam ab hominibus. Et ex hoc clarè vides, quòd Deus non solum opus habere vult, sed etiam charitatem cum vera & viua fide. Finis enim præcepti est, charitas de puro corde, & bona conscientia, & fide non ficta. Quapropter pulchra Christiana quæstio est, & necessaria, quam Pharisæus hoc in loco fecit. *1. Tim. 1.*  
 Beatus vir (inquit David) cuius voluntas in lege Domini, & in lege eius meditabitur die ac nocte. Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore opportuno. Et folium eius non defluet: & omnia quæcunque faciet prosperabuntur. Et iterum: Beatus vir qui timet Dominum in mandatis eius volet nimis. Potens in terra erit semen eius: generatio rectorum benedicetur. *Psal. 1.*  
 Gloria & diuitiæ in domo eius: & iustitia eius manet in sæculum sæculi, &c. Summopere igitur commendandus fuisset hic Pharisæus, quòd quæstionem hanc mouebat, si non hypocritico suo fermento perdidisset. Rogas quomodo? Dixit Matthæus quòd Christum tentare voluerit. Id quod præbet argumentum, eum non ex animo interrogasse. Non agebatur illi de mandato, sed ut experiretur solum quid in Christo lateret. Secundò, dicit Matthæus, quòd neque ipse, neque totus illius grex respondere poterant ad quæstionem, quomodo Christus aut Messias, pariter & simul Davidis filius, & Davidis Dominus esse posset. Hoc argumentum præbebat, eum nondum scire quid credere deberet. Quorsum autem attinet, multa velle ædificare, nondum posito fundamento? Atqui fides vera in Christum, fundamentum est, super quod ædificare nos oportet, quemadmodum Sanctus Paulus dicit: Fundamentum aliud nemo ponere potest, præter id quod positum est quod est, Christus Iesus. Et ubi fundamentum non rectè ponitur, frustra est quicquid ædificare & boni facere conamur. Sine fide enim impossibile est placere Deo. Vel inter Iudæos etiã & Turcas inueniuntur, qui secundum externam speciem non minus probè viuunt, atque multi Christiani. *1. Cor. 5.*  
 Sed nihil illis prodest: quandoquidem sine fundamento ædificant, & fidem non habent. En, per hoc perdit etiã Pharisæus istæ suæ quæstionem. Et ob id, licet Christus ei responsum dabat, eiq; dicebat quod sit maximè mandatū, statim illi eiusque socijs imperitiam eorum in oculos ingerebat, ea quæstione ubi di- *Hebr. 11.*

cit, **Quid** vobis videtur de Christo? Perindè ac si dicat: Rectè & bene factum, quòd de maximo mandato interrogas: sed facis id intèpestiuè, quãdoquidè nondū scis, vnde accipiendū & petèdū sit, vt tali mandato satis fiat. Aut putas te id posse ex te ipso & proprijs tuis viribus. Minimè. Sine Dei spiritu & gratia impossibile est, vt tu, aut vllus alius hoc præceptū implere possit. **Quis** autè ex omnib<sup>9</sup> mortalib<sup>9</sup> est, qui in cœlū ascendere possit, & spiritū Dei ex nubib<sup>9</sup> deducere: maximè cū Christus dicat, neminè posse suapte virtute in cœlū ascēdere: præter vnū illū qui de cœlo descēdit, Filiū hominis, imò filiū Dei, qui semper in cœlo est. **Quã** verò etiã procul quis mare trajcere deberet, donec Spiritū sanctū cōsequeret? Sed qui scit vniuersa (inquit Baruch) mediū inuenit: per quòd Dei spiritū & gratiã ad nos traducere possum<sup>9</sup>. Et quòd illud mediū est? In terra visus est, & inter homines versatus est. Is noster Deus, & non æstimabitur alius aduersus eum. Is semper sapientiam & salutem inuenit, & nobis hominibus manifestauit. Is est, qui per seipsum plenus gratia & veritate est, & de cuius plenitudine omnes accepimus. Ad hoc enim illum signauit Pater Deus. Idcirco hinc edificare incipere debemus, **Quid** vobis videtur de Christo? **Duo** videmus in illo. Primò quòd Deus sit, & secundum talem suam diuinitatem etiam Dauidis & omnium hominum, quin etiam omnium angelorum & creaturarū Dominus. Secundò quòd homo sit, & iuxta humanitatem etiam Dauidis filius. Hoc rectè crede, & non est necessè interrogare te, quòd sit maximū mandatum in lege. Memineris illum Deum esse, & ab æterno in forma seu similitudine Dei fuisse: & tamen sicuti sanctus Paulus dicit, exinaniuisse se, & formam serui accepisse, & factum sicut alium hominem, &c. Hoc (inquam) stodiosè cōsidera, quomodò nos ex immensa misericordia tam clementer inuiserit, & ignis diuini amoris vltro in te exardescet. Cogita deindè quid in humano corpore & natura fecerit ac passus sit, & habebis exemplum ac incitamentum ad amorem proximi. Vide, quantumuis obliquè Phariseus veniebat, & posteriora priora faciebat: Christus tamen ad nostram utilitatē quæstionē suam rectificauit, dum addit quod ille amisit. **Quocirca** in hoc Euangelio posterius primò accipiendum est. Fundamentum nostrum est, vt Christum verum seruatorē. ita vt oportet, viua fide agnoscamus. Quod vbi habuerimus, terra nostra fructum quoque feret. Christus primò rectè agnosca

Ioan. 3.

Baruch. 3.

Ioan. 1.

Ioan. 6.

Phil. 2.

Psal. 66.

agnoscendus est, & Deus in illo. Quod ubi habemus, iam cogitandum est de duobus præceptis charitatis. Hic verus ordo est Christianæ doctrinæ, hic verus modus est Christianæ vitæ. Christus (inquam) primum cognosci debet, ut rectè diligere Deum possit. In illo enim inveniuntur veræ partes, quæ ad amorem Dei nos trahunt. Monet quidem nos sacra Scriptura multis in locis, ut Deum diligamus. Et ratio ipsa dicit nobis, quod Deus & unaquæque res tantò magis diligenda est, quò melior est. Quoniam ergò Deus summum bonum est, ratio etiam ipsa dicit, quod supra omnia diligendus sit. Quorsum autem accineret, quod Scriptura dicit, ut faciamus, & ipsa ratio monet æquum esse, si non Spiritum & gratiam habeamus ut possimus? Velle adiacet mihi (inquit Paulus) perficere autem bonum non inuenio. Ad id nos deducere agnitio Christi & fides viua debet. Rogas quomodo? videmus in Christo, quod nos Deus prior dilexerit (vult Ioannes ait) imò quod dilexerit nos, cum adhuc inimici eius essemus, veluti diuus Paulus dicit Rom. 5. Et ita dilexit nos, ut unigenitum filium suum nobis, & pro nobis dederit, quemadmodum Christus ipse dicit Ioan. 3. Ad hæc, ita nos dilexit, ut nobis in & per filium suum omnia dederit, & supra hæc omnia nobis æternum suum regnum dare velit, quemadmodum iterum Christus dicit. Hi veri funiculi sunt qui nos ad amorem Dei trahunt. Et quæ etiã talis amor & benignitas Dei, quæ in Christo videmus non mouet & trahit ad redamandum Deum, illud nihil mouebit. Præterea impetrare possumus per Christum gratiam & spiritum, quæ nos itidem ad amorem Dei instigant & promouent. En, ob id huic quæstioni pharisæi Christus non acquiescit, sed statim illi aliam quæstionem obijcit. Si poterat ille dicere, Quod est maximè mandatum? interrogat Christus, Quid sentis de Messia? perinde ac si dicat: Non potest de mandatis disputare, sed obseruare illa. Sed seruare non potes absque mea ope & gratia, maximè hoc præceptum. Siquidem in me Deum verè cognoscere te oportet discere: à me gratiam & spiritum petas & obtineas necesse est: alicui frustra est, etiam si per omnem vitam de maximo mandato disputes. Eodem modo res habet cum altero mandato de charitate proximi. Hortatur nos quidem Scriptura multis in locis etiam ad eiusmodi charitatem, & ipsa ratio indicat æquum esse, posteaquam vnus naturæ sumus, & alius alio opus habet. In Christo autem inuenimus præcipua exempla veræ charitatis. Charitatem ma

orem (inquit) habere nemo potest, quàm vt animam suam  
 1 Ioan. 13. iponat quis pro amicis suis. Et iterum Ioan. 10. Ego sum pastor  
 bonus, & novi oues meas, & vitam meam pono pro illis. Et Ioannes  
 Apocal. 1. Capitu. Christus nos dilexit, & lauit nos in san-  
 gine suo. Et Sanctus Paulus: Dilexit nos & tradidit seipsum  
 Eph. 5. pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis,  
 &c. In hoc (inquit Ioannes) cognouimus charitatem Dei, quo-  
 1 Ioan. 3. niam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fra-  
 tribus animas ponere. Qui habuerit substantiam mundi, & vi-  
 derit fratrem suum necesse habere, & clauerit viscera sua ab eo:  
 quomodo charitas Dei manet in eo? En, hoc modo nobis inser-  
 uit cognitio Christi, etiam ad charitatem proximi. Summa,  
 qui viua fide cognoscit, quod Christus Deus sit, is verum obie-  
 ctum habet diuini amoris. Porro qui viua fide contemplatur  
 q̄ Christus homo est is, verum exemplum habet fraterni amoris. Qua  
 propter non satis est, vt cognoscatur tanquam Dauidis filius, hoc  
 est, homo: cognosci quoque debet tanquam Dauidis dominus,  
 hoc est, verus Deus. Dicit quidem Scriptura multis in locis, Chri-  
 stum Dauidis filium fore, & ex Dauide oriturum secundum humanam  
 naturam, vt potest Isai. 11. Hier. 23. Psal. 88. & 131. Sed Scriptura hoc  
 non est contenta. Quid enim Dauidis, hoc est, hominis Filius  
 auxiliari nobis potuisset, aut magni quid prestare contra dia-  
 bolum? De Dauide legimus quidem, q̄ inimicos suos vicerat:  
 2 Re. 3. sed homines erant, nimirum Philistaei, Ammonitae, Idumaei,  
 Eph. 6. &c. Sed quid dicit Paulus? Non est nobis colluctatio aduersus  
 carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, ad-  
 uersus mundi rectores tenebrarum, &c. Contra talem hostem  
 fortior venire debebat, quam Filius hominis: imò esse aliquem  
 oportebat, qui non solum Dauidis filius, sed etiam Dauidis Do-  
 minus: non solum homo, sed etiam Deus esset. Et haec duo cre-  
 dere oportet de illo: haec duo etiam solatium nobis praebent  
 & doctrinam. Nam si scis, q̄ Christus homo est, tantò minus  
 illum horrebis: si scis quod Deus est, tantò feruentius illum  
 inuocare debbis. Tum etiam humanitas illius ad amorem  
 te trahit proximi tui: diuinitas autem eius, ad amorem Dei.  
 Ex his omnibus abunde iudicatum, cur Christus duas illas quaes-  
 tiones de maximo mandato & de Messia coniunxerit, viden-  
 dum est, vt vtriusque rectè vtamur. Cum prima nos abstinea-  
 mus ab omni malo: cum altera nos corroboremus in omni  
 tentatione. Tum autem prima quaestione rectè vsus es, quan-  
 do in

do in omnibus tuis operibus cogitas & vides, num eiusmodi tua opera conueniant cum maximo charitatis mandato. Quare si auaritia ab amore Dei ad pecuniæ amorem te trahere conatur, dic & cogita apud teipsum: Homo, nunquid etiam scis, quod sit maximum mandatum in lege? Si te impatientia tua aut praua consuetudo prouocat ad Dei blasphemiam, si te ira & inuidia vel etiam praua tua cupiditas instigat ad lædendum proximum tuum, dic & cogita apud te ipsum: Homo, nūquid etiam scis, quod sit maximum mandatum in lege: atque hoc pacto resista eiusmodi vitijs. Hoc quæstione ita rectè uti dici posset. In altera quæstione homo seipsum explorare quotidie debet quid de Christo sentiat. Scriptura quidem magna de illo prædicat, nimirum quòd non solum homo, sed etiam Deus: nec tantum Deus, sed etiam homo sit. Et quòd quatenus homo pro peccatis nostris mortuus sit, nobis que per hoc gratiam & remissionem acquisierit: quatenus Deus autem, nos ab omni malo liberare & conseruare possit. In hoc explora teipsum, num id rectè credas. Proinde si quis te in errores iaducere, aut abducere conatur à doctrina Christi, dic: Homo quid sentis de Christo? Nō ane verus ille magister nobis à Deo datus est? Nō ane aliter docuit, quàm tu profiteris: &c. Si peccata præterita ad desperationem te adigere annuntur, dic: Homo quid sentis de Christo? Nunquid credis, quòd Christus propter peccatores mortuus est? Nō ane audis quòd ad perueniensiam inuitat, & miseros & grauatos homines ad se vocat, gratiam illis & consolationem promittens, si ipsi post hac obtemperare velint? &c. Itidem quoque fac, quando externa crux & tentatio premit ac pusilla nimem te facit: dic & cogita apud teipsum: Nunquid credis, quòd Christus ex animo rogatus auxiliari possit? & quòd dixerit, En vobiscum sum vsque ad consummationem seculi? Et iterum: In me habebitis pacem, Confidite, ego vici mundum? Quòd si hunc in modum in duabus hisce quæstionibus nos exerceremus, fieri non posset quin maior nobis exoriturus esset fructus. Tales Christianos inueniebat Paulus apud Corinthios. Ideò magnificè eos prædicat in hodierna Epistola: dicit eos diuites factos, non in pecunia, sed in omni verbo, cognitione & sapientia. qui veri thesauri sunt & diuitiæ, veluti Isaias dicit. Secundò dicit Paulus de suis Corinthijs. testimonium Christi in illis esse confirmatum. Tertio dicit, nihil deesse in vlla gratia. Quarto ait, expectare eos tuto

*Remedium.*  
*Auaritiæ,*  
*Blasphemiæ*  
*Maluolentiæ*  
*erga proximum.*

*Matt. 23.*

*Matt. 4.*  
*Matt. 11.*

*Matt. 28.*  
*Ioan. 16.*

*Esai. 33.*

& securè diem & apparitionem Christi. Et quid esse tali homine beatus potest? Proindè ad Deum oremus, vt nos etiam spiritualiter diuites faciat. Imò gratias Deo agamus, quod nobis toto corde ad ipsum conuersis suas diuitias etiam obtulerit: nimirum sanctum suum verbum, spiritum & gratiam, sui cognitionem, sed videamus quoq; vt eius verbo, Spiritu & gratia dignè utamur: & vt testimonium eius in nobis confirmatum sit, vt securè expectare possimus postremum aduentum illius, &c. Deus det nobis omniibus suam gratiam, Amen.

DOMINICA VICESIMA POST PENTECOSTEN, EVANGELIUM MATTH. IX

Matth. 12.  
Luc. 5.

**E**T ingressus nauem, traiecit ac venit in suam ciuitatem. Et ecce adduxerunt ei paralyticum in lecto decumbentem. Cùmque vidisset Iesus fidem illorum, dixit paralytico: Bono animo esto fili, remittuntur tibi peccata tua. Et ecce quidam è Scribis dicebāt intra sese: Hic blasphematur. Et cùm vidisset Iesus cogitationes illorum, dixit: Quare vos cogitatis mala in cordibus vestris? Vtrum enim est facilius dicere, Remittuntur tibi peccata: an dicere, Surge, & ambula? Vt autē sciatis quòd potestatem habeat Filius hominis in terra remittendi peccata, tunc dicit paralytico: Surge, tolle tuum lectum, & abi in domum tuā. Et ille surrexit, abiitq; in domū suam. Turbè verò

verò quæ videbant admiratæ sunt, & glorificauerunt Deum, qui dedisset potestatem talem hominibus.

E A D E M D O M I N I C A  
E P I S T O L A S A N C T I  
P A V L I . E P H E S . I I I I .

**F**Ratres, renouari uerò didicistis spiritu mentis uestræ, & induere nouum hominem, qui iuxta Deum conditus est per iustitiam & sanctitatem ueritatis. Quapropter deposito mendacio, loquamini ueritatem quisque proximo suo, quoniam sumus inuicem membra. Irascimini, & non peccetis: sol ne occidat super iram uestram, neque detis locum calūniatori. Qui furabatur, non amplius furetur: magis autem labore operando manibus quod bonum est, ut possit impartiri ei qui opus habuerit.

P R I M V S S E R M O D E  
i n i t i o E u a n g e l i j ,



**H**ODIERNVM istud Euangelium non solum in seipso magnum & consolatorium est, sed etiam pulchrè ordinatum, ad legendum statim sub Euangelium proximè præteritæ Dominicæ. Quod enim tum obscure & minus intelligibiliter dictum erat, id hoc loco clarè & apertè exponitur, Iudaici Pharisei nolebant, aut nō poterant intelligere, quomodò Christus aut Messias simul Dauidis filius & Dauidis dominus esse posset. Alterum confitebantur, eum esse Dauidis filium, ad alterum respondere non poterant, quomodò Dauidis dominus esse posset. Christus quoq; illos negligebat: indigni erāt quib⁹ manifestaret, quādoquidē nihil maius in suo Messia querebāt, quā qđ Dauidis filius: hoc est, terrenus & temporalis Rex esset, qui illos iterum liberaret & eriperet ab imperio Romanorum.

Nos Christiani videmus in hoc Euangelio, quomodo & qua ratione Christus Davidis filius & Davidis dominus esse possit. Imò videmus, quòd noster adeò Dominus Iesus de Nazareth, ille Christus & Messias, Davidis filius & dominus sit. Hæc enita vtraque apertè in hoc Euangelio declarauit, demonstrauitque:

*Matth. 9.* Tanquam Davidis filius hoc est, tanquam homo in nauicula aduehebatur. Tanquam Davidis dominus, hoc est, tanquam potens Deus videbat cogitationes hominum, dimittebat peccata, & paralyticum sanabat. Sed quomodo diuinitatem suam & omnipotentiam melius & efficacius declarare potuisset? Id enim David facere non poterat: nec facere potest quicquam,

*1. Reg. 16.* excepto vno Deo. Solus Deus est, qui intuetur corda. Homo enim solum quod extrinsecus est: videt. Deus solus scrutatur corda & renes hominum, vti David dicit. Deus est, qui vno verbo,

*Psal. 7.* imò sola voluntate & nutu sanat. Domine rex omnipotens (inquit Mardocheus) in ditione tua; cuncta sunt posita: & non est qui possit tuæ resistere voluntati, si decreueris saluare nos. Solus Deus etiam dimittit peccata. Ego (inquit) sum qui deleo iniquitates tuas, & peccatorum tuorum non recordabor. Quia ergo Christus hæc omnia in isto Euangelio impleuit, Pharisæis cogitationes eorum manifestauit, ægroto peccata dimisit, & ad iudicium, quòd id possit, etiam extrinsecus eum sanauit: potuissent certè cæci Pharisæi non solum videre, quamobrem Messias in Scriptura Davidis dominus nuncupetur, sed etiam quòd is ipse Iesus, qui cum loquebantur, esset. Siquidem humanitatem eius videbant apertè: nec potuissent certiora signa diuinitatis eius habere, quàm illa tria adeò, cogitationes videre, peccata dimittere, & vno verbo ægrotos sanare.

*Sap. 2.* Sed malitia eorum excæcauerat eos. Sententia erat & iudicium, quod Isaias ante multos annos ex mandato Dei super eos pronuntiauerat: Audientes audietis, & non intelligetis: videntes videbitis, & non cognoscetis, &c. Quapropter in tot tamque efficacibus argumentis diuinæ potentia, nihil aliud dicere poterant, quàm, Hic blasphemauit Deum. Populus laudabat Deum. ipsi offendeabantur. Verbum quod Christus docebat (Confide fili, dimittuntur tibi peccata tua) obseruabant, quæ antè & post fiebant, non curabant. Nos Christiani vnum cum altero considerare & accipere debemus, & his rebus omnibus gaudere. Proindè verba istius Euangelij latius disquiremus, quò solatium nostrum & spirituale

*Esa. 6.*

†

rituale gaudium maius fiat. Audi itaque, quomodo Matthæus hanc historiam incipiat. Dominus Iesus (inquit) ascendens in nauiculam, transfretauit & venit in ciuitatem suam. In his verbis, priusquam Euangelista ad miraculum deuenit, describit ineffabilem bonitatem Christi, quæ in eo primū apparuit, quod à Gadarenis aut Gerasenis, in quorum gratiam trās fretauerat, & quædam ingentia miracula apud eos fecerat, non recedebat, donec rogarent, vt à sese discederet, & hoc modo eum à se dedepellerent. Capharnaum etiam non rogatus: veniebat. Similiter quoque nobiscū facit. Atque hîc etiam ineffabile eius bonitatem discemus cognoscere. Magnum quippè argumentū est eiusmodi suæ bonitatis, quod etiā nobis non vocatus apparuit. Ab æterno quidem nos elegit, sed non propter preces & præcedentia merita nostra, sed ex gratia. Nec nos venimus ad illum, sed ille ad nos. Nos nō elegimus illum, sed ille nos elegit. Cū adhuc mortui iaceremus in peccatis (inquit Paulus) Deus qui diues est in misericordia, cōiunificauit nos Christo. Propterea etiā dicit in Isaiâ, cap. 65. Quæsierūt me qui ante nō interrogabant: inuenerunt qui non quæsierunt me, &c. Alterū argumentum diuinæ bonitatis est, quod non recedit à nobis, nisi eū peccando pellamus à nobis, nec illum tolerare velimus. Et hoc videmus in istis Gadarenis, apud quos Christus tantisper manebat, donec rogabant, vt à se discederet. In Iudaico populo similiter quoque videmus. Licet multoties & grauitè peccabāt in veteri Testamento, non recedebat ab eis Deus, donec ipsimet eum deserebant reijciebantque. Sic grauitè deliquerant in aureo vitulo atque ita, vt etiam Moyses timeret, ne Deus promissiones suas reuocaret: & ob id dicebat ad Deum: Aut dimitte illis hoc peccatum, aut dele me de libro tuo quem scripsisti. Perindè ac si diceret: Si non dimittis illis peccatum, iam de me & alijs hominibus actum est, quod ad æternam salutem attinet, Id ipsum quoque verebatur Dauid, cū adulteriū & homicidium admisisset. Ideò orabat: Domine tibi soli peccaui, vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cū iudicaris. Et hoc modo Israëlitz multipliciter quidē in Deum peccauerant, merique fuerant, quod Deus ab illis recesserat: ob id potissimū, quod omnes Prophetas quos ad ipsos mittebat, ad annuntiandum illis verbū suum, persequebantur & occidebāt quēadmodum illis non solum S. Stephanus, sed etiam Christus ipse obijciebat. Verūtamen non recedebat Deus ab eis, donec illi suum

hinc  
Matth. 9.

Ephe. 1. de quo  
v. 10. a. 2. 1. 1.

Ephe. 6.

Ephe. 2.

2. 2.

Exod. 33.

Exod. 23.

Psal. 50.

Act. 7.

Matth. 13.

consubstantiale verbum, suum vnigenitum filium in humana  
 natura crucifigebant, & dicebant: Nolumus hunc regnare su-  
 per nos. Et ad Pilatum: Tolle eum. Non habemus regem nisi  
 Casarem. Hic incipiebat ab eis recedere. Hic dicebat ad suos di-  
 scipulos. Mar. 16. Ite in orbem vniuersum, & prædicate Euan-  
 gelium omni creaturæ, &c. Hic audebant etiam sancti Apосто-  
 li ex impulsu Spiritus sancti, ad Iudæos dicere: Vobis oportuit  
 primùm loqui verbum Dei, quia autem reijcitis, ecce conuerti-  
 mus nos ad Gentes, quoniam hoc mandatum habemus. Hic vi-  
 demus impletum, quod Sapiens dicit Eccle. 5. Altissimus est pa-  
 tiens redditor. Et quod Paulus dicit Rom. 2. An ignoras, quo-  
 niam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum  
 autem duritiam tuam & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram  
 &c. Similem quoque benignitatem Dei experimur in nobis ip-  
 sis. Quoties enim & quàm grauitè Dei iram, indignationem,  
 & pœnam meriti sumus? Attamen Christus non recedit à no-  
 bis, nostram expectans resipiscentiam & pœnitentiam, quam  
 nisi egerimus, miserè perefidum nobis erit, &c. Tertium argu-  
 mentum diuinæ bonitatis est, quòd Matthæus dicit, Et venie-  
 bat in ciuitatem suam. Posteaquàm enim conditor & dominus  
 omnium rerum, propter nos, & ex amore dederat se, & coëge-  
 rat seu contraxerat in humanum corpus & in nostram natu-  
 ram, cœpit etiam in terris habere matrem, sorores & fratres,  
 & patriam, ob id potissimùm, vt talis amor & humiliatio nos  
 ad eum traheret, quos antea metus & mala conscientia ab eo  
 depulerat. Quis enim non exhilaretur, & animum resumat,  
 quando audit, quòd Christus tam altè sese deiecit, tam humani-  
 ter sese erga nos exhibuit, vt frater noster & incola terræ sic  
 factus? Eandem charitatem in illo videmus per hoc, quòd in  
 nauiculam ascendit, cum tamen siccis pedibus in aqua inambu-  
 lare potuisset, quemadmodùm etiam aliquando fecit. Is enim  
 est, qui olim Israëlitis viam faciebat per medium mare, vt sic-  
 cis pedibus transirent. Is est etiam, qui Sancto. Petro dabat  
 in mari ambulare: sibi ipsi verò hac vice nolebat, vt mare serui-  
 ret. Idq; non sine causa. Nam si non nisi diuina miracula fecis-  
 set, nihil cum nobis hominibus cõmune haberet. Et ob id hu-  
 manam necessitatem in se suscepit, quò videre possemus, eum ve-  
 rum hominẽ esse. Omnia aut in eum finẽ: quò maturiùs traheremur. Atq; hinc iterũ vides, quàm nihil penitus Christus omi-  
 serit, quod ad salutẽ nostrã pertinet. Potest itaq; meritò ad nos  
 dicere

Luc. 19.

Ios. 10.

Act. 13.

Luc. 13.

Matth. 14.

Exod. 4.

Matth. 14.

tibi filiar o...

antiqua...

dicere, Quid est quod debui vltra facere, & nō feci? Sequitur in textu: Et ecce offerebāt ei paralyticū, & c. Matthæus id breuibus cōprehēdit, Marcus verò cap. 2. & Luc. cap. 5. fusiùs cōmemorāt. nēpè, quod illi qui ægrū ferebāt cū præ turba illum intrò inferre non possent, in tectū ascēderint, & per tegulas submiserint eū in mediū ante Iesum. Vbi sanè p̄spici licet, quæ violētia Gentiles regnū Dei ad se rapuerint. Iudæi Christum è suo tēplo profligabāt: cōtrā Gētiles cumulatim accurrūt & illū ad se rapiūt. Atq; hoc est, quod Christus ait Matt. 11. Regnū Dei vim patitur, & violēti rapiūt illud. Magna huc fortitudo exigitur, nō corporis, sed fidei & charitatis. Et quisquis fortiùs & ardētius orat & appetit cœlestia, is regnū Dei citiùs ad se rapit. Porro eiusmodi vim Christus libēter patitur, imò perplacet illi, vt p̄t animaduerti ex verbis illius mulieri Chanani- di dictis, Matt. h. 15. O. mulier magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Quod quidē de fide viuā accipiendū est, vt etiā hoc loco, quo mox subiicit Euāgelista Matt. 9. cap. Et vidēs Iesus fidē illo- rum, & c. In hoc verbo quæstio est, an homini etiā aliena fides cōducere possit, & quantū. Sunt enim qui sibijps̄is persuadent se nulla aliena op̄ habere oratiōe, nec eā illis cōducere posse quicquā. Tales homines fortè meliores p̄fectiorēsq; sunt, quā Paulus, quē nō pudet, fermè in omnibus suis Epistolis, aliorū hominū oratiōes pro se repetere. Cōtrā verò alij sunt, qui ni- mium solis aliorum hominū precibus fidūt, opinātes satis esse, si alij pro ipsis orēt, etiā si pro seipsis per omnē vitam nihil orent, imò etiā omne malū sectentur. Hi falluntur & errant quoque. Etenim alterius homini fides seu precatio non faciet te beatum, nisi propriā tuā fidē & orationē addas. Sic nec alte- rius hominis iustitia saluū te faciet, nisi tuipse quoque iustus effici coneris. Vt igitur certus sis: quid tibi aliena fides, & oratio prodesse possit, scire prius oportet, qualis fides fuerit, de qua Matthæus dicit, Christū respexisse fidēs eorum. Etenim primò non fuit mortua aut informis fides, siquidem illa nulli alij prodest: imò nec ei prodest, qui illam habet. Quid enim mihi prodesse posset, etiā si in die milles articulos fidei pro me recenseas, sine omni tamen ardore, deuotione & charita- te? C. m. oratione eodem modo res habet. Qualem igitur illi suam, habuerūt, quæ Christo adeò placuit, vt ob eā ægrotū cu- rauerit: Nimirum eiusmodi fidē, quæ cum magno feruore & charitate, plenāq; fiducia in bonitatē & misericordiā Christi

Esa. 9.

q. om. aliena  
fidei p̄dici.

Fides mea  
1. Cor. 13. p̄cor. 13.  
S.

coniuncta fuit, quã ex ijs quæ de Christo audierãt hauserunt: & tã certò, vt nõ dubitarèt, quin egrorus sanaretur, si illum ad Christũ possent adducere. Et in tali fiducia ac charitate depor-  
 tabant eũ quoq; ad Christum tanta cũ cupiditate & feruore,  
 vt etiã testũ effringerent, quò citius ad Christũ cũ suo ægro-  
 to peruenire possent. Nec quicquã verebãtur, ne Christus æ-  
 grè laturus esset, quòd ita, illũ opprimebant: tantã spẽ conce-  
 perant sibi ipsis de eius bonitate. Hanc eorũ feruentẽ fidẽ &  
 deuotionẽ respiciebat Christus, & probabat. Hinc igitur se-  
 quitur: Primò quòd salutare & bonũ, Deo acceptabile, & gra-  
 tũ sacrificiũ sit, vbi homo homini opẽ fert, & promouet corã  
 Deo cũ sua oratione. Vnde etiã Salomò dicit: Facere miseri-  
 cordiã & iudiciũ magis placet Domino, quã victimã. Quod  
 verũ esse, ex eo apparet, quòd S. Matthæus dicit, Christũ re-  
 spexisse fidẽ eorũ qui a portabat ægrotũ. Haud dubiè Christo  
 charitas quã proximo exhibebant, grata fuit, & tãto magis,  
 quò minus ægrotus ipse ad Christũ venire poterat. Sic etiam  
 proculdubiò Deo sacrificiũ facis gratũ, quando in tua oratiõẽ  
 ad eũ illos adducis, qui in peccatis iacèt & mortui sunt, vt per  
 seipsis ad Deũ ire non possint: quin nec suum ipsorũ pericu-  
 lum sentiãt. Hoc docet Christus, vbi ait: Orate pro persequen-  
 tibus & calumniantibus vos, vt sitis filij Patris vestri qui in  
 cœlis est, qui solè suum oriri facit super bonos & malos. Per-  
 indè ac si dicat. Quoniam persecutores vestri excæcati sunt,  
 vt propriũ periculũ non videant, nesciant quid faciant. ideo  
 orate pro eis: quando quidem videris quantũ sibi ipsis incom-  
 modent, &c. Quod autem talis oratio bonorum & fidelium,  
 etiam alijs hominibus prodest, clarè id Scriptura indicat. Moy-  
 ses vnicus erat vir, multis tamen millibus impetrabat gra-  
 tiam cum sua oratione. Elias homo nobis similis, sua oratio-  
 ne obtinuit vniuerso populo pluuiam. 3. Reg. 18. Moyses sua  
 oratione hostes Amalecitas retro pellebat, vt Israëlitis no-  
 cere non possent, Exod. 17. Sic sua oratione impetrabat etiam  
 suę sorori, vt à lepra iterum curaretur, Num. 12. Et quid multa  
 demonstratione opus est, cũ ex Sacra Scriptura apertè haberi  
 possit, quòd nobis sæpe propter aliorũ hominum iustitiam  
 & orationem, temporalia & externa dentur, etiam siue pro-  
 pria nostra oratione? Ita legimus quòd Deus dixit, se ciui-  
 tatem Hierosolymam protecturum propter Dauidem. Ex  
 hoc vides, quòd Dauidis pietas Iudæis utilis fuit, qui alioqui  
 Dei iram

†  
 Pron. 21.

Orare pro

2' alijs quã gra-  
 tum Deo.

Matth. 5.

Oratio piorũ  
 prodest alijs.

4. Reg. 20.

Dei iram multipliciter meriti fuissent. Non solum autem alterius nobis viua fides & oratio commodare ad externam sanitatem seu prosperitatem potest, sed etiam ad animæ salutem, attamen cum discrimine. Etenim corporalis sanitas datur quandoque homini sine propria sua fide, saltem ob alterius fidem & preces. Sic impetrabat Centurio sua ardenti fide seruo suo sanitatem. Vade (inquit Christus) & sicut credidisti fiat tibi. Similiter quoque impetrabat Chananæa mulier filia suæ sanitatē. Mulier (inquit) magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Sed alia res est cum anima: huic non fertur auxilium, nisi & ipsa credat. Quamobrem sanctus Matthæus aperte dicit, quod Christus non solum fidem respexerit eorum qui ægrotum adducebant, sed mox ad ægrotum etiam dixerit. Confide, bonam spem habe, & piam fiduciam, Nam in his rebus, quæ animæ salutem concernunt, non satis tibi est alterius fides, nimirum quando ad ætatē & rationis vsum peruenisti. Hoc propter infantes dico, qui in aliena fide baptizantur: & si contingat eos in infanzia sua decedere, etiam in fide Christianæ Ecclesiæ & communionē salui fiunt. Quanquam dicere aliqui & probare volunt, quod Deus etiam propriam illis fidem indat: quandoquidem legimus: quod in veteri Testamento etiam infantes in fœdere Dei erant, & quod Christus pueros ad se adduci iubebat, cōplectebatur illos, & benedicebat eis. Atqui nemo diuinæ benedictionis particeps est, nisi credat. Sine fide enim impossibile est placere Deo: Hinc aliqui concludere volunt, quod etiam infantes in propria sua fide saluantur: & maximè Christo Marc. 16. dicente in commune, nemine excluso: Qui non crediderit: condemnabitur. Et iterum Ioan. 5. Qui non credit in filium Dei, iam iudicatus est. Sed hæc iam omitto. De adultis loquor: horum nullus saluus fit sine propria sua fide. Vt enim naturali vita nemo pro me nasci aut mori potest, (si viuere debeo, me ipsum nasci oportet, attamen alius sua vita meæ vitæ prodesse potest) ita etiam nemo pro me mori potest, in cœlum ascendere, aut descendere in infernum. Sed quidem promouere me potest ad mortem, occasionemque dare, vt in cœlum ascēdam, aut in infernum deferar. Eodem modo mihi alius sua viua fide à Deo impetrare potest, vt & ego credam, quemadmodum creditur S. Stephanus sua flagranti fide & oratione, etiam Saulo suo persecutori fidem & charitatem impetrasse: & quemadmodum diuus Paulus in suis Epistolis orat

Matthæ. 8.

Matth. 15.

Genes. 17.

Mar. 10.

Hebr. 11.

Act. 7.

Eph. 1.

pro omnibus hominibus, vt illis amplior cognitio Christi datur, &c. Hoc (inquam) alter alteri impetrare potest, sed nemo pro alio credere potest. Quamobrè probabat quidè Christus, q̄ illi qui ægrotū adducebāt, magnā charitatē & fidē habebat, sed non contentus, priusquā ægrotō opitulabatur, propria etiā synceram fidem ab eo, requirebat. Hæc omnia ad doctrinā scripta sunt & facta, quo alicrū hominū fidei, & orationi ita fidamus: vt tamen pro nobis ipsis etiā oremus & credamus. Hoc bono Christiano circa primam partē istius Euangelij considerandum est. Deus det nobis omnibus suam gratiam, Amen.

SECUNDVS SERMO DE  
*ultima parte istius Euangelij,*



ODIERNVM istud Euangeliū, duo habet, quæ meritò omnes homines ad Christum trahere debebāt, multò magis autem nos Christianos apud eum conseruare. Primò q̄ tam citò & libenter audit, vbi auxilium eius seruèter imploratur.

Secundò, q̄ tam potenter auxiliari potest, cùm in corpore, tū in anima, cùm spiritualiter tum corporaliter seu temporaliter.

*Luc. 5.* Quatuor viri (inquit S. Lucas) portantes in lecto hominē qui erat paralyticus, & non inuenientes qua parte illum inferrent præ turba, ascenderūt supra tectū, & per tegulas summiserunt eum cum lecto in mediū ante Iesum, &c. Non additum est, q̄ Christum verbis pro ægrotō sunt deprecati: imò tam propè ad eum accedere nō poterant, vt illum verbis alloqui possent. Attamē Christus fidē eorū & affectū respiciebat. Hoc illi satis orationis erat, hæc magis probabat, quàm si multis vsi fuissent verbis, & alta voce sine cordis attentione & affectu fuissent vociferati. Hoc autem argumentū præbet, q̄ citò & libèter audiat, sicubi auxilium eius ex animo petatur, siue id fiat ore siue corde, siue verbis, siue cogitationibus. Quia enim Deus est, non solum audit clamorem vocis, sed etiam cordis desiderium, vt Dauid dicit: Desiderium pauperū exaudiuit Dominus: præparationem cordis eorum audiuit auris tua. Idipsam quoq; experiebatur Moyses in mari Rubro, vbi Deus ad eum dicebat: Quid clamas ad me? Et Moses tamen nullo utebatur verbo: imò aucto

*Psal. 9.*

*Exod. 14.*

occupatus erat in sedando populo, vt ad Deum clamare non possët. Attamen Deus desiderium cordis eius respiciebat. Sic etiam Mattheus loquitur hîc, Videns Iesus fidem eorum.

Non ait.

Non ait. Exaudiebat clamorem eorum: sed, Videbat fidem eorum. Hoc vnum est, quod in isto Euangelio considerandum est. Mox Christus versus ad ægrotum sanabat eum. Primò in anima, verbo illo, Confide, remittuntur tibi peccata tua. Deindè etiam sanabat eum in corpore, verbo illo. Surge & ambulato ile lectum tuum, & vade in domum tuam. Ad hæc verba mox surgebat, tollebat lectū suum, & abibat perfectè sanus in anima & corpore: quanquàm non nisi vnū apparebat, nimirum corporalis sanitas. Nam si verbum eius in vna re talem virtutem habet, certè etiam alia in re virtutem habet. Si verbo suo humano corpori morbum tollere potest: potest etiam suo verbo animabus nostris peccatum & condemnationem tollere. Imò hanc adèd ob causam virtutem diuini sui verbi externis signis & miraculis probare voluit, vt ne dubitemus, quin illud eius verbum similem etiam virtutem habeat in spiritalibus rebus. Vt sciatis quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, surge paralytice, & sanus sis. Hoc alterum est quod in isto Euangelio nobis obseruandum est: nimirum quod Christus tam potenter auxiliari possit in corpore & anima temporaliter & spiritaliter. Nonne autem hæc duo omnes homines ad Christum traherent, & apud eum conseruarent, quòd tam liberter audit, & tam potenter auxiliatur maximè calamitosis istis temporibus? Quid nunc vulgatius in terra apud omnes homines, quàm queritari, ingemiscere, vociferari, & optare? Quis in terris tam diues ist, qui auxilio non egeat, siue id sit in corpore, siue in anima? At vbi certior exauditio in oratiõe, & si certius auxilium in necessitate, quàm apud Christum? Certè mundus serò audit, parum gemitum pauperum curat. Tum etiam hominum auxilium inane est & nullum. Quia ergo in hoc Euangelio audimus quòd Christus tam citò audit, tantò confidentius ad illum orare debemus, & cum Dauide dicere: Dirigatur Domine oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Si ergo Christus tam potenter auxiliari potest in anima & corpore, animam à peccato, & corpus à morbis liberare, idque vno verbo: tantò minus dubitandum est de eo, quod S. David iterum dicit de fœlici statu eorū qui Deo sese ex animo dedunt. Qui confidunt in Domino (inquit) sicut mons Sion, non cōmouebitur in æternū, qui habitat in Ierusalé. c. Mōtes in circuitu eius, & Dominus in circuitu

Matth. 9.

Ibidem,

Psalms. 140.

Psalms. 124.

populi sui, ex hoc nunc & vsque in sæculum. Et tum etiam Euangelium istud cum fructu & vtiliter auditum esset, si efficeremus vt benignitas Christi, quam erga eos declarabat, qui ægrotum adducebant, eò nobis inseruiat, vt nos tantò libentius ardentiusque oraremus, potentia verò eius nobis inseruiat ad confirmationem fidei & charitatis nostræ, ne de eius auxilio vnquam diffidamus, sed semper certò speremus, siue id sit in anxietate conscientiæ, siue in externa necessitate modò tamen nos faciamus quod in nobis situm est. Hoc (ii. quam) Euangelium istud vtiliter auditum dici posset. Et ob id etiam scriptum est: ob id prædicatur, vt tantò ardentius in omni necessitate Christum precemur, & eò minus de eius auxilio desperemus. Siquidem aliud nomen sub sole non est nobis hominibus datum: in quo nos saluos fieri oporteat, &c. Et nos Christus ipse in Euangelio toties vocat, vt ad se veniamus: imò nihil tam queritur de hominibus, quam quòd non veniunt, & sese ad ipsum totos conuertunt. Non vultis venire ad me (inquit Ioan. 5.) vt vitam habeatis. Et iterum Matthæ. 23. Quoties volui congregare filios tuos, & noluisti? Et rursus Ioan. 3. Lux venit in modum, sed homines magis dilexerunt tenebras quàm lucem. Hoc in genere considerandum est circa istud Euangelium. Sed reliqua etiam verba aliquantò plenius discutiemus.

Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Ex his verbis intelligere primò possumus (vti in proximè præcedente prædicatione dixi) quòd nullus homo, nimirum, qui prouectæ ætatis est, absque propria sua se saluari possit. Nec tali remittuntur peccata, nisi prius credat: Qui nõ credit (inquit Christus) condemnabitur. Et iterum: Si non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro. Secundò ex his verbis colligere possumus, quòd Christus peccata possit remittere: id quòd nostrum solatium est. Quòd autem Christus id possit, duobus id demonstrari potest vijs. Primò, quòd Iudæis etiam ad cogitationes eorum respondet, id quòd solus Deus potest. Quandoquidem nemo scit quid sit in homine, nisi spiritus hominis. Solus autem Deus nouit corda hominum, veluti Petrus dicit. Et Paulus: non est vlla creatura inuisibilis in cõspectu eius: omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius. Secundò, quòd Christus Deus sit, & peccata remittere possit, per hoc etiam probatur, quòd paralyticũ vno verbo sanabat: id quòd rursus Deus solus facere potest. Ad sua enim opera non multo tempore opus, habet,

quemadmo-

*Act. 4.*

*Matth. 11.*

*Mar. 16.*

*Ioan. 8.*

*1. Cor. 2.*

*Act. 1.*

*Hebr. 4.*

quæadmodùm homo: nec Deus pro se aliquibus medijs opus habet. Vnum verbum dicit, & fit. De tali potentia Christi loquitur etiã Ioanes vbi ait: Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi. Quod tamen non ita intelligendum, quòd Christus peccata hoc modo sustulerit, vt post hac nullũ peccatũ amplius sit: & q̃ nũc omnes ex animi sui libidine viuere possint, vt quibusdã hoc tempore videtur, & ob id absq; omni formidine in omnia peccata & flagitia se conijciunt. Christus autẽ nõ ita tollit peccata, sed ita, vt in reliquũ iustitiæ viuamus. Sicut mēbra vestra (inquit Paulus Rom. 6.) exhibuistis seruire iniustitiæ: ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ, &c. Nam qui mortem tollit, is loco eius vitam reddit. Sic qui peccatum tollit, is in locum eius iustitiam præstat. Quare si à peccato liberari cupis, in Christum te respicere oportet. Is nõ solũ ille est qui peccata remittit, sed est etiam exemplar, in quo apparet, quomodò peccata expurgentur & profigentur. Quemadmodum enim peccata ille occidit: ita etiam in nobis mortificari debẽt. At qui Christus peccata per crucem mortificauit: etiã etiam in nobis cum cruce & dolore mortificari ea oportet, veluti diuus Paulus dicit Roma. 8. Deus nos ab æterno prædestinauit, vt conformes simus imaginai filij sui. Et iterum Roma. 6. Si complantari facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus. Tertiò quoque conijcere possumus ex verbis, vbi Christus ait. Confide fili, quòd is cui remittuntur peccata mox filius Dei vocatur & efficitur. Nihil enim aliud diuidit inter nos & Deum, quàm peccatum, & Isaias dicit. cap. 59. Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum: & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis, ne exaudiret. Et Hieremias Thren. 3. Nos iniquè egimus, & ad iracundiam prouocauimus: idcirco tu inexcrabilis es. Nihil Deus in nobis odit, nisi peccatum. Dimisso igitur tibi & condonato peccato, Deum patrem habes propitium, intrepidè ad eum dicere potes: Pater noster qui es in cœlis, &c. Et ob id etiam Dauid homines beatos vocat, quibus remissæ sunt iniquitates, & tecta peccata: atque ita: vt illis Deus ea imputare non velit quod fit primò in baptismo, ac deindè etiam in pœnitentiæ sacramento. Quartò etiam possumus ex supra scriptis verbis Christi desumere, quòd corporales morbi ob peccatum sæpenumerò hominẽ infestãt. Nam vt quandoq; ex corporis morbo animæ morbus excitatur: vtpotè motus iræ,

*Psalm. 148.**Ioan. 1.**Christus vt tollat peccata.**Peccata vt mortificãda.**Psalm. 13.**Morbi propter peccata.*

impatientia, blasphemia, &c. Ita etiam est peccatum corporalis morbi plerumque praecipua causa, quae admodum Christus ipse inquit in eo verbo, quod ad illum dicebat, qui octo & triginta annos decubuerat. Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Et hoc Moyses clarissime indicat: Nisi audieris vocem Domini Dei tui, percutiet te pestilentia & morbis: scabie quoque & prurigine, ita ut curari nequeas amentia, caecitate & infania, &c. Et quo magis peccata crescunt, hoc etiam maior poena fit & plaga. Nec prius cessant poenae, quam peccati. Et ob id Christus hic homini, qui corporalem sanitatem petebat, prius morbum animae, peccatum sustulit: perque hoc indicauit, hunc illi morbum ex peccato & propter peccatum inflictum esse. Quinto, vult etiam Christus prius commoratis verbis nos docere, quae ad aegrotum loquebatur, ut primo & ante omnia animae curam geramus. Nam ubi illa sana est, corporis morbi nihil nobis nocere possunt. Siquidem certa & vera sententia est, quae in aliquot Ecclesiae orationibus inuenitur. Nulla nobis nocebit aduersitas, si nulla nobis dominata fuerit iniquitas. Ex his iam habemus quid circa miraculum istud considerandum sit. Postremo etiam audiemus, quid miraculum istud in cordibus hominum operatum sit. Et ecce (inquit Matthaeus) quidam de scribis dixerunt intra se, Hic blasphematur. Populus autem laudabat Deum, qui dedit potestatem talem hominibus. Hic iam vide, quam dissimiles fructus miraculum istud attulerit. Phariseis scandalum erat, quod Christus ad aegrotum dixerat, Remittuntur tibi peccata tua: impingebant & offendebantur in humilitate Christi, quoniam sciebant Deum in Propheta dixisse, Ego sum, qui iniquitates tuas deleo. In Christo autem videbant humanam fragilitatem, atque ideo credere non poterant, quod etiam Deus esset, & peccata dimittere posset. Et talis infirmitas Christi, etiam adhuc offendit aliquot homines. Quomodo credere possum (dicunt aliqui) quod I me a peccatis & morte liberare possit, qui ipse tanquam peccator, in crucem suffixus est? Alius dicit, Quomodo credere possum, Christum mihi propitium esse, qui me in tot tantisque periculis derelinquit? Tertius dicit, Quid solatij habere possum ex promissionibus Christi, cum tamen semper contrarium inueniam? En, hoc modo in hodiernum adhuc diem offenditur mundus in humilitate Christi. Proinde non sine causa factum, quod dicit, Beatus est, qui non fuerit scandalizatus

*Anima cura  
imprimis gerenda.*

zatus in me . Et hæc vna erat causa, quãobré hac vice Pharisei contra Christũ murmurabant. Secunda causa erat, q̃ Christo hanc inuidebant gloriã, q̃ dimittendi peccata potestaté haberet. Sibi ipsis gloriã trãscribi volebant: haud cogitantes quod Deus in Isaia dixerat, Propter me, & non propter vos delebo iniquitates vestras. Certum & infallibile verbũ. Christus sol<sup>9</sup> nobis propria autoritate dimittit peccata nostra. Non, vt propterea bona opera tanq̃ nullius meriti intermittamus, sed vt hac in parte gloriã tribuamus, q̃ nobis ex animo pœnitentib<sup>9</sup>, ex misericordia præcipuè peccata dimittat: nõsq; sibi obrèperãtes faciat, quemadmodũ Christus ipse docet & dicit. In hanc sententiam loquitur etiam S. David: Non nobis (inquit) Domine, sed nomini tuo da gloriã: Sic etiam loquitur Daniel: Domine tibi iustitia, nobis autem confusio. Hoc modo habes, quid miraculum istud in Iudaicis Phariseis operatum sit: nimirum scandalum & iuuidiam. Sed audi nunc etiam, quid miraculum istud in plebe operatum sit. Glorificabant Deum (inquit Matthæus) qui potestaté talé dedit hominibus. Et merito. Quis enim nõ ex animo gaudeat, quando audit, q̃ nunc etiã homines peccata possint dimittere, quæ antea sol<sup>9</sup> Deus dimittebat? Qui principi debet, aut in eũ deliquit, nemo illum à tali debito liberum dicere potest, nisi princeps ipse, aut is, qui à principe peculiarem potestatem & mandatum habet. Quòd si ille, qui à principe potestatem habet debitori, vel etiam reo aut malefico affinitate aliqua iunctus est, tanto miser maiorem spem habet gratiam & remissionem consequendi. Eodem modo res nobiscum habet. Omnes Dei debitores sumus, & quotidie nos dicere & orare oportet: Pater, dimitte nobis debita nostra. Et talia debita nemo nobis per se dimittere potest, præterquã Deus. Veruntamen tradidit illam potestatem Christo, quemadmodũ Christus ipsemet dicit, Pater neminẽ iudicat: sed omne iudiciũ dedit filio. Quia ergò hoc audimus & legimus, simulque scimus, quòd Christus frater noster est, & nostram naturam, carnem & sanguinẽ in se habet: cur animam desponderemus: cur non etiam Deũ laudaremus, qui talem potestatem huic homini & contratri nostro Christo dedit? Atqui verò Christus talem etiam potestatem sanctis suis Apostolis & eorum successoribus dedit: Accipite (inquit) Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittantur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt, &c.

Esa. 43.

Tit. 3.

Psal. 113.

Dan. 9.

Matt. 6.

Ioan. 5.

Ioan. 20.

Non quod homo peccata propriè dimittat, sed quod poenitenti in sacramentali confessiõe indicat, & certum eum facit, quod ei peccata à Deo condonata sunt, Periuuè ac si dicat: En fili, quoniã peccata tua syncerè cõfiteris, & exhibes te tanquam verum poenitentem: certum te facio ex diuino verbo & mado, quod tibi Deus peccata tua per Christum dimittit: & annunciat, quod Deum propitiu habes. Et quod Christus in suo Euangelio ex corde conuertentibus se ad ipsum promisit, id etiã tibi annuntiat & promittit. Hunc in modum homines verè poenitentibus & pure confitentibus dimittunt peccata eorum. Et quid afflictæ conscientiæ lætius & cõsolatorium magis occurrere & obuiare posset, quàm si id audiat? Quapropter etiã merito cum populo in hodierno Euangelio gratias agere debemus, quod Deus talem potestatem dedit hominibus, &c.

### TERTIVS SERMO DE Euangelio in genere.



**HISTORIA** M hodierni istius Euangelij, nõ solũ Matthæus descripsit, sed etiam Marcus & Lucas, idque diligentissimè. Omnes tres indicant, quod Christus paralicum hunc primò à peccatis in anima, & deinde à morbo in corpore liberauerit: & significauerit miraculum istud certum esse argumentum, quod à Deo potestatem habeat dimittendi peccata: id quod precipuum est in hoc Euangelio, qua de re nos Christiani gaudere & gratias agere debemus. Iudaica turba offendebatur quidem, pro blasphemia ducens. Sed summum eorum damnum erat, dolenda eorum excacatio, certa eorum pernicietas. Ob id enim audire cogebantur quod Christus dicit: Ego vado, & que retis me & non iuuenietis: imò in peccatis vestris moriemini. Rogas quã ob rem in peccatis suis mori eos oportuit: Responso: credere volebant, quod Christus peccata dimittere posset. Nisi credideris (inquit) quia ego sum, moriemini in peccatis vestris. Nos Christiani credimus & confitemur, quod potestatem habet dimittendi peccata. Imò, quod hanc ipsam ob causam venit, & à Deo missus est, vt populum suum à peccatis eorum liberaret. Et eius nostræ fidei habemus bonum & certum fundamentum. Opera quæ Christus ex diuinitate fecit, fallere nos non possunt, quia clarè & irrefragabiliter declarant quod Deus sit. quãdoquidem nullus mortalium, nullus angelorum, nulla creatu-

Mar. 3.  
Luc. 5.

Ioan. 8.

Ibidem.

Matt. 1.

creaturarū propria virtute similia opa vnq̄ fecit, aut etiā face- *Ioan. 20.*  
 re potuit. Quoniam ergo demonstratū, q̄ Christus Deus sit: nemo  
 dubitare debet quin possit etiā peccata dimittere. Confide  
 fili, remittuntur tibi peccata tua, dicit ad vnumquemque, qui  
 peccatis in sua conscientia oneratus, toto corde ad ipsum per  
 pœnitentiā cōuertitur. Quid ergo iustius sequitur, q̄ vt pro tali  
 munere grati sumus, idque semper expeamus? Si vis exemplū,  
 formā & modū habere, quomodò Deo gratiæ agēdæ sint, q̄ *Psal. 120.*  
 nos p̄ Christū redemerit, & redimit adhuc quotidie à peccatis  
 nostris, nobisq̄, pœnitētib⁹ promittit eiusmodi remissionē: au-  
 di quomodò sanctus Dauid Deo ob id gratias agit: Benedic  
 (inquit) anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt  
 nomini sancto eius. Benedic anima mea Domino, & noli  
 obliuisci omnes retributiones eius. Qui propiciatur omni-  
 bus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates tuas. Qui  
 redimit de interitu vitam tuā: qui coronat te in misericordia  
 & miserationibus. Qui replet in bonis desiderium tuum: reno-  
 uabitur vt æquilæ iuuentus tua. Miserator & misericors Do-  
 minus, lōganimis & multum misericors. Non in perpetuum  
 irascetur, neq; in æternum cōminabitur. Non secundū pecca-  
 ta nostra fecit nobis, neq; secundū iniquitates nostras retribuit  
 nobis. Quomodò miseretur pater filiorum, misertus est Domi-  
 nus timentibus se: quoniam ipse cognouit figmentum nostrū.  
 Benedicite Domino omnes angeli eius, &c. En, totus hic *Psal.*  
*mus* aliud nihil est, quā gratiarum actio hominis credētis, pro  
 remissionē peccatorum. Talis gratiarum actio p̄inet ad istud  
 Euangelium, Dauid eius formā nobis dedit, ac cecinit: reliquū  
 est, vt illum probè imitemur. Si deindē etiā exemplū, formam  
 & modum habere cupis, quomodò pro gratia & remissione  
 peccatorum orandū sit, iterū inuenis apud Dauidē: De profun-  
 dis (inquit) clamaui ad te Dñe domine exaudi vocem meam, *Psal. 129.*  
 Si iniquitates obseruaueris Domine, domine quis sustinebit?  
 Quia apud te propiciatio est, propter legem tuam sustinui te  
 Domine. Sustinuit anima mea in verbo eius: sperauit aīa mea  
 in Domino. A, custodia matutina vsq; ad noctē, peret Israël in  
 Domino. Quia apud Dñm misericordia, & copiosa apud eū re-  
 demptio, Et ipse redimet Israël ex omnibus iniquitatibus eius.

Hæc oratio est pro remissione peccati impetranda. Et qui  
 hoc modo corde contrito pro suis peccatis ad Deum clamare  
 posset, is auditurus esset: cōsolatorium responsum, Confide fili,

remittuntur tibi peccata tua: imò experturus esset, quod hic orans expertus est. Et sic Euangelium istud vtiliter & cum fructu auditum esset, si duo hi Psalmi cum vera & feruente deuotione simul vsurpentur. Certè gratiarum actione dignum est, quod nobis Deus vnica dedit, qui peccata nobis tollere, & in anima nos sanare potest. Et quicquid eiusmodi bonum, quod tam est momentosum, omni industria quærendum est. Quid autè maius, gratiosius, & amicabilius in Deo nostro, quàm quod nobis, qui peccauimus contra diuinam eius voluntatem, verè pœnitentibus tam benignè veniam dat, nosque eius rei ita certos reddit? Optimus quisque Christianus piè consideret, qualis sit hæc charitas & benignitas, semper habebit causam ad Deum sese conuertendi, Deo gratias agendi, eumque laudandi. Miser peccator, quem iam peccasse pœnitet, consideret qualis sit gratia, nunquàm desperabit. Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Hoc præcipuum est, quod bono Christiano circa hoc Euangelium considerandū est, faciendūque. Alioqui potest nobis hoc Euangelium etiam ad alia inferuire. Imò si homo Christianus aliud nihil haberet, nullum aliud præsidium sciret hisce malis periculosisque temporibus, & in tam dissimili discordique doctrina ex hoc tamen vnico Euangelio à multis erroribus sese tueri posset, suamque per id fidè firmam, puram & illabefactatam conseruare, vbi alij quandoque grauius hallucinati sunt & perniciosè lapsi. Adeò penitus Christus, omnia sua verba & opera ad nostram vtilitatem & salutem destinauit. vt certè non facile errare possemus ac decipi, si modò oculos aperiremus. Cuius rei exempla multa dare & indicare possem de veteribus & nouis erroribus. Nimirum vetus error est, quod olim Cerdo, Apelles, Valentinus. Manichæus & Apollinaris hæresiarchæ cum suis gregibus & asseclis dicebant & sentiebant, Christum non esse veram hominem. Contrà verò, quod Ebion, Cherintus, Carpocrates, Paulus Samosatenus, Photinus, Arius, & ipsi hæresiarchæ dicebant, sentiebantque, Christum non esse Deum, sed purum hominem. Sic etiam antiquus error est, quod Nouatus & eius asseclæ dicebant, quod ij qui in persecutione à fide descuerant, & Christum abnegauerant, nullam amplius remissionem peccatorum sperare possent. E diuerso noui errores sunt, quod quidam infantium baprisimum reijciunt, ex ea causa, quod infantes fidem suam nondum intelligant: nec profiteri possint: putant frustra fieri, quod in fide

Ecclesie

*Errores pri-  
scorum hære-  
ticorum.*

*Recentiores  
errores.*

Ecclesiæ & eorum qui illos adducât, per baptismum in fœdus Christi recipiâtur. Item q̄ aliqui prædicationem de Christo & gratia Dei non aliter accipiunt, quasi deinceps nõ referat quomodo viuatur, si tantummodo credatur. Ab omnibus istis erroribus tam veteribus quàm nouis, posset se Christianus ex hoc unico Euangelio tueri, & fidem suam per id puram & illabefactatam conseruare. Rogas quomodo? Dicit Matthæus in initio, Christum nauicula mare traiecisse. Et hoc quid aliud est, quàm argumentum veræ illius humanitatis contra Cerdonē & alios supradictos hæreticos & sectarum magistros. Et maxime, si credamus præterea quòd etiam famem aut sitim, tristitiam & dolorem, pœnam & mortem passus sit, vt alij homines. Et hoc est, quod etiam Paulus de Christo dicit, factum esse sicut alium hominem, & habitu vt hominem inuentum. Et iterum dicit Paulus, Christum per omnia fratribus similem fieri oportuisse: vt misericors fieret. imò quia alij homines carnem & sanguinem habent, Christum etiam similiter illorum participem esse factum. Et hoc est contra primum errorem eorum, qui humanitatem Christi abnegent. Secundò dicit Matthæus, Christum aduersarijs suis ad cogitationes eorum respondisse: imò vidisse cogitationes eorum, remisisse paralytico peccata sua, atque etiam corporaliter eum sanasse. Et hæc quid aliud sunt, quàm certa argumenta veræ diuinitatis in Christo? Certè nullus homo alteri in cor inspicere potest, peccata dimittere, & sanitatem conferre, eo modo quo Christus talia fecit. Hoc pacto bonus Christianus etiam à secundo errore sese defendere posset. Tertio dicit Matthæus, quòd Christus ægroto homini peccata sua dimiserit, qui tamen antè per circuncisionē in fœdus Dei receptus erat: sed verò postea relapsus in peccata, attamen pœnitens gratiam inueniebat & remissionē. Si ergo Deus etiam in veteri Testamento hominibus, qui post circuncisionem iterum peccarunt, quotiescunq; ad vera pœnitentiã se cõferebant, peccata dimisit: quantò magis hoc in nouo Testamento faciet, quod propriè rēpus gratiæ vocatur, & quod Deus verè pœnitentibus promisit, hoc fore nouū fœdus, q̄ peccatis eorum propitius esse velit. En, hæc cõtra errorē Nouati. Quarto dicit Matthæus, Christo ægroto curæ fuisse super fidem eorū qui illum adducebant. Vides fidem illorum, inquit. Ergo dubium nullum est, quin Christus etiam infantes recipiat in suū fœdus per baptismum super fidem Ecclesiæ, & eorum qui in

Matth. 9.

Philip. 2.  
Heb. 2.Argumenta di  
uinitatis  
Christi.

Heb. 3.

Infantes in  
fide Ecclesiæ  
seruantur.

fantes adducunt. Et præcipuè posteaquã videmus, quòd Deus etiam in veteri Testamento infantes æquè in suo fœdere habere volebat, atque senes; Statuam pactum inter me & te, & inter semen tuum (dicebat Deus ad Abraham) etiam infantibus signum fidei & fœderis sui cõferri iubens, imò præcipiens sub magna pœna & sub amissione suæ gratiæ, fauoris & æternæ vitæ. *Masculus!* (inquit) cuius præpurij caro circumcisa non fuerit delebitur anima illa de populo suo. Tum etiam scimus ex Euãgelio, quod Christus dixit, *Sinite pueros venire ad me*, quoniã talium est regnum cœlorum. Quin ipse complexus eos est, eis-que benedixit. Quòd si Christus eos habere vult, cur nõ etiam illis signum Christianæ nostræ fidei, & pactum Deo detur æquè atque infantibus in veteri Testamento dabatur? Imò si filij nostri natura sunt filij iræ, vti etiã nos omnes, & tamen pertinemus ad regnum Dei: certè ianua illis aperienda est. Atqui nulla est alia ianua ad regnum cœlorũ, quàm baptismus. Nisi (inquit Christus) renati fueritis ex aqua & Spiritu sancto, non videbitis regnũ Dei. Vide, hoc modo ex isto Euangelio ab Ana baptistico errore quis tutus esse posset, per hoc quòd Christus etiam ad aliorum hominum fidem ægroti curã suscipit. Interim tamen monens, vt pro se etiã credat, quẽadmodũ id etiã à nobis requiritur. Super fidem enim sanctæ Christianæ Ecclesiæ, quæ nos ad Christum ducit, baptizamur: sed deindè quando adulti sumus, nos ipsos etiam credere oportet. Quintò indicat Matthæus, quòd Christus non solum ad paralyticum dixit, *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua: sed etiam, Surge, tolle lectum tuum, & vade in domũ tuam.* Id quod certum argumentum est, quòd non solum credere nos oportet, sed etiam à peccatis surgere, in via mandatorum Dei ambulare, & non cessare, donec domum nostram & veram patriam assequamur. Nullo enim modo Christus vult, vt propterea tantò maiore cum leuitate ad peccata curramus, quandoquidem illa tam libenter verè pœnitentibus dimittit, si rogetur. Nec vllò modo vult, vt ob id cessemus à bonis operibus, quandoquidem nos ad sua potissimũ merita remittit: Imò non vult vt ex consolatione sua præsumptionem faciamus: spem nobis iniicere vult Christus, sed non inanem, non falsam, non præsumptuosam, non peruersam spem. Eam autè inanem & inutilem spem voco, vbi quis temporalibus fidit: nam mundus transit & concupiscentia eius. Falsa spes est, vbi quis longam vitam sperat, cum tamen

*A vitijs absti-  
nendum, etc.*

*Spes vana.*

*1. Ioan. 2.*

*Falsa.*

cum tamen vita nostra aliud nihil est, quam vapor, & fumus ad *Iacobi 4.*  
 modicum tempus apparens. Præsumptuosa spes est, vbi quis spe- *Præsumptuosa*  
 rat, quod se in senectute ad Deum & probitatem cōuertere ve-  
 lit. cum tamen Scriptura dicat Prouerb. 22. qui malo affueuerit,  
 eum nec in senectute ad meliorem frugem venire, nihil magis  
 quam Aethiops suam nigredinem mutare potest. Peruersa autem *Hiere. 13.*  
 spes est, vbi quis tantò plus peccat, quandoquidem audit, *Peruersa.*  
 quod Dei misericordia magna est: & tantò indiligentior ad bo-  
 num est, quandoquidem audit, quod Christus pro nobis passus  
 est. Eiusmodi spem docet nos Christus nullam, sed veram spem  
 quam homo haurit ex promissione Dei: sed tamen ita, vt om-  
 nibus ijs studeat, per quæ spes illa promoueri potest. Atqui duo  
 sunt, quæ eiusmodi nostram spem promouent & confirmant. *Spem duo cō-*  
 Primum sunt promissiones Dei: alterum est obedientia diuino *firmant.*  
 rum mandatorum. Quando audio, quid nobis Deus promise-  
 rit, & facio eius voluntatem, eò melius sperare possum. Sic di- *1. Ioan. 3.*  
 cit etiam Ioannes: Scimus, quoniam translati sumus de morte  
 ad vitam. Et vnde hoc scimus? Ex promissione. Et vnde sci-  
 mus, quod promissio etiam ad nos pertinet? Ex viua fide. Sed  
 quis dicit nobis, quando fides nostra viua & perfecta sit?  
 Quando fratres nostros diligimus, hoc est, quando mandata  
 Dei seruamus. Hic vides, quod etiam obseruatio diuinorum *Catholica*  
 præceptorum spem promouet. Quapropter haud malè dictū *spei definitio*  
 est quod Patres nostri dixerunt, spem esse certam expectatio- *defenditur.*  
 nem futuræ beatitudinis, quæ expectatio veniat & oriatur ex  
 gratia Dei, & meritis proprijs seu bonis operibus. Aliqui hanc  
 descriptionem reiicere quidem conantur, quandoquidem me-  
 ritorum bonorum operum in ea fit mentio. Et tamen confite-  
 ri eos oportet, quod homo frustra credit & sperat, qui vsque  
 proteruus in inobedientia diuinorum præceptorum manet &  
 perseverat. Ad hos enim dicit Christus: Quousque dicitis mi- *Matth. 7.*  
 hi, Domine Domine, & non facitis quæ dico vobis? Nescio *Luc. 13.*  
 vos: discedite à me omnes operarij iniquitatis. Non satis est, vt  
 dicat quis, spero fore, vt saluus fiam, quandoquidè Christus fœ-  
 licitatem nobis acquisiuit. Ad iter nos etiam paremus oportet,  
 quæ ad fœlicitatem ducit. Alioqui diu speres licebit, vt Magun-  
 tia Basiliam venias, si retrò abeas Coloniam versus. Quamob- *In præsumptio-*  
 rem (inquam) Christus veram spem docuit, & non peruer- *nem novorū*  
 sam præsumptionem. Dixi quidem, Confide fili, remittan- *Christiano-*  
 tur tibi peccata tua: sed mox subiicit, Surge, tolle lectū tuum, *rum.*

& vade in domum tuam. Remittebat ei peccata, sed nolebat, vt diutius iaceret, vbi antea iacuerat. Remittit etiã nobis peccata pœnitentibus, cœterum nō vult, vt in peccatis maneamus. Proinde quoq; nos facere oportet, quemadmodum personæ in hodierno Euangelio fecerunt. Is ipse ad quem dicebatur, Confide fili, &c. tollit lectum suum, & est obediens: ij ipsi qui talem fidē habebant in Christum, quod auxiliari posset, talem etiã exhibebant charitatem erga ægrotum, vt eum ad Christum deporarent: Is ipse populus qui miraculum videbat, incipiebat etiã Deum glorificare. Is ipse Euangelista, qui vnum scribit, scribit etiam alienum. Si ergo Christiani esse volumus, certè vnum nobis æquè placere debet, atque alterū. Hoc facit veros & perfectos Christianos. Et hoc vult etiam Paulus in hodierna Epistola. Renouamini (inquit) spiritu mentis vestræ, & induite nouū hominem qui secundum Deum creatus est, in iustitia, & sanctitate veritatis, &c. Sed de hoc aliàs. Deus det nobis omnibus suā gratiam, Amen.

### Q V A R T V S S E R M O D E Euangelio in genere.

*Vero Christiano quid  
agendum.*



*In eos qui  
Euangelio  
abutuntur.*

**I R C A** Euangelium istud hodiernum rursus inuenitur, quemadmodum etiam alijs temporibus dixi: nimirum quod qui verus Christianus esse velit, & in via salutis non errare, cum oportet Christianam nostram doctrinam non particulatim accipere, sed totam: siquidem omne vnum Euangelium est, & vnus Christus, qui omnia & singula in eo locutus est. Est quidem hodiernum istud Euangelium supra modum consolatorium, quandoquidem Christus miserum & ægrotum non solum amicè alloquitur, sed eum etiam clementer sanat: & non solum in corpore, sed etiam in anima. Sed miserandum hoc est, & vehementer deplorandum, quod aliqui homines Euangelio isto tam perniciosè abutuntur: imò quod occasionem inde accipiunt omnis leuitatis. Quia enim audiunt, quod Christus paralytico peccata sua tam faciliter remittit, putant eum semper ita facere oportere. Et quia audiunt, quod populus apud miraculum istud nihil aliud fecit, quam quod Deum glorificabant, qui hominibus talem potestatem dedit, existimant nihil etiam à se requiri aliud, quam vt Deum & gratiam eius prædicent. Ad quam rem non parum faciunt  
insulsi

insulsi quidā prædicatores, qui nihil aliud dicūt, quā de fide, tā  
 tū, de remissionē peccatorū, & de Dei gratia: imò nihil faciūt  
 aliud, quā quòd cōscientias cōsolantur, perindē ac si illud solū  
 prædicandum sit, & nihil aliud. Quod cum homo carnalis au  
 dit, libenter accipit: & putat deinde, nō esse aut dici Euange  
 liū, nisi quod de gratia, fide & remissione peccatorū loquitur.  
 Hinc fit, quòd nulla amplius peccata curātur: pœnitētia, bona  
 opera, & emendatio vitæ seponat, & sine omni formidine aut  
 cōsciētia ad malū curratur, &c. Sūma, hoc sibi persuadēt, quòd  
 Euangeliū ita clarē habeat, ita vt nūquā clariūs & meliūs ha  
 buerint, cū non nisi mancū admodū illud habeāt. Etenim re  
 missionē peccatorū prædicare, nō est totū Euāgeliū & doctri  
 na Christi, sed pars solummodò. Ita etiā gratiā Dei glorifi  
 care, non est totus Christianismus, sed pars tantūm Christia  
 næ vitæ. Idcirco fallimus nos ipsos, & abutimur isto Euange  
 lio. Certū quidē & verum est, quòd iussit prædicari in nomi  
 ne suo remissionē peccatorum in omnes gentes, sed pœniten  
 tiam præmisit. Ita quoq; certissimum est, quòd Apēstolis po  
 testatem dedit soluendi peccata & remittendi: sed non hoc  
 tantummodò, verum etiā potestatem eis dedit peccatores  
 ligandi, & peccata retinendi. Sic etiā certum est & verum,  
 quòd Christus peccatores humaniter allocutus est, sed non  
 semper: imò quandoque valde duriter eos est allocutus, vt  
 cum primis in Mattheo & alijs in locis videre est. Ita etiā  
 certum & verum est, quòd fidelis Samaritanus, Christus, vul  
 nerato homini, oleum in vulnera eius infudit: sed non solūm  
 oleum, verum etiā vinum. Sic etiā certum & verum est,  
 quòd Christus huic paralytico sua peccata absque præuia ex  
 terna pœnitentia & confessione remisit: quemadmodūm  
 etiā nobis omnibus fecit initio in baptismo. Sed non ita rā  
 cile dimittit mortalia peccata, si in ea relabimur post primam  
 baptismi remissionem, vt Paulus dicit, impossibile esse eos  
 qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiā donum cœleste,  
 & participes facti sunt Spiritus sancti, gustauerunt nihilomi  
 nus bonum Dei verbum, virtutēque sæculi venturi, & pro  
 lapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam, rursūm sibi met  
 ipsis crucifigentes, filiū Dei, & ostentui habentes. Et iterum  
 dicit Paulus: Voluntariē peccantibus nobis post acceptam no  
 titiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia, ter  
 ribilis autem quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio,

*Fruſtus Neo  
 christianorū.*

*Luc. 24.  
 Matth. 16.*

*Luc. 10.*

*Hebr. 6.*

*Hebr. 10.*

qua eōsumptura est aduersarios &c. Attamen hæ duæ sententia Pauli non ita intelligendæ sunt, sicuti Nouatiani intellexerunt: nimirum quod ij, qui post baptismum in eccata iterum prolapsi sunt, nullam gratiam consequi amplius possint. Nequaquam, non est hæc mens Pauli. Hoc autem vult Paulus, quod tales homines non tam facile remissionem peccatorum consequantur, ut antea. Imò quod illis neque baptismus, neque pretiosus sanguis Christi proderit, nisi poenitentiam agant. Postremo etiam verissimum est, quod Christianissimus noster à nobis postulat, ut Deo gratias agamus eiusque gratiam predicemus, qui nobis tam magna fecit & exhibuit per Christum. Sed postulat à nobis Christiana doctrina etiam alia, quemadmodum passim in Euangelio reperitur & videtur. Hoc propterea pro initio huius concionis dicere volui quod minus à vero discedamus, & nos ipsos frustra commoueamur. Nunc etiam Euangelium latius disquiremus. Et primo certum est, quod Euangelium istud in progressu suo multo plus habet & confert, quam in ipso ingressu quis existimare aut sperare possit. Ascendens in nauiculam (inquit Mattheus) transfretauit. Hoc initium est istius Euangelij, exile prorsus & humile: loquitur de Christo ceu de alio homine, qui nauibus seu pontibus opus habet, aquam transmissurus. Sed quid magni de Christo quis expectare possit, quando audit, quod etiam Christus transfretat in nauicula? Quid aliud videmus in hoc, quam quod homo sit? Sed quid purus homo per se magni præstare potest? Quid usque adeo in puro homine confidere possumus? Multo magnificentius dictum esset, si principium ita fuisset positum: Et Iesus stabat, & ibat trans fretum. Hæc (inquam) verba multo fuissent magnificentiora, multo ea res maiorem authoritatem habuisset, si versus ciuitatem iuisset in mari, maiorem id spe præbuisset: nemo istuc dubitare potuisset, quin aliquid amplius esset quam homo. Iam vero vehitur nauicula, sicut alij homines, perinde ac si nihil aliud esset, quam homo, & nihil amplius posset quam alius homo potest. Istud ergo est simplex & humile principium istius historiae. Sed nihil hoc Christianum mouere debet. Progressus huius historiae longè alius erit. Imò isthuc non solum audies, sed etiam videbis quod Christus etiam verus Deus est. Atque eius rei non vnum, sed triplura argumenta habebis. Primo, quod peccata dimittit. Secundo, quod cogitationes cordium videt. Et tertio, quod paralyticum vno verbo sanat. En, hoc sequitur in ista historia ad simplex eius initium

Matth. 9.

Christus homo & Deus.

tium. Sed quid posset maius & sublimius de Christo dici? Quis credidisset, quòd homo qui tam humilis aduehitur, tam citò, tam palam & tam efficaciter declararet, quòd verus Deus esset? Idcirco non frustra docet in Euangelio, ne secundum faciem & externam speciem iudicemus. Eia frater, non erat hæc sententia, vt Christus diuinam suam potentiam omnibus in rebus, omnibus in locis & omni tempore ostenderet. Nec è re nostra fuisset, etenim nemo hic credere potuisset, quòd etiam homo esset. Inuenti tamen sunt etiam hæretici, qui dixerunt eum non fuisse hominem & tamen tam multipliciter declarauit, edendo, bibendo, dormiendo, ambulando, sentiendo lassitudinem, flendo, patiendo, nascendo, & moriendo. Qui futurum fuisse censemus, si talium rerum nihil in eo apparuisset: sed nihil aliud quàm mera diuina potentia? Nequaquam. Christus alium spiritum habet, quàm mundus. Is omnibus in rebus sese ostentat & exerit: ideo solùm profert quod magnum & illustre est, occultat quod infirmum est, & deforme. Si quis potentiam habet, ea palam sit omnibus oportet, nusquam non sese ostentat: & omnes homines scire eam & videre coguntur, ita vt se hominem esse quis obliuiscatur quandoque. Christus autem non ita facit: suam diuinam potentiam non ostendit, nisi vbi necesse est, & vbi honor Dei, aut hominum salus & vtilitas requirit. Alioqui in omnibus alijs rebus loquitur & facit sicut homo. Sic nobis etiam necessarium erat: vt vtraque hanc naturam in illo videremus sciremusque, ne quis dubitaret, quin verè sit mortuus tanquam homo, & verè ex mortuis resurrexerit, tanquam verus Deus. Quæ enim alioqui nostra spes esset, si alterum horum defuisset? Nisi enim mortuus fuisset, adhuc hæreremus in peccatis: nisi porrò à mortuis resurrexisset, adhuc dominium in nos haberet mors. Quomodò verò mori potuisset, si tantummodò Deus, & non etiam homo fuisset? E diuerso, quomodò sese à morte eripere potuisset, si homo tantum, & non etiam Deus fuisset.

En propterea Christus non semper & in omnibus rebus diuinam suam potentiam, sed præterea etiam humanam infirmitatem ostendit. Quàm potenter ægrotum sanare poterat, tam quoque potenter aquam transire potuisset, nec opus habuisset nauis. Sed oportebat eum & volebat humanitatem suam æquè ostendere & declarare, atque diuinitatem suam,

*Ioan. 6.**Mundi spiritus.**Christi humilitas.**1. Cor. 15.*

ea de causa quam modò dixi. Et ob id vtrúmque Matthæus descripsit. Ascendens (inquit) Iesus in nauiculam: hîc vides hominem remittuntur tibi peccata, Surge, & sanus esto: hîc vides Dei potentiam. Nemo enim dimittere peccata præter Deum potest. Ego sum (inquit in Isaia) qui deleo iniquitates tuas. Ita etiam nemo vno verbo sua virtute morbos & mortem pellere potest, excepto Deo. Is solus tam potens est, vt verbo suo omnia efficiat. Illius sermo est opus. Illius verbum est omnipotens, illius sermo viuus & efficax. Illius verba sunt spiritus & vita. At vide iam, quid hæc historia nobis solatiij præbeat. An non res tota læta est scire, quòd Christus Deus est? Et talis Deus, qui in anima & corpore auxiliari possit? & præterea etiam homo est, ad quem pia cum fiducia ausimus accedere & currere, eúmque feruenter inuocare? Hoc vnum est, quod in isto Euangelio considerandum est. Deindè etiam in eo indicatum est, quòd Christo iterum lis est cum Iudaicis Phariseis. Quò magis consolatorem sese Christus exhibebat, hoc magis illi indignabantur: quò apertius loquebatur, hoc magis excæcabantur: quò amicius agebat, hoc deteriores fiebant. Hoc tribus continuis dominicis audiimus. Mirum hoc alicui videri possit in talibus hominibus qui hominibus qui tanti nominis scientiæ & authoritatis erant nisi Christus ipse causam indicasset. Ego (inquit) veni in mundum, vt cæci videant, videntes autem cæci fiant. Dei iudicium (inquam) animaduersio & plaga eis incumberebat, quòd lumen scripturæ habentes, neq; tamen verbis & operibus Christi gaudebant, neq; emendabantur, ex quibus nos, qui aliquando cæci eramus, tantum boni videmus, tam exuberans solatiû haurimus adhuc in hodiernum. Illis erat fastidium abominatio, blasphemia, quod Christus loquebatur & faciebat: nobis autem spirituale gaudium est, solatiura, & diuina salus Hic blasphemant (clamabant) cum Christus diceret. Tibi remittuntur peccata tua. Nos gratias Deos agimus, quibus tale verbum audire datur, & quòd Deus talem potestatem in terris dedit ac reliquit. Et videtur nobis quòd simus eius rei sic satis certi: nec Euangelium istud aliter accipimus, quàm si Christus adhuc in hodiernû diè visibilis corâ nobis staret ac diceret. Ego sum salus populi mei, in quacunq; die inuocauerint me & ad me clamauerint, exaudiam eos, & ero Deus eorum in æternum. Et si hoc vaquam ostendit, in hac historia id ostensum est. Quatuor sunt, quæ

Quatuor  
nos premen-  
tia.

sunt, quæ nos omnium maximè grauant & premunt. Primum est externa aduersitas. Alterum est mala conscientia. Tertium est, quòd in horum nullo nobis ipsis auxiliari possamus. Quartum est, quòd etiam quandoq; & sæpenumerò dubitamus, nùm Deus auxiliari velit. Sunt hæc quatuor onera grauia, semper aliud alio grauius. Externa afflictio tam multifaria est, vt oēs pariter sub illa gemamus, aut in ea succumbamus, animùmq; despondeamus. Sed nihil sunt hæc omnia ad malam conscientiam, ea angit & grauat multò plus: imò totum orbem homini nimis angustum facit, vti videamus in Cain. Facitque homini omnia, omne bonum, gaudium & iucunditatem huius mundi acerbam. Tum autem premunt illa duo omnium grauisimè, quando homo non solum nullum solatium inuenit, apud homines, sed videtur sibi etiam à Deo derelictus. Iam verò Euangelium istud in his rebus omnibus consolari nos posset. Etenim, primò, contra externam crucem, tribulationem & aduersitatem hoc solatij habemus, quòd Deus omnia eiusmodi incommoda tollere possit sicubi ad Dei honorem & nostram salutem inseruiat. Cõtra malam conscientiam hoc habemus solatium, quòd Christus paralytico, sed tamen pœniti, peccata sua remittit, idque sine præcedentibus meritis: & quòd externo signo declarat, quòd potestatem habeat dimittendi hominibus peccata. Contra nostram insufficienciam, quòd nobis ipsis auxiliari non possumus, hoc solatium habemus, quòd Deus fidem respicit eorũ, qui pro nobis orant. Contra pusillanimitatem, quòd interdum etiam dubitamus, nùm Deus nobis auxiliari velit, hoc solatium habemus, quòd Christus paralyticum tam amicè alloquitur; nominat illum filium, iubet illum esse bono animo & spe, idq; in primo ingressu, mox vt eũ videbat, priusquã ore rogabat eũ, & inuocabat. Cõ fide filii (inquit) perindè ac si dicat: Qui gratiam expetit, is doleat quidem ex animo se peccasse, sed tamen bonam fiduciam habeat. Tantò enim is plus gratiæ accipiet, quantò ardentius dilexerit, & latiùs gremium suæ spei & fiduciæ extenderit. Etenim Deus, qui omnium rerum dominus est & conditor, adeò diues est & superabundans in gratia & bonitate, vt ab eo omnia impetrare possimus quantumuis magna, si fidem, spem, & charitatem nostram extendere possimus. Non enim mentietur in eo, quod dixit: Omnis locus quem calcauerit pes vester, vester erit. Et hoc est, quod etiam Isaias mul-

I. a quibus iustis  
 I. I. in iustis  
 III. quibus apertis  
 IIII. deo dicitur  
 serpen. Judic.  
 de iustis  
 Genes. 4.

Remediũ af-  
 flictionis ex-  
 externa.

Mala consciã  
 tia.

Nostri infir-  
 mitatis.

Pusillanimi-  
 tatis.

Dento. 11.

*Eſai. 35.* tō antè prædixit: Lætabitur deferta & inuia, & exultabit ſolitudo, &c. Et poſtea: Confortate manus diſſolutas, & genua debilia roborate. dicite puſillanimis, Confortamini & nolite timere: ecce Deus veſter vltionem adducet retributionis, &c. Hæc omni videmus in iſto Euangelio. An non igitur iuſtam cauſam haberemus cum S. Paulo manus noſtras tol-

*2. Cor. 1.* lendi in cœlum, & dicendi: Benediſtus Deus & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra: vt poſſimus & ipſi conſolari eos qui in omni preſſura ſunt, per exhortationem qua exhortamur & ipſi à Deo, &c. Quid eſſet noſtra vita, ſi hac conſolatione careremus?

Quàm infœlices homines ſunt, qui id non ſciunt aut conſiderant. Quàm verò reprehensibile eſt præſens ſæculum, quòd iſta ſcit & videt, ſed ad nullum bonum ijs vitur, ſed ſolùm ad mala. Si nobis Deus dat ſanitatē corporis, tantò ſimus perulatiores & propenſiores ad omne malum. Si

*Vt Dei bonitate abutamur.*

audimus Chriſtum tam facile peccata dimittere, putamus id ſemper ita fieri oportere: parui ob id peccata facimus contemnimusque pœnitentiam. Aliqui in alijs tantummodò hominibus ſpem ſuam ponunt: quia huic paralytico ſucceſſit, exiſtimant ſe etiam propria ſua oratione & labore ſaluos fieri poſſe. Alij putant, quoniam Chriſtus dixit, Confide filii: ſe filios Dei eſſe, quantumcùnque improbant & incompoſitam agant vitam. Sed vbique erratum eſt. Nimis parum & nimis multum, perdit omnem ludum. Deus nobis non ideò fœlicia tempora, vt tantò plus peccemus: ſed vt tantò liberius ei ſeruire poſſimus. Nec ideò Chriſtus peccata tam faciliter remiſit, vt ſuper tali gratia peccemus. Non,

*Matthæ. 4.*

Scriptum eſt. Pœnitentiam agite. Sic etiam veriſſimum eſt, quòd homo pro homine orare poſſit. Sed ob id nemo tantò negligentior fieri debet ad orandum etiam pro ſeipſo. Sic veriſſimum eſt, nos vocari filios Dei, & ſumus etiam, vt Ioannes dicit: & hoc nomine quoque multis in locis ſacræ Scripturæ inonemur, vt fiducialiter ſperemus: veruntamen talis noſtra ſpes nunquam vera eſſe & certa poterit, quandiu in peccatis mala conſcientia iacemus. Quapropter res vndique verè inſpicienda eſt. Solatij ſatis ſuperque habemus ex hoc & alijs Euangelijs, ſaltem videamus, ne abutamur. Deus det nobis ſuam gratiam, Amen.

## DOMINICA VICE

SIMA PRIMA POST PEN-

TECOTEN, EVANGELIUM

MATTH. XXII. CAP.

**L**oquebatur Iesus cum discipulis suis in parabolis, dicēs: Simile factum est regnū cœlorū homini regi, qui fecit nuptias filio suo, & emisit seruos, vt vocarēt inuitatos ad nuptias, & nolebāt venire. Rursus emisit alios seruos: dicens: Dicite inuitatis! Ecce prandiū meum parauī, & tauri mei, & altilia mea mātata sunt, & oīa parata: venite ad nuptias. Illi autē neglexerunt, & abierūt, alius in villam suam, alius verò ad negotiationē suam. Reliqui verò tenuerunt seruos eius, & contumeliis affectos occiderūt. Rex autem cum audiisset, iratus est, & missis exercitibus suis perdidit homicidas illos, & ciuitates illorū succendit. Tunc ait seruis suis: Nuptiæ quidem Mat. 12. paratę sunt: sed qui inuitati erāt, non fuerūt digni. Ite ergo ad exitus viarum, & quoscūq; inueneritis, vocate ad nuptias. Et egressi serui eius in vias, congregauerūt omnes quotquot inuenerunt, malos pariter ac bonos, & impletę sunt nuptiæ discumbentibus. Ingressus autē Rex, vt videret discumbētes, vbi vidit illic hominē non vestitū veste nuptiali, ait illi: Amice quomodò huc intrasti, non habēs vestē nuptia

lē? At ille obmutuit. Tūc dixit Rex ministris: Ligatis pedibus & manibus eius, mittite eū in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentiū. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.

E A D E M D O M I N I C A  
E P I S T O L A S A N C T I  
P A V L I E P H. V I.

**F**RATRES: uidete igitur quomodo circumspectē ambuletis, nō ut insipientes, sed ut sapientes, redimentes occasionē, quōd dies mali sint. Propterea ne sitis imprudentes, sed intelligētes quæ sit uolūtas Dei. Et ne inebriemini uino, in quo luxur est: sed impleamini Spiritu, loquētes uobis ipsis per psalmos, & hymnos, & canticōes spirituales, canētes ac psallētes in corde uestro Domino gratias agentes semper de omnibus in nomine domini nostri Iesu Christi, Deo & patri. Subditi uicissim alijs alijs cū timore Dei.

PRIMVS Sermo de Euangelio in genere.

LUC. 14.



**H**ODIERNVM istud euāgeliū simile prope modū p oīa est similitudini, q̄ Christus in Luca dixit de magna cœna: utrobique enim dicitur de cōuiujs & epulis. Utrobique, uidem⁹ diuitē, liberale hospitē, sed ingratos cōuiuas. Utrobique; Deus ipse hospes est, nos autē cōuiux & inuitati. Nullū aliud discrimē inest, q̄ illic cœna uocatur, hīc autē prādiū nuptiale. Illic autē irascitur pater solū illis qui venire recusabāt: hīc uerō etiā cū irat⁹ eicit, qui iā uenerat & mēse accumbebat: Et quid hīc aliud intelligere possum⁹, q̄ q̄ nobis Deus duplicē refectiōē & cōuiuū parauit, hīc, in terris cū gratia, & in altero sēculo cū æterna gloria: Hīc dat prādiū, illic dabit nobis cœnā, & sub eā mox æternā quietē. Hīc habemus nuptias, illic futur⁹ est cōcubitus. Hīc cū Deo copulamur, illic copula fruemur. Utrobique De⁹ autor est & incēptor, Christ⁹ mediator. Nos conuiuē sum⁹, quaten⁹ nos ipsos gratia nō spoliam⁹, & indignos reddim⁹.

2. Timoth. 2. Etenim in Deo nihil unquā desiderabitur. Fidelis est, & seipsum negare

negare non potest, vti Paulus ait. Et vtrobiq; oīa parata sunt, Gratia nobis, modò velim<sup>9</sup> ea vti, p̄ Christū impetrata est **Fœ** **Ioan. 14.**  
licitas nobis per Christū acquisita. Vado (inquit) vobis parare locū. Et si abiero & præparauero vobis locū, iterū venio & accipiā vos ad meipsum. Oīa nobis donata sunt p̄ cognitionem eius qui vocauit nos p̄ propria gloria & virtute, per quē maxīa & **1. Pet. 1.**  
pretiosa nobis promissa donauit: vt per hęc efficiamur diuinę cōfortes naturę. Dom<sup>9</sup> nobis patet, mēsa adornata est, serui currūt & inuitant: rex & paterfamiliās expectat: facite fratres, ne quid in nobis desideretur, ne induremus cor nostrū quēadmo **Hebr. 3.**  
dū illi fecerunt. Vnde etiā irat<sup>9</sup> in eos De<sup>9</sup> iurabat, nullū ex ijs **Num. 14.**  
ingressurū requiē suā: imò festinem<sup>9</sup> intrare in eam requiem, priusq̄ ianua occludatur. Porro veniam<sup>9</sup> vti decet, ad eiusmodi cōiuuiū. Nuptiæ sunt, ad quas vocamur. Et quis celebrat has **Heb. 4.**  
nuptias? De<sup>9</sup>. Cui celebrat<sup>9</sup>: Filio suo. Qualē dedit ei spōsā & ad **Nuptia, ad**  
iūxit? Nos hoīes. Nos cōiuuæ sum<sup>9</sup>, nos spōsa sum<sup>9</sup>. Despondi **quas inuita-**  
vos vni viro (inquit) Paul<sup>9</sup> virginem castā exhibere Christo. **mur.**  
Hoc requiritur ad istas nuptias: hoc De<sup>9</sup> exigit, hoc q̄rit in sua sponsa: nimirū nō magnas diuitias, aut generis nobilitatē, sed **1. Cor. 10.**  
virginē castā, hoc est, talem spōsam, in qua fidelitas & dilectio deprehēditur. Hęc enim duo antea nobis exhibuit, & quidem in summo gradu. Sponsabo te mihi in fide, inquit in Osea. Fidem nobis seruauit, implēdo quicquid nobis vnquā promisit. Fidē nobis seruauit in æternū. Cælum & terra (inquit Luc. 21.) **Ose. 2.**  
transibūt, verba autē mea nō trāsibunt. Et in Hieremia cap. 33 Si irritū potest fieri pactū meū cū die, & pactū meū cū nocte, vt non sit Dies & nox in tempore suo, & pactū meū irritū esse poterit cum Dauid seruo meo, &c. Et in Isaia cap. 49. Nūquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt nō misereatur filio vteri sui? etsi illa oblita fuerit, ego tñ nō obliuiscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te. Et iterū cap. 54. In misericordia sempiterna misertus sum tui. Sicut in diebus Noë istud mihi est, cui iuravi ne inducerem aquas Noë vltra supra terram: sic iuravi vt nō irascar tibi, & non increpē te. Talem nobis fidem **Gene. 5.**  
præstat Deus. Charitatem etiā suā nobis summē exhibuit, dū nostra causa homo factus est, & in cruce mortuus. Atqui non **Ioan. 15.**  
est maior charitas, q̄ vbi quis pro alio moritur. Charitatē suā adhuc nobis declarat, dū nos quotidie purgat, cōsolat, pascit, dat nobis nō solū sua, sed etiā seipsum: Summa, fidē & charitatē suæ sponsæ præstitit, & præstat adhuc fidelitatem & chari-

tatē vicissim ab ea requirit fidelitatē, ne alteri adhaerescamus: charitatē, vt illi soli adhaereamus. Sed obserua, q̄ illa duo cōiūgit, quia vtraq; ad nuptias pertinet. Quales enim, alioqui nuptiæ essent, si alterū horū vel vtraq; deessent? Vbi nulla fides est inter cōiuges, ibi nullū cōiugiū est, sed adulteriū. Vbi nulla charitas est, ibi nulla pax. Quapropter hæc duo coniūgi oportet. Cōiugibus nō satis est, vt sibi inuicē fidāt & credāt, nisi quoq; sese mutuō diligāt. E diuerso quoq; nō satis est, vt se inuicē diligant, nisi sibi inuicē quoq; fidē prestēt. Itidē quoq; res nobis eū habet. Deus (vti dixi) fidelitatē nobis & charitatē præstitit, eāq; à nobis exigit. Per fidē venim⁹ ad nuptias, per charitatē Deo fruimur. Fides viuā nos copulat Deo: charitas nō facit inhærere Deo. Et hæc duo cū primis discēda sunt circa hodiernū istud Euāgeliū. Idq; nō temerē dico. Ferē enim semper aliquid in altero desit, vt rarō simul sint. Iudæis deerat fides in Christū: nobis p̄ maiore parte deest charitas. Illi venire excusabāt: nos venimus quidē, sed ita nos gerimus, vt timēdū sit, ne maior pars eijciatur iterum. Quid ita? Credimus quidē & venimus ad nuptias, sed non habemus charitatem, id est, veste nuptiali nō sumus induti. Verum quorsum attinet, te in prandio esse, ad cœnam autē venire non posse: imō eijci antequā cœna incipiatur. Quorsum attinet, te hīc per fidē ad sanctā Christianitatem admitti, si ab æterna cœna ob charitatis defectum excludare? Fratres, nō agitur nobis solum de prandio: plus nobis sitū est in cœna. Beati (inquit Ioānes) qui ad cœnā agni vocati sunt. A prandio, hoc est, à gratia, q̄ nobis in hac vita offertur, excludi quis iterū potest: imō non vnus, sed plures. multi enim vocati sunt, sed pauci electi. A cœna autē, hoc est, à foelicitate futuræ vitæ nemo eijcitur, sed quisquis eā assequitur, æternū eā possidet. Gratiam huius tēporis amittere iterū possumus: cæterū quisquis æternam cōsequitur foelicitatē, æternū beat⁹ manet. Quapropter non sufficit nos vocatos esse & venisse ad prandiū, & ad gratiam huius temporis: videre nos oportet, vt venire etiam possimus ad cœnā, hoc est, ad gloriā futuræ vitæ. Tum autem de cœna certus eris, si in prandio, vti decet, te geras. Tum autē foelicitate nō frustraberis, si gratia hīc benè vtare. Iudæi ad prandium venire volebant, hoc est, ad gratiā, quā illis Christus hīc offerebat. Quoties (inquit) volui congregare filios tuos, quemadmodū gallina cōgregat pullos suos sub alis, & noluit? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Imō

*Charitas vestris nuptialis.*

*Apoca. 19.*

*Matthæ. 28.*

*Matth. 13.*

ta, Imò propterea sententia in eos lata & pronunciata est, ne *Matth. 11.*  
 quisquã eorũ cœnã Dei gustet. Venimus quidã ad prandiũ, &  
 ad gratiã quã Christus h̄c nobis offert in Euangelio: sed non  
 cogitamus de nuptiali, v̄ este, n̄pe de charitate, de pia cõuer-  
 satione: ob hoc sæpẽ eijcitur, vt æternæ fœlicitatis participes n̄  
 fiamus. Quẽadmodũ Iudæi suæ cõdẽnationis culpam nemini  
 imputare possunt, quã sibi ipsi & ingratitude suæ: Sic etiam  
 nos cõdẽnationis nostræ culpã attribuere nemini possumus, q̄  
 nobis & nostrẽ leuitari. Et ob id, quẽadmodũ olim Danielis so-  
 cij in persona totius populi Iudaici dicebãt: D. ñe oĩa q̄ vobis fe-  
 cisti, in vero iudicio fecisti: quia peccauimus, & prãcepta tua  
 n̄ obseruauimus, &c. Itidẽ & nos facere oportet: fateamur ne-  
 cesse est, oēs eos qui cõdẽnantur iusto Dei iudicio ob peccata  
 sua cõdẽnari. Atq; hic nobis nihil reliqui est, quã vt emẽdemus  
 nos, & oremus, & dicamus ad Deũ, Dñe nomini tuo da gloriã,  
 & fac nobis secundum multitudinẽ miseratiõũ tuarũ. Tantũ  
 in genere admonitionis more de hoc Euangelio. Nunc autẽ  
 videbimus quid etiã aliãs doctrinæ in eo nobis detur. Ea pri-  
 mò potest prudens & intelligens quiuis facillẽ ex eo cognosce-  
 re, quòd Christus veram cõditionem, quam pater erga filium  
 suũ declarat, etiam in nos declarauerit. Atqui videmus, q̄ pa-  
 ter qui charos liberos habet, nihil intentatum relinquit, quò  
 sperat se suos liberos ad honorem & virtutẽ perducturũ. Do-  
 cet, hortatur, orat, obsecrat, dat & promittit, miatur, & ver-  
 berat. Quæ omnia si nihil profunt, filium foras eijcit, signifi-  
 cans se nolle esse illi patrem amplius, nec eũ filiũ dici debere,  
 nec paternæ hæreditatis participem fore. Atq; tum paterna se-  
 ueritas omnium vehemen tissima est. Sed n̄ peruenit eo, nisi  
 alijs omnibus prius tentatis. Quisquis ergo hodiernum Euan-  
 gelium inspicit & considerat, quando Christus talia verba sit  
 locutus, videbit Christum talem patrẽ fuisse. Matthæus para-  
 bolam hæc penè in fine scribit: indicauitque antè ab initio per  
 omnia capita, quã humaniter Christus inter Iudæos versa-  
 tus sit, quã diligenter docuerit, quã benignè sit illis opitula-  
 tus, quã seuerè illos monuerit, quã amicè illos ad suã gratiã  
 vocauerit, quã fideliter illos sit adhortatus, quã horribiliter  
 sit illis interminatus. Agẽ in isto Euangelio ad summum per-  
 uenit & ad extremum: quia nihil horũ in illis proderat, mina-  
 tur eis fore, vt domo Dei eijciantur & exhæredentur, & de-  
 indẽ etiã miserè pereant: & non ijs tantũ eorũque similibus,

*Christus vt  
 se patrẽ erga  
 nos declarat.*

qui nullam Dei vocationem, & admonitionem audire volunt: sed etiam nobis & omnibus ijs, qui iam audiant & accipiant, sed non secundum illā faciunt. Sed quomodo pater filiū magis punire potest, quam si eijciat illum & exhæredet? Quid horribilius, quā si quis in domo Dei locū non habet, & in Dei hæreditate & bonis nullā partē? Atqui Christus id apertè interminatus est. Qui primi vocati fuerant, venire recusabant, vnde postea penitus traditi sunt obliuioni. Alius ingerebat se, sperās se mansurū in hæreditate: sed quia non veniebat tanquā filiu, cum probro iterum & æterno suo damno eijciebatur. Fratres, seuerum est Euangeliū, videtur quidem esse simplex parabola & similitudo & nihil præterea: verè autem plenū est Christiana doctrina. Etenim primò videmus in eo, quòd Deus non solum antequā nos vocauit, sed etiam antequā nos creauit, omnia præparauit quæ ad salutem nostram necessaria erant: idque sine præcedenti nostro merito, ex mera gratia. Secundò, videmus in hac similitudine, quòd Deus non solum Iudæos, sed etiam Gentes vocauerit, vt certè excusare se nemo possit.

**Rom. 10.** Nunquid enim non audiuerunt? inquit Paulus. hoc est, quis di-

**Psal. 11.** cere potest, se non audiuisse? Enimuerò sonus Apostolorum in omnem terram exiuit, & verba eorum penetrauerunt vsque in fines orbis terræ. Tertiò, videmus in hac similitudine, quòd sollicitudo de temporalibus, etsi non omnino reprehendenda, est tamen certum impedimentum in spiritualibus, si altius radices agat. Væ illi (inquit Propheta) qui multiplicat non sua. Vsque quò & aggrauat, contra se densum lutum? Quartò, videmus

**Habac. 2.** in hac similitudine, quòd Iudæorum incredulitas & durities causa fuit nostræ vtilitatis & salutis. Quoniam enim Euangeliū Christi recipere, nolebant, & ad nuptias Christi venire,

**Acto. 13.** Apostoli ad nos sese verterunt. Et hoc etiam indicat Paulus multis verbis in Epistola ad Romanos, inquit ex casu Iudæorum

**Rom. 11.** Gentibus salutem contigisse: & Iudæorum diminutione esse mundi diuitias: imò amissionem eorum esse reconciliationem nostram. Quintò, videmus hîc, quòd Christiana Ecclesia & communio, vti nunc est, bonos & malos homines in se complectitur. Itaque frustra est, quòd opinantur aliqui Christianitatem ita instituere, vt nihil mali in ea relinquatur, fugiunt ex veteri Ecclesia, eò quòd multos malos homines in ea conspiciant, propriam sibi Ecclesiam & congregationem faciunt: vident & experiuntur quotidie, quòd improbi æquè

*Ecclesia bonos malosque complectitur.*

sefe ingerunt ,atque in veterem Ecclesiã & congregationem. Enimuerô Christus regnũ cœlorum sanctã Christianitatẽ nõ sine causã comparauit reti,horreo seu areæ & agro . Atqui videmus, q̃ rete piscatorio mali pisces æquẽ capiuntur, atque bo- *Matth. 15.*  
ni. Et crescit in agro lolium æquẽ atq; bonũ semen. Tum etiã palea & stramen nõ minus in horreum deportatur, atque tritum. Sic etiam hoc loco scriptum est , q̃ serui bonos & malos *Matth. 22.*  
homines ad nuptias adducebant: & Rex ipse inueniebat quendam in mensã sua, ad eum non pertineentem. Nunquã Christiana Ecclesia ita mundabitur , quin semper in ea mali homines inuenientur. In tempore messis (inquit Christus) dicã mes- *Matth. 13.*  
soribus: Colligite primũ zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendũ, &c. Tum angeli exhibunt, & omne scandalum ex regno Dei tollent . Interea temporis boni malis misti sunt, *Matth. 25.*  
donec iudex venerit, qui segregabit eos, quemadmodũ pastor oues ab hœdis separat, &c. Sextò, videmus in hoc Euangelio, *Fides, viua.*  
non simplicem & otiosam esse fidem, quã nos salues faciat, sed fidem quã per charitatem operetur . Alioqui si quælibet fides sufficeret ad salutem, nemo vnquã eijceretur. Sed hĩc multò aliud vides. Postremò videmus in hac similitudine, quòd Deus non solũ misericors, sed etiam iustus est. Quapropter nemo fretus misericordia Dei, peccare debet, pœnitentiam suam differre, aut gratia Dei abuti. Miser homo de quo in Euangelio audiui-  
mus, similiter opinabatur, quia cum Rex tam clementer vocauerat & intromiserat, nihil referre, quomodocũque deinceps viueret, aut qualiscũque inueniretur. Sed longè alius exitus erat. Amice (inquit) quomodò huc venisti, vestem nuptialẽ non habens; Et postea: Manus & pedes ei ligate, & projicite eũ in tenebras exteriores, &c. Hoc admonitionis loco esse nobis debet: ideo enim scriptum est. Atque hoc modo arbitror vnũquẽque videre posse , quantum nobis Euangeliũ istud considerandum præbeat. Bonus quisque Christianus id seriò ad animum reuocet. Deus det nobis suam gratiam, Amen.

## S E C V N D V S    S E R M O

*titidem de Euangelio in genere.*



**P** A R A B O L A & similitudo istius Euangelij (si rectè consideretur) nihil aliud est , quã breuis quedã cõprehensio totius sacræ Scripturæ, id, qđ indicatu facile est. Hoc em̃ omnes fateant̃ oper-

*Scripta diuina qua potissimè tractet.* tet, quòd sacra Scriptura potissimum & in primis, de sequenti-  
 bus rebus loquitur: vtpote primò de Deo. Secundò, de redem-  
 ptione per Christum instituenda, & iam facta. Tertiò, de fce-  
 dere iam antiquitus à Deo facto cum Abrahami eiusque femi-  
 ne. Quarto de varijs beneficijs, quæ Deus illi populo exhibuit.  
 Quintò, de magna ingratitude illius populi. Sextò, de pœ-  
 na & interitu eorum. Septimò, de vocatione Gentium per Apo-  
 stolos. Octauò, de malis & falsis Christianis. Nonò, de futuro  
 iudicio. Hæc (inquam) ferè præcipua sunt quæ nobis Scriptu-  
 ra proponit. Ea autem omnia etiam in hac similitudine com-  
 prehensa sunt. Etenim Rex, de quo similitudo dicit, est Deus.  
 Filius Regis est Christus. Nuptiæ sunt incarnatio Christi, in  
 qua se humano generi vniuit. Nuptiale conuiuium est redem-  
 ptio & salus, quam nobis impetrauit Christus. Boues & altilia  
 sunt varia dona & gratiæ, quas illic nobis parauit. Inuitati sunt  
 Iudaicus populus, quibus promissiones Dei primū datæ sunt.  
 Serui qui primū mittebantur, fuerunt Moyses, Aaron, Iosue,  
 Phinees, Samuel, Dauid. Serui qui secundò mittebantur, fue-  
 runt Elias, Helisæus, Isaias, Hieremias, & alij Prophetæ. Quòd  
 aliqui inuitatorum nuptias non curabant, aliqui ad aliã sese cõ-  
 uertebant, aliqui Regis seruos conuiciabantur, indicat multi-  
 plicem ingritudinem Iudaici populi. Milites per quos fue-  
 runt perdit, erant Romani. Serui qui tertio missi fuerant, sunt  
 sancti Apostoli. Populus quem ex omnibus plateis collegerūt,  
 sunt Ethnici ex omnibus nationibus. Quòd mensæ impleræ  
 sunt, significat multitudinem baptizatorū. Quòd boni & mali  
 homines misti sunt, denotat, quod nō omnes Christi sunt, qui  
 in sancta Christianitate degunt. Homo qui veste nuptiali indu-  
 tus non erat, significat aut eos qui fidem habent sine charitate  
 & bonis operibus, aut qui solam speciẽ bonorum operum ha-  
 bent absq; charitate & fide. Quòd Rex conuiuas suos inuisit,  
 futurum designat iudiciū. Quòd illum primò videt: significat  
 coram iudicio Dei nihil fore occultū, sed tum etiã cogitationes  
 cordiū manifestas futuras. Quòd illū Rex verbis reprehendit,  
 indicium est, q̄ vermis qui malorum conscientiam arrodit, nū  
 quàm moriturus sit. Quòd miser homo obmutescit, indicat co-  
 ram iudicio Dei nullam excusationẽ valiturã. Serui, in quorū  
 potestatem affligendus traditur, sunt mali spiritus. Quòd illi  
 manus & pedes ligantur, indicat q̄ post extremum iudiciū ne-  
 mo amplius pœnitentiam & bona opera agere poterit, vel etiã  
 condem-

*Sūmariæ ex-  
 plicatio totius  
 Euangelii.*

*Gal. 3.*

*1. Cor. 4.*

*Esai. 66.*

condemnationem effugere. Quòd in exteriores tenebras projicitur, indicat, quòd sententia quæ in malos feretur, nunquam reuocari poterit, sed æternum manebit. Ex his omnibus nemo uò videt, quòd parabola ista in se comprehendit omne id quod in sacra Scriptura expressum est. Eæ autem res sunt nõ inanes, sed cum primis necessariae. Quisquis igitur totam sacram Scripturam sub compendio nosse uolet, is vel vnicã hanc similitudinem obseruet, ea ad cogitandum satis multa suppedabit, eũ que multarum rerum admonebit. Idè autem **Christus** præcipua capita sacrae Scripturae in hanc parabolam contraxit, quò etiam simplices videre possent, quid Deus nobiscum fecerit, ad huc faciat, & denique faciet, neque excusare sese possit. Quisquis ergo cum diligentia considerat, & **Christus**, qui hanc similitudinem dixit, is sit, de quo Ioannes tot tantaque in sui Euangelij initio scribit, nimirum æternum, essentialè & omnipotès verbum & filius Dei, imò Deus plenus gratia & veritate, & ob id mentiri, & fallere non possit. hoc (inquã) quisquis considerat, is ex animo gaudebit, si initiũ istius Euangelij legat: modò vel guttulam sanguinis in se habeat, qui Dei fauorem & gratiã verè petit. E diuerso qui finem istius Euangelij legit, is perhorrescat oportet, si modò venam in se habeat, quæ ad Dei iudiciũ possit obstupescere. Hic enim videmus simul Dei misericordiã & iustitiam, eaque duo in summo gradu. Quippè nobis Adæ filij nulla maior misericordia contingere potuit, quàm quòd nos Deus ad nuptias sui filij, & ad communionem omnium eius bonorum inuitauit. Contra etiã homini nullum terribilius iudiciũ impendere potest, quàm si à Dei gratia & confortio omnium sanctorum secludatur. Gloria, & honor, & pax (inquit Paulus Roma. 2.) omni operanti bonum: tribulatio autem & angustia in omnem animam hominis operantis malũ. Quisquis ergo gratiam Dei dignè expetit, hoc Euangelio iure gaudere potest: nec est quod propter peccata sua, quorum ipsum verè pœnitet, animum despondeat, quandoquidem audit quòd Deus neminem excludit, & suis seruis commune mandatum dedit, ad vocandos omnes homines. Contra autem qui diu in sancta Christianitate fuit, & tamen malè vixit, vel adhuc malè viuit, meritò pertimescere & exhorrescere potest ad finè istius Euangelij. Non enim historia est, quæ semel tantummodò & in vno homine contingit: sed est parabola seu similitudo, qua **Christus** ostendere voluit, quid in suo regno

Ioan. i.

Misericordia  
Dei.

Iustitia Dei.

esset euenturum vsque ad finem mundi, nimirum quod multi  
**Matth. 21.** vocati, pauci ergo electi futuri essent. Omnes quidē vocati su-  
 mus: sed videmus ex hoc Euangelio, quod ij solum Regis fauo-  
 rem & gratiam conseruant, qui charitatis nuptiali veste induti  
 sunt: & ita comparent, vti honestos conuiuas decet, atque ij in  
 æternum nunquam eijciuntur. Cæterum qui charitatis ve-  
 ste nuptiali induti non sunt, & mala sua vita congregatio-  
 nem sanctorum & fidelium deturpant ac dehonestant, ijs iam-  
 pridem iudicium præfixum est, quod eijci debeant in tenebras  
 exteriores. Proindè nobis Christus in hac similitudine per ex-  
 terna exempla indicare voluit & præfigurare, principio duo  
 magna gratiæ opera, deinde verò sub id mox etiam duo hor-  
 ribilia iudicia, quæ Deus in nobis hominibus exhibuit & ad-  
 huc. Vtrobique eiusmodi res sunt, in quibus nobis plurimum  
 situm est. Nam qui gratiam Dei penitus ignorat, is gratus es-  
 se non potest. Porro qui de futuro iudicio nihil scit, is etiam  
 cò minus timoris habet. Atqui verò Deus non solum in his  
 duobus cognosci, sed etiam propter gratiam & beneficia sua di-  
 ligi, & propter iudicia sua timeri vult. Si pater ego sum (inquit  
 in Propheta) vbi est honor meus? Et si dominus ego sum, vbi  
 est timor meus? Et vt non placet ei, si quis gratiæ & donis  
 eius ingratus est: ita etiam ei displicet, vbi quis iudicium  
 eius non pertimescit. Ideò etiam in Prophetis queritur de his  
 duobus, hoc est, de ingratitude & impietate hominum. Audi  
 te cœli (inquit in Isaiâ capite 1.) & auribus percipe terra: fi-  
 lios enutriui, & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. Cognouit  
 bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui: Israël au-  
 tem me non cognouit, & populus meus non intellexit, &c. Et  
 in Hieremia cap. 5. Audi popule stulte, qui non habes cor: qui  
 habentes oculos non videris: & aures, & non auditis. Me er-  
 go non timebitis, ait Dominus: & à facie mea non dolebitis?  
 Qui posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum  
 quod non præteribit. Populo autem huic factum est cor in-  
 credulum & exasperans. Recesserunt & abierunt, & non di-  
 xerunt in corde suo: Metuamus Dominum Deum nostrum,  
 qui dat nobis pluuiam temporaneam & serotinam in tempo-  
 re suo, Tales querelæ multæ, inueniuntur in veteribus Pro-  
 phetis. Tantò diligentius debemus parabolam & similitudinē  
 istius Euangelij considerare, vbi omnia coniuncta habemus.  
 Dei gratiam & iudicium, & deindè etiam causam incitantem.  
 ad amo.

Vult Deus ti-  
 meri & ama-  
 ri.

Mala. 1.

ad amorem & timorem Dei. Agè, gratiæ opera duo indicata *Duo gratia*  
sunt in hoc Euangelio. Alterum erga Iudæos, alterum erga *opera.*  
Gentes. In Iudæis peculiaris gratia erat, quòd Deus illos pri-  
mò & præ omnibus alijs hominibus vocauerat ad nuptias sui  
Filij, hoc est, ad gratiam Euangelij & noui testamenti. Tum  
etiam in gentibus nihil aliud est quàm mera gratia, quòd po-  
steà sine omni præcedenti suo merito, cum Iudæi venire sole-  
bant, ad eiusmodi gratiã vocati sunt. Hæc duo gratiæ opera  
cõprehendit Paulus simul & vno verbo: Dico (inquit) Chri- *Rom. 15.*  
stum Iesum ministrũ fuisse circuacionis propter veritatem  
Dei, ad confirmandas promissiones patrũ: Gentes autè super  
misericordia honorare Deũ. Quod perinde ac si dicat, Iudæos  
pariter & Gentes vocauit ad gratiam Euangelij, sed tamen  
cum discrimine. Iudæos ex virtute suarũ promissionum, qui-  
bus veritatem suam probare voluit: Ethnicos verò, ex mera mi-  
sericordia. Quod Christus Iudæis primò gratiã suã obtulit &  
Euangeliũ, non tam propterea factum est, quòd id ex condi- *Act. 13.*  
gno meritis fuerint, quã quòd illis promiserat Deus. Et hoc  
alio in loco, vbi ad Iudæos ait: Vobis oportebat primũ lo-  
qui verbum Dei. Cæterum quòd Deus postea suos Apostolos  
ad Gentes misit, rursus id nõ eorũ meritis factũ est sed gra-  
tia mera fuit. Et hæc duo, gratiæ opera, Christus nobis in hoc  
Euangelio per duo conuiuarum genera ad nuptias inuitato-  
rum indicare voluit: omnesque homines adhortari ad confi-  
randum, qualis gratia sit, quòd nos non homo vulgaris, sed *Matth. 20.*  
Rex: uno non homo, sed Deus ipse vocauit, nõ ad solum labo-  
rem, quemadmodum alijs in locis fecit, sed ad nuptias. Nec  
nos vocauit ad iudicium, sed ad gratiam & nuptiale conui-  
uium: & non cuiusuis, sed vnici sui filij, quæ ipsemet tam dili-  
genter parauit, & omnia ea inuenimus, quæ ad animæ salu-  
tem & cœlicitatem seruiunt, nulla re excepta. Nam si non nisi  
magna sperantur, vbi Rex filio suo nuptias celebrat, quid  
igitur deesse posset, vbi Deus ipse hospes est? Serui mei co- *sa. 65.*  
medent (inquit in Isaia ad impios) & vos esurietis: serui  
mei bibent, & vos sitietis: serui mei lætabuntur, & vos con-  
fundemini: serui mei laudabunt præ exultatione cordis, &  
vos clamabitis præ dolore cordis. Agè, initium istius  
Euangelij sat gratiæ Dei nobis indicat: at sub id mox se- *Duo terribi-*  
quantur etiam duo nonnulla iudicia, quorum alterum iam *lia Dei indi-*  
pridem in Iudæis deprehensam est: alterum adhuc quotidie *cia.*

Luc. 19.

*Nō habemus  
vestē nuptia-  
lem*

Rom. 11.

Amos. 3.

deprehenditur in Gentibus. Iudæi venire volebant, aspernabantur oblatā gratiā Christi, nō sustinebant de ea audire, persequabantur Prophetas, calūniabantur & expellebant Apostolos, crucifigebant filiū Dei. Proinde Deus milites suos Romanos illis immisit: fuit eos occidi, & ciuitatē eorū vnā cū tēplo flāmis absumi. Quē admodū id ipsum illis prædixerat, cū ante passionē suā flens Hierosolymam intraret. Et hoc est vnū iudiciū Dei, quod nobis Euangeliū istud ob oculos ponit. Horribile iudiciū, quod meritō nobis metū incutere debebat. Et tamē nemo dicere potest, Iudæos indigna passos: quandoquidē ingratitudo ipsorū tanta fuit. Cū altero iudicio res eorū modo habet. Nos ex gentibus inuitati sumus, ad nuptias Christi venimus: gratulamur nobis, quod ad tantū honorē & bona vocati sumus. Hoc autem in plerisq; nostrū desideratur, quod non venimus & non gerimus nos, sicuti decet in domo & in mensa talis regis, & apud tam honestos conuiuas. Manemus in laceris nostris vestibus, perseueramus in impia nostra vita, nullā meditatur emendationem, non reueremur Deum, nil pudet nos coram mundo seu hominibus, Deum ignominia afficimus, domum eius dehonestamus, & offendimus omnes eos, qui nobiscum in mensa sedent. Sed quomodo Deo hæc res probari potest? Crede mihi, rex veniet, & conuiuas suos inuifet: vitam nostram impiā iusto dānabit iudicio: a facie sua nos repellet, & ligatis manibus ac pedibus iā exteriores & æternas tenebras proijciet. Hoc omnibus falsis, crudis & leuib; Christianis minatus est: & tā certō tale iudicium super eos veniet, quā certō Iudæi suum iudiciū iam pridem acceperunt. Atque hæc duo iudicia docet nos etiam Paulus simul cōsiderare. Vide (inquit) bonitatem & seueritatē Dei: in eos quidē qui ceciderūt, seueritatem: in te autem bonitatē Dei, si permāseris in bonitate: alioqui & tu ex cidēris. Nam si Deus naturalibus ramis non pepercit, nec tibi pareet. Hoc modo habemus in isto Euangelio duo gratiæ opera, atque etiam duo iudicia, & duplicem pœnam. Iudæos & Gentes Deus ad Christū vocauit. In Iudæis & Gentibus inultum non finet, si ingrati sint pro sua gratia, vel si ea malē viuendo abutantur. Hæc nobis dicta existimare meritō debemus. Christus nō frustra tot vsus est verbis, quia propter nemo se ipsum fallat, Leo rugit, quis non timebit? Deus minatur nobis iudicium, quis non moueretur? Deus nobis suam præstet gratiam. Amen.

## TERTIVS SERMO DE

*prima parte istius Euangelij.*

**L**E G I M V S in Matthæo, quod Christus statim ante istud Euangelium, sententiam & iudicium in Iudæos tulit & pronuntiavit, quod reijciendi essent & excæcandi, quin etiam regnum Dei ab illis tollendum. Eadem quoq; annuntiat illis in hoc Euangelio: vtrobq; tamen causam indicat, quam ob rem illos non solum temporaliter puniuerit, sed etiam spiritualiter reiecerit, in illis suam gratiam & lumen subtraxerit, nec non regnum Dei ab eis substulerit. Alioqui enim nihil est, quod carnalem hominẽ facilius offendit, & quod minus intelligit quã si audiat, quod Deus quosdam excæcet seu reijciat, aut gratiam illis suã & regnũ subtrahat. Hic talis homo quã primũ incipit cogitare, quod Deus improbos immeritò puniat, subtrahendo illis gratiã eòsque excæcando: & hoc modo imputat Deo iniustitiam, quæ tamen manifesta Dei blasphemia est. Nemo enim iudiciũ Dei conari debet humana ratione explorare. Viã meã (inquit) non viã vestrã: neq; cogitationes meã, cogitationes vestrã. Imò sicut exaltantur cœli à terra, sic exaltatã sunt viã meã à vijs vestris. Habent mundi regentes sua iudicia torturas, gladios, cruces, ignes, aquas, aliãque quibus maleficos puniunt, & nemo dicit eos iniustè facere: sciunt enim omnes, qd non iudex, sed peccatum & maleficium hominem cõdemnat. Quamobrem igitur nõ etiam Deo permissum sit, quod homini permissum est? Aut quomodò pro iniustitia imputare potes si armis suis, palis, crucibus, gladijs, &c. hoc est fame, bello, pestilentia, quin etiam erroribus & excæcatione contra suos inobedientes vtatur? Graue quidem & horribile iudicium est, quod à Iudæis regnum Dei ablatum est: verũ si præcedens culpa consideretur, fateamur oportet iustum iudicium esse, & quod non Deus, sed illi se ipsos potissimum excæcarũt, dum lucem recipere noluerunt. Quemadmodũ Ioannes de illo dicit: In propria venit, & sui eum non receperunt. Et Christus ipse: Lux (inquit) venit in mundum, sed homines magis dilexerunt tenebras quã lucem. Qua de causa semper cum Dauide dicere debemus: Iustus es Domine, & iustum iudicium tuum. Et cum Daniele: Tibi domine iustitia, nobis autem confusio. Et cum Sapiente: Quis dicet tibi Domine: Quid fecisti? aut

Matth. 21.

Matth. 12.

Esa. 55.

Ioan. 1.

Ioan. 3.

Psalm. 118.

Dan. 9.

Sapi. 12.

quis stabit contra iudicium tuum, aut quis in conspectu tuo veniet vindex iniquorum hominū? quomā iam iudicans das locum in peccatis pœnitentię. Si enim inimicos seruorum tuorum, & debitos morti, cum tanta cruciasti attentione, & liberaſti, cum quanta diligentia iudicaſti filios tuos? Cum ergo inimicos noſtros multipliciter flagellas, facis id propterea, vt bonitatem tuam cogitemus iudicantes: & cum de nobis iudicatur, speremus misericordiam tuam, &c. Ex his vides iam quid homo probus ex iudicijs Dei deſumere debeat. Hęc ideo pro initio iſtius ſermonis dicere volui, ne quis Deum iniuſtum cenſeat, quando audit, quòd Iudęos non ſolum temporaliter puniuerit, ſed etiā regnum Dei ſubſtulerit ab eis. Sed iam verba iſtius Euāgelij audiemus, & paulò diligentius inquiremus. Dicit ergo

**Matthæus** hunc in modum: Et reſpondens Ieſus dixit iterum in parabolis, eis dicens: Simile factū eſt regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio ſuo, &c. Hęc ſimilitudo aptè illi cohæret & quadrat, quam Matthæus in ipſo fine viceſimi primi capituli ſcripſit. Iſtic enim dicit Chriſtus, fore vt regnum cœlorum à Iudæis tolleretur, & daretur Genti faciēti fructus eius. Hic autem loquitur Chriſtus amplius & clariuſ de euſmodi re: indicans quis ille ſit populus, cui nunc regnum Dei datū eſt, & quomodò aut qua de cauſa Iudæi ſint eiecti. Illic eis obijcitur quid illis Deus antiquitus magnoꝝ beneficiorum exhibuerit ac fecerit: hęc autem indicatur, quòd illis Deus, cū iam omnes eius ſeruos ſumma affeciſſent cōtumeſtia & occidiſſent, non tamen ceſſabat benefacere: & ita, vt iam primū eos ad nuptias vocaret filij ſui, iſq; ſummū deferret honorem, cū eos merito ſummè, & cū omni indignatione viciſci potuiſſet. Verū tamē apertè illis oſtendit, hanc poſtremā eorū vocationem fore, vt ſi cōtempturi eſſent, nihil eis expectā dū eſſe, præter certa adnauerſionē. Dixerat hoc illis quidem etiā antea, & non ſemel: cæterū fruſtra, quòd ad eos: nō tamen ceſſabat illud iterū cōmemorare, docens hoc pacto exēplo & opere, quod Paulus deinde verbis ad ſuum diſcipulum ſcripſit: Prædica verbum, inſta oportunè, importunè: argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina, &c. Per hoc oſtendens, nō protinus deſperandum de ſalute peccatoris eſſe: ſimūlque Paſtores docens, ne munus ſuum intermittant, etiam ſi videāt, ſe parum fructus facere & fruſtra laborare. Iam vt ad parabolaſ veniamus, quam Chriſtus in hodierno Euangelio narrant: Simi-

**Matthæus. 22.**

**2. Tim. 4.**

rat: Simi-

rat: Simile (inquit) factum est regnum cœlorum homini regi,  
 qui fecit nuptias filio suo. Prima hæc verba statim nobis indi-  
 cat, misericordiam Dei in hoc Euāgelio prædicari. Hunc enim *Scriptura cō*  
 morē obtinet Scriptura, quādo Dei iram, iudiciū & animaduer *suetudo. q̄m*  
 sionem describere vult, comparat illū leoni, aut alij terribili fe *parat*  
 ra, vti in Amos videre est, sic inquiente cap. 3. Leo rugit, quis *mi*  
 non timebit? Dñs locutus est, quis nō prophetabit? Et Isaias cap. *mi*  
 31. Quomodò si rugiat leo, & catulus leonis super prædā suam,  
 cum occurrerit ei multitudo pastorum, à voce eorum non for- *Thre. 3.*  
 midabit, & à multitudine eorū nō pauebit: sic descēdet Domi-  
 nus exercituū, &c. Sic etiā queritur Hieremias: Vrsus insidians  
 factus est mihi: leo in absconditis, &c. Cæterum vbi Scriptura *psalm. 17.*  
 Dei bonitatem indicare vult, ibi comparat eum homini. Vt  
 enim vertimus nos, sic etiam vertit se Deus. Si homines, su-  
 mus, & viuimus ceu rationales creaturæ, homini comparatur:  
 cæterum si efficiamur moribus belluæ, fit & ipse nobis terribi-  
 lior omni leone aut vrsō. Quemadmodum David de illo dicit:  
 Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris. *Exordiū no-*  
 Cum electo electus eris, & cum peruerso peruertēris. Rex (in *ptiarū Chri-*  
 quit Christus) fecit nuptias filio suo. Hæ nuptiæ cœperunt *sti.*  
 in vtero beatæ virginis Mariæ, vbi diuina & humana natu-  
 ra in Christo coaluerunt, ita vt duæ illæ naturæ, Deus & ho-  
 mo, vna persona & vnus Christus facti sint. hæc coadunatio  
 (inquam) initium est omnis boni. Per eam enim Christus nobis  
 omnibus amicitia iunctus est, & frater noster factus, vnius na-  
 turæ & sanguinis vnius, &c. Verum hoc cōtentus non fuit, sed  
 quemadmodū primò naturā nostram in vnitatem suæ personæ  
 suscepit: ita postea totū humanū genus (quātum in ipso erat)  
 suscepit, & sibi ipsi spiritualiter, quin etiā indissolubiliter coa-  
 dunauit, & ita vt omnia tam bona quàm mala, dempto pecca-  
 to, cum illis cōmunia habere velit, idque iuramēto cōfirmavit,  
 & confestim ipso facto impleuit: omnia mala quæ habeba-  
 mus, in se suscepit, & in seipso mortificauit, contrā verò om-  
 nia bona quæ habebat, nobis dedit, ac donauit, suscepitque  
 nos præterea, & fecit suos cohæredes. Hæ sunt nuptiæ,  
 quas Deus pater suo filio Christo parauit & fecit: ad has nu-  
 ptias primū Iudei vocati erant. Abrahæ eiúsque semini promif-  
 siones factæ sunt, inquit Paulus Et iterum Rom. 9. Illorū erat  
 adoptio filiorū & gloria, & testamentum, & legislatio, & ob-  
 sequium, & promissa, & ex illis est Christus. Ob hoc etiam dicit *Gal. 3.*

- Matth. 15.* in Euangelio, se non misit nisi ad oves quæ perierant domo, Israël. Et Petrus Act. 3. Vos (inquit) estis filij prophetarum & Testamenti quod disposuit Deus ad patres nostros, &c. Ad hos inuitatos Christus primum misit seruos suos, cum verbum Dei ad Ioannem fieret in deserto, & ipse omnibus in locis ad Iordanem prædicaret & clamaret: Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnũ Dei. Deinde cum mitteret Apostolos suos Matthæi 10. cum eo mandato: In viam Gentium ne abieritis: sed potius ite ad oves quæ perierant domus Israël, dicentes: Quia appropinquauit regnum cœlorum, &c. Item cum septuaginta duos discipulos mitteret in omnes ciuitates & loca, ad quæ venturus erat. sequitur in textu. Et nolebant venire. Non velle venire, quando nos vocat Deus, non est peccatũ ignorantia: aut infirmitatis, sed voluntaria & obstinata malitia & retractarij animi. Quemadmodũ in Iob de hominibus impijs habetur, & sint rebelles lumini. Per hoc indicat Christus, & ex nulla ignorantia: sed ex mera malitia peccabant. Quemadmodũ id etiã alijs in locis obijcit, vbi ait Matth. 11. Cecinimus vobis, & non saltastis: lamentauimus, & non planxistis, &c. Sic etiam Dauid multo antè de hoc Iudaico populo cecinit & vaticinatus est Noluit benedictionem, & elõgabitur ab eo: dilexit maledictionem, & veniet ei. Attamen bonitas Dei non cessauit illos amplius vocare. Sic enim sequitur: Iterum misit alios seruos, dicēs: Dicite inuitatis: Ecce prandium meum parauit, tauri mei & alia occisa, & omnia parata. Hoc post passionem & resurrectionem Christi factum. Cum enim Apostoli Spiritu sancto repleti essent, primum mittebat eos Christus ad Iudeos vocare illos: cæterum cum maiore authoritate, quàm prius fecerat. Antea enim nihil illis mandabat, vt prædicarent, quàm quòd regnum cœlorum appropinquaret. Hic autem præcipit eis omnia clare & aperte exprimere & iudicare. Ecce (inquit) prandium meum parauit, hoc est remissio peccatorũ, iustitia, pax, gaudiũ in Spiritu sancto, vita, salus, adoptio Dei & æterna salus parata iam sunt & adsunt: hi cibi sunt, epulæ seu fercula istius conuiuij omnia pulchrã, iucunda & amœna supra omne aurum & argentum, & dulciora melle & fauo. In Euangelio Lucæ cœna vocatur, & non immeritò: quia vltimis primũ temporibus parata fuit. Hic autem vocatur prandium, eo quòd mysterium hoc etiam priori sæculo & priscais Patribus reuelatum sit. Vel aliàs prandium dicitur, tempus istius vitæ, à quo ingrati excludi &

excludi & eijci iterum possunt: in fine cœna erit, quàm nulla sequetur fames, & ad quàm nullus ingratus venire poterit. Vnde Lucas de nullo scribit, qui à cœna sit eiectus. Porro amplius dicit: Tauri mei & altilia occisa, perindè est ac si dicat: Magnos sumptus & Labores impendi, facite ne frustrà id fecerim. Quales autem sumptus & labores illi fuerint, indicat Paulus vbi de Christo dicit: Cùm in forma Dei esset, semetipsum examinavit in similitudinem hominum factus, humiliavit semetipsum & factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. *Phili. 2.* Tanti illi constitit, donec nobis conuiuium hoc parauit: id quod semper considerare debemus, nec vnquam permittere, vt res eò perueniat, vt frustrà passus sit. sicuti in Propheta de quorundam hominũ ingratitudine quæritur: In vacuum (inquit) laboraui: sine causa, & vanè fortitudinem meam consumpsi, &c. *Eesai. 49.* Sequitur: Et omnia parata sunt, intellige quæ ad felicitatem hominis pertinent. Quippè diabolus victus est, mors oppressa & occisa, cœlum apertum, ira Dei placata, & omnia parata. Quem autem verbum istud nõ meritò exhilararet? Quanto gaudio Patres antiqui verbum istud suscepturi fuissent, si illis audire contigisset? Erant quidem vocati, sed nondum omnia parata: imò futura quandoq; sperare cogebantur. Ideò meritò ad nos dicitur: Beati oculi qui vident quæ vos videris: nam multi prophetae & Reges voluerunt videre quæ vos videris, & non viderunt, &c. *Lut. 10.* Postremò dicit: Venite ad nuptias & conuiuium. Quid autem insanius, quàm si quis recuset, qui ad nuptiale gaudium & conuiuium inuitatur? Imò quem inuitatio hæc non accendat & exhilarat? Quid autem sancti Apostoli fecerunt aliud, quam quòd nos ad nuptias & conuiuium Christi inuitauerunt? Quid facit Paulus in Epistola ad Hebræos, quàm quòd indicat & probat, omnia parata esse, nihil nobis aliud restare, quàm vt propudiatis peccatis, cum fiducia ad thronum gratiæ accedamus: vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno? Sed audi iam quid benigna ista inuitatio apud filios Adæ profecerit. Illi autem neglexerunt, & abierunt: alius in villam suam, alius verò ad negotiationem suam. O homines infelices, qui ad tales nuptias inuitati sunt, & tamen villam potiore habent: ad quietem vocantur, & properant ad laboram. Quid enim omnes res temporales sunt aliud, quàm molestia, *Eccle. 2.* labor, & afflictio spiritus? Vnde condemnati in inferno quæ-

*Sap. 5.* rentur: Ambulauimus vias difficiles: lassati sumus in via iniqui-  
 tatis. &c. Non quidem malum est, in villam & ad negotiatio-  
 nem ire: ceterum tales nuptias negligere, summa insania est.  
 Sic ergo negligunt infœciles Adæ filij æterna propter tempo-  
 ralia: & quod ad salutem eorum facere debebat, id sibi ipsis, vt  
 fit impedimentum, faciunt: & tamen putant quod excusare sese  
 velint: sed nulla erit coram Deo excusatio, si propter alios salu-  
 tem tuam negligas. Sequitur: Reliqui verò tenuerunt seruos  
 eius, & contumelijs affectos occiderunt. His verbis annuntiat  
 Christus suis Apostolis, quod eadem à Iudæis passuri essent,  
*Matt. 23.* quæ antiqui Prophetæ à Patribus suis passi fuerant, id quod de  
 inde clarius dicit: Ecce (inquit ad Iudæos) ego mitto ad vos  
 Prophetas & Sapientes & Scribas, & ex illis occideris & cru-  
 cifigeris, &c. Sed audi quid sequatur. Rex cum audiuisset, ira-  
 tus est. Sanguis enim proborum & iustorum clamat ad cœ-  
 lum, veluti Deus ipse de Abel dicit. Sic etiam audiuit Iohan-  
 nes animas occisorum, clamantes ad Deum: & eiusmodi cla-  
 morem exaudit Deus. Et proinde sequitur, quod Rex, missis  
*Genes. 4.*  
*Apoca. 6.* exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum  
 succendit. Exercitus Dei erant Romani: ij enim erant execu-  
 tores iustitiæ diuinæ, licet & ipsi impij erant. Atque hîc vi-  
 des, quomodo Deus malis ad suum opus vtatur. Obserua autē,  
 quod non de vno exercitu loquitur, sed de multis: siquidem Iu-  
 dæi non solum gladio Romanorum, sed etiam fame & pesti-  
 lentia consumebantur. Hi sunt exercitus illi, quos Deus con-  
*Ezech. 38.* tra hostes suos mittit: quemadmodum etiam in Ezechiele ha-  
 betur. Sequitur: Et perdidit homicidas illos. Alio in loco dicit,  
 regnum Dei auferendum ab eis esse: indicans per hoc, quod  
 spiritualiter puniri debebant. Hic autem annuntiat illis etiā  
 temporalem pœnam. Vtranque enim pœnam meriti fuerant:  
 quandoquidem tam temporalia quàm spiritualia à Deo acce-  
 perunt, & tamen illis fuerunt abusi. Verum quod postremò di-  
*Rom. 2.* cit, Et ciuitatem illorum succendit, significat se illos fundi-  
 tus perditurum, quemadmodum illis sæpè interminatus fue-  
 rat. Ex his autem omnibus videmus, quā Deus sit longanimis,  
 & qualem thesaurum nobis seu cumulum diuinę irę cumule-  
 mus, si non facimus, vt bonitas eius ad pœnitentiam agen-  
 dam nobis inferuiat. Hæc nobis ad admonitionem scripta  
 sunt, ne in similia incidamus. Deus det nobis omnibus suam  
 gratiam, Amen.

Q V A R T V S S E R M O D E  
ultima parte hodierni Euangelij



N proximè præcedète sermone prima pars hodierni Euangelij, nimirum quantum ad Iudæos attinet, explicata est: atque hîc cum primis obseruandum quod textus dicit, fuisse illos antea inuitatos, & deinde primùm vocatos. Per hoc autem voluit nos Scriptura indicare, per quæ media suos inuitatos, hoc est, eos quos ab æterno elegit & præuidit ad salutem, & fœlicitatem adducat: nimirum per externam & oris prædicationem. Et hoc est contra eos, qui non solùm oris prædicationem sed etiam lectionem sacrae scripturæ reijciunt, & minimè necessariam iudicant. Quorsum opus (inquiunt) externa prædicatione, vel etiã verbo scripto? Scriptum est Ioã. 6. Christiani omnes docibiles erunt Dei. Tum etiam Dauid eum hominem beatum vocat, quem Deus docet & erudit. Non oportet (inquiunt) à scriptura aut lege, sed à Deo doctos esse. Deû audire debemus, & vocem eius cœlitus expectare. Si Deus olim sine externa scriptura & prædicatione ad antiquos Patres locutus est: quid ni etiam nunc possit? &c. Tales phanatici homines nunc inueniuntur, qui nullum scriptum aut prædicatû verbum curât: sed volunt solùm, & sine omnibus medijs à Deo doceri. hinc effingunt nouas suas reuelationes, iactitant Spiritum & occultum eius afflatum: fallunt & decipiunt seipfos, & alios homines. Cæterum tu bone Christiane, omni diligentia cauebis tibi à tali errore & amentia, si modò nolis seduci. Diabolus enim talia molitur, quò nos à salute nostra abducatur, &c. Quis enim nescit, quod nos Deus etiã absq; exteriori & corporali cibo cõseruare possit: quæadmodû in Mose & Elia monstrauit: nemo autè propterea cõténit pané. De<sup>o</sup> plerûq; sua opera etiã efficit per media: pascit nos, sed pané: creat nos, sed per mediû nostrorum parentum: largitur nobis suum Spiritum, sed per annunciationem & obedientiam sui Euangelij. Hoc dicit Paulus apertè, Fidè esse ex auditu: fides autem est fructus Spiritus sancti. Porrò alio in loco dicit, quos ab æterno ad fœlicitatè præuidit eos in tempore vocasse & quos vocauit, eos etiam iustificasse. Et iterum: Euangelium audiuitis, in quo & credètes signati estis Spiritu promissionis sancto: etiam visibiliter seu sensibiliter super omnes, eos, qui Petrum audiebant loquentè.

In quorûdã  
errores.

Psal. 93.

Deus per me-  
dia opera-  
tur.

Rom. 10.

Gal. 5.

Rom. 8.

Eph. 1.

Acto. 10.

Vt ergò irrisio Dei esset, si quis panem habear, & illo non uti-  
iur, sed expectet, donec illum Deus cœlitus pascat: ita etiam  
Deum tentare est, si quis scripturam & prædicationem habere  
possit, nec illis tamen uti velit: sed expectare & existimare Deū  
docere se cœlitus oportere. Ideò dixi, ne quis prædicationem  
aut Scripturam sacrā contēnat: sed omnes sciāt, cōmunia esse  
media, per quæ nos docet Deus. Non refert, si Spiritū sanctū  
non semper ita statim sensibilibiter accipias: nouit suū tempus  
quando venire & operari debeat: tu tantummodò cura, ne me-  
dia contempnas, per que Spiritus sanctus datur. Sed hæc missa  
facio, reliq̄ quoq; hodierni Euangelij partē audiemus. Sequi-  
tur. Tunc ait Rex seruis suis: Nuptiæ quidem paratæ sunt. sed  
qui inuitati erant, non fuerunt digni, &c. Ex hisce verbis habe-  
re possumus, quòd quidem Dei promissiones ad multos ho-  
mines sunt, sed in paucis implentur: causa est ingratitude no-  
stra, & indiligentia. Sic Israëlitarum sexcenties mille viri  
promissionē acceperāt for, vt in terram Chanaan venirent:  
postremò tandē nō nisi duo inuenti sunt, in quibus promissio  
impleta fuit. Quid autē impedimēti fuerit, q̄ maior illa turba  
non etiā in terrā promissam venerit, indicat Scriptura: erat ni-  
mirū incredulitas eorū & inobediētia ac rebellio: nō credebāt

*Num. 14.*

Deo, q̄ terrā obtinere possent, & ob id incipiebāt, volebāntq;  
redire in Aegyptū. Hæc causa erat, quā ob répromissio in illis  
non implebatur. Sic erat etiā toti Israëlitico populo salus per  
Christum promissa, cæterum in eorum paucis impleta fuit.

*Psal. 131.*

Secundò in textu indicatur, quòd promissiones Dei certæ,  
firmæ, irreuocabiles maneant, etiam si desciscant ab ea, quibus  
eiusmodi promissiones factæ sunt. Sic Deus Dauidi promise-  
rat, se daturum de fructu ventris sui Christum, qui in ipsius  
sede æternum sederet. Verum cum Dauid in Vriā & vxorem  
cuius deliquisset, & deindè etiā à proprio suo filio pulsus esset,  
omnes putabant, Deum promissionem suam reuocaturum:  
sed firma mansit. Vnde & Dauid ipse orabat, vt promissioni-  
bus suis vinceret, si quando ab hominibus iudicaretur. Perin-  
dè ac si diceret: Domine da & serua, quod mihi promisisti: non  
quòd dignus sim, sed vt omnes homines videāt, te iustum esse  
& veracē in tuis verbis. Sic Abraham & semini eius benedictio  
per Christum promittebatur: & quanquàm posteri eius Chri-  
stum acceptare volebant, non tamen propter eā Deus promif-

*2. Re. 11.*

*Psal. 50.*

*Rom. 3.*

siones sua reuocabit. Nunquid incredulitas illorum fidem  
Dei

Dei euacuabit, inquit Paulus? Absit. Manet enim Deus verax, vt maximè omnes homines per se sint mendaces. Scit, quomodo & in quibus promissiones suas implere debeat. hi si recusant, nouit alios: si nati non sunt, efficere potest vt nascantur. Iudæi sibi ipsis persuaserant Dei promissiones ad se tantum & genus ipsorum pertinere: credebantque eas in ipsis solis impleri oportere. Hinc fiebat, quòd toties se filios Abraham & Dei iactabant. Sed hanc tam præsumptuosam illorum fiduciam aufererat illis Iohannes Baptista vno verbo, vbi ait: Deum esse tantum potentem, vt etiam ex lapidibus Abraham filios facere posset. Id quod & fecit: ex Paganis enim, qui lapidibus duriores erant. Abraham filios fecit, in quibus adhuc in hodiernum suas promissiones implet. Hoc igitur modo ex Iudæorum incredulitate & pertinacia, salus ad Gentes peruenit, & eorum defectio nobis proficua fuit, &c. Iudæi haud cogitabant, promissionem Dei in Gentibus implendam esse. Atamen factum id est. Quæ res merito nobis terrorem incutere debet. Quamquam enim promissio Dei firma & infallibilis est, nescimus tamè, in quibus impleatur. Enimvero videmus, quòd etiam maior pars Gentiùm, quæ primæ Euangeliùm acceptauerant Christi, imò penè omnes ij, ad quos Paulus suas Epistolas scripsit, iterum à fide deficiuerint. Veruntamen licet tales in promissionibus Christi nullam ampliùs partem habeant: habet Deus alios, & plures quotidie inuenit, in quibus promissiones suas impleat. Quod autem illis accidit, id etiam accidere nobis potest. Si Deus promissa sua seruare potest, etiamsi maior pars mundi ab ijs defecerit: poterit illa utique etiam seruare, etiamsi nos proteruos Germanos quoque reijciat. Quapropter semper in memoria habere debemus verbum illud Pauli, vbi ait: Noli altum sapere, sed time: nam si Deus naturalibus ramis non pepercit, sed recidit, fortè nec tibi pareet. Vide ergo bonitatem & seueritatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt, seueritatem: in te autè bonitatem Dei, si permaneris in bonitate: alioquin & tu excideris. Tantum hac de re. Nuptiæ (inquit Rex) paratæ sunt: sed qui inuitati erant, non fuerunt digni. Verissimum est. nã si nos ipsos consideramus, nemo nostrum tali gratia per se dignus est: quandoquidem hac in parte non nostra dignitas, sed Dei misericordia precipuùm locum habet. Nõ ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos (inquit Paulus) sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit Deus. Nihilominus Deus eos ho-

*Psal. 115.*

*Ioan. 8.*

*Matt. 3.*

*Rom. 11.*

*Noli altum sapere sed time.*

*Ibidem.*

*Tit. 2.*

- mines sua gratia dignos iudicat, qui illi fideliter seruiunt, grati sunt, & sincera ei fiducia & charitate adhærent. Tales homines (inquam) omni bono dignos iudicat. Nam quicumque honorificauerit eum, hunc vicissim glorificabit. E diuerso omnes eos sua gratia indignos censet, qui illi fideliter nō seruiunt, aut ingrati sunt, & per fidem & charitatem illi non adhærent. Eāque ob rem dicit diuus Paulus ad Iudæos, quòd se ipsos per incredulitatem & inobedientiam, & rebellionem suam indignos diuina gratia facerent, quibus tamē Deus præ alijs omnibus hominibus prærogatiuā dederat. Ite (inquit Rex ad suos seruos) ad exitus viarum: & quoscūq; inueneritis, vocate ad nuptias. Hoc postea factum & impletū est, vbi Christus ad suos discipulos dicebat: Euntes in orbem vniuersum, prædicate Euangeliū omni creaturæ. Non sine causa autem habetur hîc, quòd miserit eos ad omnes exitus viarum. Quis enim nescit, qualis olim inordinatio apud gentes fuerit, quam multæ viæ, linguæ, sectæ, errores, superstitiones, ritus seu mores fuerint? Vnde & Rex Dicebat, Ite ad exitus viarum. Hoc miseris nobis peccatoribus magnum præbet solatium, quòd Deus neminem reijcit ob priora commissa, si modò ad præsentem vocationem respiciat & expergeat, & eam probè sequatur. Hoc ergo pacto sancti Apostoli ad nos, qui aliquandò Ethnici eramus, venerunt, annuntiaueruntq; nobis quòd ex iussu Dei nobis primùm annuntiare debebant: nimirum quòd omnia parata, empta & acquisita sint, quæ ad salutem nostram pertinent. Talibus verbis, talibus promissis, tali Euangelio Apostoli traxerunt nos, vt ad Christum accurrerimus: atque etiamdū illum sequimur, & currimus in bono odore istius vnguenti. Oramus cum amate anima: Domine trahere me post te. Gratias agimus cum sancto Dauide: Paraisti Domine in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me, &c. Sic igitur nuptiæ impletæ sunt, mensæ occupatæ, & cœlestis Regis voluntati satisfactum, vt sumptus non inanes fuerint, nec Christus frustra passus sit. inuenti quippè iam indè ab initio sunt, qui magna cupiditate & gaudio ad has nuptias venerunt: sed tamen non omnes. paulò enim post scriptum est: Congregauerunt malos & bonos. Non enim omnes boni sunt, qui ad has nuptias & ad Euangelium & gratiam Christi veniunt. Sancta Ecclesia huius temporis, agro comparatur, qui inter bonum triticum etiam multum lolij fert, quod tempore messis in ignem projicietur.

Imò Eccle.

Imò Ecclesia huius temporis, est veluti hórreum seu area, vbi paleis siligo mista est, donec ventilabro separentur. Ventilabrum autem erit sententia, quam Christus summus iudex in extremo die super bonos & malos pronuntiabit. Interea temporis misti manent, vt alius ab alio non facile dignosci possit. Imò sæpè fit, vt mali primum habeant accubitus, & pro optimis habeantur. Cæterùm vbi Rex venerit, tum occultæ cordis cogitationes reuelabuntur. Tum fatuæ virgines à prudentib<sup>9</sup>. fideles serui ab infidelibus, boni Christiani à falsis, oues ab hœdis dignoscentur. Et quid amplius? Nunquid tantummodò dignoscentur? Imò tum implebitur quod Deus in Dauide dicit ad vnumquemque hominem impium: Arguam te, & statuam contra faciem tuam peccatum tuum. Et quod Deus in Isaia cap. 42. dicit: Tacui semper, & filii, nunquid æternùm filebo? Sicut parturiens loquar: dissipabo & absorbebo simul. Desertos faciam montes & colles, & omne gramen eorum exiccabo, &c. Nam quando Deus incipit cum suo iudicio loqui: tum omne quod viride videtur, hoc est, sola externa species exarescit, & omnes aquæ exiccantur, hoc est, nulla rerum temporalium abundantia proderit quicquam. Quid ergo Rex dicet? Amice quomodò huc venisti, vestem nuptialem non habens? Hîc vide quid in homine isto reprehendatur, nimirùm quòd veste nuptiali non fuerit indutus. Quæ illa nuptialis vestis est, in qua nobis tam multum situm est, quòd qui ea indutus est, hunc Deus agnoscit pro suo filio: qui autem ea non est indutus, hunc inter suos filios nec habere, nec nosse vult? Vestis est de qua Paulus dicit: induite Dominum Iesum Christum. Et iterum: induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est, in iustitia & veritate sanctitatis. Duobus autem modis Christum induimus. Primò, quando per veram pœnitentiam peccata nostra, culpam & inobedientiam castigamus, & illius iustitia, meritis & obedientia expiamus. Deinde & secundò, quando exemplum charitatis illius sequimur, quemadmodùm in vltima cœna docet: Nouum mandatum (inquit) do vobis, vt vos inuicè diligatis, sicut ego dilexi vos. In hoc cognoscēt omnes quia discipuli mei estis, si dilectione habueritis ad inuicem. Et Paulus: Induite viscera misericordie benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes inuicem: & donantes vobismetipsis, sicut & Christus donauit vobis, &c. Hæc nuptialis vestis est: & qui tali veste in-

*Ventilabrum.*  
*Matth. 25.*

*1. Corint. 4.*

*Psal 49.*

*Vestis nuptialis, Christuse.*  
*eius imitatio*

*Rom. 13.*

*Ephe. 1.*

*Ioan. 13.*

*Col. 3.*

*Psal. 93.  
Psal. 49.*

dutus non est, is haud dubiè audiet quod ad hominem hunc dicebatur: Amice, quomodò huc venisti, vestem nuptialè non habens? Hoc perindè est ac si dicat: Ego quidè fidelè me tibi amicum exhibui, & è tenebris eduxi te: tu verò sola fide contentus: præ te tulisti quidem amicū, reuera tamen hostis meus es & aduersarius. Quomodò igitur hic intrare fuisti ausus? An ignoras, prædium hoc non canibus, sed filijs apparatus? Non tu meà extimuiſti iram? An nescis quòd ego sum Deus vltionū, qui reddo retributionem superbis? aut existiſtaſti quòd ero tui ſimilis? id eòne os tuum abundauit malitia, & lingua tua concinnavit dolos? Sedens aduersus fratrem ſuū loquebaris, & aduersus filium matris tuæ ponebas ſcandalū, &c. Hæc feciſti & tacui: arguam te, & ſtatuam contra faciem tuā. Sed dura valde hæc erit ſententia. Et ob id mox ſubiicit Dauid: Intelligite hæc qui obliuiſcimini Deum: nequando rapiat, & non ſit qui eripiat. Hoc dictum ſibi quilibet exiſtimet. Quando te tua arguit conſcientia peccati alicuius mortiferi, perindè ſit tibi ac ſi dicatur ad te: Amice quomodò te Chriſtianum appellare audes, & tamen nihil cum Chriſto commune habes? Quomodo oculos tuos ad cælum attollere audes, qui Deum in cælo blaſphemas? Quomodo tu te inter filios Dei numerare & collocare audes, qui adeò durus es & immiſericors erga miſeros filios Dei? &c. Hæc querimoniam & caſtigationem quando in tua conſcientia ſentis, feſtina peccata tua pœnitentia & confeſſione ſacramentali regere. Poſteſt enim dum uiuis, huic rei adhuc conſiliū reperiri. Illic nullum amplius remediū erit. Propterea ſequitur in Euan-gelio, quòd miſer homo obmuteſcebat, non poterat ſe excuſare, nec gratiam rogare poterat. Siquidem coram iudicio Dei nulla proderit excuſatio: nec erit locus amplius & tempus gratiam eius impetrandi. At quid homo poteſt, cui omnis excuſatio atque ſpes gratiam impetrandi adempta eſt, aliud expectare, quàm ſententiã æternæ condemnationis? Quapropter mox ſequitur: Tūc dixit Rex miniſtris: Ligatis manibus & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores. Dura indubiè & horribilis ſententia, Ligate illi manus, ne ſalutē ſuam amplius querere & operari poſſit. Poſt hæc enim tempora nemo amplius bonum operari poterit. Ligate illi pedes, ne pœnam effugere poſſit. Quid ergo homine miſero reliquum ſit, qui neque bene agere, neque malum effugere poteſt? Eijcite eum è communione & conſortio ſanctorum, quibus hactenus uſus eſt, imò proj-cite eum

*Matth. 22.*

*Ligatur manus.*

*Ioan. 9.  
Pedes.*

cite eum in exteriores tenebras, quò pœna delicto sit æqualis. Internas tenebras vltro sibi elegit, externas tenebras cõtra animi sui voluntatem patiatur. Projicite eum in tenebras, vbi neque Deum neque fœlicitatem videre possit: ibi erit fletus & stridor dentium, internus & externus dolor ac pœna. Meritò flere cogetur, qui hîc flere volebat. Dentibus stridebit, qui hîc ad Deum clamare volebat. Hæc erit sententia cõtra malos & falsos Christianos. Ab hac liberare tum eos nemo poterit, nec miserabitur illorum quisquam: quin etiam misericordia illorum obliuiscetur, quemadmodum diuus Iob dicit. Sub hæc concludit Christus parabolã hanc: Multi enim sunt vocati, pauci verò electi. His indicat, quòd sententia ista cõdemnationis, non in vnũ tantum hominem feretur, sed in multos. Ais: Quid ergo nobis faciendum? Num animũ despondebimus, & desperabimus? Nequaqua. Sed quãdo audimus, quòd pauci homines salui fiant, tantò maiore adhibere debemus diligẽtiam, vt etiam in puñilo grege inueniamur. Sic enim faciunt quoq; ij, qui pro brauiis currunt. Quilibet inter illos hoc maiori conatu currit, posteaquam nouit, quòd non nisi vnus brauium obtinere possit. Idem & nos facere debemus: & in hunc finem parabola hæc dicta & scripta est. Deus det nobis omnibus suam gratiam, Amen.

*Tenebra.**Fletus.**Stridor dentium.**Iob. 24.**I. Cor. 9.*

DOMINICA VICESIMASECVNDA POST  
PENTECOSTEN, EVANGELIVM SANCTI IOAN.  
CAP. IIII.

ERat quidem Regulus, cuius filius infirmus habebatur Capernaũ, Hic cum audisset quòd Iesus aduenisset à Iudæa in Galilæã, abiit ad eum, & rogabat eum, vt descenderet ac sanaret filium ipsius: siquidem is agebat animam. Dixit ergo ad eum: Nisi signa & prodigia videritis, non credetis. Dicit ad eum Regu-

*Matth. 9.  
Mar. 5.*

lus: Domine, descende priusquam moriatur filius meus. Dicit Iesus: Vade filius tuus viuit. Credidit homo sermoni, quem dixerat ei Iesus, & ibat. Iam autem eo descendente, serui eius occurrerunt ei, & nuntiauerunt, dicentes: Filius tuus viuit. Sciscitatus est ergo horam ab eis, in qua melius habuisset. Et dixerunt ei: Heri hora septima reliquit eum febris. Cognouit ergo pater, quod illa hora erat, in qua dixisset sibi Iesus, filius tuus viuit. Et credidit ipse & domus eius tota.

E A D E M D O M I N I C A  
E P I S T O L A S A N C T I  
P A V L I E P H E S. VI.

**F**RATRES: Sitis fortes per Dominum, perque potentiam roboris illius: Induite totam armaturam Dei, ut possitis stare aduersus assaultus diaboli. Quoniam non est nobis lucta aduersus sanguinem & carnem, sed aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus mundi dominos, heretores tenebrarum seculi huius, aduersus spirituales astutias in caelestibus. Quapropter assumite uniuersum armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, & omnibus periculis stare. State igitur lumbis circumcinctis balteo: per ueritatem, & induti thoracem iustitiae, & calciati pedibus, ut parati sitis ad Euangelium pacis: super omnia assumpto scuto fidei, quo possitis omnia iacula mali illius ignita extinguere. Galeamque salutis accipite, & gladium spiritus, qui est uerbum Dei.

## P R I M V S S E R M O D E

## Euangelio in genere



**H**ODIERNVM istud Euágelium & pulchrum & breue colloquiũ habet, quod Christus aliquando habuit cū Regulo quodã seu potète. Euangelista nominat eũ Regulum, fortè nobili, aut comiti, nostri temporis parè personam spectabilem & claram coram mundo. Veruntamen is deprehendebat in sua domo, in suo filio, quod neq; eius potentia, neque diuitiã, neq; nobilitas eius & profapia, vel etiam propinquorum multitudo arcere poterat. Apud Christum auxilium quærere eum oportebat: atque istic etiam illud inueniebat. Hæc occasio erat istius colloquij, quod tamen paucis verbis transigebatur. Regulus bis loquebatur, Christus bis respondebat. Hæc duo vtilia nobis facere possumus, si volumus. Si nescis quomodo cū Deo colloqui debeas, hîc potes id discere. Si nescis quid de Deo sperare debeas, hîc nimirum videre id potes. Regulus vt dixi, fuit magnæ opinionis persona corã mundo: attamen quantumuis nobilis, quantumuis diues, quantumuis potens erat, vbi cum Christo loqui debebat, neq; suæ nobilitatis memor erat, neque suæ potentia, neque suarum diuitiarum, neq; suæ profapia. Quid ergo? Orabat atque obsecrabat. Et hic verus modus est cum Deo agendi & loquendi, humiliare sese & ardentè orare: quærere, pulsare: idque totum ex animo & perseueranter. Sed non potest hoc & facit quilibet, ideoque sæpè manu vacua domum reuertimur. Postulatis (inquit sanctus Iacobus) & nihil accipitis, quia non rectè postulatis. Videmus in mundi filijs, quòd eundem fastum exercent coram Deo, quemadmodum alioqui eum exercent coram mundo, quasi Deus ob illorum fastum, nihil ab eis deuegere auit: aut quasi non legerint, quòd Deus superbis resistat, humilibus autem det gratiam. Non frater. A mundo & ab hominibus aliquid vt incetretur, non omnino nihil facit nobilitas, diuitiã, seu potentiã: talibus enim hominibus nihil quis audeat denegare, nisi indignationem & inimicitias expectare lubeat. Cæterum Deus non curat neque diuitias, neque potentiam, neque generis claritudinem. Non enim subtrahet personam cuiusquam Deus, qui est omnium dominator: nec verebitur magnitu-

Regulus

i. cõs. de v. h. i.

Ioan. 41

Luc. 11.

Iacobi. 6.

1. Pet. 5.

Sap. 6.

dinē cuiusquā, quoniam pusillum & magnū ipse fecit, & æquā  
 liter cura est illi de omnibus. Nullius timet hominis poten-  
 tiam, nec cogere eum quisquam potest, nec opus habes cēpen-  
 satiōe. Quapropter quò quis humilior venit, hoc citius quod  
 petit consequitur. Spiritus nāque contribulatus illi acceptum  
 sacrificium est: & cor contritum & humiliatum nunquā des-  
 piciet. Hoc Regulus iste intellexerat, & ita intellexerat, vt cū  
 gaudio in domum suā, reuenteretur, qui tanta cura & sollici-  
 tudine exiuerat, & Christum fuerat secutus. Abi ergo ô bone  
 Christiane, & tu itidem fac. Si ad Deum accedere vis, eius gra-  
 tiam & auxilium impetrare, depone, & domi relinque quibus  
 homines fidunt, bona tēporalia potentiā, honorem, diuitias,  
 &c. Nec propriæ perfidas iustitiæ: pone philantiā, Dei potissi-  
 mū fidas gratiæ, ita nudū te coram illo statue, indica illi ne-  
 cessitatē tuā in bona ac pia fiducia, effunde corā illo animam  
 tuam, quemadmodū S. David faciebat: clama, ora & obse-  
 crasti, ne deterreare, nec moram ægre feras: & non dubita, te  
 æquē magnam orandi causam habere atque ille Regulus ha-  
 bet. Et si enim filium ægrotū non habes, animam tamē ægro-  
 tā habes, qua multò maioris momēti est. Quapropter semper  
 dicas, domine veni antequā filius meus, anima mea moriatur.  
 Sic orabat etiā David: Inclina dñe ad me aurē tuū: accelera vt  
 eruas me. Quod si feceris, senties nimirum quod Regulus iste  
 sentit. Vade (inquit Christus ad illum) filius tuus viuit, & est  
 sanus. Hoc erat responsum: quod illi tandē Christus dabat:  
 quod quidem seriū s, sed tamen sat in tempore fiebat. Princi-  
 piò Christus seuerum nō nihil & inhumanum sese exhibebat,  
 faciebat perindē ac si neq; illū audire, neq; opitulari filio eius  
 vellent: sed tamen faciliē ea seueritatē remittebat. Austeritatem  
 suā verbis tantummodò declarabat. Non creditis (inquit) nisi  
 videatis signa & prodigia. Hiscē quidem verbis arguit imbe-  
 cillitatem fidei Regulis, sed tamen nō propterea prorsus reie-  
 cit eum. Quò verbum istud seuerius erat, hoc sequēs verbum  
 magis consolatorium erat. Imò non solum verbum erat, sed  
 ipsum opus simul sequebatur. Vade, inquit, filius tuus viuit.  
 Et in illa hora & momento sanabatur. En, hoc colloquium  
 est, quod Euangeliū istud nobis proponit, pauca habet verba  
 vtrinque, sed admodum bona. Optandum esset sanè, vt om-  
 nes Christiani ab hoc mundano homine, exemplum cape-  
 rent, ad parem in propria ipsorum spirituali necessitate &  
 defectu

defectu diligentiam declarandam, quemadmodum hic fecit in corporali necessitate & periculo sui filij. Nihil intermisit, quod ad rem faceret, neque antè neque post. Postquam necessitas & periculum aderat non conquiescebat: domum & omnia relinquebat, nullos curabat sumptus, nullo grauabatur labore, obliuiscatur nobilitatis & suæ familiæ: non pudebat eum petere à Christo, qui tum temporis nullius videbatur authoritatis: propebat & vrgebat eum: non cessabat, donec opratum responsum esset nactus. Hoc faciebat priusquam Christus miraculum in illius ægroto filio exhibebat. Post acceptam gratiam Regulus iste adhuc multò fiebat deuotior: non faciebat: vt mundus plerunque solet, qui in tribulatione solùm & periculo deuotus est. Veluti Dauid de suis Iudæis & Israelitis dicit. Cùm occideret eos, quærebant eum: & reuertebantur, & diluculò veniebant ad eum. Hunc etiam in modum Osee scribit de eiusmodi hominibus: in tribulatione sua manè consurgent ad me. Venite & reuertamur ad Dominum, &c. At Regulus iste multò facit aliter. Credidit (inquit Ioannes) & domus eius tota. Tali eum animo præditum sciebat Christus. ideoque nulla erat hîc recusatio: vno defectu laborabat, quòd initio non tam syncerus & fortis in fide erat, quàm quidem necessarium & æquū fuisset. Sed tam citò defectus hic corrigebatur in illo: vt vnicum verbum quod Christus dicebat. Vade, filius tuus viuit, ita sufficeret, ac si Christus ipse congressus fuisset. Et corripertum quoque est, quòd hoc vnicum verbum tantum in ægroto profecit, quantum vel ipsius Christi præsentia efficere potuisset. Tantum potest vera & viua fides, & sic Deus glorificat honorificantes se, & suo verbo rectè ac piè credentes. E diuerso autem dicit S. Iacob. Qui non credit, is non existimet, quòd aliquid à Deo accipiat. Quia enim Deo hunc honorem non defert, vt illū pro verace iudicet: nec ei hūc honorē Deus defert vt illi auxilietur. Hoc vnum est & primum quod in hoc Euangelio obseruandum est: nimirum colloquium, quod Regulus Christo, & Christus cum illo habuit, & quomodo hæ duæ personæ in eo colloquio sese gesserint. Deindè verò & secundò, pulchrè videmus in hoc Euangelio simul quæ infirma aut fortis fides & fit & nominetur, & quomodo harum singula Christo placeat. Veniebat Regulus, & opem querebat apud Christū id quod argumentum erat, quòd credebat Christum filio suo succurrere posse, alioqui Christum non fuisset secutus. Nemo

*2. infirma*

*Psal. 77.*

*Osee. 5.*

*1. Reg. 2.*

*Iaco. 1.*



**Rom. 10.** enim alterius auxilium implorat, de quo nihil boni sibi pollicetur, aut in quem non credit. Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt, inquit Paulus. Quod autem Regulus iste Christum deprecatur: ut ad ægrotum filium congregiatur, item quod ita festinat & instat: ut quàm ocysimè fiat priusquam moriatur filius, perinde ac si Christus solum in vita & nõ etiam in morte & post mortem, & præsens tantummodò, & non etiam absens auxiliari posset: hoc indicat infirmam & imperfectam fidem. Ea quidem sibi aliquid promittit, sed semper

**Matth. 17.**

perconcurrit nimius metus & dubium, quemadmodum & isthic argumentum extat in Matthæo, ubi quidam dæmoniacum ad Christum adducebat, qui quidem etiam nonnihil spei habebat. Sed quia sancti Apostoli in misero homine periculum fecerant: nec tamen quicquàm effecissent, fiebat & pater tantò magis pusillanimis: Domine (inquit) discipuli tui non potuerunt curare filium meum: sin tu aliquid potes, auxiliare & miserere nostri. En, hîc simul etiam metus & dubium concurrat: aliquid fidei aderat, sed parum admodum. Sic etiam res habebat cum isto Regulo. Credebat Christum auxiliari posse: sed tamen verebatur interim, ne si Christus ipse & quidem citò non veniret, frustra esset, & neglectum. Simili modo experimur imbecillitatem fidei etiam in nobis, & præcipuè quando nos tribulatio & crux premit. Solatium quidem præbet, quando de Deo eiusque promissionibus audimus: interea verò semper nobis incidunt cogitationes illæ. Quis scit, nùm res ita habeat, necne? Quis scit an tales promissiones etiam ad me pertineant? Si tam probus essem, quàm hic vel ille, aut res meæ sic vel sic haberent, fortè mihi subueniri posset, &c. Tales cogitationes semper nobis incidunt. Hæ frangunt nobis animum, ut nimium dubitemus, & deinde etiam tantò diffidentius petamus. Hoc reprehendit Christus

**Ioan. 4.** in isto Regulo, ubi ait: Nisi signa & prodigia videritis, non creditis. Perinde est ac si dicat: Tot hæctenus miracula ædidi, ut meritò maiora de me sentire debeas: nimirum quod filio tuo etiam absens, quin etiam post mortem eius, opem ferre possim. Sed omnia frustra in vobis fiunt: non creditis nisi quæ videtis? Quid ergo faciam? Eodem etiam modo reprehendit eum, de quo superius dixi, qui ad eum veniebat dicens:

**Matth. 17.**

Domine si potes, auxiliare & miserere nostri. O generatio, ait, incredula & peruersa, quousque ero vobiscum? usque quò pariar vos?

Uar vos? Omnes hæ querelæ etiam in nos competunt: imò Christus in hoc & alijs locis seuerius etiam nos increpare potuisset: nimirum hunc in modum. Quid mihi rei vobiscum, vos ingrati & imprudentes Adæ filij. Quia non solum non veram & viuam fidem vobis hauritis, nisi videatis semper signa & prodigia: sed nec ad me venitis, nisi vrgeat vos corporis necessitas. Si quid alioqui vobis spiritualiter promitto & offero, id penitus non curatis. Sic etiam querebatur olim de populo Iudæico. Cui similem æstimabo generationem istam? Similis est pueris sedentibus in foro: qui clamantes coæqualibus suis, dicunt: Cecinimus vobis, & non saltastis: lamentauimus, & non planxistis. Et sub id mox etiam incipit minari: Væ tibi Carozain, væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro & Sydone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent. Hunc in modum Christus arguit ingratitude in Iudæis. Idem fermè & nos pro more habemus. Non credimus nisi videamus: non currimus ad Deum, nisi impellat nos externa necessitas & infortunium. Omitto nunc, quòd multi inter nos sunt, qui non credunt, etiam si signa conspiciant: nec currunt ad Deum, etiam si malis multis eos affligat. Quapropter quantumuis imperfectus hic Regulus fuerit, optandum tamen foret, ne quis inter nos impertectior esset & minus faceret, quàm ille fecit. Nam si primò credere non poterat sine signo, tantò autem postea firmius & ardentius credebat, simul atque signum viderat: nec ille solum, sed & tota eius domus. Imò mox vt eum increpauerat Christus, credebat etiam nudis verbis, priusquam miraculum factum erat. Et præter hoc etiam si in sua foelicitate Christum dominum non curabat, veniebat tamen in necessitate ad eum.

Quòd si etiam nos tantum faceremus, iam curari possemus. Imperfectio quidem est, vbi non credit homo, nisi signa conspiciantur, & vbi non curritur ad Deum, nisi puniat. Veruntamen si etiam in necessitate ad eum veniatur, & infirma fide, nec tum denegat suam opem. Id quod cum primis obseruandum. Siquidem ea res non paruum solatium dat ac præbet omnibus pusillaminis & paræ fidei hominibus. Alioqui enim si Christus hos omnes reijceret, & nulli suum exhiberet auxilium, qui in extrema primùm necessitate ad eum veniret, multis nostrum desperandum esset. Atqui videmus hic quod etiam paræ fidei hominem non reijcit, neque illi qui in extre-

*Matt. II.*

*In nostrum desiderium & temporalem.*

n.110. ma necessitate ad eum venit, opem suam denegat. Vt enim pater miseretur suorum filiorum, sic Deus miseretur timentibus se: scit enim figmentum nostrum. Saltem ne semper ita infirmi & frigidi in fide maneamus, nec vnquam de Deo cogitemus, nisi necessitate monente. Diabolus quidem omnem adhibet diligentiam: vt nos pusillanimes & dubios in fide faciat, & nobis in felicitate oculos fascinet: vt Dei præcepta negligamus, & eius esse memores in rebus florentibus non possit possimus. Sed Euangelium istud aliter nos docet. Satis enim aperte in eo videmus, qualiter Deo placere possit fluctuans illa & mortua in corde fides, tepida ac desperabunda oratio. Non quidem semper illos omni solatio destitutos à se dimittit: sed increpat eos verbis, quòd non maiori fiducia & charitatis feruore ipsum laborant. Hunc honorem postulat: vt pia cum fiducia eum inuocemus, nec vnquam siue de eius potentia, siue bonitate desperemus. Atque idè etiam approbat, quòd leprosus nihil dubitabat, sed dicebat: Domine si vis, potes me mundare. Et hac ipsa de causa collaudabat Centurionem coram omnibus Iudæis, quòd crederet & confiteretur, Christum omnia posse vno verbo efficere etiam absentem corpore. Amen dico vobis (inquit) non inueni tantam fidem in Israël. Talem fidem deprehendimus quoque in fine in isto Regulo. In bonum ei cederat, quòd Christus imbecillitatem fidei illius increpauerat. quàm pusillanimis primò fuerat, tam postea fortiter adherescebat & obediebat verbo Christi. Mox vt Christus verbum hoc dicebat: Vade, filius tuus viuit: nihil amplius desiderabat, abibat. Videbatur illi hoc verbum non minus sufficere, quàm si ipse Christus congressus fuisset. Hæc vera dicitur fides, vbi omni dubio & tempore seposito, verbo Dei ita adheretur, atque per omnia obtemperatur, perindè ac si Deus ipse præ oculis cernatur habeatûrque præsens. Hunc Deus suum honorem existimat, neque irremuneratum finit. Et ob id etiam comperimus hæc, quòd Reguli filius in illa ipsa hora conualescebat, cum Christus verbum illud diceret, & illi pater suam fidem & pium animum accommodaret. Habemus ergo ex hoc Euangelio, quæ sit infirma & fortis fides, & quid Deo utrobique probetur. Is nobis semper fidem nostram augeat, & nos in viuâ & catholica fide confirmet, vt præstare possimus in tribulatione, & contra fallaces laqueos diaboli. Amen.

Matthæ. 8.

Ibidem.

Luc. 17.

## SECUNDVS SERMO ITI.

*dem de Euangelio in genere.*

**H**ODIERNVM istud Euangeliū breuem habet historiam, sed talem, quę bono cuiq; Christiano multa consideranda præbet, quacunq; in parte illam etiam inspiciat & apprehendat. Quatuor in ea commemoratę sunt personę. Filius ægrotabat, pater currebat & deprecabatur: Christus auxiliabatur & consolabatur. Tota familia propterea credebatur in Christum. Quadruplices hæ personę sunt: ex ijs sume quamcunque voles, obiectum habes & causam ad considerandum multa bona. Eius rei documentum simplicibus aliquod dabo. Principiõ propone tibi personam ægroti adolescentis, videbis Sapientem verè dixisse, adolescentiam & voluptatem vana esse & inania: itémque diuitias nihil prodesse in die vltionis. Et iterum, fallacem esse hominum gratiam, & corporis pulchritudinem esse vanam: quibus fidere nemo possit. Imò apud hunc ægrotum filium videbis, quòd Iob rectè dixerit, hominem de muliere natum breui tempore viuere, repleti autem multis miserijs. Qui quasi flos egreditur & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem statu permanet. Tandem etiam hic videbis, Dauidem Psal. 32. non sine causa dixisse: Non saluatur Rex per multam virtutem: & Gigas non saluabitur in multitudine virtutis suę. Et quòd Isaias cap. 49. non frustra hoc mandati habuerit, vt clamaret, hoc est, alta voce, magna contentione, & ex omnibus viribus annuntiaret & diceret: Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius sicut flos agri. Exsiccatum est fœnum, cecidit flos: verbum autem Domini manet in æternum. Hoc (inquit) Propheta iste clara voce & omni conatu prædicare debebat. Quippè mundus non credit, quòd diuitiæ eius, potentia, sanitas, iuuentus & voluptas, nihil aliud & melius durabiliusque sit, quàm fœnum & flos agri. In hoc autem Euangelio videmus ipso opere comprobata in ægrotato filio. Quid enim defuit ei in omni eo, in quo mundus fastum suum & gloriam collocat? Diues erat, nobilis, amabilis, iuuenis & pulcher, attamen à morbo sese defendere non poterat, etiam contra voluntatem suam scripturę suffragari cogebatur, quòd omnis caro fœnum sit. atq; hoc pacto videmus quotidiano vsu, quòd Deus magnos di-

*Eccle. II.**Prove. II.**Prouer. 31.**Iob. 14.**Omnis caro fœnum.*

uites, potentes, nobiles æquè aufit inuadere, atque pauperes & ignobiles, Quid ergo est, in quo homo sibi ipsi fidere possit? Quam spem habere potest in suis opibus, potentia, nobilitate, pulchritudine, iuuentute, & amicorum multitudine? Omnia

*Eccli. 1.* vanitas, inquit Salomon. Quid igitur effertur homo supra alium, & præsertim in ijs rebus, quæ illum neque à morbo, neque à morte tueri possunt? En, hoc simplici homini circa æ-

*Psal. 48.* grotum filium considerandum est. An non autem pulchra & utilis consideratio est pro ijs, qui confidunt in sua fortitudine, & magnas suas opes & diuitias iactitant? Quid aliud illis deest, quid aliud illis blâditur, quid aliud illos seducit ac decipit, quàm quòd non considerant, imò nec credunt, omnem ipsorù gloriam nihil aliud esse, qui florem, qui hodiè stat pulcher, cras cadit & interit? Tantò magis se in hoc speculo contèplari debent, & sic futurum est, vt arrogantia eorum multum minuatur, eritque eis magna causa ad humilitatem. Hic ergo est filius ille ægrotus: is docet, nos in corpore nostro varijs mor-

**†**  
*Homo miser ob peccatum.* quo ad corpus, sed etià quo ad animã, egenù & miserù esse imò multò plus. Filius ægrotus corpore dolebat, pater autè longè grauius dolebat in aña: ideò tã sollicitus erat, ideo currebat & festinabat tantoperè. Ab hoc eum detinere non poterant, neque bona eius, neque potentia, neque nobilitas. Ad hæc etiam alij defectus in eo deprehenduntur: hi sunt spirituales, vt quòd de Christo nò interrogat, nec curat eum, donec necessitas cogat, & morbum ac mortem in domo habeat, & in suis filijs videat. Secundò, quòd etiam à Christo nihil aliud petit, quàm corporalem sanitatem suo filio: & petit id præterea corde dubio, nondum habens veram & viuam fidem, fluctuans inter spem & metum, timens ne iam serius veniat. Et hæc est vera humani cordis absque Dei gratia egestas. Hoc speculum est, in quo videmus, quàm nostram cor à natura viciata omni timore Dei, fide & amore ad res spirituales vacuum sit, nisi Deus ad hæc omnia auxilietur & promoueat. Humanum cor (inquit *Hier. 17.* Hieremias) prauum est & inscrutabile. Haud sanè Regulus iste Christum fuisset secutus, nisi eù terruisset Deus morbo & morte sui filij. Haud sanè credidisset, nisi eum Christus erexit, confirmassetque suo miraculo. Haud sanè apud Chri-

stum

stum aliquid quæsiuisset spirituale, nisi eum antea in corporali auxilio tam efficacem fuisset expertus. Hoc modo semper oportet ut Deus res nostras urgeat, nobisque poena & infortunio metum incutiat: alioqui fit, ut semper sine cura & metu maneamus. Necessè est, ut gratiosis suis verbis & operibus cor & fiduciã nobis faciat, alioqui semper pusillanimes, manemus, & sine viua fide. Nemo venit ad me (inquit Christus) nisi trahat eum Pater meus. Beatus homo, qui ita cruce & tribulatione terretur & impellitur, ut Deum quærat: & gratiosis verbis ac operibus Christi trahitur, ut veram fidem & ardentem charitatem in Deũ consequatur. Hic Regulus impelli se & trahi sinebat: idque nõ solùm illi, sed etiam filio suo in bonũ cedebat: & id nõ solã tẽporaliter, sed etiã spiritualiter & aternũ: & non solùm illi, sed etiã toti familiã. nã credebat deinceps in Christũ, & tota familia cũ eo, Ad hoc ei seruiuit ægritudo sui filij. Homo vnus in morbũ inciderat, & tota domus propterea veniebat ad cognitionẽ Christi eiusque gratiã. Utinam & nos ita impelli sineremus & trahi. At quot inueniuntur, qui semper mali & improbi manent, quacũque etiam in eos Deus poena animaduertat? Domine (inquit Hieremias) percussisti eos, & nõ doluerunt. Quot eorũ sunt, qui semper desides & in charitate frigidi, & sine viua fide manent, quãtũcũq; etiã de Christi charitate audiunt & videt: Tãdò infeliciores sint oportet: imò tãtò iustius à Deo relinquuntur. Populus meus (inquit) noluit me audire. Et dimisit eos secundum desideria cordis eorum. Hoc considera circa istas duas personas: nimirum circa ægrotum filium, egestatem corporis nostri, & huius præsentis vitæ: circa patrem verò, qui ita anxius & sollicitus est, quin etiã ita pusillanimis, imbecillitatem & imperfectionem animarum nostrarum. Hæc duo sunt, quæ vtraque ad humilitatem seruiunt. Nam quisquis apud seipsum cogitat, quòd diues, doctus, nobilis, potens, iuuenis æquẽ, omnibus morbis nec non morti obnoxius est, atque pauper, indoctus, ignobilis, & cæcis supra nullum alium efferetur. Porro quisquis considerat, imbecillitatem animæ suæ, & humani cordis absque gratia prouertatem in malum, libenter ille sese humiliabit sub potenti manu Dei, & gratiam feruenter peret. En, ad hæc nobis istæ duæ inferuire personæ possent: nimirum ad humilitatem coram Deo simul & hominibus. Quippè hoc verum fundamentum esset, & initium salutis, nos ipsos verè & rectè cognoscere.

Ioan. 6.

Hier.

Psalm.

Alioqui De hoc Regula etiam alia exempla peti possent. Vt potè primò, quòd tantam curam gerit pro filijs suis: id quod non solum natura, sed etiam nota lux Dei postulat. Secundò, quòd non ad malum spiritum currit, quemadmodum Ochozias. nec ad ariolos, quemadmodum rex Saul: sed ad Christum currit, & quidem in propria persona. Tertiò, quòd tam arden-  
 ter orat & in prece perseverat: sicuti Christus docet, nos que-  
 rere debere, orare & pulsare, donec accipiamus, inueniamus, &  
 intromittamur. Quartò etiam in hoc Regulo obseruandum  
 est, quòd pusillanimitatem & infirmam fidem tam citò ex ani-  
 mo eijcit, & totum sese diuinæ voluntari submittit. Quintò,  
 quòd tam diligenter sciscitatur, qua hora filius cœperit me-  
 lius habere, quo Dei opus melius cognosceretur. Postremò,  
 quòd verbis suis, & bonis exemplis totam suam familiam ad  
 fidem adducebat. Credidit (inquit Ioannes) & familia eius to-  
 ta. Et quid posset à bono patrefamiliâs, ab vno quolibet vero  
 Christiano melius dici & prædicari? Qui fieri posset, quòd li-  
 beri & familia aut ministri, quin etiam tota vicinia non ad pie-  
 tatem traherentur, si tales præcessores & patrefamiliâs ha-  
 berent? Credidit primò (inquit Iohannes) & suam fidem  
 etiam factis probabat. Hinc sequebatur, quòd etiam tota fa-  
 milia credebat. Si nostra iuuentus non tantum impudiciæ,  
 blasphemix, crapulæ, ebrietatis, à suis parentibus, dominis,  
 regentibus & ducibus videret audirè que, haud tam facile  
 horribili blasphemix, belluinæ potationi, leui impudicæque  
 vitæ assuesceret. Imò si parentes eorum & duces à talibus vi-  
 tijs liber essent, etiam in suis ea filijs tantò melius cauere  
 & prohibere possent: sed semper adhuc in hoc & alio desit,  
 vt qui prohibere debebant, ij quandoque altius immergi ia-  
 ceant alijs, ita vt semper vereri cogantur, ne dicatur ad illos:  
 Medice cura teipsum: Homo, trabem eijce prius ex tuo oculo,  
 tantò melius videbis ad eijciendam festucam ex oculo fra-  
 tris tui, Quapropter paterfamiliâs & antistes incipiat o-  
 portet, quemadmodum hic Regulus in hodierno Euangelio  
 fecit. Credidit (inquit Scriptura) & domus eius tota cum eo.  
 Hoc considera apud Regulum & familiam eius. Progredere deindè ad tertiam personam, quæ est Christus: illic ad-  
 huc plura inuenis consideranda: imò illic vides primò, quòd  
 in omni necessitate nullum est certius refugium, quam apud  
 Deum. Vndè & Dauid non sine causa dixit: Diligam te Do-  
 mi ne

4. Reg. 1.

1. Reg. 28.

Luc. 11.

Ioan. 4.

Exempla mala  
qui nocent.

Luc. 4.

Luc. 6.

Psal. 17.

mine fortitudo mea. Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. Et iterum: Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine domini Dei nostri inuocabimus. *Psal. 19.* Secūdo videmus hīc apud tertiam istam personam, quod Christus præcipuum medium est à Deo datum, per quod salutem consequi possimus, vti Petrus dicit: Non est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. *Acto. 4.* Tertio videmus hīc, quod Christus non solum corporaliter, sed etiam spiritualiter: nec modò spiritualiter, sed etiam corporaliter auxiliari, & consequenter totum hominem sanare & saluum facere possit. Quarto videmus hīc in Christo, quod sit paratus auxiliari & dare si possumus rectè credere, & ita vt oportet, orare. Imò præcipua querela erat aduersum Iudæos, *Ioan. 7.* dicebat Ioan. 5. Non vultis venire ad me, vt vitam habeatis? Et iterum Matth. 23. O Hierusalem, quoties volui congregare filios tuos, sicut congregat gallina pullos suos: tu autè noluisti. Quinto, videmus quod Christus etiam in absentia sua, & etiā si non videatur opitulari possit: quæadmodū id etiam antea declarauit in Centurionis seruo, & in filia Chananææ mulieris, *Matth. 8.* *Hier. 23.* Non enim Deus solum est in propinquo, sed etiā de longinquo, & nemo est, qui se ab illo abscondere possit: imo *Esa. 66.* implet cælum & terram. Sexto videmus hīc, quod Christus auxilium suū neq; herbis neque malagmate expedit & dat, sed verbo suo & spiritu: veluti etiā in Zacharia cap. 4. dicit: Op<sup>9</sup> quod præ manibus habeo, nō in exercitu, nec in robore, sed in spiritu meo perficietur. En, hæc omnia nobis breuis hæc historia de Christo cōsiderāda præbet. Cui autè piè affecto nō gaudiū afferat? Cui nō solatiū præbeat? Cui nō animū & piā fiduciā faciat? Hoc restabit, vt id benè ad animū reuocemus, fidē nostrā cōtra errores cōfirmemus, ne vllam crucē, vllā tribulationem, vllū peccatum, vllū hominem, vllū diabolum, tale solatium & fidē verā ac viuā nobis auferre sinamus. Et hoc vult Paulus, vbi *Ephē. 28.* ait: Fratres confortamini in Domino. & in potentia virtutis eius. Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli: quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem: sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae, in cælestibus. Propterea accipite armaturam Dei, &cæ. En, hīc docet nos Paulus, quomodò nos firmare debeamus in fide nostra contra diabolum, cui studium est,

nos in peccatum, aut in errorem, aut desperationem præcipitare. Nimirum primò Deus auxilium nostrum esse debet: debemusque, cum Dauide dicere: Tu hostis venis ad me cum gladio & hasta & clypeo: ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum: iste te domabit & opprimit, &c. Hoc erat, seipsum confortare, in domino, & in potentia virtutis eius. Nec hîc iterum hostis efficere aliquid posset: imò omnia ignita illius tela possemus viua fide & Dei virtute extinguere & auertere. Qui enim Christo viua fide innititur, is super petram stat, aduersus quam vel omnes portæ inferorum præualere non possunt. Quisquis ergò tutus esse vult, is superstruat se super hanc petram. Deus det omnibus suam gratiam, Amen.

### TERTIVS SERMO DE prima parte Euangelij.

*Historia Euāgelica quid præ cæteris habeant*



**H**ODIERNVM istud Euangelium habet quidem breuem historiam, quæ speciem præ se fert, quasi nihil ad nos attineat: cum reuera non solum ad nos attineat, verum etiam in nostra causa scripta & facta sit. Hoc enim habent Euangelicæ historiæ præ cæteris, vt non solum indicent, quid in alijs hominibus acciderit, sed promittant etiam nobis similia nunc & in æternum. vnde etiam meritò nos illas præ alijs summo studio obseruare debemus. Habent quidem mundanæ quandoque historiæ mirabilia, sed illa in tribulatione consolari non possunt, quandoquidem scimus non propter nos facta & literis prodita esse. Cum Euangelio autem eiusque historijs res res multò secus habet. Ibi enim dicit Christus: Quod vobis dico, omnibus hominibus dico. Et iterum Matth. 10. Quod dico vobis in tenebris & in aure, prædicate super tecta in lumine. Et de operibus suis dicit: Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet. Ex his satis iudicatum est, quod ea quæ Christus apud ægrotos locutus est ac fecit, non solum ad illos pertineant, sed ad omnes credentes. Vt potè cum dicit, Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Et terùm Matth. decimosextimo. Potes credere? omnia possibilis sunt credenti. Et id genus alia. Quem igitur non iuuarent Euangelicæ historiæ, hoc præsertim tempo-

tim tempore, quo nihil aliud videtur, auditur, & comperitur, quàm mala, infausta & calamitosa omnia? &c. E diuerso autem adferunt pijs Euangelia nostra semper aliquid boni & læti: Quod vt verum esse intelligamus, Euangelium istud hodiernum paulò exactiùs indagabimus. Erat quidem Regulus (inquit Ioannes) cuius filius infirmabatur Capernaum, &c. Hæc historia pulchrè nobis ob oculos ponit, naturam veræ fidei, quomodò in nobis incipiat, crescat & perficiatur. Vt enim ætas humani corporis suam infantiam, iuuentam & virilem ætatem habet, ita etiam habet fides suos gradus, per quos vsq; perfectior fit. Deindè & secundò videmus quoque in hac historia imbecillitatem humani cordis in tribulatione & rebus aduersis. Imò in hac historia videmus in genere, quàm sit infœlix creatura homo diuina orbatu gratia. Postremò autem videmus in hac historia, quàm benignè Deus infirmitatem nostram toleret ac iuuet. Erat quidam Regulus. Sic vocatur, aut quia de regio genere fuit, vt nonnulli existimant: aut quia magistratum aliquem Cæsaris nomine gessit. Agè, filium habebat ægrotum. Quantum enim cunque diues ac potens erat, infirmitatem tamen filij sui præcauere non poterat, nec iterum morbum ab eo depellere. Nihil enim profunt diuitiæ in die vltionis: nec saluatur Rex per multam virtutem. Itaque imprudens homo est, qui spem suam & solarium in diuitijs & humana potentia collocat: cum tamen horum nullū neque à morbo liberare eum possit. Quamobrem ergo non quærimus veram fortitudinem & diuitias: Sed pulchrè hîc videmus naturā & conditionem filiorum huius sæculi. Primò in eo, quòd, tametsi varijs malis & miserijs obnoxij sunt, nō tamen vident, quomodò præcauere possint: imò nō sentiunt neq; credunt se tam miserabiles esse, donec nec opinantes infortunium opprimat: tum demum sentiunt se miseros esse, vt in Antiocho videre est. Sola enim vexatio dat intellectum, inquit Isaias cap. 28. Altera conditio filiorum huius sæculi, & maximè diuitum ac potentium est, quòd Deum non agnoscunt aut quærun, donec eos pœnis & flagellis euocet. Hoc pulchrè videmus in magno Nabuchodonosor. is primùm in pœna discubat agnoscere, vnum tantum Deum in cœlis esse, qui etiam in magno Reges potestatem haberet, &c. Quòd autem Regulus iste in Euāglio, morbo & periculo sui filij, ad Christum compellebatur, eos primùm arguit, qui tamen ad Deum non currunt,

Ioan. 4.

Prouerb. 13.  
Psal. 32.

2. Machab. 9.

Dan. 4.

quantumuis multas in eos plagas immittat. De talibus hominibus dicit Hieremias cap. 5. Percussisti eos Domine, & non doluerunt, &c. Et in Amos dicit Deus ipsemet: Affixi vos fame & sterilitate, & non redisti ad me. Secundò taxantur hìc omnes ij, qui in necessitate non ad Deum, sed ad ariolos, præstigiatores, aut ad ipsum diabolum currunt & opem quærunt. Verum quòd Regulus hìc pro suo filio orat, nec cessat, donec exauditus fuerat, exemplum est omnibus patribus & matribus, vt curam gerant pro salute suorum liberorum: & vt maturent eos Christo commendare, antequàm spiritualiter moriantur per malam conscientiam peccandi. Adolescens enim iuxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea. Cæterùm quid Regulus iste solùm pro corporali sanitate filij sui orat, humanæ infirmitatis culpa est. Sic enim semper competitus priùs quid corpori, quàm animæ noceat: cùm tamen spirituale damnum multò sit maius, quàm corpori. Proindè nimis humiliter homo ille de Christo sentit, qui temporalia solùm ab eo petit & quærit: quanquam etiam temporalia ab illo petenda sunt, sed non sola temporalia. Alioqui quemadmodùm illic ad quendam dicebat, qui eum ob temporalia alloquebatur: Homo quis me constituit iudicem inter vos? Ita etiam ad nos dicet: Non veni tanquàm corporis, sed tanquàm animæ medicus. Postremò quòd Regulus iste orat, vt Christus secum eat, & filium suum curet, indicat infirmam eius & imperfectam fidem, quasi Christus opitulari nõ possit, nisi visibiliter præsens sit. Imò quasi Deus solùm sit in propinquo, & non etiam de longinquo, cùm tamen Scriptum de eo reperiamus Psal. 144. Iuxta est Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate. Rogat ergo hìc Regulus, vt Christus vnà secum eat, quasi hominem, & non saluificum Deum accerseret. Multò maiorem fidem habebat Centuriò, qui dicebat ad Christum, Matth. 8. Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum: significans, nec necessum quidem esse. Dic tantùm vnum verbum (inquirebat) & sanabitur seruus meus. Talis autem fides adeò rara est, vt Christus ipse demiretur ac dicat, se non inuenisse tantam fidem in Israël.

*Amos 4.* Siquidem & Apostoli imbecillem suam fidem frequenter probabant, vtì cùm in periculo maris Dominum excitabant, quasi dormiens eos seruare non posset, & quasi ita penitus obdormiscere posset, vt suorum obliuiscatur.

*Preuerb. 28.*

*Luc. 12.*

*Hiere. 23.*

*Matth. 8.*

sermo

fermo esset, si nobis auxiliari Christus non posset & nos serua-  
 re, nisi corporaliter & visibiliter præsens esset. Sed meliora sci-  
 mus, nimirum quòd vbique est, & omnia potest. Ecce (inquit) *Matth. 28.*  
 ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummatio-  
 nem sæculi: & mihi data est omnis potestas in cælo & in terra.  
 Sed nunc obserua, quid Christus Regulo responsi det. Primo,  
 non omninò illi renuit quòd petit, ne illum ad desperationem  
 adigeret. Attamen nec protinus illi dat quòd petit, sed dif-  
 fert, vt magis instet: quemadmodum etiam Chananaeam mu- *Matth. 25.*  
 lierem diu detinebat, priusquam auxiliabatur. Interea autem incre-  
 pabat Christus Regulum ob incredulitatem eius. Non creditis, ni-  
 si videritis signa & prodigia. Perindè ac si dicat: quid tecum ibo  
 cum non credas? Nam si crederes, non rogares vt tecum irem,  
 sed sufficeret tibi verbum meum ad sanitatem filij tui: quem-  
 admodum Centurio fecit. Hoc autem dicebat Christus non  
 ideò, quòd animo in hominem esset alieno, aut quòd nollet  
 illi auxiliari: sed vt infirmam eius fidem hac tentatione magis  
 corroboraret: doceretque eum, vt deinceps fidem suam non  
 tam ex miraculis, quam ex verbo Dei hauriret. Cum primis  
 autem obseruandum hinc est, quòd Christus in plurali loqui-  
 tur, Non creditis, nisi videritis signa, quòd videamus eum ver-  
 ba hæc non ad solùm Regulum dixisse. Etenim primò tan-  
 git hic Iudæos in genere, qui semper signa petebant, nec alio  
 qui credere volebant, quantumcunque etiam verbum Dei au-  
 diebant. Vnde & Moyses dicebat: Domine non credent *Exod. 4.*  
 mihi, quia tu me misisti. Idipsum quoque quærebantur om-  
 nes Prophetæ de illis, vt Isaias cap. 3. &c. Et hac in parte pa-  
 tribus suis admodum dissimiles facti erant. Quæ enim Abra- *Gen. 12.*  
 ham miracula viderat, cum ad vnicum mandatum Dei ter-  
 ram & cognitionem suam relinquebat? Item cum credebat,  
 se in genus amplissimum fore, licet ad centesimum annum si-  
 ne hærede esset? Deindè inceptat nos etiam verbum istud *Gen. 15. et 17.*  
 Christi. Quippè & nos non ex pietate, sed curiositate quæ-  
 rimus signa & prodigia: non satisfacit nobis verbum Dei, sed  
 etiam alijs modis certi esse volumus. At qui verè fidelis  
 est, is verbo Dei contentus est, etiamsi nullum miraculum  
 videat. Certè Deus infirmitati nostræ satis concessit, quòd  
 initio suæ legis & Euangelij suum verbum externis mira-  
 culis confirmavit, quòd certi fieremus, illius esse verba. Sed  
 nunc non dat nobis signa pro animi nostri voluntate: sed

vult, vt credamus verbo suo. Ambulamus enim nunc non per speciem, sed per fidem. Ideò etiam dicebat ad Thomam, **1. Cor. 5.** Ioan. 20. Beati qui non viderunt & crediderunt. Hinc omnes merito culpantur, qui adhuc signa curiosè poscunt. Etenim primò contra naturam fidei est, sicubi sine miraculis non volumus credere. Est enim fides substantia rerum sperandarum, & argumentum non apparentium. Secundò quoque Deo contumelia fit, si credere nolimus sine miraculis, quasi mentiri & fallere possit, cum tamen sit ipsa veritas & verax maneat, etiamsi omnes homines ex seipsis mendaces sint.

**Rom. 3.** Tertio quoque periculosum est, si miracula pluris fiant, quam verbum Dei. Miracula enim fallere possunt: quin ipse quoque diabolus signa facere potest, vti videmus in præstigiatoribus Aegypti. Qua etiam de causa Moyses Deuter. 13. suo populo **Exod. 7.** interdicebat, ne cuiquam crederent, qui contra legem doceret, etiamsi magna miracula faceret. Miracula enim ex mendacio non faciunt veritatem, sed per mendacium seducunt. Cæterum vbi ea vero & certo verbo Dei adhibentur, ibi confirmant & obfirmant illud verbum in sua veritate. Postremò etiam fides, quæ ex solis miraculis hauritur, inconstans est. Nam qui non propter verbum, sed propter miracula credit, facilè is in tribulatione in diffidentiam incidit: sicut in Israëlitis videmus, qui tantisper credebant, dum miracula cernebant. Domine (inquit Regulus) descende priusquàm moriatur filius meus. Hoc verbo indicat imbecillitatem suæ fidei magis adhuc, idque duabus vijs. Primò, quod non solum non credit, Christum filio suo vno verbo opitulari posse, sed nec credit, quòd Christus eum post mortem suscitare possit. At hoc quid aliud est, quàm imbecillis fides? Quid aliud à medico homine petere poterat? Verum enimverò malè hoc nobis dictum esset, si non etiam in morte nobis Christus, & post mortem auxiliari posset. Ego (inquit) sum vita & resurrectio. qui credit in me, viuet etiamsi moriatur &c. Secundò, Regulus iste infirmam suam fidem etiam in hoc procidit, quod ita festinabat: quia diffidentia festinat, vera autem fides longanimitè sustinet. Qui credit (inquit Isaias) non festinet. Et Habacuc capite secundo. Si Dominus moram fecerit, expecta eum: quia veniet, & non tardabit. Quemadmodum igitur Christus Matthæi decimoquinto. Chanaanitam mulierem duriter alloquebatur, & diu detinebat, quòd ma-

quò magnam illius fidem omnibus hominibus patefaceret: ita etiam hìc Regulum duriter alloquitur, quò illi fidei suæ imbecillitatem cognoscendam daret, eúmque in ea magis ac magis confirmaret. Sed audi porrò, quid amplius dicat: Vade, filius tuus viuit. Hìc vide & considera Dei bonitatem, quantum imbecillitati nostræ largiatur. Nò enim semper respicit ignorantiam nostram: sed auxiliatur etiam nobis interdum malè meritis, nec ita piè de illo sentientibus vti æquum erat. Scit enim figmentum nostrum: ideo cùm respiscimus misere-  
*Psal. 210.*  
 tur nostri, sicuti pater filiorum suorum. Deinde videmus hìc, quòd, licet Christus Regulum duriter alloquebatur, eúmque increpabat, nihilominus tamen illi dabat quæ cupierat. Non enim imperpetuum irascitur & minatur Deus. Ira quidem in indignatione eius, sed vita in voluntate eius. Et ob id ad Christum dicitur: *Psalmo octagesimo octauo*: Si dereliquerint filij eius legem meam, visitabo in virga iniquitates eorum: misericordiam autem meam non dispergam ab eo. Sic etiam facit Christus hoc loco. Quem antea terruerat, hunc consolatur hic iterum. Hìc discere debemus, bene de Deo sperare, etiam si nobis irasci videatur. Vade (inquit) filius tuus viuit. Hoc verbo significauit, quòd etiam absens, & quando non videtur, auxiliari possit. Eodem modo præcipiebat Helisæus per suum seruum Namano, vt immergeret sese septies in Iordanem, sic fore vt à lepra mundaretur. Sed ideo faciebat, quo Ethnicus homo cognoscere virtutem omnipotentis Dei. Id ipsum nos quoque cognoscere debemus. Etenim verbo isto quod Christus ad Regulum loquitur, non solum sanitatem filij eius prædixit, sed etiam sanitatem contulit. Hoc cum eo quadrat quod Dauid dicit, Deus misit verbum suum, & sanauit eos. Et quod Sapiens dicit: Neque herba, neque malagma sanauit eos, sed tuus Domine sermo. Sed vnum adhuc obserua, quod Christus etiam cùm obnixè rogabatur, ire nolebat ad diuitis & potentis filium. Ad seruum autem Centurionis paratus erat ire, etiam nò rogatus. Quare indicare primò voluit, se plus etiam posse, quam ille petiuerat. Secundò, indicare per id voluit, quòd iudicia Dei lōgè alia sunt, quam hominum. Nos quidè ad eos tantum respicimus, qui propter suas diuitias, nobilitatem & potèntiam autoritate præditi sunt. Pauperes nihil curamus. Deus  
*Psal. 112.*  
 autem humilia respicit, alta à longè cognoscit. Et sæpe fit

*Ibidem.**Psal. 29.**4. Reg. 5.**Psal. 106.**Sap. 16.**Matth. 2.*

quòd qui coram mundo magnæ opinionis sunt, coram Deo nullius reputationis: ediuerso autem, qui coram mundo contempti sunt, magni sint coram Deo. Ex his dicere, debemus, vt in hominibus magis naturã, in qua secundum imaginem Dei creati simus, quàm externa accidentia bona, per quæ sibi coram mundo opinionem consiliant, consideremus. Alioqui enim facillè errabimus, eosq; colemus quos Deus odit: illos autem cotenemus, qui Deo chari filij sunt & amici. Tantùm de prima parte huius Euangelij. Faxit Deus, vt omnia fructuosè consideremus, ipsòque factò præstemus, Amen.

Q V A R T V S S E R M O D E  
altera parte hodierni  
Euangelij



Mar. 16.

Ioan. 6.

Ioan. 2.

**I**N hodierno isto Euangelio pulchrè indicatum est, quomodò & per què, & quibus medijs nos Deus ad salutem nostram ducat ac promoueat, & quomodò vulgus hominum vicissim sese habeat & gerat. Verbum Dei, & necessitas nostra, duo media sunt, per quæ nos Deus ad salutem nostram promouet & ducit. Altero trahit & pellicit nos: altero impellit & vrget nos. Verbo sancti Euangelij conatur omnes homines trahere. Ideò etiam illud omnibus hominibus prædicare sinit. Cæterùm id si contemnatur, nec illi conuenienter viuatur, necessitate nos cogit. Et quidè sanctis Apostolis verbum Dei sufficebat: hoc studiosè sequebãtur: nullo opus habebãt impulsu. Domine (inquebãt) ad què ibimus, aut quomodò te deseremus? habes quippè apud te verba vitæ æternæ. Vulgus, autè hominũ Dei verbo contètũ nõ est, nec illi, nisi cogatur optemperat. Id quod in hoc Regulo videmus. Is enim Christũ secutus nunquã fuisset, nisi eũ necessitas & periculum filij sui impulisset. Id quod ex eo cognoscitur, quòd, etsi etiam antea Christus in Gallilæa prædicauerat, & fecerat miracula, huius tamè Reguli nusquã vlla mentio fit: forte in Christi & prædicationis eius gratiã, nec limè domus tráisset: ita enim facere cõsueuerũt, qui téporali foelicitate excæcantur. Iã verò quãdo illi ægritudo & mors in domũ venit, etiã peregrè Christũ sequitur, acclamat ei, auxiliũ implorat, vrget eum & festinat, ne sanitas & fortuna sui filij præpediatur. Hæc natura est &

est & conditio filiorum Adæ. Meritò audire debebamus & sequi, quando dominus Deus noster nos vocat ad pœnitentiam & ad suam gratiam, quemadmodum Christus multùm & sæpè facit in Euangelio. Vix verò incipimus Deum quærere, etiã si necessitas vrgeat nos. Hac etiam de causa Christus in hoc Euangelio Regulum & eius similes, qui nolunt efficaciter credere nisi videant signa, tam duriter & quasi inhumaniter alloquutus est, significauitq; se illis propterea iure omnem suam opem & solatium denegare posse, & subtrahere. Et quantum id hoc in loco non fecit (contentus enim erat verborum castigatione. Regulo nihilominus aderat & auxiliabatur) manifestè tamen indicauit, quid sibi acceptissimùm & nobis vtilissimum sit. Deus antè omnia hunc sibi vult à nobis exhiberi honorem: vt pro verace eum habeamus, verbo suo credamus, eamus quò nos ire iubet, sequamur quò nos ducat, faciamus quæ nobis præcepit, tolleremus patiamurque quæ nobis imponit: reliqua autem omnia illius diuinæ committamus voluntati. Hunc in modùm (inquam) viua fide & ardenti charitate adhærere Deo & obtemperare eius verbo (quemadmodum hic Regulus etiam postremò faciebat) Deo obsequium est omnium gratissimum: impetratque à Deo quicquid salubriter peritur. Qui enim Deum glorificat, eum vicissim honorificat. Id in fine istius Euangelij luce clarius apparebit. Quod si iam etiam nos verbo Dei credere & obtemperare vellemus, indubiè miracula eius & gratiæ opera quotidie in nobis experturi essemus. E diuerso autem, tamen si Deus eos etiam, qui solum necessitate & tribulatione compulsi ad eum fugiunt, non omninò & per omnia rejicit: non tamen illi ita magnopere placet, si vocatio eius non audiatur donec nos necessitas vrgeat: omitto nunc, quòd rarò constans fides est & deuotio, quàm necessitas è nobis extorquet. Atqui nobis omnibus necessarium est: vt in fide planè certi & constantes simus: quia diabolus acriter in nobis fidem infestat. Quapropter vnicuique Euangelium istud doctrina esse debet, vt sibi ex verbo Dei viuam & constantem fidem hauriat, qua persistere possit in omni tribulatione. Ad id nobis inseruiet vltima pars istius Euangelij, in quo Ioannes ita scribit de Regulo. Credidit homo semoni, quem dixit ei Iesus, & ibat. En, hoc modo Iesus duos homines sanauit vnico verbo, patrem & filium. Vt enim ægrotus filius ex verbo, quod Christus iuerat locu

*Deus quid  
exigat à nobis.*

*1. Reg. 2.*

*Ioan. 4.*

*Verba Dei duplex efficien-  
tia.*

tus, tanquam efficaci medicina suam iterum sanitatem nancisceretur: ita etiam pater ex illo verbo hauriebat fortitudinē fidei. Habet enim verbum Dei duplicem illam operationem: vt egrotos sanet, & sanos corroboret cōseruetque. Sed habet hoc loco singula vox quiddam peculiare in se. Etenim primò, quem Euangelista hactenus Regulam, hoc est filium seculi huius nominauit, hunc iam vocat hominem. Et tum digni sumus vocari homines, quando incredulitatem & cætera vitia à nobis abiicimus: vel ita etiam accipere licebit, quod Euangelista verbum hoc admiratiuè dixerit. Perindè ac si dicat: En, homo, qui hactenus mundo totus addiētus erat, & qui primò tam infirmam fidē habebat, ita profecit: vt nunc verbo Christi credat & obtemperet. Per hoc nostra culpatur ingratitude: vt qui tam multa ex Christo vidimus audimusque, nec tamen adhuc illius verbo per omnia obedimus. Hic homo credidit & obtemperauit sermoni quem dixit ei Iesus. Hic vides quàm citò fides eius creuerit. Credebat etiam antea: alioqui ad Christum non iuisset. Sed erat illa infirma & puerilis fides, quàm solum ex miraculis Christi hauserat, nunc autem credebat viriliter, adiutus verbo Dei: hoc credentem cōfortabat, sicuti etiam forte est & omnipotens. Hæc vera & constans fides est: ea non dubitat de verbo Dei, licet contrarium videat, sed certa est, verbum Dei tandem impleri, & citius cælum ac terra interire oportere, quàm verbum Dei fallat. Talem fidem habebat Abraham, Dauid, Moyses, & alij. Peculiariter autem dicit Ioannes, Credidit homo sermoni, quem dixit ei Iesus: & tamen id temporis nihil maius de illo sentiebat, quàm de homine & propheta. Qua ex re discere debemus: vt & nos illis, quæ nobis Deus per suos prophetas & apostolos annuntiauit, credimus: & non aliter, quàm si Deum ipsummet audiremus. Nam qui vos audit (inquit Christus ad suos Apostolos) me audit. Postremò dicit Ioannes: & ibat homo. Id quod vel solum sat argumenti est & præbet, quòd verè credidit: quia vnico hoc verbo contentus abibat. Incredulus non ita facilè abiisset, sed certus esse prius voluisset, quomodò & quando filius suus conualescere deberet: nùm etiam medicina adhibenda esset, & qualis medicina, & quomodò, &c. Iste verò hoc contentus est, quòd filius suus morbo leuari debebat, nihil ampliùs interrogans, sed committens Deo, quomodò & quando id fieri debeat. In hoc iterum videmus, quæ sit vera natura viuæ fidei: nimirum

mirum piam & cum charitate coniunctam fiduciam habere in Deum opitulaturum eum nobis: quomodo id autem facturus sit, & quando, & per quæ media, illi committete. Sic Abraham ad promissionem Dei patrio solo cõcedebat, nescius quò eum ducturus erat Deus. Sic nõ dubitabat quin Deus sibi genus multiplicaturus esset, tametsi ei præceptũ erat suum propriũ filium occidere. Sic Moses ad promissionem Dei in Aegyptum ibat liberatum Israëlitas, ignorans quomodo illos Deus à potestate Tyranni asserere vellet. Sequitur in Euangelio: Iam autem eo descendente, serui occurrerunt ei, & nuntiauerunt dicentes: quia filius eius viueret. Hic vides Davidẽ rectè dixisse Psal. 36. Iunior fui etenim serui: & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. Mox enim, vt regulus iste in Christum credebatur, filius conualuerat, & scelicius omnia succedebant in domo eius. Quia autẽ serui eius nesciebant, vndenam illa fortuna, læti ei occurrerant, annuntiabantq; Bene itaq; recteq; Christus suis consuluit, vt primò regnum Dei quærãt, & futurum esse, vt reliqua omnia illis adiiciantur. Sic quoque docet David Psalm. 36. Reuela Domino viam tuam, & ipera in eo, & ipse faciet. Eundem in modum & Iosaphat dicebat ad populum suũ: Credite in Domino, & securi eritis: credite prophetis eius, & cuncta eueniant prospera. Contra autem exprobat Deus Iudeis, quòd sibi nunquam obedire & credere voluerint. Si populus meus audisset me: Israël si in vijs meis ambulasset, pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem. Summa? Si pacem & prosperitatem expetis, vitam & dies bonos, declina à malo, & fac bonum. Timentibus enim Deum nihil deerit. Sequitur: Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit. Quantumcumque serui læta ei nuntiabant, alio tamen mens eius erat distracta. Annuntiabant ei corporalem sanitatem filij sui: sed cogitabat ille quomodo & filium suum & seruos ad æternam sanitatem animarum perducere posset. Ideò de hora interrogabat. Quia iam apud se ipsum ita conluserat quòd si hora respondisset: vt filius suus in ea ipsa hora sanitatem fuerit nactus, in qua Christus dixisset, Vade, filius tuus viuit: se in posterum de diuina huius prophetæ virtute, quòd filius Dei & verus Rex Israëlis esset, nihil dubitaturum amplius. Et ita euenit.

Heri hora septima (inquirebant serui) reliquit eum for-  
bris. Apud veteres dies in duodecim horas diuisa fuit. Est

Genes. 12.

Genes. 22.

Exod. 4.

Matth. 8.

2. Parad. 20.

Psal. 60.

Psal. 33.

Vnter dicit  
distantur

ergo septima hora proxima à meridie. Et hæc hora est, in qua omnis ægrotus incipit aliquantò peius sentire: tum enim sol incipit descendere, & in illo descensu, vis quoque in ægrotis paulatim deficit. Hinc apparet, quòd non naturalis, sed miraculosa sanitatis restitutio fuerit. Quod enim natura non potest, potest Deus. Vulnerat & medetur, inquit Iob: **Iob. 5.** percutit: & manus eius sanabunt. Non aspernandum per hoc nobis datur solatium, quòd Christus etiam, vbi natura succumbit, & imbecillior est, auxiliari tamen possit. Nullam itaque causam, nullo modò resipiscere velimus, desperationis habemus. Simulátque enim decreuerit saluare, iam salui erimus; nisi obicem ponamus: quia omnia in illius voluntate & potestate fita sunt: imò hac ipsa de causa Deus quandoque opera sua præposterè instituit, & aliter quàm natura: quòd discamus in eo sperare, etiam si natura succumbat. Sequitur: Cognouit ergo pater, quia illa hora erat in qua dixit ei Iesus, Filius tuus viuit. Opus sanitatis restitutionis comparat cum verbo Christi, & ex magnitudine operis cognoscebat etiam magnitudinem & virtutem verborum Christi. Et quia videbat opus in filio suo factum, non esse humanum, sed diuinum, non dubitabat quin etiam id quod ex Christo audierat, non hominis, sed Dei verbum esse oporteret. Sic etiam inferebat Nathanael, cum ei Christus quædam arcana aperuerat: **Ioan. 1.** Domine (inquit) tu es filius Dei, tu es Rex Israël. Similiter & Nicodemus: Scimus (inquit) quia à Deo venisti: nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. **Ioan. 3.** Diligenter ergo obseruemus nos quoque, quid nobiscum operetur Deus: & tum eiusmodi Dei opera cum verbis illius comparemus, quòd etiam semel virtutem diuini verbi cognoscere discamus. Sequitur: Credidit ipse, & domus eius tota. Tertiò, iam de fide istius hominis dicitur. Primò enim credebat ad Christum accedens: quanquam illa fides valdè imbecillis & imperfecta erat. Secundò, credebat verbo Christi, sed non erat nisi vnicum verbum: ceterùm nunc & tertiò posteaquam virtutem verbi Christi senserat, credebat simpliciter, & non vni, sed omnibus verbis Christi. Nec mirum, si propter vnicum hoc miraculum in Christum credidit: siquidem non vulgare miraculum fuit. Quinimò hoc miraculo Christus demonstrauit, se omnibus in locis esse, omnia posse, & sua voluntate omnia facere &

cere & exequi. Et quid lætius pijs nuntiari possit? Si Christus  
 vbiq; est, si omnia potest, idque sola voluntate & nutu: quid igitur  
 ita animo fracti sumus in rebus aduersis? Nonne iustius cū  
 Iosaphat diceremus: Domine, cū ignoremus quid agere de-  
 beamus, hoc solum habemus residui: vt oculos nostros diriga-  
 mus ad te. Porro quod Reguli filius per verbū Christi cōualuit  
 confirmat etiam reliqua omnia verba quæ locutus est. Vti cū  
 dicit: Ego sum lux mundi; &c. Et iterū: Ego sum vita & resurre-  
 ctio. Sed observa, q̄ Ioannes non solum dicit, Credidit: sed ad-  
 dit. Et domus eius tota. Hic videmus primò Regulum hunc  
 verum fuisse patrem familiās, dum familiam suam verbis suis  
 & exemplis ad fidem perduxit. Secundò videmus hic, quod  
 vnius hominis ægritudo ad salutem totius familiæ domesti-  
 cæ inferuuit. Qua quidem ex re discere debemus, quod Deus  
 non propterea crucem & tribulationem immittit in nos, vt  
 nos perdat, sed vt seruet. Nisi enim adolescens hic in mor-  
 bum incidisset, nemo fortè ex tota hac domo in Chri-  
 stum credidisset. Huc igitur seruit, quod Deus non seruum  
 sed filium in motum incidere sinebat, quò pater cupidius  
 Christum quæreret. Quapropter Salomon rectè & benè docet,  
 ne disciplinam Dei respuamus. Quem enim diligit hunc cor-  
 ripit: imò nisi hanc domum dilexisset, in suis peccatis absque  
 omni admonitione eos reliquisset. Eam ob causam dicit san-  
 ctus Iacobus, vt pro mero gaudio ducamus, si in varias inci-  
 damus tentationes. Verum attende, quod Ioannes solum  
 de Regulo eiusque domo, & non de alijs ciuibus Capernaam  
 dixit quemadmodum & superius dixit, cū Christus aquam  
 in vinum vertebat. Et crediderunt discipuli eius in eum, ni-  
 hil de alijs hominibus nuptialibus loquens: ad indicium  
 quod eorum pauci sunt, qui verè credunt. Maior etenim pars,  
 etsi multa audit & videt, manet tamen in peccatis, arida  
 fide contenta. Spiritualiter verò quemadmodum Samarita-  
 na mulier figura & imago fuit Ecclesiæ & congregatio-  
 nis, ex Gentibus ad fidem venturæ: ita Reguli filius imago  
 est Iudaici populi: is tum mori incipiebat, cū Gentili-  
 tas incipiebat credere. Regulus qui pro filio orabat, fi-  
 des est veterum patrum, quæ adhuc quotidie pro Iudaico po-  
 pulo orat. Non enim adhuc illos in totum reiecit Deus: imò  
 vbi venerit plenitudo Gentium, tum omnis Israel saluabitur.  
 Id autem fiet hora septima, hæc est, cū Christus sol iustitiæ,

*Cur affligat  
mur à Deo.*

*Prov. 3.*

*Iacob. 1.*

*Ioan. 2.*

*Ioan. 4.*

*Rom. 11.*

*Œſus tropolo-  
gicus*

*Eccle. 5.*

iterum incipiet deſcendere, & ſigna extremi ſui a duētus præmittet, tum etiam ad fidē venient, nimirum ſub finem mūdi: quemadmodum Gentes, cū ſol aſcenderet, & Chriſtus cœlum repeteret, credere cœperunt. Si hęc hiftoriam ad bonos etiam mores ſectere lubet, ſignificat Regulus rationem, ægrotus filius ſenſualitatem. Febris eſt peccatum: illud habet calorem & frigus, hoc eſt, inordinatum amorem & metum. Cauſa ægritudinis & peccati eſt, iuuentus, nobilitas & affluētia rerum temporalium. nam talia vbi ſunt, ibi facile caditur in peccatum: & hic morbus proculdubiò in mortem nos pertrahit, niſi in auxilium nobis veniat Chriſtus. Tātò cupidius per æpnitentiam ad illum currere & feſtinare debemus. Nō tardes conuerti ad Dominum (inquit ſapiens:) ſubitò enim veniet ira illius, & cæte. Deus det nobis omnibus ſuam gratiam, Amen.

DOMINICA VICE-  
SIMA TERTIA POST  
PENTHECOSTEN. EVANGELIUM MATTH.

CAP. XVIII.

**D**IXIT Ieſus diſcipulis ſuis parabolā hanc: Ideo aſſimilatum eſt regnū ꝑ cœlorum homini regi, qui voluit cōferre rationē cum ſeruis ſuis. Et cū cœpiſſet cōferre, oblatus eſt ei vnus qui debebat ei decē milia talentorū. Cęterum cū is non eſſet ſoluēdo, iuſſit eū dominus venundari & vxorē eius, & liberos, & oīa quę habebat, ac fieri ſolutionē. Procidēs autē ſeruus ille adorabat eū, dicēs: Domine, eſto patiens erga me, &  
omnia

omnia tibi reddam. Misertus autem dominus serui illius, absoluit eum, & æs alienum remisit ei. Egressus verò seruus ille, inuenit vnum de conseruis suis, qui debebat sibi centum denarios, & iniecta in eum manu obtorto collo trahebat, dicens: Solue quod debes. Et procidens conseruuseius, rogabat eum dicens: Esto patiens erga me, & omnia reddam tibi. At ille nolebat, sed abiit, & coniecit eum in carcerem, donec redderet debitum. Porrò cùm vidissent cōserui eius quæ fiebant, indoluerunt valdè, & venerunt, aperueruntque domino suo omnia quæ facta fuerant. Tunc accersuit illum dominus suus, & ait illi: Serue sceleste, totum debitū illud remisit tibi cùm obsecraffes me, nonne oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus eram? Et iratus dominus eius, tradidit eum tortoribus, quoad vsque redderet totum quod debebatur sibi. Sic & pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis suo quisque fratri de cordibus vestris delicta illorum.

## E A D E M D O M I N I C A

## E P I S T O L A S A N C T I

P A V L I . P H I L . I .

**F**RATRES, *Persuasum habeo hoc ipsum, quod is qui coepit in vobis opus bonum, perficiet usque ad*

diem Iesu Christi, sicut iustum est mihi, ut hoc sentiam de omnibus uobis, propterea quòd habeã uos in corde, & in uinculis meis, & in defensione & confirmatione Euangelij, cum sitis omnes mihi consortes gratiæ. Testis enim mihi est Deus, quàm desiderem nos omnes in uisceribus Iesu Christi. Et illud uero, ut charitas uestra adhuc magis ac magis exuberet in agnitiõe omnique intelligentia, ut probetis quæ sunt præstantia, ut sitis sinceri ac tales, ut nemini sitis offendiculo in die Christi, impleti fructu iustitiæ, qui contingit per Iesum Christum ad gloriam & laudem Dei.

PRIMVS SERMO DE

Euangelio in genere.



EXTVM istius Euangelij audiuius breuissimè & secundum literam, & quasi totum deglutiuius. Nunc facere nos oportet, ut munda animalia, quæ quod in pascuis festinanter carpunt & vorant, deindè in stabulo & in quiete ex ventre in os iterum attollunt, & veram primùm dulcedinem in eo quærunt. Ita & nos facere oportet, quæ modò audiuius, in memoriam reuocare, & verè primum quærere quid in se habeant. Et quidem necessarium id nobis est, summamque utilitatem affert. Vnde etiam in sacris literis ea tantummodò animalia pro mundis habentur, & in cibum hominis, imò etiam ad sacrificium Dei idonea & apta cõsentur, quæ ita cibum ruminant. Id autè quæ non faciunt, immunda vocantur, & cum ad cibum hominis, tum etiã ad sacrificium Dei inutilia æstimantur. Hoc potissimum ad id inseruit, ut discamus uerbum Dei non solùm diligenter audire, sed etiã conferre in opus, meditari diligenter, gaudiũ nostrum & voluptatẽ spirituale in eo quærere: & omnia eò dirigere, ut etiã si sonus uerborum seu uox euauit, deindè gustus & suauitas in nobis maneat. Hoc propter eos dico, qui simulatque textum Euangelij audierunt, abeunt: putant ad eò se audiuisse satis, non amplius meminerunt Euangelij postea, sinunt hoc pacto nobilè & pretiosum cibum in se perire, unde uitã & salutẽ habere possent. Tales homines mera immunda sunt animalia, quæ nullo

*Animalia  
munda  
Leuit. 11.*

nullo modo ad tēplū pertinent, nec ea Deus sibi in sacrificiū cupit. Quapropter pura animalcula imitabimur, & nūc auditū Euangeliū non ita simpliciter & inconsideratū abire sinemus. Et licet nō oīa verba exactissimè disquirere possimus: potissimā tamē sentētiā huius parabolę & similitudinis quę remus considerabimúsq;. Quanquā bon<sup>9</sup> Christianus meli<sup>9</sup> quiddā haud facere posset, quā vt per otiū vnū verbū post aliud meditaretur. Præcipuū tantūmodò vobis indicabo, quia aliàs nō oīa simul indicare possum. Et primò necessariū est, vt rē benè perpēdamus, quāobrē Christus in sua doctrina & prædicatione toties & tot parabolis seu similitudinib<sup>9</sup> vsus sit, ne quis doctrinā eius tantò vilioris æstimaret, quandoquidē eā tā simpliciter proposuit: sicuti Iudæi & Ethnici quiddā hæretici etiam fecerunt, & adhuc faciunt, quibus non solū crux Christi, sed etiā simplex eius doctrina scādālū & stultitia est. Quanquā & Christus suā doctrinā sublimibus & subtilibus verbis proponere potuisset, vt solēt mundi sapiētes, qui nihil aliud quærunt, quā vt docti & eloquētes habeantur, videātur sibi egregiè suo functi officio, si ita loquantur, vt eos intelligere nemo possit. Christus (inquā) idē facere potuisset, sed nostra causā intermisit, & doctrinā suā ita saltē in plerisq; tēperauit, demissitq; vt eam intelligere possemus. Quēadmodū in Isaia promisit, se in lingua labij, & lingua altera locuturū ad nos. Hoc fatetur ipsemet, vbi ad Nicodemū dicit. Si terrena dixi vobis & non creditis: quomodò si dixero vobis cœlestia crederis? Isthuc ipsum quoq; exemplū Paulus secutus fuit, qui sibi laudi ducit, q̄ Euangeliū Christi nō magnificis & fastuosis verbis & sublimi sapiētia annūtiavit. Ego (inquit) in infirmitate fui apud vos: & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientię verbis, sed in ostēsiōe spiritus & virtutis: vt fides vestra nō sit in sapiētia hominū, sed in virtute Dei. Christus autē hęc potissimū ob causam tot similitudinibus vsus est, ne quis existimaret ex alio eū locutū spiritu, quàm Prophetę locuti sunt: qui vt plurimū parabolis & similitudinibus vsi sunt, vti videmus Isaia quinto, Hieremix decimotertio, Ezechielis decimosexto, & Osee primo capite. Attamen Christus non semper vniusmodi sentētiā in qualibet parabola habuit. Aliquās enim propterea solū locutus est, quò simplices tanto meliūs intelligere possent & apprehendere: sicuti in Ioanne videmus, cū Nicodemus in-

*Cur Christus  
tot vsus para  
bolis.*

*1. Cor. 1.*

*Esai. 28.*

*Ioan. 3.*

*1. Cor. 2.*

telligere nō posset, quod Christus de spiritali regeneratione dicebat, dabat ei Christus similitudinem de Spiritu. Spiritus

**Iohan. 3.** (inquit) ubi vult spirat, &c. Et post: Sic est omnis, qui natus est ex Spiritu. Aliquas similitudines in hoc solum dixit, quo boni & deuoti homines occasionem interrogandi haberent: vt est

**Luc. 8.** similitudo de semine, cuius quarta tantummodo pars fructum affert. Aliquas ob id solum dixit, quod mali peccata sua tanto melius videre possent, & illis omnis excusatio esset adempta,

**Matth. 21.** vt est similitudo de improbis vineatoribus, qui patrifamilias non solum fructus nullos dabant, sed seruos eius etiam intermebant, quin etiam vnigenitum eius filium: & similitudo de nuptijs, quas rex filio suo parabat. Hoc animo parabolam quoque istius Euangelij locutus est, quod videre quisque melius posset grauitatem peccatorum, & falsis Christianis omnis excusatio auferretur, quando videre præ oculis coguntur, quid ex gratia acceperint, & è diuerso mali fecerint. Dixerat D. Petrus, quoties fratri suo dimittere deberet: num sufficeret, si septies dimittat. Hoc responsi accepit, vt non solum septies, sed vsque septuagesies septies dimitteret. Quod autem Petrus & nos omnes videre melius possemus quasi ab oculos, quam iniquum sit, quam malè nos Christianos deceat, & quam sit perniciosum, gratiam & misericordiam à Deo accepisse, & tamen illam proximo nō etiam præstare & exhibere: subiunxit Christus hanc seueram & insignē parabolam, & supra id, quod omnes scirent, quod hæc ipsa similitudo ad nos quoque pertineat omnes, subiicit postremo: Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris. Annon autem satis hoc clarè dictum? Quis tam ingenij habetis est, qui id intelligere non possit? Nimirum per hoc omnia cadunt, quæ prætexere possumus. Homo odio percirus prætexit, sibi tantam factam contumeliam, vt remittere eam non possit. Sed contra quid dicit Christus? Serue nequā, tantine tuā contumeliam facere potes, & non cogitas, qua tu me contumelia affeceris, in tam multiplici transgressione meorum mandatorum, quin etiam manifesta nominis mei blasphemia? nōnne omne debitum dimisi tibi, & non semel, sed sæpius: primo in baptismo originalem culpam, in qua natura filius iræ fueras natus: & deinde etiam alias noxas, quas non ex Adam contraxisti, & ante baptismum designasti, sed quas ex propria libidine & post acceptam gratiam admisisti? nōne decem

milia

*Excusam' vs  
sia nostra.*

mālia pondo mihi debebas, & tamen omnia condonavi tibi pœnitenti, ac remisi? Adhæc homo odio inflammatus quid dicere poterit? annon omnis illi excusatio adempta est? Eodem res modo cum avaro habet, cuius omnes cogitationes in in lucro & scœnore sunt: si increpatur, quamobrem pauperibus non succurrat commodando & largiendo, responsum illius est, quemadmodum olim primus homicida Cain dicebat? Num ego sum custos fratris mei? Sic dicit avarus & pecuniarum cupidus: Quid ad me alij homines? quod habeo meum est. & per hoc ab omni immisericordia se excusatum vult. Sed quid dicit Christus per Apostolum? Serue nequam, quid habes quod non accepisti? nõ ane nudus in terram venisti, vti Job dicit? Quid in terram tecum intulisti? Nõ ane scriptura dicit committo nunc quotidianam experientiam, nos nihil in hunc mundum nobiscum intulisse, nec ablaturus aliquid nobiscum. Si ergo omnia habes à me: quid efferris, quasi ex te ipso habeas? Nõ ane igitur & tu misericordiam & compassionem fratri tuo exhibere debebas? An non autem videtur tibi, quòd etiam omnibus auaris & proprij emolumentis studiosis omnis per hoc excusatio adempta est? Eodem modo omnibus Tyrannis, qui sine omni misericordia miseros subditos & debitores premunt, grauant & angunt, omnis per hoc excusatio adempta est. Nam etsi dicunt, se iure debita sua exigere, & à miseris extorquere posse: respondet illis Christus, Serue nequam, nõ ane & ego iure meo in te vti potuisssem? Imò si hoc fecisssem, & secundum seueram iustitiam meam tecum agere voluisssem, vbi mansisses? Aut quomodò adhuc manere posses? Si ergo, ego, qui tuus Deus, Dominus & creator sum, ab eo quod iure facere potuisssem destiti, & misericordiam tibi præstiti, meritò tu quoque similiter fratri tuo facere debuisses. Et quid hîc dicit Tyrannus, hominum lanio & excoriatore? Ex his omnibus perspicuum fit, quòd Euangelium istud omnibus etiam falsis Christianis, qui aiunt, si peccati & impiæ vitæ arguantur, sufficere sibi si credant, talibus hominibus (inquam) adimit etiam istud Euangelium omnem excusationem. Hîc enim rursus stat Christus & dicit: Serue nequam, an putas me propter misericordiam & gratiam præstitisse tibi, vt nudæ & otiosæ fidei fidas? An non audiuisti, quod dixi: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde? Annon legisti, quod dixi: Quid vocatis me, Domine, Domine,

*Gen. 4.**1. Cor. 4.**Job. 1.**2. Timo. 6.**Tyranni.**Solifidei in-*  
*nitentes.**Matth. 11.**Luc. 6.*

& non facitis quæ dico? An non audiisti, quòd discipulis meis in ultimo meo decessu hoc mandati dedi, & dixi: Mandatum nouum do vobis, vt inuicem diligatis, sicut ego dilexi vos: imò ex ea dilectione cognoscent omnes, quia discipuli mei estis? Atque hoc pacto Euangelium istud omnibus falsis Christianis omnem adimit excusationem: manifestè indicans, quòd Deus ab omnibus ijs charitatem & misericordiam exigit, quibus ipse misericordiam præstitit. idque comminatione horreni sui iudicij. Et hoc præcipuum est in ista parabola seu similitudine: nimirum quòd post fidem & iuxta fidem, & in fide etiam charitas sit necessaria ad salutem: & non solum charitas erga Deum, sed etiam charitas erga proximum. Quàm verò homini charitas Dei necessaria sit, alibi dictum est. In hoc Euangelio videmus, quàm charitas proximi necessaria sit: siquidem plurimum nostra refert, vt nos inuicem diligamus, nos mutuò toleremus, feramúsque, & vt alter alteri condonet. Christus populum habere vult, qui sit vnanimis, quemadmodum de primis fidelibus scriptum est. Atqui nihil est, quod homines arctius iungit & copulat, quàm charitas. At qui ideò Paulus eam vocat vinculum perfectionis. Quia ergo propter ingenitam naturam & mores quandoque admodum dissimiles sumus: facilè fit, vt lædamus nos inuicem verbis, vel etiam operibus: vnde necessarium est, vt nos inuicem in mansuetudine & charitate toleremus: condonemusque, alioqui nunquam vnus populus in vna domo erimus. Nec amicitia vlla inter nos durare poterit. nam vbi nulla remissio & indulgentia est, ibi crescit inuidia & odium, ibi vindictæ cupiditas oritur, ibi regnat malitia & inualefcit totum regnum diabolicum. Quapropter indicare nobis Christus voluit, quòd proximo dimittere & ignoscere non solum bonum, sed etiam tam necessarium opus sit, vt absque illo nulla apud Deum remissio speranda sit. Hic discamus, quæ sit antiqua & vera via, remissionem peccatorum & Dei gratiam consequendi. Vulgus enim hominum hac in parte verum attingere scopum debebat. Omnes quidem apprehendimus Euangelium, vbi molle & facile est: capimus remissionem, attamen ne magno nobis constet: imò aliàs etiam omnia libenter facimus, tantum ne à peccatis cessare cogamur, & vitam nostram corrigere. A nostra parte (eò enim res peruenit, vt Christianitas in multis partibus diuisa sit) à nostra parte, inquam, videmus nobis

*Charitas necessaria.*

*Act. 2.*

*Colo.*

*Remissio peccatorum vt obinenda.*

*remissio*

remissionem peccatorum consecuti, si quid sacri contingimus cum adhæc vel illa loca proficiscimur, cum indulgentias redimimus, cum cæremonias quasdam obseruamus, & orationum certum pensum absoluiamus, &c. nec vltra cogitamus, etiamsi tota nostra vita impura & impia est. Ab altera parte conantur remissionem peccatorum sumptu multò minore consequi: nam qui dicere potest, Credo Christum pro admisis meis satisfecisse, is viderur sibi per omnia securus, qualemcùnque etiam ducat vitam: & hoc modo fit, vt vtrinque præcipuum & maximè necessarium omittatur: nimirum à peccatis cessatio, emendatio vitæ, & studium veræ pietatis, atque ideo etiam vtrinque erratur.

*Declinādum à malo, & faciendum bene.*

Nam hîc apertè vides, quòd Euangelium nostrum nulli mortalium gratiam annuntiat in peccatis perseueranti: imò apertè indicat, quòd homo acceptam gratiam iterum amittit, & in maiorem iram & indignationem cadit, si gratia abutatur. Id quod in hoc seruo apparet. Annon magnam gratiam nactus erat? Quis illo erat scælicior? At mox in maiorem indignationem cadebat. Nihil illi proderat neque prior eius fides, neque fiducia in misericordiam Regis, neque accepta gratia. Est ergo vera & antiqua, & omnium certissima via, peccatori gratiam & remissionem peccatorum impetrandi conseruandique, si vocem seruatoris Christi audiat, credat & fidat merito salutaris eius passionis, & præterea pœnitentiam agat: conuertat se à malo ad bonum, & studeat omni pietati, & maximè dilectioni Dei & proximi. Hæc vera via est: eam autem diabolus nos apprehendere non finit, semper nos transfuersim ducit, aut nimium ad dexteram, aut ad læuam nimium. Tantò magis & diligentius Euangelium istud intueri & ad animum reuocare debemus. Sint hæc dicta de eo, quod præcipuè

*Notatu digna.*

in hoc Euangelio obseruandum est. Si quid porrò specialiter ex eo desumendum est, proximè sequens sermo nobis indicabit. Deus

det nobis omnibus suam gratiam, Amen.

\* \* \*

## SECUNDVS SERMO DO.

cet quid præcipuè ex hoc Euangelio  
obseruandum sit.



IRCA hodiernum istud Euangelium non opus multa est interrogatione, quid sibi Christus cum hac parabola voluerit. In ultimo verbo id ipsemet indicat: atque ita, vt procul dubio etiam inter nos Christianos sint, quibus parum adferat

Gaudij. Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, inquit Christus, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.

Hæc explanatio est huius parabolæ & similitudinis: hîc omnia simul habes, quis Rex, quis seruus, & quod debitum sit. Sic

*Rex.*

*Seruus.*

*Debitum.*

& Pater meus faciet. Hîc habes Regem: Sic faciet vobis, hîc habes seruum: Si non remiseritis, hîc habes debitum: vnde &

reliqua intelligi facillè possunt: nimirum qui conserui sint, quis carcer, qui tortores, & quibus hæc omnia contingere debeant, & quando: imò prima illa duo coniuncta habemus in

*Psal. 64.*

Psalmo, vbi Dauid ait: Deus magnus Dominus, & Rex magnus super omnes Deos, Hîc vnâ partem habes istius similitudinis. Sub hæc mox dicit Dauid: Ipse fecit nos, & non ipsi nos.

Venite, adoremus: quia ipse est Dominus Deus noster, nos autem populus pascuæ eius, & oues manus eius. Hæc altera pars est, quod Deus Dominus est, nos autem serui illius: &

*Philip. 2.*

ita nos nominat Scriptura etiam alijs in locis, vti cum Paulus dicit, Christum formam serui suscepisse: & quod sciamus, quis ille seruus sit, cui similis sit factus Christus, mox subiicit, in similitudinem hominum eum esse factum. Hic seruus ille est, quem hæc parabola demonstrat. Qui homo est, & Christianus nominatur, is sciat de se & sibi dictum esse. Tertium, nempe debitum quod sit, habes in oratione Dominica, vbi inter alia eundem in modum, nos orare iubet Christus, & dicere:

*Matth. 6.*

Pater dimitte nobis debita nostra. Et quid hoc debitum aliud esse potest, quam peccatum, quod contra Deum & legem eius facimus? Proinde in hoc Euangelio ante omnia obseruandum est, quomodo Christus hanc suam doctrinam tam clarè proponere voluerit, vt omnes possent intelligere, nec quisquam dicere posset. Nimis argutum & sublime mihi est, quis tam sublimia capere posset? Quis nostrum valet ad cœ-

*Deut. 30.*

lum ascendere, vt deferat sapientiam Dei? Non. Scriptum

est. Propè

est, Propè est verbum tuum in corde & in ore tuo. In *uice* *Euã* *Baruch.*  
 lium istud, & inuenies, Christum tibi omnia ob oculos pone-  
 re, idq; vna vice aut simul, quid credere: & sperare, metuere, co-  
 gitare & facere debeas. Vnumquodque verbum in hac parabo-  
 la indicat aliquid peculiare, & non vnum tantum, sed plura. Id  
 quod paucis indicabo. Primò in verbo, quod Christus dicit,  
 Assimilatum esse regnum cœlorum homini Regi, qui voluit  
 ratione ponere cum seruis suis, videmus principio quòd Deus  
 solus Dominus est, cui seruire omnes creaturæ debent, maxi-  
 mè homo & Christianus, vti etiam superius ex sancto Dauide  
 indicatum. Secundò, quòd omnes pariter serui & ministri Dei  
 sumus. Ita enim nos Scriptura nominat. Neque hîc discrimen  
 vllum est inter diuitem & pauperem: non enim respicit Deus  
 personam hominum. Tertiò videmus in primo hoc verbo,  
 quòd Deus suo rationem à seruis suis exiget, & tam exquisitè,  
 vt homo etiam de vnoquoque verbo otioso rationem dare co-  
 gatur. Atque hæc ratio incipit hîc, quando nobis Deus  
 conscientiam excitat suo vel instinctu, vel verbo, & nos præ-  
 teritorum admissorum admonet. In futuro autem iudicio  
 hæc ratio finitur. Omnes enim stabimus ante tribunal Chri-  
 sti vt omnes accipiunt quod in corpore operati sunt, siue bo-  
 num siue malum. Habemus enim vnum Dominum, qui nul-  
 lum bonum irremuneratum, & nullum malum inultum fi-  
 nit. En, hæc omnia ex primo verbo dicere possumus. Et quem  
 credis fructum ac vtilitatem adferret, si hæc saltem tria ad  
 animum reuocare niteremur? Sequitur in Euangelio: Et  
 cum cœpisset rationem ponere, oblatus est ei vnus, qui debe-  
 bat ei decem millia talenta. In hisce verbis videmus primò,  
 nos pariter omnes ex nobisipfis peccatores esse, quippè in no-  
 bis omnibus inuenit Deus plus mali, quàm boni: ita vt dicat  
 Ioannes, Si quis dixerit peccatum se non habere, eum scip-  
 sum seducere, & veritatem in eo non esse. Et Dauid aperte  
 dicit, Non iustificari per se vllum hominem in conspectu  
 Dei. Vnde nos Christus omnes iubet orare, & petere remis-  
 sionem peccatorum seu veniam culpæ. Quin Dauid dicit,  
 omnem sanctum quoq; orare pro remissione peccati. Nemo  
 enim ita purè semper viuit, vt non interdum in veniales la-  
 batur culpas. Secundò, videmus in hoc verbo, quàm acutum  
 cernat iudicium Dei, & quàm accurate omnia inquirat, nihil  
 occultum relinquens, nec illi effugere quisquam poterit mor-

*Psal. 94.**Act. 16.**Matth. 23.*

*Rom. 2. 4.*  
*Merces recte*  
*& male fac-*  
*torum.*

*1. Ioan. 1.**Psal. 143.**Matth. 6.**Psal. 13.*

*Hiere. 23.* talium. Si occultabitur vir in absconditis, & ego non videbo eum, dicit Dominus. Et in Amos: Nō erit fuga eis, fugient, & non saluabitur ex eis, qui fugerit. Si descenderint vsq; ad infernum, indē manus mea educet eos. Et si absconditi fuerint in vertice Carmeli, indē scrutans auferam eos: & si cælauerint se ab oculis meis in profundo maris ibi mandabo serpenti & mordebit eos. Tertiò, videmus in hoc verbo, quàm magna & graua nostra peccata sint, quando quidē illa Christus primò debitū nominat, & admissum debitum non contra hominem sed contra Dominum & regem cœli & terræ. Quò autem maior ille est, cuius mandatum contemnitur, hōc etiā maius peccatum est, quòd aduersus illum designatur. At quis maior Deo? Est ergo etiā maximū peccatum & debitum, cum Dei præcepta contemnuntur. Si peccauerit vir in virū, placari ei potest Deus: si autem in Deum peccauerit vir, quis orabit pro eo? ait pontifex Heli ad filios suos. Ex his iam vides, peccatum quale debitum sit. Hanc rem seuerius adhuc agit Christus dum non vulgare debitum nominat, nboli aut. semisis sed talenti: neq; vnius, sed decem millium, quanquam vnum talentum plus satis esset. Siquidem talentum siue pro pondere, siue pro moneta accipias, maximum est: quippè in pondere continet centenarium, in moneta verò cōtinet (iuxta quorundā supputationē) sexcētos coronatos. & hoc primū vnum talentum est. Sed verò vide iam, in qualem euadant summam decem millia talenta. Verūm quid homo prudens etiā in externis rebus gaudij habere potest in tāto debito, vbi quotidie à creditoribus suis monetur & coangustatur? Loquor autem de hominibus prudentibus, alioqui enim inter insulos & insipiētes inueniūtur quidam, qui nihilo secius dormiunt, conuiuantur, & frontem exporrigunt, licet magno teneātur ære alieno: nec pudet eos, etiā si quotidie debitum ab eis exigatur. Sed nulla hæc profectò sapientia est, quin potius magna imprudētia. Cæsar Augustus fidelem habebat seruum, sed tantum post suum obitum relinquebat debitum, vt Cæsar demiraretur, quī in tantis debitis somnum capere potuerit. Vade, inquit ad suum seruum, & adfer mihi puluinar, super quod iacuit, quòd si ille dormire super illud potuit, spero equidem & me super idipsum dormire posse. Summa, quisquis in magno debito non anxius est & sollicitus, sed effrænis & sine cura, haud ille quidem sapientia præcitus est ma-

*1. Reg. 2.*

*Talentum.*

*Cæsar Augu  
sus.*

est magna. Si ergo temporale debitum homini sapienti talem anxietatem, curam & pudorem generat: ut nunquam conuiescere possit, nunquam in hominum verè conspectum venire audens, semper metuens, ne quid pecuniarum à se exigatur: qualem igitur anxietatem afferet, si quis coram Deo debeat, & se in sua conscientia ita sentiat? Atqui Christus studio talem summam nominauit, quò possimus videre fieri non posse ut peccata & culpas ex nobis ipsis vnquam dependamus, pròq; ijs per nos solos satisfaciamus: & magnam esse misericordiam, nos non illicò tortoribus & malis spiritibus traditos esse & tradi. Quisque enim apud semetipsum cogitet quis ipse sit, quid acceperit, quid contra boni ac mali fecerit: talem profectò summam & tam magnum inueniet debitum, quod per se persolvere nunquam possit. Imò quis ea probitate est inter nos, qui non multis Deo debitis sit obligatus? Inueniuntur quidè, qui probitatè sibi ipsis iactanter tribuant: sed nesciunt quandoque se pauperes, miseros, & egenos, nudos & cæcos esse. Atqui in mundanis & externis debitis nulla summa tanta est, si quis piger non sit, quin exoluere sese temporis successu possit: peccatum autem expiare coram Deo nemo potest ex sese ipso. Quicquid enim sumus & habemus, quicquid dare & facere possumus, id antea Deo debemus. Et quid igitur reliqui nobis sit, quo debita nostra persolvere possimus ac redimere? Domine (inquit David) non intres in iudiciũ cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Et iterum: Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripas me. Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatae sunt super me. Et rursus: Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Hoc videmus in tertia parte istius parabolæ, vbi Christus ait: Iussit eum Dominus eius venundari, & uxorem eius & filios, & omnia quæ habebat, & reddi. Hic apparet seueritas diuini iudicij: quin hic videmus sententiam pridem latam, & quidem sententiam æternæ iræ & indignationis. Et Christus si hanc parabolam ista sententia conclusisset, haud dubiè nobis omnibus desperandum foret, & quidem sine omni medio: nam debitum ceruicibus nostris incumbit. Nec iudicium Dei euitari potest: vti superius in Amos demonstratum est. Sed quid Christus ampliùs dicit? Procidens

Apoca. 3.

Psal. 142.

Psal. 37.

Psal. 129.

Amos 6.

seruus ille, orabat eum dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Hoc verum medium est veniam consequendi: fugere non prodest, excusare se non iuuat, occultare sese non expedit. Vnicum & omnium certissimum medium, si quem iudicium Dei in mala conscientia deprehendit, est, procidere, humiliare sese, peccatum confiteri, & veniam petere, Christum implorare, qui propitiatio est pro peccatis nostris, per quem inuenire possumus clementem Deum: imò per eum habemus accessum ad Deum. Et quod nobis aliqui impossibile esset reddere, id possumus per eum reddere, dare nobis potest & commodare. Cum illius meritis, modò ipsi rectè vtamur, persolvere possumus, siquidem multò maiora sunt, quàm omnia peccata nostra & culpæ. Et hac in parte nulla gens sub sole scelicitior est nobis Christianis. Omnes alij populi debito quantumuis magno obstricti, quantumuis peccent, nullum tamen sciunt solatium, in peccatis suis mori eos & perire oportet: nos autem scimus vnde accipere, & vbi inuenire debeamus, Deo quo satisfaciamus, reddamúsque debitatatum tales nos præbeamus, quibus prosint eius merita. Sequitur in Euangelio. Misertus dominus serui illius, dimisit eum & debitum dimisit ei. Rectè hæc sese mutuò consequuntur: seruus humiliabat sese coram domino, dominus miserabatur serui. Habemus hic exemplum & argumentum ineffabilis misericordiæ Dei. hic videmus quid sperare & nobis de Deo promittere possimus: quinimò hic videmus primò, quòd misericordia Dei omnia nostra peccata vincit. Est ergo blasphemia in Deum, quòd Cain dicit. Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear. Secundò videmus hic, nullam peccatum esse tantum, quod dimitti homini non possit, si ex animo resipiscat: quemadmodum Christus ipsemet dicit in Matthæo. Solùm excipit peccatum in Spiritum sanctum, quod non dimittitur: quia rarò agnoscitur. Tertiò videmus hic, Deum plus dare, quàm ab eo petere ausimus. Seruus moram tantum rogabat, nunquam petere ausus fuisset omnis debiti remissionem: at Dominus adeò bonus est, vt ipsemet dimittat ei omne debitum. Vnde David meritò de Deo dicit: Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in seculum misericordiæ eius. Et quis tam benignum Dominum non amet ac laudet, cumque peccando offendere non erubescat? Quarto videmus hic, Deum

1. Ioan. 2.

Eph. 2

Genes. 4.

Matth. 12.

Psalm. 17.

hic, Deum pro magno debito valdè exiguum postulare: nimirum vt etiam proximo nostro dimittamus. Id enim si hic seruus fecisset, debito suo æternum liber esset, & propterea intentatus mansisset. Hic attollamus capita nostra quotquot nos peccasse dolemus, solatiúmque hauriamus contra omnem pusillanimitatem & desperationem. Consideremus quid hic seruus mutationis in seipso senserit: magno cum debito ibat ad iustum iudicem, atque illic necessariò metam & tremorem esse oportuit. Liber iterum exhibit: atque illic indubiè gaudium fuit. Rectè igitur & verè Dauid dixit: Beati quorum remissæ sunt iniquitates & quorum recta sunt peccata. Sed quid sequitur in Euangelio? Egressus seruus ille, inuenit vnum de conseruis suis. &c. Hic ostendit sese corrupta hominis natura: hic videmus malitiam humani cordis. Primò, quòd seruus iste tam citò obliuiscitur gratiæ & beneficiorum acceptorum. Secundò, quòd tam immisericorditer agit erga conseruum suum. Noster adèò hic mos est: in templis oramus pro gratia & remissione, extra templum obliuiscimur omnis boni, quod accepimus: protinus incipimus fratres nostros grauare, imò opprimere sine omni misericordia. Neque hoc tempore quiequam vulgatius: minor commiseratio: imò maior tyrannis & immisericordia erga pauperes visa nūquam fuit, quàm hoc tempore, cum nemo non gratiam Dei & Euangelium iactat: vt Christus verè dixerit, fore vt malitia vltimis temporibus inualescat, & charitas refrigescat. Sequitur in Euangelio. Videntes conserui eius quæ fiebant, contristati sunt valdè: & venerunt & narrauerunt domino suo. Hic videmus horribiliter, nihil celari aut occultum manere, quòd homini Christiano iniuria irrogatur. Nam qui vnum Christianum lædit: omnes lædit: quin Christum ipsummet, quemadmodum etiam in extremo die ad malos dicet. Et hanc ipsam ob causam de cælo clamabat, Saule, Saule, quid me persequeris? Ego sum Iesus Nazarenus quem persequeris. Et Saulus homines tantum persequeretur in Christum credentes: attamen Christus iniuriam illam accipiebat tanquam sibi illatam. Secundò videmus hic, quòd clamor proborū in cælum vsq; & ad Deum penetrat & venit quamadmodū etiam sanguis Abel in cælum clamabat. Et quomodo Deus non audiret clamorem electorum suorum, qui dies ac noctes ad ipsum clamant.

Iratus dominus vocauit illum, & ait illi: Serue nequam, &c.

*Psalm. 32.*

*Iactamus Euangelium Euangelij contemptores.*  
*Matthæ. 24.*

*Matthæ. 15.*

*Act. 9.*

*Genes. 4.*  
*Luc. 18.*

Et post tradidit eum tortoribus, &c. Hic vides quod Dominus de quo tam multa bona dicuntur, etiam irasci possit: imò tantò vehementius irascetur & puniet, quantò plus antea gratiæ exhibuit. Videmus item hic, quod nulla res Deo tantopere displicet, atque ingratitude & immisericordia, erga proximum. Videmus porro hic homini Christiano non sufficerere: ut neminem lædat: quin etiam benefacere suo proximo debet. Imò hic videmus, quod nec fides sufficit sine charitate, quæadmodum etiã Paulus ad suos Corinthios scribit. Postremò videmus hic, nihil infœlicius homine, qui post acceptam gratiã in Dei iram recidit: præstaret enim tali, si viã iustitiæ nunquam agnouisset, quàm post agnitionem retrorsum conuerti ab eo, quod illi traditum est sancto mandato, imò melius esset illi, si natus nunquam fuisset, quemadmodum Christus ad proditorem suum dicebat. At vide iam, quàm multa & magna nobis Euangelium istud ob oculos ponat. Quare conscientias nostras exploremus, Dei misericordiam atq; etiam iustitiam pariter confideremus: peccata vitemus, grati simus pro accepta gratia, compatiãmurque proximo nostro, Deus erit nobiscum, nec vnquam nos cum malo seruo condemnabit.

1. Cor. 3.

2. Petr. 2.

Matthæ. 26.

### TERTIVS SERMO DE PRIMA parte istius Euangelij.



**P**ARABOLA hæc & similitudo, initio supra modum consolatoria est, in fine autem valde terribilis: imò illis consolatoria est, qui coram Deo per veram pœnitentiam sese humiliant, & erga proximos suos misericordes ac compatiẽtes sunt. Illis autem terribilis est, qui coram Deo. sese ex animo non accusant & humiliant, neque erga alios homines vllò misericordiæ affectu tanguntur, imò omnem immisericordiam, exercent. Seuera itaque cum primis est similitudo, & quæ diligenti consideratione opus habet. Proinde quò videre queamus quid Christus in hac parabola & similitudine admonuerit, videre nos primum oportet, quid ad id eum mouerit. Atque hoc clarè indicat Matthæus, dum paulò antè istud Euangelium scribit, quod Petrus Christum interrogat, quoties fratri suo dimittere deberet, num sufficeret si septies. Christus autem Petro hoc responsi dabit: ut non solum septies, sed etiam septuagies septies dimitteret. Hæc causa fuit istius parabola.

Matth. 18.

rabolæ. Et est hæc insignis causâ. Siquidem non vulgaris ars est, ita cum aliorum hominum peccatis posse agere, ne quis ipse etiam delinquat: id quod fit, si quis modum non obseruat, hoc est, si quis aut seuerus nimium, aut remissus est nimium. Christus quidem vult ac præcipit, ne Conchristianorum nostrorum peccata inulta finamus, sed tamen indicato discrimine. Non enim vult vt festucam in oculo fratris tui obserues, trabem in oculo tuo habens. Neque vult porro, vt ex peccato Conchristiani tui causam sumas eum lædendi aut perdendi: sed vt peccatum eius tanquàm frater & nõ tanquàm inimicus intueare. Et ob id etiam dicit ante istud Euangelium: Quoties peccabit in te frater tuus, &c. perindè ac si dicat: Ita fratris tui admissa corrigere & reprehendere ac vlcisci satages: vt tamen cogites eum fratrem tuum esse. Certè aliter cum peccatore agendum est, qui sese humiliat & pœnitentiam agit, quàm cum rebelle, & nullam reprehensionem admittente. Talis enim excludi debet, & haberi seu Ethnicus. Cæterum, qui sese humiliat & peccatum suum corde cõtrito confitetur, huic dimitti debet. Atqui verò hæc vtraque exigat Christus, & Christiana nostra charitas vtraque requirit. Nam qui præcepit tibi vt pœnitenti, & culpam cõfidenti dimittas: ille idem tibi præcipit quoque, vt iniquè agentem reprehendas. De illo autem qui voluntariè & perseveranter in peccatis suis manet ac pergit, Christus ipse terminum & metam fixit, quoties admonendus sit. Pœnitentes autem simpliciter mandauit præcipitque in gratiam vt recipiantur: nec modum constituit quoties recipi debeant. Atque hæc causa est, quòd Petrus: vt pote tum futurus pastor sanctæ Christianitatis, interrogabat quoties pœnitenti peccatori dimittere deberet: num vsq; septies. Videbatur sibi egregium quiddam obtulisse, putans vel hoc nimium esse si septies dimitteret alicui. Ita enim affecti sumus oës, vt magni faciamus quicquid alijs hominibus damus remittimus, & ab his patimur ac toleramus: verum si quid alijs nobis dant, remittunt, aut à nobis patiuntur, id parui æstimamus & nihili. Et si rem æqua lance æstimaremus, longè quandoque præponderaret, quod parui facimus: contra verò multò leuissimum cerneremus quod magis ducimus. Quod si ergo illud quod alijs hominibus das aut remittis, aut in illis tolleras, comparabis cum eo quod tibi dat Deus, indulget, & in te fert: neque certè tu cum Publicano oculos ad Deum attollere audebis, scd

*Modu  
peccant.  
uandus.*

*Luc. 5.*

*Matth. 18.*

*Ibidem.*

*Petrus:  
tollit  
f. s.  
Ibidem.*

- Luci. 18.** peccatus percuties ac dices: Deus propitius esto mihi peccatori. Dicésque cū rege Manasse, Peccaui super numerum arenæ maris. Verū nihil aliud nobis deest, quā q̄ in nos ipsos nō respicimus. Et ob id Christus hoc respondebat Petro: Non dico tibi vsq; septies, sed vsq; septuagies septies, hoc est, quadringenties & nonagies. Quod tamē nō ita intelligendū est, q̄ supra hunc numerum non plus teneamur condonare proximo. Minimè. Christus vult vt semper dimittamus, quoties proximus noster in nos peccat: quemadmodū alioqui per septenariū numerum infinita multitudo in Scriptura quandoque intelligitur: vt cum Deus in Mose dicit, Corripiam vos septem plagis propter peccata vestra, hoc est, sæpè & multū vos percutiam. Voluit ergò Christus hoc suo respōso omnem vindictæ cupiditatem ex animis eximere, quemadmodū & alijs in locis fecit: etenim affectus vindictæ altè animis nostris insidet. Alioqui etiam Gentes & Publicani benè facere possunt ijs, qui ipsis benè faciunt, & amant eos, à quibus redamantur. At benè facere illi, qui malè facit nobis: benè loqui de eo, qui de nobis malè loquitur: amare eum, qui nos odit: orare pro eo, qui nos persequitur: & dimittere malefacienti nobis: id verò graue nobis est & difficile: ægrè vetus Adam eò adducitur. Quin etiam calumnia conturbat sapientem, & perdet robur cordis eius veluti Sapiens dicit: & tamen aliàs vir sapiēs multa perferre ac sustinere potest, at hoc tētat illius animus. Veruntamen quod Adam perferre non potest, hoc Christus potest perferre: hoc est, quod naturæ ex se impossibile est, hoc nobis Dei gratia & Spiritus leue facere potest. Quemadmodū & Christus in Euangelio dicit: Quod apud homines impossibile est, id apud Deum est possibile. Sic David inimico suo Sauli non solum dimittere poterat, sed etiam parcere, etiam cum in manu iam eum haberet. Sic etiam Semei qui illi manifestè maledicebat, eūque lapidibus petebat, per omnia ignoscere poterat. Sic & Stephanus orare poterat pro ijs, qui eum lapidabāt. Hunc in modum semper nobis orandum est: **Acto. 7.** Domine da quod iubes, & iube quod vis. Sed iniquis: Quomodo dimittere ei possum, qui famæ meæ notā inuulsit? Respondeo: Quomodo igitur tā amens esse potes & vecors, vt si quis te lædat, te ipsum lædere amplius adhuc velis? Nonne insanum illum dicas qui cum decem aureos habeat, & quatuor ex ijs vi sibi auferantur, reliquos sex à se abijciat: Eodem modo qui-
- libet

libet facit, qui ipse vlcisci se paratus est, & contumeliam contumelia retaliare. Quid enim tibi inimicus tuus abstulit: Famam meam (inquis) noménque bonum. Haud quidem damnum leue, quandoquidem Salomon bonum nomen diuitijs præfert quamlibet magnis. Sed maius adhuc habes & melius quiddam: híc vide ne illud abijcias ipse. Habes fidé, quæ te certú facit, quod tibi Deus omnia reddere velit, quicquid iniustè tibi aufertur: habes porrò patientiam & charitatem, quæ duo quàm diu retines, nocere tibi non potest, quicquid inimicus tibi facit aut aufert. Verùm si ipse inimicum vlcisceris, patientiam & charitatem, præclaras virtutes ipse à te abijcis: atque hoc pacto plus tibi ipse damni infers, quàm tibi facere inimicus vnquàm potuisset. Quò autem tibi hoc graue non fiat, en ponit nobis Christus in hodierno Euangelio misericordiam Dei ob oculos, vt per eiusmodi collationem videre queamus, quòd etsi proximo nostro septuagies septies dimittimus: imò etiam si semel omnia & simul dimittimus quicquid vnquàm contra nos fecit, perinde tamen est, ac si guttulam aquæ cum toto mari conferas. Tam multum, imò adedò multò longius superat immensà misericordia Dei omnem nostram charitatem & misericordiam: atque eiusmodi misericordia opus habemus omnes, posteaquam corà illius iudicio de omni nostra vita ratio reddenda est. Sed parabolam audiamus. Assimilatum est regnum cælorum homini regi (inquit Christus) qui voluit rationem ponere cum seruis suis, &c. Rex iste indubiè alius nemo est, præterquam Deus. hic multos seruos habet: quiuis enim homo, Dei seruus est, etiam inuitus. Et cogitur etiam illi subditus esse, aut voluntaria obedientia vel subiectione, studendo iustitiæ: aut verò voluntaria coactione in castigatiõe & pœna. Boni homines agnoscunt seipsos idque voluntariè Dei seruos. Mali autè pœna & plagis eò cogi debent, vt Deum pro suo domino agnoscant: vt in pharaone, Antiocho & Nabuchodonosore videre est, qui pœnis & plagis eò adigebatur, vt fateri cogerétur, vnú esse Deú in cœlis. Peculiariter autè seruus hic quiuis peccator accipitur, qui vtiq; Dei seruus esse debebat, & iã debitor factus est. Et qui super bona Domini sui cõstitutus est, dispensator, dilapidator eorúde inuenitur. Decé millia talèta debebat (inquit Christus:) magna summa est, quam tamen debemus omnes. Nam cõsidera beneficia, quæ Deus omni-

Eccles. 7.

Fides.

Patientia &amp; Charitas.

Matt. 18.

Exod. 9.

2. Macc. 9.

Dan. 4.

Luc. 16.

bus hominibus in cōmune fecit: considera deindè que bona tibi speciatim præstiterit, & confer è diuerso tuā ingratitude-  
nem & inobediētiā: inuenies te decem millia talenta debere,  
hoc est, talē summā, quā persoluere nunquā poteris. Cōsidera  
deinde peccata tua, & quid cogitationib<sup>9</sup>, verbis, operib<sup>9</sup>, per  
contemptū & omisionem contra Dei mandata feceris, sum-  
mam decem milliū talētorū iterū inuenies. Has deindè duas  
summas collige, & videbis te multò plus debere, quā seruus  
hic. Sed quid tandem futurum est, debito ita vsque crescente?  
Nū indissolutū sic manebit? Nequaquā. Rationē à nobis exi-  
get Deus omnium earum rerum, quas aduersum Deum admi-  
simus: siquidem Deus vult vt grato animo agnoscamus quic-  
quid gratuito accepimus. præterea etiā vult, vt eiusmodi sua  
dona inuiolata seruemus, iisque non aliter vtamur, quàm ad  
quæ illa nobis dedit: & sic quidem etiam mandata sua seruari  
vult, & nullum malum inultum relinquere. Sed quandò eius-  
modi ratio à nobis exigetur? Nimirum id fiet in extremo die  
& vltimo iudicio: tum autem debitori nullum tempus & lo-  
cus amplius dabitur petendi moram. Sed Rex etiam nunc in-  
cipit rationem ponere, quandò nos aut metu & terrore mor-  
tis aut anxietate conscientie impellit ac cogit, vt oporteat  
nos considerare, quàm malè gratia Dei vsi, & quàm multum  
contra Dei legem fecerimus ac operati simus. Atque hinc tum  
videt homo, ab altera parte se debitorem esse: ab altera parte  
seuerum Dei iudicium. Et quid in tali anxietate facere potest?  
Nam etiam si vxorem & liberos & omnia sua bona vendat,  
nihil tamen est ad summam decem millium talētorum. Hoc  
est, etiam si homo rem acerrimè aggrediatur, seseque in bo-  
nis operibus exercent: imò etiam si corpus, vitam, & bona im-  
pendat per seipsum tamen pro debito suo satisfacere nō po-  
set. Vnica via ad salutem ipsius est, vt faciat quidem quicquid  
potest boni, & imprimis quod seruus hic fecit: procidat corā  
Deo, & gratiam roget, Beatus homo qui hoc facit. Quippè  
vnica & vera via est ad exaltationem, quādò quis procidit an-  
te Deum & humiliat sese: quando quidem Scriptura apertè di-  
cit, humiles exaltari, & superbos humiliari. Deinde etiam nul-  
la melior & securior via est, quàm ad humilem orationem se  
se vertere, si in iustitia quippiam desit. Talem in modū Deus  
cum peccatore agit. Primò terret eum suo iudicio: sed id facit  
in eum finem, vt peccator de seipso desperet, coram Deo sese  
humiliet,

*Ratio quādo  
exigetur.*

*Luc. 18.*

humiliet, & gratiam petat, acceptaque gratia deinceps strenuè vtatur. Et quid ad talem humiliationem consequitur? Dominus (inquit Christus) misertus serui, dimisit eum, & debitum dimisit ei. Hic vides quam facile Deus etiam magnam cumulum peccatorum dimittat, si quis per veram poenitentiam humiliet sese: imò quòd etiam plus dat, quam quis ab eo petere auit. Vnde etiam Paulus non immeritò patrem vocat misericordiarum, & Deum omnis consolationis, dicens alio in loco, Deum diuitem esse misericordia. Et docet sanctus Dauid, Israël fidele populum sperare in Domino: apud illum enim esse misericordiam, & copiosam redemptionem. Obserua autem quod hic habetur, Misertus est serui. Gratuitò quippe consequimur remissionem peccatorum in baptismo, & non ex nostris precedentibus meritis. Gratia est, quicquid nobis dat Deus: quemadmodum seruus hic dicere non potuit, quòd talè gratiam & remissionem debiti magnum promeruit. Quantum enim cunq; etià in domo domini sui & seruitio ac ministerio facere poterat, omnis tamen eius labor & meritum comparari non potuit ex condigno ad talè gratiam. Itidem res nobiscum habet. Enimuerò in domo Dei otiosi non debemus, sed quilibet secundum vocationem suam laborare. Attamen omnia nostra opera paria non sunt ad gratiam remissionis, aut ad æternam vitam. Sic enim docet Christus: Etiam si omnia feceritis quæ præcepta sunt vobis, dicite, Serui inutiles sumus. Enimuerò omnia nostra opera non possent per se neque remissionem peccatorum, neque æternam vitam consequi, nisi Deus vtraque hæc ex gratia permisisset, atque etiam Christus hæc vtraque nobis promeruisset. Debemus quidem remissionem peccatorum orando, lachrymando & poenitendo quærere: attamen vti dixi, omnia hæc per se remissionem peccatorum nobis consequi non possent, nisi Deus nobis promisisset eam. Ita etiam nobis necessarium est ad beatitudinem & æternam vitam consequendam, vt mandata Dei seruemus, Deum & proximum nostrum diligamus. Attamen his solis per nos beatitudinem adipisci non possemus, nisi eam nobis Deus per Christum promisisset. Atq; hoc modo comperimus, quòd Deus etià nostri misereatur, & adhuc miseretur, quando humiliamus nos. Talem gratiam annunciat nobis Euangelium istud: sed cognoscendum etiam nobis interea dat, quòd is ipse Deus qui clementer nobis verè poenitentibus ignoscit nunc, seuerissimè nos puniet, nisi proximo etià

2. Cor. 1.

Eph. 2.

Psal. 129.

Tit. 3.

Luc. 17.

Matt. 19.

nostro gratiam exhibuerimus. Faxit Deus vt hoc consideremus  
præstemusque, Amen.

DOMINICA VICE-  
SIMA QVARTA POST  
PENTECOSTEN, EVAN-  
GELIVM, MATT. XXI.

*Marc. 10.* **A**Beuntes Pharisæi consilium ceperunt, vt  
illaquearēt eum in sermone. Et ad illum  
emittunt discipulos suos cum Herodianis,  
dicentes, Magister, scimus quòd verax sis, &  
viam Dei in veritate doceas, neque cures quē  
quam: non enim respicis personam hominū.  
Dic ergo nobis, quid tibi videtur? Licet cen-  
sum dare Cæsari, annon? Cognita autem Ie-  
sus malitia eorum, ait: Quid me tentatis hy-  
pocritæ? Ostendite mihi numisma census. At  
illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis: Cuius  
est imago hæc & superscriptio? Dicunt ei: Cę-  
saris. Tunc ait illis: Reddite ergo quę sunt Cę-  
saris, Cæsari: & quę sunt Dei, Deo.

E ADEM DOMINICA  
EPISTOLA SANCTI  
PAULI. PHILI III.

*1-Cor. 4.* **F**RATRES, Pariter estote imitatores mei, & con-  
siderate eos qui sic ambulant, quemadmodum habetis  
nos

nos pro exemplari. Nam complures ambulant, de quibus sæpè dixi uobis, nunc autem & flens dico, inimici crucis Christi, quorum finis perditio est, quorum Deus uenter, & gloria in dedecore ipsorum, qui terrestria curant. Nam nostra conuersatio in caelis est, ex quo & seruatores expectamus Dominum Iesum Christum, qui transfigurabit corpus nostrum humile, ut conforme reddat corpori suo glorioso, secundum efficaciam, qua potest etiam subijcere sibi omnia.

Rom. 10.

## P R I M V S S E R M O D E

## Euangelio in genere.



N hodierno isto Euāgelio habemus & videmus duo contraria. Pharisei ueniebant leuibus & dulcibus uerbis ad Christum, uocabant eum Magistrum: hanc illi tribuebāt, laudem, quòd uiam Dei & ueritatem doceret, nec in eo hominem quenquam respiceret, &c. sed malè in cordibus suis sentiebāt: nullam aderant aliam ob causam, quàm quòd putabant sperabantque fore, ut in sermone laberetur, ut eum in uerbis eius caperent, & deindè tantò maiorem causam haberent illum accusandi. Hoc latebat sub blandis uerbis. Existimasset quis non nisi amorem esse & fauorem: è diuerso autem respondebat illis Christus seueris uerbis, nominans eos hypocritas, detegens illis apertè malitiam cordis eorum: existimasset quis non nisi esse iram & indignationem: sed animus erat bonus, nihil quærebat aliud per id, quàm utilitatem eorum & æternam salutem. Aded non debemus iudicare quenquam hominum secundum externam speciem uerborum. Inuenias enim, qui nequiter sese humiliat, interiora uerò eius plena sunt dolor, ait Sapiens. Contrà uerò scriptum de Deo est, quòd quidem interdum iratum se & indignandum ostendat, & tamen in uoluntate sua præcipuè habeat uitam & gratiam. Atque hæc etiam uera argumenta sunt falsitatis seu mendacij, & ueritatis. Mendacium seu falsitas ornat se quantum potest, ne deprehendatur: ueritas autem aperta est, neminem timet. Talem

Ecclesi. 19.

Psal. 76.

naturam & conditionem vtrouque qui nescit, aut non considerat, facile seductus est, vt mendacio accepto, eò quòd leniter in animum intrat: veritatem fugiat, eò quòd reprehendit.

*Esa. 3.* Ita vsu venit Iudæis, de quibus Isaias scribit: Væ qui dicunt malum bonum, & bonum malum: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras.

*Ecclesi. 7.* Ediuersò autem dicit Salomon, melius esse à sapienti corripì, quàm à stulto laudari. Et iterum dicit, Melius esse

*Prover. 27.* accipere vulnus ab amante te, quàm fraudulentum osculum ab eo qui odit te. Quid autem aliud fuit, quàm falsum osculum, quòd hi assentatores dicebant: Magister, scimus quia verax es, &c. Contrà verò infligebat Christus vulnus eorum pectori,

vbi ait, Quid tentatis me hypocritæ? sed vtrum ex his duobus melius? Dauid is nobis dicit: Corripiet me iustus in misericordia (inquit) & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Sic & Dauid affectus erat, qui malebat à bono corripì, quàm ab adulatore laudari. Idque re ipsa demonstrauit, & res illi benè celsit. Nullus ciuis, nullus opifex, nullus rusticus sibi pateretur ea dici, quæ olim Dauidi (qui tamen Rex erat) Nathan dicebat: tantum abest

*1. Reg. 12.* vt nostri Nobiles, Principes, & Reges id patiantur. Neutrquam. Horum auribus leuiter occinendum est. & si vel vno verbo duriter tangantur, illicò audire oportet, Num tu Regis consiliarius? Desine, aut occidam te. Sed quid dicit Dauid à Nathan tam seuerè increpatus? Peccaui, inquebat.

*1. Paral. 25.*  
*1. Reg. 12.* Qua re impetrabat, vt Propheta protinus ab increpando desisteret, & inciperet eum iterum consolari, Dominus (inquit) transtulit à te peccatum tuum. Talem vtilitatem adfert obiurgatio probi, etiam si dura sit & appareat. Ediuersò autem videmus in Absalom & in Roboam, quid aduultò homini adferat: nimirum nihil aliud, quàm certum interitum. Hi enim vtrique ab assentatoribus seduci se patiebantur, vnde etiam vterque in exitium veniebat. Absalom propterea vitam amittebat, Roboam autem maiorem partem regni sui.

*2. Reg. 18.* Quapropter bono Christiano apud istud Euangelium diligenter considerandum, quòd Christus Iudæorum legatis tam duriter respondebat, non obstante, quòd illi verba tam lenia dabant. Nobis ad doctrinam id factum est, vt veritatem à mendacio & falsitate discamus dignoscere. Popule

*3. Reg. 12.* meus (inquit Deus) qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt.

*Esa. 3.* meus (inquit Deus) qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt.

Contrà

Contra verò dicit Salomon? Verba sapientum sicut stimuli, & *Eccle. 12.*  
quasi clavi in altum defixi. Similiter quoque dicit Paulus, om- *Hebr. 12.*  
nem disciplinam in præsentem quidem videri non esse gaudij,  
sed mœroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis  
per eam, reddere iustitiæ. Eundem quoque in modum in Iob  
homo beatus dicitur, qui à Deo corripitur, & increpationem *Iob 5.*  
non reprobatur. Age, quòd Christus in Euangelio contra Iu-  
dæos loquitur, primò reprehensionis in morem, & deinde e-  
tiam tanquam Doctor & Iudex, seu arbiter obiectæ interroga-  
tionis id omne meritò nobis charum & pretiosum esse debet.  
Nam qui vel aliquid intelligit, facilè exinde animaduertere  
potest, Deo non placere, si simulato & ficto corde ad ipsum ve-  
niatur. Tum etiam breui responso, quod ad propositam quæ-  
stionem dabatur, satis indicavit, quomodò cum temporaliter,  
tum æternaliter tranquilli esse possimus, ut neque mundus,  
neque Deus irasci nobis possit. Da Cæsari, quæ sunt Cæsaris,  
& securus ab illo eris: da Deo quæ sunt Dei, & pacem cum il-  
lo habebis. Præsta Magistratui obedientiam, & debitum ob-  
sequium in externis rebus, & Deo suam obedientiam in re-  
bus spiritualibus, utrobique pace perfrueris. Hoc docet nos  
nos Christus in suo responso quod dabatur. De talibus autem  
verbis plura deinde dicentur. Est enim hoc præcipuum, quod  
ex hodierno Euangelio obseruandum est. Nihilominus verò  
tamen efficere debemus, ne verba, quibus hypocritici legati *Matth. 22.*  
utebantur, frustra esse scripta videantur. Magister (inque-  
bant) scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, &  
non est tibi cura de aliquo: non enim respicis personam ho-  
minum. Hæc eorum erant verba. Et quomodò eum ma-  
gnificentius laudare potuissent ob illius doctrinam? Non qui-  
dem ex animo hoc illis proficiscebatur, nec per id quærebant  
aliud quam illius exitium. Sed non ideò nobis esse iocus de-  
bet, quòd Christus & doctrina eius à suis & nostris inimicis  
tam honorificam laudem & titulum habet. Alioqui loqueban-  
tur quidem & sentiebant multò aliter de illo. Ut in Ioanne di- *Ioan. 8.*  
cebant: Tu de teipso testimonium perhibes, & testimonium  
tuum non est verum. Et paulò post: Nónne benè dicimus  
nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? Et iterum: *Ioan. 9.*  
Non est hic homo à Deo, qui Sabbatum non custodit. Et  
paulò post: Nos scimus quia Moyfi locutus est Deus: hunc au- *Ioan. 10.*  
tem nescimus vnde sit. Et iterum: Dæmonium habet & in- *Ioan. 18.*

sanit: quid eum auditis? Et coram Pilato: Si non esset hic ma-

*Matth. 11.* lesactor, non tibi tradidissemus eum. Et in Matthæo: Ecce

*Luc. 23.* homo vorax & potator vini. Et in Luca: Hunc inuenimus sub

uertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dare Cæ-

sari. Talem existimationem habebat Christus apud Iudaicos

Pharisæos. Hoc & id genus alia loquebantur & sentiebant de

illo. Iam verò in hoc Euangelio omnium optimus est, ipsa ve-

ritas est, nullo vitio penitus laborat. Adeò firmi erant in suis

verbis, adeò constanter loquebantur illi in conspectu & à ter-

go. Sed fieri non hoc sinamus oportet. De talibus homini-

bus mirum non est, si ex vno ore calidum flent & frigidum, &

eadem lingua laudent ac vituperent. Hypocritæ non aliter fa-

ciunt, nec aliter facere possunt. Alioqui si cor eorum & os

consonarent, hypocritæ non vocarentur. Nos autem volu-

mus ac debemus seriò accipere, quicquid honorificorum titu-

lorum in hoc Euangelio Christo dederunt: volumus id & de-

bemus non tanquam ab hominibus, sed tanquam à Deo acci-

pere. Nec volumus aut debemus dubitare, quin Spiritus san-

ctus contra eorum voluntatem per ipsos sit locutus. Enimverò

id genus verba plura habemus in Euangelio, quæ inimici no-

stri contemptim & irrisionis in morem de Christo dixerunt,

quæ tamen nobis non iocus, sed ipsissima veritas sunt. Vt

cùm Caiphas dicit, Melius est vt vnus homo moriatur, quam

vt tota gens pereat. Hoc impius Caiphas contemptim planè

de Christo loquebatur, & ex mera inuidia. Cæterum Euan-

gelista noster docet nos, vt talia verba accipiamus tanquam ex

Spiritu sancto profecta. Siquidem profecto mors Christi ad

hoc nobis inferuiuit, ne periremus, qui indubiè omnes perissi-

semus, nisi vnus homo, Christus, pro nobis mortuus fuisset:

qui suo sanguine mundauit nos à peccatis nostris. Sic etiã quis

leuis Pilati familia multis modis Christum deridebat. Indue-

bant eum Purpuream vestem, imponebant illi coronam, sed

spineam coronam: procidebant coram illo, dicentes: Ave Rex

Iudæorum. Erat autem hæc planè leuis & amara irrisio: sed

& eam quoque re seria accipimus nos, non dubitantes, quin

id Deo ita ordinante factum sit, quod Christus tali modo

proponitur. Gaudemus quòd Christus Rex Iudæorum, hoc

est, eorum qui confitentur, vocatur: sed talis Rex, qui in ru-

bra veste incedit, hoc est, in igneo amore erga nos, & spinea

corona ornatus, hoc est, omnes nostras afflictiones expertus,

*Heb. 2.* vt no-

*Spiritus san-*  
*ctus etiã per*  
*malos vera lo-*  
*quitur.*

*Ioan. 11.*

*Apocal. 1.*

*Ioan. 19.*

*Heb. 2.*

vt nobis etiam compati sciret, &c. Eodem quoque modo hīc dico, quōd Pharisæi & Herodis ministri non ex animo, sed dolo ad Christum dicunt: Magister, scimus quia verax es, & viā Dei in veritate doces, &c. Hoc autē nos seriō accipimus, & est nobis confirmatio fidei nostræ: tantō firmiūs Christo & doctrinæ eius adhæremus, quando quidem etiam inimici eius tale de illo testimonium ferebant: imō scimus Spiritum sanctum per eos locutum. Quomodō enim tā magnificē de illo loqui potuissent, posteaquā nemo Iesum Dominum nominare potest, nisi in Spiritu sancto: vti Paulus dicit. 1. Corinth. 12. Hi autem nominant eum Magistrum: aiūt scire se venisse eum à Deo: confitentur eum viam Dei rectē & verē docere: dant ei testimonium, quōd talibus in rebus neminem curet, nec respiciat personam hominum. Et quis dubitare potest, quin Spiritus sanctus omnia istiusmodi verba per eos locutus sit: Hoc vnum est, quod omni cum diligentia in hoc Evangelio considerandū obseruandūque est. Nos (inquam) Christū pro illo habere debemus, vt qui nobis à Deo datus est doctor, & veritatem docuit: quin ipsa vera & æterna veritas est. sed hoc non solū corde credere oportet & ore confiteri, sed etiam opere præstare. Quousque dicitis mihi, Domine Domine (inquit illic ad Iudæos) & non facitis quæ dico? Et ad suos discipulos. Vos vocatis me Magister & Domine, & benedicitis, ſuan etenim. Si ergo ego sum Dominus & magister: & vos debetis facere quod ego facio, &c. Quōd si ergo credimus, quōd Christus à Deo venit nos docere, & veritatem docuit, &c. non debemus doctrinam eius vilipendere, sed cum omni diligentia considerare, & illi obtemperare. Quid teneatis me hypocritæ, dicebat ad eos qui illum Magistrum nominabant, doctrinam eius laudabant, & tamen nec in minimo eum sequebantur. Hoc argumentum præbet, quōd tales illi homines minime placeant. Tum eritis, ait, amici mei, cum feceritis quæ ego præcipio vobis. Et iterum: Si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea. Hæc verba Christi vtrinque nobis consideranda sunt, videreque ante omnia oportet, ne pseudochristiani inueniamur: id enim inultum Christus non sinit. Sed & deinde etiam alia verba Christi ad bonum nobis inferuire debent: vti cum dicit, Ostendite mihi numisma census. Et: Cuius est imago hæc & superscriptio? Circa hæc quoque verba diligenter considerandum, qualem imaginem

Ioan. 3.

Ioan. 4.

Luc. 6

Ioan. 14.

*Hypocritæ  
prædicant Euā  
geliū ore, sicut  
etiam negant.*

Ioan. 15.

Deus nobis impresserit, qualem nobis indiderit spiritum in baptismo, & an talem imaginem & spiritum illi reddere possimus nec ne: imò an illius aut alterius spiritum in nobis habeamus. Ante omnia autem verbum mentibus nostris includere nos oportet, & semper opere exhibere quod Christus dicit, Reddite Cæsari quæ sunt Cæsaris, & quæ Dei Deo. Omnem adhibere operam debemus, ut cum coram Deo, tum coram mundo irreprehensibiles inueniamur & simus. Quisquis igitur Christum in hisce rebus audit sequiturq; is illum verè nominare potest Magistrum, qui à Deo venit.

*Philip.* Hunc in modum posset nobis Euangelium istud supra literalem sensum, etiam ad bonos mores & Christianam vitam inseruire. Id quod etiam Paulus facit ad Philippenses scribens: Imitatores mei estote, & obseruate eos qui ita ambulant sicut habetis formam nostram. Multi enim ambulant sicut inimici crucis Christi, quorum Deus vèter est, &c. Hic audis, quod nec Paulus tales homines in Christianitate velit, qui multa audiunt & sciunt, ceterum nihil faciunt: habent Christum in ore, abnegant autem eum suis operibus, inimici sunt crucis Christi, &c. At Paulus non ita vult, sed vult ut eum imitemur: ponit & commemorat duo, quæ nos merito trahere debent. Primum est, quod ciues nostros verè in cælo habemus. Alterum est, quod seruatorem nostrum omni tempore die ac nocte & momento expectare debemus, quando veniat. Hæc duo si quis bene consideraret, is haud dubiè ad bonum satis haberet incitamenti. Deus det nobis suam gratiam, Amen.

*In psendoe-  
angelicos.*

## S E C V N D V S S E R M O

### De Euangelio in genere.

*Gene. 23.*



**H**ODIERNVM istud Euangelium commune facit me historiae de Sancto Iacob, cum totam noctem cum angelo luctari cogebatur, & ex illa lucta femur ei luxatum cum esset, protinus claudicare incipiebat: id quod præfiguratio erat, quod posteri ipsius, & præcipuè qui carnaliter solum de illo prognati sunt, à vera via & fide declinaturi essent Et prorsus exituri. Cuius rei clarum exemplum habemus in hoc Euangelio: in quo Matthæus tot mala scribit de Iudaicis Phariseis, ut si quis vitam Sancti Iacobi cum isto Euangelio conferat, demirari possit, quomodo à tam

*probo*

probo patre filij tam degeneres orti sint. Quanquam proh dolor, etiam in nobis similia conspiciuntur ac deprehenduntur, & maximè ultimis hisce temporibus. Atqui videmus postremò in hoc Euangelio, quòd primates Iudaici populi tempore Christi plane impij fuerunt: vt qui neque iustitiam neq; æquitatem, neq; Deum, neque propriam suã conscientiam considerauerunt, sed suam tantummodò avaritiam & superbiam. Abentes (inquit Matthæus) non curabant quid Christus docuerat, aut id quomodò seruarent: sed consilium inierunt cõtra eum, haud considerantes, rectène, an secus facerent. Quid autem excogitari peius potest quàm vbi Magistratus tam impiè agit? Vtinam inter nos Christianos similia nunquam inueniantur. Secundo videmus in hoc Euangelio, quòd serui eorum & subditi impietate dominis nihilo erant inferiores, dum illis in causã tam mala morem gerebant, & obsequabantur. Sicuti huc adinuenias, qui dominis suis morigerantur in re manifestè mala, &c. Tertio videmus in isto Euangelio, quàm magna & insignis hypocrisis in Iudaico populo fuerit, qui verbis tam blandis Christum alloquebantur, & tamen multò alter sentiebant in cordibus suis. Et quis non videt, quòd etiam nos quandoque Deum in ore habemus, cum tamen cor nostrum longè absit ab eo? Dicentes Domine, Domine, & tamen nunquam facimus quæ dicit nobis? Quarto, clarè indicat nobis Euangelium istud, quòd Iudæi id temporis magis de temporalibus, quàm spiritualibus solliciti erant. Quòd si à Cæsaris iugo liberi essent, haud illis Christus vel etiam Deus magnopere curæ fuisset. Quid nos Christiani potissimùm queramus, haud etiam obscurum est. Multò id antè prædixerat Paulus: Omnes quæ sua sunt (inquit Phil. 2.) querunt, non quæ Iesu Christi. Vtinam vel decimam partem curarum spiritualibus rebus impenderemus, quas temporalibus impendimus. Iam verò non vltra cogitamus aut amplius, quàm vt corpus & temporalia bona rectè habeant: anima nobis curæ non est. Quinto, videmus in hoc Euangelio, quòd imago Cæsaris in moneta, multò illis notior erat, quàm imago Dei in proprijs suis animabus. Vnde sæpenumerò accidebat, vt cum eos Christus de rebus spiritualibus interrogaret, non haberent quod responderent. Sed hinc in procinctu responsum habebant, de moneta nimirum interro-

Matth. 22.

Esa. 29.

Lut. 6.

Matth. 22.

- gati. Et quid multis opus est? Euangelium istud clarè ostendat, Christum in illis nihil profecisse, neque doctrina sua, neque miraculis, neque exhortationibus suis neque minis. Quam etiam ob rem rectè de illis dixit: Cecinimus vobis, & non saltastis: lamentauimus, & non plauxistis. Neque benignitate, neque seueritate emendabantur, tantò magis insaniebant: nihil cogitabant aliud, quàm quomodò Christum possent occidere, tantùm abest, vt ex prædicatione eius ad pœnitentiam mouerentur. Voluntatè habebant Christũ occidendi, sed nullam adhuc oportunitatem & causam. Homines timebat & non
- Matt. 11.** Deum, qui tamen verus iudex est malorum. Sæpè conuicti erant & confusi, attamen cessare non dum poterant & desistere: impellebat enim eos inuidia, imò diabolus, qui pater est omnis inuidiæ, & iam indè ab initio homicida fuit & hominum latio, & in hodiernum adhuc nihil æquè expetit, quàm vt homo pereat. Satan id temporis vehementissimè sauebat contra Christum, sed ea res tamen ad æternum suum cedebat exitium. Tempus aderat, quando Christum cum omnibus suis viribus & artibus aggredi debebat, sed tamen à Christo vinci & confundi, quò omnes homines videre possent nullum consilium & fortitudinem contra Deum valere &
- Ioan. 8.** subsistere posse. Quemadmodum id & Isaias dicit: Congregamini populi & vincimini: accingite vos, & vincimini, mitte consilium, & dissipabitur: loquimini verbum, & non fiet: quia nobiscum Deus. Age, Pharisæi inibant consilium contra Christum, qui illis fidelissimè consuluerat. Capere volebant eum, qui illis ad bonum & ad eorum salutem, venerat. Inuidè & malitosè captabant illius verba, quibus in hodiernum adhuc tot pusillanimes & afflicti homines consolantur. Hoc animo mittebant suos discipulos. Sed hoc illorum erat propositum. Hunc honorem habebant præ alijs omnibus hominibus, vt Dei populus vocarentur, quandoquidem Moyles ad illos dixerat: Hodie vos Deus sibi elegit in populum, &c. Et ob id pessimè eos habebant, si quando ab hominibus opprimebantur. Verùm cum iam tempus aderat: vt reijcerentur, in Romanorum veniebat potestatem, qui illis primò præficiabant Horodem, hominem extraneum in Reg. m: partiebantur deindè terras ipsorum in quatuor partes, singulis dantes præfectum & iudicem. Hoc contra Iudæos plane erat, quòd sub Gentilibus esse, & pristinam amisisse libertatem debebant.
- Prout. 27.**
- Esa. 8.**
- Deut. 3.**
- Luc. 3.**

debeant. Aliqui manifestè sese opponerant, proprijs viribus & manu armata libertatem vindicare volentes, utpote quidam Theodas, & post hunc Iudas Galilæus, qui plebem sibi adiungebant, ut libertatem à Romanis repetere adniterent: sed omnes in hoc facto tanquam seditiosi occidebantur. Posthæc nemo apertè & vi Cæsari opponere sese audebat: sed tamen in corde inuiti erant sub iugo & seruitute Cæsaris. Sperabant autem Pharisei, Christum populo ipsorum & religioni assensurum magis & potius ipsorum partium fore, quam Cæsaris, qui Ethnicus & homo impius erat, & propterea liberè & intrepidè contra Hæroditianos dicturum, non esse Cæsaris, populo Dei imperare, id quod breui per Herodianos palam futurum esset, eamque ob causam Christum eandem passurum pœnam, quam Iudas & Theodas passi fuissent. Sin autem Christus diceret, Cæsari præstandam obedientiam fore: ut in populi indignationem incideret, ei postea amplius adhererent. Hoc eorum erat consilium. Et quales domini, tales quoque erant serui: nimirum hypocritæ & homines falsi, qui pacem in ore gerebant, sed venenum in corde, paratæque erat omne malum contra Christum instituere. Tales ministros quærit homo impius. Licet (inquiiebant) censum dare Cæsari an non? Apud hanc interrogationem manifesta euadit & deprehenditur indoles & natura hominis carnalis, qui semper libertatem carnis quærit. Multa bona & consolatoria ex Christo audierant: attamen ijs omnibus omisis, scire tantum exoptabatur ea quæ ad externam illis, & carnalem libertatem seruire possent. Hæc (inquam) indoles est & natura carnis. Id quod hæc ætate deprehenditur plus fatis, quæ nihil audit libentius, nihil tenacius illius memoriæ inhæret, quam quod ad carnalem libertatem seruit. Sed verò iam audi, quid illis Christus responsum det. Primò increpat eos, quod viderem, illum nihil latere. Deinde quemadmodum illi eum capere volebant, ita ipse illos capit, quemadmodum & alijs in locis fecit. Postremò simulabat se monetam quam monstrabant, non nosse, quod responsum ex ipsis eliceret, in quo eos caperet: quanquam etiam hoc nomine monetam agnoscere nolebat, ad iudicium, quod muus & officium suum: esset non temporalibus, sed spiritualibus rebus occupari: voluitque per hoc docere, quod ij quibus spirituale regimen commissum est, temporalium rerum usum magnopere habere non debeant, sed

Act. 5.

Psal. 27.

Ingeniū homini carualis.

Vide libertatem Evangelicam nostrorum temporum.

Matth. 22.

1. Petr. 2. esse tanquam aduenæ & peregrini in terris, suâque cogitatione  
Phil. 3. nes & habitationem in cælo habere.

Secundò, cum hi Pharisæorum discipuli confiterentur, quòd in moneta Cæsaris imago, & nomen esset, dicebat ad illos: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Perinde ac si dicat: Non in hoc veni in mundum, vt doceam, quantum & quid Cæsari eiusque præfectis pendendum sit: sed quid homo Deo præstare teneatur, qui dominus est omnium creaturarum. Si quid Cæsar iuris in vos habet, reddite illi. Siquidem mea non refert, quid principes & potentes huius mundi exigant. Multò maioris momenti est, vt reddatis Deo, quod Dei est. Moneta vera (vt dicitis) Cæsaris nomen & imaginem habet: reddite ergo Cæsari quod Cæsaris est. Anima autem vestra & mēs, Dei habet imaginē: idè Dei est: nulli potius seruire debet, quàm illi, qui eam creauit, &c. Hoc illos respõsò eò redigebat Christus: vt nõ solũ nihil ampliùs loqui possent, sed etiã magna cum admiratiõne discedere cogerētur. Atq; hæc sententia est istius responsi, quod ad Pharisæos & discipulos eorum attinet. Quia verò etiam semper inter nos homines inueniuntur carnales, qui nihil aliud quærunt, quàm externam carnalẽque libertatem, latius nos verbum hoc Christi perquirere oportet. Et primò habemus hic apertam & expressam scripturam, censum, tributa, vestigal, decimas, & si quæ istiusmodi plura sunt, non solũ Cæsari, sed etiam legatis eius: & non modò probis, sed etiam improbis porrigenda pendendaque esse. Atque hoc egregie ex hoc verbo Christi conuincitur, si consideramus, quo tempore Christus talia verba locutus sit: nimirum tempore Cæsaris Tyberij, qui non solũ Ethnicus & idololatra erat, sed etiam impius, & crudelis Tyrannus. Ad hæc census isti & tributa non Cæsari in propria persona, sed præfectis eius dabantur, qui etiam omnes impij homines erant: hi adèò erant Herodes & Pilatus. Atamen iubet Christus reddendum esse, si quid debetur. Ex quo manifestè demonstratum est, res supra distas non solũ probo, sed etiam malo Cæsari, & non illi solũ, sed etiam legatis ipsius porrigendas esse & reddendas, qualescunque illi etiam riam sint. Hoc ipsum quoque docet Petrus, seruos subditos

1. Petr. 2. esse debere in omni timone dominis, non tantum bonis & dem ac

modestis: sed etiam discolis. Tum Paulus dicit Roma. 13. *Rom. 13.*  
 Omnis anima potestati sit subdita. Dicit, omnem potesta-  
 tem esse à Deo, & qui resistat potestati, eum facere contra  
 Dei ordinationem. Verumtamen addit, potestatem esse ad-  
 ministram Dei, malis ad poenam, bonis ad laudem, &c. Et *Magistratum*  
 proculdubio potestas in hoc ordinata est, vt quiuvis bonus *cur. institu-*  
 tutus manere possit à malis. Et non solum ille, sed etiam *tus.*  
 vxor eius & liberi, domus eius, ager & omnia quæ possi-  
 det. Atque hæc causa est, quòd magistratibus census, tri-  
 buta, & alia penduntur: quandoquidem subditos protegunt  
 ac defendunt. Sed hinc Cæsari & vnicuilibet potestati atten-  
 dendum, si modò Christiani esse velint, nec in Dei seuerum iu-  
 dicium incidere, nec subditos, nimium grauent & exugant.  
 Cum constitueris tibi regem (inquit Deus in veteri Testa- *Deute. 7.*  
 mento) non multiplicabit sibi equos, &c. Et per hoc Po-  
 testati omnes inutiles sumptus, quibus subditi grauantur,  
 inhibiti sunt. Et quæ Potestas, siue ea magna siue parua  
 sit, secus fecerit, malè facit, & in Dei iudicium incurrit. *Psal. 3.*  
 Non est itaque mirum, quòd Dauid omnes Reges & iudices ad-  
 hortatur: vt intelligentes sint & Deum timeant, ne irascatur  
 & pereant. Similiter quoque legati Cæsaris, hoc est, præfe-  
 cti, & qui mania obeunt sedulo cauere debent, ne plus exi-  
 gant, quam illis commissum est. Quemadmodum Ioannes  
 Baptista ad tales homines dicit. Nemini calumniam faciatis, *Luc. 3.*  
 & contenti estote stipendijs vestris. Cæterum hoc si potestas  
 obliuioni tradat, & subditos nimium & iniquè grauet, pos-  
 sunt subditi sua grauamina exponere. Quòd si tum potestas  
 animo Christiano prædita est, etiam non rogata, iniusta il-  
 la grauamina subditorum remittere debet, & nullo modo fa-  
 cere, quod infans & imprudens Robnam fecit, qui tum pri- *3. Reg. 12.*  
 mum incipiebat seuire, cum subditi læuius imperium flagi-  
 tarent. Sin autem potestas in hac parte durior esse pergat, &  
 nulla grauamina remittat aut mitigat, ferendum est, ac dan-  
 dum, si modò Christiani esse volumus. Huc pertinet quod Chri- *Matth. 5.*  
 stus dicit: Si quis vult tibi tunicam tuam tollere, dimitte ei  
 & pallium: & si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam,  
 præbe illi & alteram. Causa autem Deo committi debet, & ini-  
 qua vis potestatis iudicio eius relinqui. Sic enim quando tem-  
 pus eorum venit: tum etiam seit omnem eorum tyranni-  
 dem ac iniustitiam. Et hac in re qui secus agant, Christiani *Act. 5.*

non sunt, sed fugiunt cum Iuda & Theoda in desertum, habebuntque idem iudicium & poenam, quam & illi habuerunt. Etenim Euangelium non docuit nos excitare seditiones, sed crucem ferre. Nec docet cuiquam sua diripere, sed sponte dare & voluntarie omni petenti, & patienter ferre, cum nobis nostra diripiuntur. Nec docet iugum à ceruice abijcere, sed sub iugo ad Christum ingemiscere, & cupere dissolui & esse cum Christo. *Qua* propter seditiosus non solum agit contra humanam, sed etiam contra Dei legem & ordinationem. Hac tamen re Tyranni nullo modo in iniqua grauatione pauperum excusati sunt, de qua in Iob dicitur: Terminos trãstulerunt, diripuerunt greges, & abstulerunt pro pignore bouem viduæ.

*Iob. 24.* Agrum non suum demetunt, & vineam eius quem vi opresserint, vindemiant: Vim fecerunt deprædantes pupillo, & vulgum pauperem spoliauerunt. De ciuitatibus fecerunt viros gemere, & aia vulneratorum clamauit. Talis erat rex Ioachim, de quo Deus in Ezechiele dicit: Factus est leo, & didicit prædam capere, & homines deuorare: didicit viduas facere, &c.

*Ezech. 19.* Tales autem Tyranni suum iudicem non effugient. Vnum ad huc obserua hic, quod Christus nõ dicit, Reddite Cæsari quæ petit: sed, Reddite quæ illius sunt. Nam vbi potestas aliquid mali à nobis petit, per quod offendi Deum necesse esset, id verò non esset Cæsaris, sed diaboli tributum: quamobrem nec facere illud debemus. oportet enim Deo magis obedire, quam hominibus: Proinde Christus mox subiicit. Et reddite quæ sunt Dei, Deo. *Qua* re nos docere vult, Christiano non satis esse, si Cæsari & potestati obedientiam prester, nisi & Deo obediens sit. Secundo vult etiam regum & principum seu magnatum seruis per hoc indicare, quod coram Deo non erunt excusati, si propter dominorum suorum negotia negligunt & omittunt quæ Deus exigit: aut quando in gratiam suorum dominorum alios homines iniquis modis grauant. Domino tuo fidelis esse debes, sed scire interea, te Deo plus debere. Faxit Deus vt cum in hoc tum in alijs eius faciamus voluntatem.

Amen.

## T E R T I V S S E R M O I T L

dem de Euangelio in ge-  
nere.



V L G A R E apud priscos Ecclesiæ doctores dictam est, & quidem verissimum, non permissurum Deum, vt mali aliquid fieret, aut vt improbi viuerent, si non ipsos eorumque mala opera in bonum ordinare & dirigere posset. Id quo multis exemplis demonstrari posset: sed vno exemplo acquiescemus. Annon Iudaici Pharisei mali erant? Annon malum cogitarunt, feceruntque? Attamen Deus, non solum ipsos, verum etiam malitiam eorum longo tempore tolerauit, & sanè nullam aliam ob causam, quam vt eos ad vtilitatem suorum electorum destinaret, ordinaretque. Non dicam nunc, quod crudele homicidium, quod in Christo admiserunt, nobis omnibus ad æternam salutem seruiuit, quod in eorum locum successimus, & à Deo recepti sumus, sicuti diuus Paulus dicit. Hoc solum dicam, quod inuida eorum observatio, & infidiosa illorum interrogatio causa fuit, quod Christus verba præclara multa locutus sit, quæ alioqui forsitam silentio præterita fuissent. Eius rei exempla habemus in hodierno Euangelio. Annon utilis & necessaria doctrina est, quod Christus hic dicit, Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & reddite quæ sunt Dei, Deo? Vnde autem Christus occasionem accepit talia dicendi? Ex malitiosa & infidiosa questione Iudeorum Quid peius esse potest, quam odisse eum, qui tantoper è nos dilexit? Quid peruersus, quam conari sapientiam Dei in verbis eius capere & illaqueare? Quid execrabilius, quam infidias struere illi, qui nobis omnibus vitam dedit ac dat: Attamen ex tali malitia, insigne & vtile verbum venit, quod Christus in hoc Euangelio loquitur. Illis vt potè hypocritis, nullam quidem vtilitatem attulit, sed tantummodo eos confudit: nobis autè verbum illud cum ad præsentem tum ad futuram inseruire potest. Reddere enim quæ sunt Cæsaris, Cæsari, temporalem adfert pacem: tum si quæ sunt Dei, dantur Deo, æternam adfert pacem. Quapropter hoc verbum Christi aliquantò latius enquiremus: & quidem hoc præcipuum est, quod in hoc Euangelio considerandum est. Iam icat ergo Euangelium hoc, quod Iudaici Pharisei per suos discipulos Christo qua-

Malis vs  
Deum bene v-  
tatur.

Roma. 11.

Patet  
vna  
deus

stionem obijciebāt, num liceret Cæsari dare censum, necne, Mens eorum erat & spes, eum in responso suo labi oportere, & aut Cæsarem aut populum offendere. Hoc quærebant. At tamen agitabatur hæc quæstio etiam aliàs inter plebem. Graue illis erat, quòd Ethnico & incredulo subiecti esse debebāt, qui hæctenus liberi fuerant, & Dei populus vocati. Verum nemo illorum hîc cogitabat, Dei ordinationem esse, imò animaduersionem Dei. Nam Moyses illis prædixerat, nisi Dei mandatum seruarent, fore vt externum populum super illorum ceruices mitteret, sub quo variam tyrānidem essent perpeffuri. Sed hoc pridem factum erat: libertatem suam amiserant, Romani dominium in eos obtinuerant, his obedire cogebātur, & annum censum dare. Hoc adferebat quæstio ista,

*Quæstiones  
ad seditionē  
spectantes.*

num liceret id, necne. Nostris temporibus multæ tales agitantur quæstiones in populo & vulgo, num hoc vel illud, census, exactiones, decimas &c. dare obligati sumus: quæ res ab hinc iam aliquot annis plurimum infortunij & seditionis dedit, & tamen vnico verbo Christi, quod sub finem istius Euāgeli dicit, ad omnes istiusmodi quæstiones satis responsum est: quanquam verbum illud non minus nobis ægrè in animos nostros intrat, quam Iudæis intrabat, cuperemus quidem per omnia esse liberi, inuiti alijs hominibus subiecti sumus. Cogitare igitur ob id quis posset Christum per hoc potestati adulari voluisse: posteaquam nos Cæsari subijcit & non addit, quid nobis Cæsar & potestas contra debeat. Sed suspitione hac liberant eum etiam inimici eius, dum aiunt: Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non respicis personam hominum, &cæ. Proindè nihil hîc in Cæsaris gratiam locutus est: sed quia rogatus erat, simpliciter veritatem professus est, & dixit. Quòd si igitur Cæsar, & potestas ex eo quæsisset, an liceret facere illis & exigere, quicquid liberet: dicturus eis etiam haud dubiè fuisset quod illis non ita valde placuisset. Cæterum quòd neque de Christo, neque de Paulo legitur, quod aliquid contra Tyrannidem Cæsaris, eiuſque legatorum sint locuti: id factum primò propterea est, quòd frustrà fit, contra eos clamare ac vociferari, qui præsentibus non sunt, & verba nostra non audiunt. Secundo, propterea etiam quòd Cæsar simul & præfecti Ethnici erant, qui verbum Dei recepturi non fuerant. Christus autem solis electis in bonum venerat. Vade & Paulus dicit:

*Cur Christi  
& Apostolus Cæsare  
non taxauit.*

*Cor. 5.*

*Quid*

Quid mihi de ijs qui foris sunt iudicare? Sic vnusquisque colit vineam suam, & videt si rectè omnia in domo sua fiant. Veruntamen quod Christus hìc omisit, tyrannidem & iniquam vim potestatis carpere, id alijs in locis abundè compensauit, vti alibi dictum est, Istud autem Euangelium subditos tantum erudit. Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, inquit Christus, & quæ sunt Dei, Deo. In hoc verbo videmus primò, quòd Christus Cæsarem eiusque potestatem nequaquam reijcit, sed confirmat. Qui enim reijceret & antiquaret quod ipse instituit? Per me (inquit Sapientia Dei) Reges imperant, & potentes decernunt iustitiam. Dicit item Paulus Roma. 13. apertè, potestatem imperandi cum gladio, esse ordinationem Dei. Quapropter Iosaphat suis Iudicibus & præfectis denunciabat, vt bona fide agerent, siquidem officium eorum non hominis esse, sed Dei mandatum. Et quod magis est, dicit Deus ipse per Dauidem ad Iudices & potentes. Dixi, dii estis, hoc est, ordinari & commisi, vt diuina munia obeatis: nimirum pacem, iusticiam, disciplinam, honestatem, politiam, & bonos mores colatis. peccata arguatis, bonos defendatis protegatísque, &c. quæ res omnes diuinæ sunt. Hìc vides, quàm magnificè Scriptura de potestate Magistratus loquatur, idque fit non sine causa: imò necessarium fuit, & adhuc est: alioqui enim ratio nostra iudicat multo aliter: Nam cum videt, quòd potestas Regum & principum toties mutatur & deuoluitur ab vno ad alium, variique defectus intercidant in regiminis administratione, imò quòd quandoque Tyranni vi & propriæ solùm vtilitatis ac honoris causa imperia aliàque munia inuadunt: hoc (inquam) ratio nostra cum videt, credere nō potest, omnem potestatem à Deo esse, sed putat hæc casu & fortuitò fieri, & fortunæ imputandum esse: imò persuasum habet, magnam potestatem esse nihil aliud, quàm tyrannidem & vim iniquam. Vndè consequitur & fit, vt potestatem odio habeamus minúsque audiamus, facili que moueamur seditiosè & vi contra eam agere. Hoc anteuertere Scriptura voluit, dum tam honorificè de Potestate loquitur & indicat, certissimè Dei esse ordinationem & institutum: quemadmodum etiam motus cœli & syderum ordinatione Dei est. Quippè non ita nos accipere oportet, q̄ Deus tantum potestatem & Magistratum tolerat, quemadmodum latrocinia, adulteria, & alia ad tempus tolerat. Nam talia peccata

*Cæsareis potestas confirmatur.*

*Pro. 8.*

*2. Par. 19.*

*Psal. 81.*

*Potestas omnis à Deo est.*

- rolerat quidem quandoque, sed non sunt ordinationes Dei, sed diuinæ ordinationi prorsus contraria. Potestas autem Dei ordinatio est, quemadmodum superius copiosè ex Scriptura indicatum. Quia ergò Scriptura potestatem gladij non abrogat, sed relinquit eam & confirmat: sequitur indè, quòd etiam omnia illa relinquit & confirmat, ob quæ Potestas & Magistratus institutus est: vti sunt, leges, constitutiones, iudicia, negotiationes, castigationes malorum, iusta bella, & quicquid ad conseruationem externæ politix requiritur. Quo circa fatile est, quòd Anabaptistæ dicunt, præcepisse Deum, ne committatur homicidium: Item, malo non esse resistendum, &c. Etenim talia verba intelligi tantummodò debent de propria vindictæ cupiditate, quæ sit sine iussu potestatis: hanc vetat Deus. Nam suam ipse vicem vlcisci nemo debet.
- Rom. 13.** Imò quisquis gladio ex propria potestate vtitur, is gladio quoque peribit. Et hoc vnum est, quod circa verbum istud obseruari debet: nimirum quòd Christus Cæsarem & mundanam potestatem non reijcit, sed relinquit eam, non obstante, quòd Tyberius id temporis Cæsar, Ethnicus & idololatra, imò immanis tyrannus erat, quemadmodum omnes de illo referunt historix. Et sic etiam docet Petrus, vt serui subditi sint dominis suis, non tantum bonis & modestis, sed etiam dyscolis. Proindè nemini potestas grauis videri debet, nemo potestati sese opponere vi debet: nam qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, inquit Paulus. Interea verò Christiana potestas etiam vocationem suam considerare debet, quid cum Deo, tum etiam subditis debeat. Et primò, ne potestatis nomine efferantur, posteaquam illos Paulus non dominos, sed ministros vocat: & licet in Dauide Psal. 81. dii appellantur: mox tamen sequitur, vos autem sicut homines moriemini. Rogas, num ergò sufficiat, si quis vi Potestati sese non opponat? Responsum: Nequaquam. Scriptum est, Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari. En hic præcipit & iubet Christus, vt etiam potestati detur, sed tamen cum discrimine. Reddite (inquit) quæ sunt Cæsaris, Cæsari: hoc est, date illi tanquam homini, & non tanquam Deo. Alioquin enim legimus in historijs, quòd quidam homines suis Regibus & Imperatoribus diuinos deferebant honores & tribuebant, sicuti Apostolorum Actibus exemplum de Herode habemus: quidam stulti Reges & Potentes
- In Anabaptistis.**  
**Deut. 32.**  
**Matt. 26.**  
**1. Pet. 2.**  
**Rom. 13.**  
**Ibidem.**  
**Act. 18.**

rales etiam honores à suis subditis exigebant, quemadmodum legimus de magno Nabuchodonosore in Daniele cap. 3. Verum hoc Cæsari seu mundanæ Potestati non competit. Vade & Daniel & tres eius socij, hac in parte nullo modo Regibus idololatriis obtemperare volebant. Eodem modo etiam Sauli sui serui & ministri obsequi detractabant, cum iuberentur manum afferre sacerdotibus, &c. Siquidem nulla potestas quantumlibet magna facultatem habet aliquid imperandi, quod contra Deum eiusque mandatum est. Et ut maximè talia petat, non tenemur illi obedire. Oportet enim Deo plus obedire quàm hominibus, veluti sanctus Petrus dicit Actum 5. Itaque statuendum discrimen inter Deum & Cæsarem. Deus verus est Dominus, Cæsar est illius seruus. Deus creauit nos & redemit, dat nobis omnia, & plura etiam adhuc promittit, id quod Cæsar non potest. Quamobrem Cæsar & quælibet potestas nihil aliud est, quàm homo: sed talis homo, cui diuina potestas concredita est. Rogas igitur: quid Cæsari & potestati debeamus, & quid illis dare oporteat? Audi quid Paulus dicat Romanorum 13. Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. En, hîc nominat Paulus quatuor, quæ Potestati debemus, tributum, vectigal, timorem, & honorem. Duo illa priora, tributum & vectigal, pro vno accipiam: hoc complectitur omnia externa grauamina, quæ Potestati præstari debent, vtpotè census, redditus, tributa, exactiones, decimas, imperatum laborem, militiam, &c. Potestas nanque rempublicam tueri non potest, nisi adiuta à subditis. Tale auxilium requirere quæuis Potestas potest, necessitate monente. Sed considerare ea etiam interà debet, quòd Deus per Moysen ad Israëlitas dicit: Cum constitueris tibi Regem, non multiplicabit sibi equos, nec multas ducet vxores, ne cor eius auertatur. Nec congregabit multum argenti & auri, ne auaritia eum seducat: sed legat legem quotidie, vt Deum discat timere, &c. Ita etiam Cæsaris administrari considerare debent, quod Ioannes ad eorum similes ait, Nemiui calumniam faciatis, contenti sitis pendijs vestris. Sin eutem Potestas in incepto perfruit, & nimis multa velit grauamina, imponere, vi resistendam ei non est, si esse modò Christiani volumus, sed causam Deo committere debemus. Quippè Euangelium nostrum non de-

Dan. 6.

I. Reg. 22.

Quid potesta  
te pradiis de  
beamus.

Tributum.

Deut. 17.

Luc. 3.

cet nos seditiones mouere, sed portare crucem. Impij Regentes suum quoq; iudicem habebunt: nimirum eum, qui in Moyse dicit. Mihi vindicta, & ego retribuam eis. Tatum de tributo quod Potestati debemus. Per timorem, quem illis debemus, intellige obediētiam, & non solum in opere, sed etiam ex corde. Similiter quoq; honor, quem Potestati exhibere debemus, non solum in externis signis & gestibus fieri debet, sed magna Potestatis existimatio esse debet in animis nostris. Et hoc facit discrimen inter eos qui à fide alieni sunt, & nos Christianos. Illi etiam timebant Potestatem, sed ob pœnam tantum. Iste autem timor tantisper durat, quandiu pœna timetur. At nos Christiani scimus Potestatem verè timere. nam in Potestate timeamus Deum, dum scimus, eum contemptum Potestatis non inultum relinquere. Sic quoque increduli exhibent suæ Potestati externa solummodò signa honoris: in corde autem inimici eorum sunt. Bonus verò Christianus Potestatem suam honorare rectè nouit, quandoquidem scit, Dei ordinationem esse: agnoscit quòd tali potestati resistere non debeat, sed subijcere se: suum iudicium non præfert sententiæ Potestatis: non loquitur contra ordinationem eorum & instituta: sed obseruet ea, quatenus manifeste contra Deum non sunt, studētque qua potest diligentia, omnes defectus, vitia, imperfectionem & peccata Potestatis tegere & excusare & mitigare. Et postremò quoniam videt, quòd Potestas ad tam multa bona nobis inseruit & inseruire potest: procurat vobis pacem, vt victum nostrum & quicquid ad pietatem nobis inseruit quærere possimus, defendit nobis vitam nostram & liberos, &c. gratias agit Deo, qui tanta nobis bona per Potestatem procurat, suamque gratitudinem declarat tantò magis erga eam: imò quoniam scit, quòd omnis Potestas à Deo regitur, orat etiam pro sua Potestate. Atque hic verus honos est, quem Potestati debemus. Hæc omnia comprehendit Christus in eo verbo, vbi ait: Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari. Hinc nemo videre potest, quàm iniquè Christus eiusque Apostoli pro seditiosis habiti sunt atque etià accusati: cum tamen nemo vnquam honorificentius de potestate sit locutus. Taceo nunc, quòd Christus omnia hæc locutus est, cum Cæsar & qui sub illo erant, adhuc erant Ethnicis. Quòd si ergò etiam Ethnicis, imperium in nos habentibus tantum debemus: quantò plus Christianæ Potestati debemus? Rogas itaque num sufficiat, si Cæsari dentur quæ sunt Cæsaris: Respondetur:

spondetur:

spondetur: Neutiquam. Inueniuntur quidam adultores in ma-  
 gnarum aulis, qui nihil aliud cogitant, quã quomodò dominis *In adulato-*  
 suis arridere possint, siue iuste, siue iniuste agant. Quemadmo- *res Principũ.*  
 dum legimus de Doëch, qui in gratiã sui domini Saulis, non ve-  
 rebatur optimum Dauidẽ prodere, & innocentem Abimelech  
 cum tota eius familia occidere. Et quemadmodum Israhelita *1. Reg. 22.*  
 non refugiebant optimum Naboth innocenter condemnare,  
 in gratiam impij Achab & eius coniugis Iesabel. Sic etiam *3. Reg. 21.*  
 prodebat Iudas Christũ, in gratiam Caiphæ & sociorum eius. *Matth. 6.*  
 Sic temerarius seruus percutiebat Christum, in summi Sacer- *Ioan. 12.*  
 dotis gratiam. Tales homines imitantur omnes impij præfe-  
 cti, qui in Principum gratiam pauperes opprimunt, indies  
 noua grauamina excogitant, & subditis contra omnem æqui-  
 tatem imponunt, satis esse opinantes, si Cæsari & Potestati fi-  
 deles sint. Sed quid dicit hïc Christus? Reddite quæ sunt Dei  
 Deo. Cæsari obedientiam & fidele obsequium debes: multò  
 plus autem Deo debes. Caue itaque, ne dum Cæsari morem ge-  
 nis, Deum offendas & amittas. Deo fidem, spem, charitatem, ti-  
 morem & obedientiam debes: summus est Dominus, qui si ti-  
 bi aduersatur, non profuerit, si Cæsarem clementem habeas.  
 Quapropter ante omnia ad Deum respicere oporteat: qui cum  
 si tibi conuenit, nihil officere tibi poterit Cæsar & Potestas,  
 licet vehementer commoti. Ex his vides, quantum boni nos *Matth. 21. 22.*  
 Christus in hoc verbo doceat id quod præcipuum est, in hoc  
 Euangelio. Interea autem habemus etiam admonitionem ex  
 eo, vt ne fiamus deteriores, si quando corripimur, sicuti Pha-  
 risæi: qui cum eos Christus similitudinibus quibusdam obiur-  
 gasset, non solum non meliores, sed deteriores fiebant, atque  
 ita vt etiam Christum occidere tentarent. Secundò, habemus  
 etiam hanc admonitionem ex isto Euangelio, vt Christum nõ  
 solum ore laudemus, sed etiam & antè omnia corde: alioqui au-  
 dire quoque cogemur, Quid me tentatis hypocritæ? Non e-  
 nim Christus fictos & simulatos vult seruos, qui duplicis sunt  
 cordis, & aliud in corde gerunt, quàm ore loquuntur. Id genus  
 doctrinæ optimus quisque Christianus adhuc plurimum ex  
 hoc Euangelio depromere potest. Faxit Deus, vt sem-  
 per voluntatem eius inquiramus, facia-  
 musque, Amen.

DOMI.

DOMINICA VICESIMA QUINTA POST PENTECOSTEN, EVANGELIUM, MATT. IX.

*Mat. 9.  
Luc. 8.* **H**Aec illo loquente ad eos, ecce Princeps vnus accessit, & adorabat eum, dicens: Domine, filia mea modò defuncta est: sed veni, impone manum tuam super eam, & viuet. Et surgens Iesus sequebatur eum, & discipuli eius. Et ecce mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retrò, & tetigit simbriã vestimēti eius. Dicebat enim intra se: Si tetigero tātūm vestimentum eius salua ero. At Iesus conuersus & videns eam, dixit: Cōfide filia, fides tua te saluam fecit. Et salua facta est mulier ex illa hora. Et cūm venisset Iesus in domum principis, & vidisset turbas & turbam tumultuantem, dicit illis, Recedite: nō est enim mortua puella, sed dormit. Et deridebāt eum. Et cūm eiecta esset turba, intrauit & tenuit manū eius: & dixit: Puella surge. Et surrexit puella. Et exijt fama hæc in vniuersam terram.

EADEM DOMINICA  
EPISTOLA SANCTI  
PAULI. COL. I.

**F**RATRES: Ideo & nos ex qua die audiimus, non cessamus pro vobis orantes & postulantes ut impleamini agnitione voluntatis eius in omni sapientia & intellectu

*intellectu spiritali : ut ambuletis dignè, Deo per omnia  
placentes in omni opere bono fructificantes, & crescena-  
tes in scientia Dei, in omni uirtute confortati secundum  
potentiam claritatis eius, in omni patientia & longanimi-  
tate : cum gaudio gratias agentes Deo patri, qui dignos  
nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine: qui eri-  
puit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in re-  
gnum filij dilectionis sue, in quo habemus redemptionem,  
& remissionem peccatorum.*

P R I M V S S E R M O D E

*Euangelio in genere.*

**H**ODIERNVM istud Euangelium aliud  
nihil habet, quàm consolatorias res: vnde me-  
ritò Euangelium dicitur, hoc est, bonum  
nuntium: nec dubium mihi est, si adhuc ho-  
diè rumor spargeretur, talem in terris esse,  
qui facere posset quod Christus in hoc Euangelio fecit, ma-  
nibus complicatis Deum essemus laudaturi, qui talem no-  
bis medicum misit: omnesque adhibaturi diligentiam essent,  
vt ad ipsum peruenire possent. Quid, igitur nobis Christia-  
nis faciendum, qui tale hodiè nuntium audimus, talèmque  
presentem medicum habemus? Mundus iam plus qua-  
quies mille annis stetit, homines habuit claros & celebres  
scientia, potentia, diuitijs qui magna de seipsis iactauerunt,  
magna conati sunt, & quandoque etiam memorabilia fece-  
runt. Istud Euangelium nobis verum monstrat medicum,  
verum seruatorem, verum Dominum, qui ex diuina virtu-  
te & potentia omnia potest, & ex intractabile bonitate omnibus  
opitulari paratus est. Aequum igitur esset, vnumquemque  
Christianum cum Isaia dicere: Quam pulchri super montes  
pedes annunciantis & prædicantis pacem. Et deinde  
etiam cum Dauide orare, O Domine saluum me fac: ô Do-  
mine bene proferare. Hoc (inquam) hominem Christia-  
num facere circa istud Euangelium conueniebat. Hoc  
Christo non posset non placere. Nec aliud quicquam quæ-  
rit cum suis miraculis, quàm vt cum pro vero seruato.

*Esai. 52.*

*Psal. 117.*

re agnoscamus, diligamus & inuocemus, quem admodum etiam Deus in veteri Testamento propterea tam illustria edebat opera apud Israëlitas, ut scias (inquit) quia ego dominus Deus tuus fortis & fidelis. Sed quid videamus aliud in hoc Euangelio, quam Dei fortitudinem & fidelitatem? Annò omni fortitudine maius est, quòd vna hora morbum & mortem propellit? Annon omnem fidelitatem superat, quòd se Christus utrobique tam benignum exhibet? Itaq; bonus quisq; Christianus hinc iterum cum Dauide dicere debet: Exaltabo te Deus meus Rex, & benedicam nomini tuo in seculum & in seculum seculi. Quia suavis es vniuersis, & miserationes tuæ super omnia opera tua, &c. Hinc perspicere quiuis facile possit, quis verus vsus atq; etiã utilitas sit huius Euangelij. Et quidem intelligentibus hæc dicta sufficere possent. Quia verò tamen simplicium & idiotarum maior semper pars est, in illorum gratiam paulò plura de isto Euangelio dicam: ostensurus primò quid præcipuum in eo sit, & deindè etiã, quid aliàs desumi ex eo possit. Præcipuum in hoc Euangelio est, ut Christum verè cognoscamus & diligamus: quandoquidem in eo omnis nostra salus & spes posita est: nec aliud nomen sub sole est in quo nos oporteat saluos fieri, quam nomen Iesu. In hunc finem duo ista miracula facta & descripta sunt. Obserua verò tamen quòd et si Christus vnicus seruator est, nemini tamen auxiliatur præter eius voluntatem & accedentem cooperationem, sed media quædam & gradus sunt per quos ascenditur ad salutem. Etenim primò si petimus opem & salutem à Christo inuocare eum nos oportet. Vti Ioël, dicit cap. 2. Omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Nemo autem Christum inuocabit, nisi credat in eum. Nec credere in Christum quis potest nisi audierit prius de illo: porrò auditus initium est nostræ salutis. Ex auditu enim agnitio, ex agnitione fides. Fides autem viua & cum charitate coniuncta facit, ut Christum ita ut oportet, inuocemus: & per hoc adipiscimur salutem.

Hic vides, quam res magni momenti sit, de Christo audire. Quamquam quidem prompti ad audiendum satis sumus. Saltem hoc videre oportet, ut ex auditu non solum agnitio & fides, sed etiam charitas & inuocatio sequatur. alioqui auditus inanis erit. Nam qui multa audit, nec tamen ea in opus confert, similis est ei, qui mox ut speculum inspexerit, cedit, obliuiscens suam formam. Inquis: Quid igitur audiam?

Quid

*Psal. 144.*

*Christus cognoscendus & amandus.*

*Act. 4.*

*Christus quibus opus auletur.*

*Rom. 1.*

*Iacob. 1.*

Quid narrat Euangelium istud de Christo? Duo magni miracula. Nimirum quod infirmam mulierem, cui alioqui mederi nemo poterat, sanitati restituit, & mortuam filiam ad vitam reuocauit. Pergis dicere: Quid nobis prodest, quod his duabus personis auxiliatus est? Respondeo: Nostra hoc quoque profectò refert, & nostra causa id omne factum est & literis mandatum. Quòd si itaque consideras, quid Christus in hoc miraculo sibi voluerit, videbis nobis bona non æstimanda in eo promissa esse & promitti. Dum enim duabus hisce personis mulieribus opitulatus est, alteri in itinere, alteri in domo, manifestè demonstrare voluit, quid nos, hinc in via ab illo habere possimus, & quid illic in fine ab eo sperare debeamus. Etenim in via sanitatem mulier adipiscebatur: in domo verò adipiscebatur filia defuncta vitam. Ea ipsa duo nobis quoque promittuntur: nimirum sanitas, dum in via adhuc sumus: & vita seu resurrectio, quum ad finem venimus. Quid autem iucundius sanitate in hac vita? Quid lætius erit vita in illo sæculo? Hæc vtraque per Christum consequi possumus. De his duobus enim David antè multa sæcula cecinit: Misericordiam & veritatem diligit Deus: gratiam & gloriam dabit Dominus. Atque hic videre oportet, quæ vera sanitas & vita sit, & quomodò hæc duo querere apud Christum debeamus. Corporalem sanitatem mundus pluris facit, quàm omnia alia externa bona. Et quidem non immeritò. Quæ enim iucunditas homini esse potest, corpus habenti xgrotum? Attamen propiores adhuc ij veritati sunt, qui eam veram sanitatem ducunt, quum mens sana est in corpore sano. Homo verò Christianus eam arbitratur veram esse sanitatem, quum anima & internus homo benè habet coram Deo, vtut corpus constitutum sit. tum autem anima infirmatur & malè habet coram Deo, quando in peccatis est, malam conscientiam habet, in ira Dei iacet, & ob sua demerita non immeritò sentit metum mortis, dolorem quandam inferni, & terrorem diuini iudicij. Hi morbi sunt animæ, qui supra modum duriter premunt, grauant, & angunt. Hoc primus adeò peccator expertus est, vbi ait. Genes. 3. Domine, vocem tuam audiui & timui. Sensit hoc idem impius Cain, Genes. 4. vbi dicit: Ecce eijsis me hodiè à facie terræ, & ero vagus & profugus in terra: omnis igitur qui inuenerit me, occidet me. Sensit hoc iti-

*Sanitas in via.*

*Vita in patria.*

*Psal. 83.*

*Mens sana in corpore sano.*

*Vera sanitas*

*Psal. 17.*

dem David, vbi ait, Psalm. 37. Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripas me. Quoniam iniquitates meae supergressae sunt caput meum, & sicut onus graue grauatae sunt super me, &c. Talem anxietatem & terrorem sensit fortassis etiam Iob quamuis innocens: Sagittae Domini (inquit) in me sunt, & terrores Domini militant contra me, & indignatio eius ebibit spiritum meum, &c. Et quid peccatrix aliud sensit amare flens ad pedes Christi, quam eiusmodi dolores & anxietates animae suae aegrotae & malae conscientiae? Seculi huius filij non credunt quidem, sed pro commento habent quicquid dicitur de morbo animae, & mala conscientia: imò gaudent, si quid mali admiserunt, & flagitia gloriae sibi ducunt. Sed veniet tempus, quòd aperientur illis oculi, & morbos animarum suarum videbunt. Tum, quum omnes Dei seruilatantur & gaudebunt, mundi filij præ angore cordis sui eiulabunt & clamabunt, vti Isaias dicit, & tamen omnia frustra fient. Si quidem nullus tum seruator aut medicus erit. Quamobrem vt certum est, quòd animae morbus hominem grauius affligit & cruciat, quàm morbus corporis: ita certum est, quòd summa & optima omnium sanitas est, vbi anima peccatis libera, cum Deo pace fruitur, & bonam conscientiam habet. Hæc (inquam) optima omnium sanitas est. Nam securus animus quasi iuge conuiuium est. Talis autem sanitas inuenitur apud Christum: adque per ea media, quæmadmodum his vsa est hæc mulier. Alioqui quocumque is, & te vertis, quibuscumque remedijs sine Christo vteris, anima tua aegrotat non sanatur, sed magis etiam languescit. Hæc mulier variam quoque medicinam vsurpauerat, nihil intentatum reliquerat: imò omnes suas facultates in medicos impenderat, tantam eam tenebat sanitatis cupiditas: sed tamen frustra omnia. Ita quoque res cum anima habet, quæ apud se ipsam angorem malae conscientiae & terrorem diuini iudicij sentit. Ea nusquam non auxilium quærit & quietem, prompta quidem omni hora ad patiendum, ad faciendum, ad omittendum, ad dandum quæ deberet, saltem vt quiete frui liceret. Veruntamen omnia frustra, nisi ad Christum veniat, cumque vera & viua fide contingat. Hæc vera medicina est afflictæ & aegre conscientiae. Nemo eam pacare, nemo tutam reddere potest ab ira Dei: nemo illi gratiam & veniam conferre potest

potest absque Christo. Hunc enim proposuit Deus propi- *Roma. 3.*  
 ciationem, per fidem in sanguine ipsius, &c. quin propi- *I. Ioan. 2.*  
 catio est pro peccatis nostris: si tamen non respiciamus me-  
 dia, per quæ eiusmodi propitiationis efficiamur partici-  
 pes. Hoc itaque ægrota & afflicta anima firmiter credere  
 debet, & cum fide viua & bona voluntate ad Christum per-  
 gere. Necnon de alijs infrugiferis rebus omnibus desperare,  
 & cogitare solum, quemadmodum mulier hæc cogitauit:  
 nimirum si ad Christum venire posset, & vestimentum eius  
 contingere, non dubitaturam se quin sanitatem esset conse-  
 cutura. Hoc secum ipsa cogitabat, & tali fide & deuotione  
 per consertam turbam per rumpebat: attamen à tergo ad  
 Christum veniens, eò quòd morbi eam pudebat, & indi-  
 gnam se iudicabat, in illius venire conspectum. Hæc au-  
 tem duo Christo admodum placent: Fides viua, & Humili-  
 tas. Hoc modo qui ad eum venit, cum nunquam foras eij-  
 ciet. Et ob id statim consistebat, versus ad mulierem, benignè  
 eam affatus sanabat, & in pace illam dimittebat. O admira-  
 bilem fortitudinem viuæ & ardentis fidei. O admirabilem be-  
 nignitatem nostri saluatoris. Quam lata domum hæc mu-  
 lier reuersa est, quæ tam tristis ad Christum veniebat? Per  
 hoc itaque Christus pavidas & tamen piè affectas conscien-  
 tias adtrahere voluit, vt sine dubitatione & immoderato ti-  
 more ad se veniant: vt qui pœnitentibus animabus opem  
 ferre potest & vult, si verò ad eum corde & fide viua venia-  
 rür. Atque hoc est, quòd etiam in hac vita per Christum  
 consequi possumus: nimirum sanitatem animarum nostra-  
 rum, remissionem peccatorum, pacem conscientiæ, & Dei  
 gratiam, &c. Et quis vel pro harum rerum vna, gratiarum  
 agere satis potest? Attamen cum iam conualuisset mulier, non-  
 dum cessat Christus, sed pergit, puellæ etiam mortuæ vitam  
 reddere volens. Hoc est, non est hoc contentus, quòd animas  
 nostras à peccatis & Dei ira sanat, sed vult etiam corpora no-  
 stra iterum & ex mortuis suscitare. Et quidem iam in via est? *Ioan. 11.*  
 nec cessabit donec totum hominem sanauerit. Sicut enim di-  
 lexit suos, ita diligit eos vsque in finem. Non cessabit (in-  
 quam) nisi nos cessauerimus. Atque hic nos primatem seu Sy-  
 nagogæ præfectum imitari oportet. Is non cessabat, nec à se  
 Christum dimittebat, licet illi serui eius suadebāt: ne illum amplius  
 fatigaret: frustra enim esse, filiam iam mortuam esse. Hunc

*Fides.*  
*Humilitas*

(inquam) imitari nos oportet. Nam quando post acceptam san-  
nitatem animarum perseveramus in bono, & procedimus in  
spe futuræ resurrectionis, multa nobis occurrunt, quæ à tali nos  
vitæ innocentia & spe conatur depellere: quemadmodum cla-

**Iob. 1.** re videmus in sancto Iob. Is quò lætior in via Dei ibat, hoc plu-  
ra obstacula inueniebat, quæ illum à sua vitæ integritate abdu-  
cere nitentur. Principiò nuntij gregatim veniebant, de-  
nuntiantes illi talia, quæ argumentum dabant, perinde ac si  
Deus in eum fuisset ira commotus, sed huic rei auctor diabo-  
lus erat, quò optimum virum à bona sua spe & innocentia sub-

**Iob. 2.** mouere posset. Hoc autem hosti cum non succederet, alios Iob  
nuntios obuiam mittebat: nimirum propriam eius uxorem,  
quæ eis verbis expressis consulebat: vt innocentiam & simpli-  
citatem & spem suam deponeret: vt potè videns, se frustra ha-  
ctenus sperasse: sed vir optimus etiam hac in tentatione con-  
stans permanebat. Postremò amici eius persuadere illi omni-  
bus modis conabantur esse eum' certò in ira & indigna-  
tione Dei, eamque ob causam nihil posse sibi boni de Deo pro-  
mittere. Attamen persistebat in spe & innocentia sua. Etiam si

**Iob. 13.**

**Iob. 19.**

occiderit me (inquit) in ipso sperabo. Et iterum: Scio quòd  
redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrectu-  
rus sum. Itidem tu quoque facere optime Christiane de-  
bes: si te diabolus à fide, spe & charitate erga Deum studet  
depellere, & pusillanimum reddere, non ob id à te Chri-  
stum dimittere debes, sed perseuera illi constanter, & adi-  
pisceris indubiè resurrectionem ac vitam æternam. Hæc  
illa sunt, quæ à Christo & per Christum habemus nimirum  
hîc remissionem peccatorum, & illic resurrectionem cor-  
poris. Inter hæc primùm consequimur per viuam fidem &  
humilitatem: alterum autem per longanimum expectatio-  
nem & firmam patientiam, seu constantem perseverantiam.  
Et hoc præcipuum est quod in hoc Euangelio obseruan-  
dam est. Iam verò posteaquam in viuâ fide confortati su-  
mus, sunt etiam alia quædam in hoc Euangelio obseruanda  
quæ ad vitæ nostræ emendationem faciunt. Inter hæc pri-  
mum est, quòd Christus, simul atque ab Synagoga præfe-  
cto vocatus esset, surgebat & cōgrediebatur. Qua ex re etiam  
nos discere debemus, vt volentes & sine cunctatione proximo

**In duros &  
inexorabiles**

nostro opem feramus, in eo quod possumus. Per hoc taxan-  
tur duri & inexorabiles homines, qui semper protrahunt &

differt

differunt, si auxilium ab his petatur: à quibus nihil nisi inuitis impetratur, etiam id quod debent. Deinde etiam inclementes Principes, Regentes & Iudices carpuntur, qui audiunt & sciunt clamorem viduarum, fletum pupillorum, & gemitum pauperum, nec tamè illis subueniunt, sed differunt, & quærunt effugium qua possunt ratione: nec considerant quod scriptum est. *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur.* Et iterum, Iudicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam. *Tertio per hoc etiam arguuntur Pastores & Antistites Ecclesie, qui iam tot ab hinc annis audiuerunt clamorem & gemitum Ecclesie, omniumque proborum hominum: necdum tamen expergesieri volunt, surgere, & auxiliari: haud cogitantes, se rationem aliquando reddere oportere pro his, qui* *Pro. 21.*  
*ipsis commisi sunt.* *Secundò, quòd Christus etià in via & progressu non otiosus stat, sed operatur sua opera, doctrinam nobis dat, quàm pretiosum esse nobis tempus gratiæ debeat, ne illius vel vna hora sine fructu nobis abeat. Huc seruit quod Paulus dicit Ro. 12. Vt tempori nos accommodemus. Et iterum, Ephes. 5. Redimite tempus quoniam dies mali sunt. Tum orationem reddere nos oportebit de tempore quolibet & hora, quàm inutiliter impendimus. Quapropter hoc agamus, ne tempus gratiæ sine fructu nobis pereat. Si multos annos vixisti, cogita & reputa tecum, quantum tot annis, tot mensibus, tot diebus boni vel mali feceris. Quòd si vocaris ad pœnitentiam, inuitaris ad nouam vitam, ne negligè: quia tempus breue est. Tu verò adolescens stude tempus vitæ tuæ ita impendere, ne te in senectute tua eius pudeat aut pœniteat. Tertio, in eo quòd Christus à mortua puella tibicines & lugentes abire iussit, primò taxauit inutilem fletum & luctum apud vita defunctos, necnon immodicum sumptum & fastum, quem nonnulli apud sepulturam exercent. Taxat item per hoc tertio, peruersam vitam Adæ filiorum, qui apud ægrotos suos prius omnia experiuntur, quàm Christum accersunt, sine quo tamen reliqua omnia nihil prosunt aut prodelle possunt. Postremò quòd Christus præcepit, ne cui hoc miraculum patefiat, nobis doctrina est, ne in bonis nostris operibus humanam gloriam credamus: alioqui futurum est, vt nullam remunerationem apud Deum simus habitari. Quisquis tantum ex* *Jacob. 2.*  
*Hier. 13.*  
*Tempus gratiæ nō negligendum.*  
*1. Cor. 7.*  
*Vanagloriæ cauenda.*  
*Math. 6.*

hodierno Euangelio discit, satis vna vice di dicit. Deus suam nobis largiatur gratiam, Amen.

SECUNDVS SERMO DE  
miraculo de mortua puella.



**H**ODIERNVM istud Euangeliū indicat, quòd Christus olim vno in itinere duo miracula fecit: nimirum, ægrota mulierem sanauit, & mortuam puellam ex mortuis suscitauit. Et hoc erat quidem primum, quod sibi proponebat Christus: propter mortuam enim puellam iter ingrediebatur: cæterum ægrota mulier interueniebat, præuertēs puellam, gratiam & virtutem Christi primò experta. Sunt autem hæc duo miracula, quibus nos Christiani gaudere meritò possumus: si quidem solatium & robur nobis dant cum in vita tū in morte, quandoquidem liquidò in ijs videmus, Christum ipsum implorantibus utrobique auxiliari & posse & velle. Quòd si cui hæc duo miracula aliquanto accuratius inquirere libet, is videbit, quòd in ijs totum negotium Christi, quicquid vnamquam cum homine fecit, adhuc facit, & ad finem vsque mundi faciet, continueatur. Per hominem (inquit Paulus) venit mors: & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur: ita & in Christo viuificabuntur. Hæc potissima causa fuit, quam obrem Christus longinquum iter de cælo in terram vsque suscepit: nimirum, quòd electos suos, quos diabolus per peccatum in mortem cõiecerat, iterum ex mortuis suscitare volebat: imò mortem profligare, & vitam reducere, atque hoc pacto, totum hominem redimere, omnes eius inimicos vincere & opprimere, atque ita in æterna eū securitate collocare. Sic enim multò antè per Dauidem promisit: Propter miseriam pauperum nunc exurgam (dicit Dominus) ponam in salutari: fiducialiter agam in eo. Et in Osee capit. 13. De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: ero mors tua ô mors. Hoc (inquam) Christus præcipuè spectauit suo aduentu in terras. Sed non plenè adimpletur antè extremum diem. Interea verò temporis Christus non otia- tur, curat nunc hunc, nunc alium. ad extremum autè hominè plenè restituet. Nouissima (inquit Paulus) inimica destruetur mors. Est quidem iã prius mors à Christo deuicta quem-  
admodum etiam Paulus dicit ibidem: sed deuictam nondum  
vilem is,

1. Cor. 15.

Gene. 3.

Psal. 11.

1. Cor. 15.

videmus, quandoquidem nos Christiani æquè morimur, atq; alij homines. Ad extremum autem vbi mortui ex sepulchris exilient, videbimus mortem esse deuictam, quod ad credentes attrinet: atque tum etiam opus Christi perfectè complebitur finieturque. Interea verò temporis, Christus non cessat inter nos operari, docendo, consolando, castigando, sanando, & peccata remittendo, &c. Et hisce duabus in rebus totum negotium consistit Christi. Et huc pertinet quod Osee cap. 9. dicit: Viuificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos. Atque hoc pacto docent nos duo hæc miracula, quid à Christo hinc in via, & illic, in fine, petere & expectare habeamus. Proinde historiã paulò latius disquiremus. Quia verò (vbi dictum) duo miracula in vna historia comprehensa sunt, quæ tamen non cõmodè, nec satis vno sermone enarrari possunt: hac vice non nihil dicam de miraculo quod Christus in morua puella fecit: erat quippè hoc primum quod à Christo petebatur, licet ægrota mulier præuertebat. Audi itaque quid Matthæus dicat: Christo ad turbam loquente, ecce princeps vnus accessit, & adorabat eum, dicens: Domine filia mea modò defuncta est: sed veni, & impone manum tuam super eam, & viuet, &c. In breui hac oratione istius Synagogæ præfecti, tria indicata sunt, quæ ad orationem pertinent. Horum si vel vnũ desit, omnis oratio inanis est & cassa: sin verò in oratione sint, nihil non impetratur. Primum est humilitas cordis: id quod Matthæus in eo indicat, dum dicit, principem illum supplicem Christo accidisse ad genua, eumque adorasse. Nam tali adoratione palàm ostendere voluit suum periculum, suam insufficientiam, & suam necessitatem, quam refarcire nemo poterat extra Christum. Et hæc vera humilitas est, quæ non sibi ipsi, sed Deo omnia transcribit. Talis humilitas cù oratione coniuncta sit oportet: alioqui vbi propria iactantur opera, expectanda etiam est sententia in superbum prolata, de quo Lucas scribit. Etenim oratio humilis penetrat cœlos. Tum Deus ipse dicit Esa. 66. Spiritum suum quiescere solum super contritos spiritu, & trementes sermones eius. Alterum quod ad orationem eius pertinet, est feruor, deuotio & desiderium vel affectus: absque tali enim feruore & pio affectu est oratio nihil aliud, quàm multiplicatio verborum & inanis loquacitas: imò vbi nullus feruor & deuotio est, oratio ibi nulla dici potest. Si quidem vera oratio est ascensio animi in Deum

*Tria ad orationem pertinentia.*

*Marc. 9.*

*Luc. 18.*

*Eccle. 35.*

*Orationis pernitio.*

Atqui duo sunt, quæ feruorem & deuotionem in oratione  
 excitant. Primum est, consideratio proprii periculi, alterum,  
 consideratio diuinæ bonitatis. Talem affectum Scriptura no-  
 minat magnum & serium clamorem. Vti videmus in Mose,  
 ad quem Deus dicit, Exo. 14, Quid clamas ad me: cum tamen  
 Moses tantum spacij non haberet, vt vel vnum verbum ora-  
 ret: cæterum cor illius, feruor, deuotio, & affectus clamabat  
 ad Deum. Talem habet feruorem etiam Dauid, vbi ait: De  
 profundis clamaui ad te domine, &c. Talem quoque in hoc  
 lairo (ita enim nominat eum Lucas cap. 8.) feruorem vide-  
 mus, Domine (inquit) filia mea modò defuncta est, &c. Qua  
 si dicat: Summa me cogit necessitas, in qua tu facile auxiliari  
 potes, filia mea quæ senectam meam solari debuerat, morti  
 vicina est: quin iam mortua est, vti Mattheus scribit. Quapro-  
 pter veni, & impone manum tuam super illam, & viuet. Hic  
 vides ardorem & affectum orâtis, Tertium quod ad oratio-  
 nem pertinet, est viua fides: per fidem nanque viuam impetra-  
 mus quod petimus. Dico vobis (inquit Christus) omnia quæ  
 cunque petitis, credite quia accipietis, & euenient vobis. Sic  
 etiam Mariæ virgini dicebatur, Beata quæ credidisti, &c. E-  
 diuerso autem dicit sanctus Iacobus cap. 1. Qui hæsitat, non  
 æstimet homo ille quòd accipiat aliquid à Domino. Hic vi-  
 des, fidem necessariò orationi coniunctam esse oportere: &  
 quòd fides vera est maioris momenti, hoc magis tentatur.  
 Hoc exploratum habemus in isto principe Synagogæ, Prin-  
 cipio vehementer eum delectabat, quòd Christus haud graua-  
 te secum ibat eo animo, vt filia opitularetur. Et quidem etiã  
 spe bona tenebatur, fore vt illi sanitas redderetur. Cum au-  
 tem non procul iam à domo abesset, veniunt ad eum serui  
 eius, dicentes, Quia filia tua mortua est, quid vltra vexas ma-  
 gistrum? Neglectum est, filia tua iam mortua est: succurri illi  
 iam amplius non potest. Hæc erat tentatio fidei illius: quid  
 putas autem in corde suo sensit? Antea non nihil spei habe-  
 bat, filia adhuc viuente, Christum ei auxiliaturum: iam verò  
 serui eius omni illum spe deicere volebant. Et hinc procul du-  
 bio, in filia sua desperasset, nisi confirmasset eum Christus, di-  
 xissetque, Noli timere: tantummodò crede, & salua erit. Per-  
 munde acti dicat: Ne desiste à fide tua & fiducia in me. Non re-  
 fert enim, quam malè habeat filia tua, viuâtne, an mortua  
 sit: sed in fide tua permultum firmum est: si credideris, gloriam  
 Dei vi-

Dei videbis. Eodem quoque modo in israelitis fides probatur. Hi læti Aegypto discedebant, sciebant ex miraculis quæ per Moysen fiebant, se clementem habere Deum. Verùm ad mare cum venissent, & viderent tergo imminentes Aegyptios, ad eò debilitabatur fides eorum, vt dicerent ad Moysen: Quid hoc facere voluisti, vt educeres nos ex Aegypto: vti nam in Aegypto mortui essemus, &c. Eodem modo res nobiscum habet. Credimus quidem rebus omnibus secundantibus: cæterùm malis ingruentibus, fides languescit, nonnunquam etiam penitus extinguitur, nisi verbo & gratia Dei conseruetur. Haud secus in rebus spiritualibus res habet, cum conscientia ex consideratione peccatorum & diuini iudicij expauesceta est. Non potest fieri quin desperet homo, nisi Christum audiat dicentem, Noli timere: tantummodo roto corde ad me conuertere, & saluus eris. Id quod perinde est, ac si dicat, Ego sum fons gratiæ & bonitatis inexhaustus, omni tempore & ad omnes homines fluens: paratus semper dare, si verè credere potes, & totus ad me conuerti, & cæte. Talis vbi fides & conuersio est, ibi filia nostra reuiuiscit, etiam si mortua fuerit. Imò nihil hîc in desperatione ita positum est, quin restitui possit: Imò prius quàm talis homo fame pereat in tanta fide & vera conuersione ad Deum, vel corui & angeli ibi cibum asportare cogentur, sicuti Elia: aut cælum panem mittere, veluti filijs Israël. Summa, rectè credenti omnia sunt possibilis: atque ita vt ei etiam montes cedere cogantur, vt Christus ait Marc. 11. Quò autem stabiliores in fide viuæ in Deum manere possimus, confortanda nobis fides nostra est, aut promissis Dei, aut exemplis sacre Scripturæ, aut consideratione acceptorum beneficiorum. Quem admodum etiam nos Christus docet vbi ait Matth. 6. Nòne anima plus est quàm esca: & corpus plus quàm vestimentum? Quasi dicat: Qui vobis dedit maximum sine præcedentibus meritis vestris & precibus, minimum vobis quomodo denegaret? Eundem in modum loquitur & Paulus Roma. 8. Qui vnicum suum filium pro nobis tradidit, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Sequitur in Euangelio: Et surgens Iesus, sequebatur eum. Circa hoc verbum videmus primò, quàm Deus sit expositus ad dandum auxiliandumque, vbi obnixè oratur, ita vt vel vnicum hoc exem-

Exod. 14.

3. Reg. 17. 6  
19.

Exod. 16.

Matt. 9.

in hunc credunt. Hunc autem à tergo solum contingunt: etenim faciem eius in humana natura quanquam non viderunt, nihilominus tamen credunt in eum. Proinde Gentes per hanc ægrotam mulierem denotantur: filia verò Synagogæ præfecti significat Iudæos: & huc seruit quòd Marcus dicit, Archisynagogi filiam nondum fuisse mortuam, cum ad Christum veniebat, sed iam in extremis erat: cæterum cum ægrotam mulier per contactum vestimentorum Christi conualuisset, aderat nuntium de morte filia. Indicatum præterea est, filiam annos natam fuisse duodecim: unde consequitur quòd quando puella nata fuit, mulier cœperit ægrotare contra, quòd mulier sanata est, filia mortem obierit. Et quid aprius quadrare potest ad duos populos, Iudæos & Gentes? Cum Iudaismus in Abraham, Isaac, & Iacob incipiebat secundum Deum viuere, tum Gentes incipiebant in omnigena peccatorum portenta & Idololatrias prolabi. Ediuerso autem cum Gentilitas incipiebat in Christum credere, & a suis peccatis & erroribus liberari, tum Iudaismus incipiebat mori, amittens Deum & verum suum Messiam, & ita iacet adhuc, nec loquitur, quia nondum ad eum venit Christus: sed adhuc in ambulat, vt mulier ægrotam Gentilitas perfectam consequatur sanitatem: quod vbi factum fuerit, & Gentium plenitudo intrauerit, tum Christus etiam mortuam filiam ex mortuis suscitabit: aut, vt Paulus dicit, tum etiam Israël & Iudaicus populus ad agnitionem Christi veniet, & saluabitur. Hoc in ista historia apud duas hasce mulierum personas præfiguratum fuit. Quapropter etiam historiam nunc nobis proponemus. Principio habemus in hac historia expressam imaginem peccatoris: indicatumque præterea, qua ratione & modo sanetur iustificeturque. Per morbum istius mulieris indicatum nobis est damnum peccati, quinimo peccatoris infelicitas, & fœditas. Morbus in hac muliere grauis erat, perpetuus, immedicabilis, impurus: unde & tales mulieres in lege Moyse immundæ iudicabantur: sed quid per eiusmodi ægritudinem aprius intelligi potest, quam peccatum? Est enim profecto peccator immundus coram Deo. & fœret coram hominibus per malam suam famam, cadit & fuit in omnia peccata & flagitia, nec illi per vllum naturale medium succurri potest. Nam quem despicit Deus, eum nemo corriget. Hæc natura & conditio est peccatoris. Nunc porrò audiemus, qua ratione sanari iterum possit. Mulier (inquit

Mar. 5.

Rom. 11.

Leuit. 13.

Peccator immundus.

Ecclesi. 7.

SERMO III.

Matthæus accessit retrò Dominum, & tetigit fimbriam vesti-  
 stimenti eius, &c. In Marco & Luca additum est, eam antea *Mir. 5.*  
 multa perpeffam à medicis: imò omnes facultates in medicos *Luc. 8.*  
 profuderat: nec tamen sanitatem fuerat adepta, sed reseius  
 nunc etiam in loco deteriori erant, ita vt præter morbû pau-  
 pertatem quoq; iam pati cogeretur. Ita fit quoq; cum peccato-  
 re: quando is peccata sua & grauitatem iræ Dei agnoscit.  
 tum conuiescere non potest: sibi ipsi opem ferre conatur,  
 omnia quæ potest tentat, vt iram Dei effugere possit. Sed hîc  
 illi necessarium est, vt sciat, vbi & apud quem præcipuè sani-  
 tatem quærere debeat: quia Christus primarius animæ medi-  
 cus, est. Sunt quidem & alij, qui se medicos profitentur, qui  
 curare conantur, verum ij medici non sunt: non sanant, sed  
 morbum magis exasperant. Hi illi sunt, qui externam solum-  
 modo medicinam & malagma imponunt. Atqui conscientia  
 inquieta nihil recusat, quò ad tranquillitatem peruenire pos-  
 sit. Id autem efficere per solas res externas non potest: imò  
 res eius deterior tantummodo fit, & quoniam omnes medi-  
 cos sequi vult, inquietior vsque redditur ita vt postremò quo-  
 cunque sese vertit, nihil videat aliud, quàm vnde magis, lan-  
 guescat, adeò vt quandoque desperet: præterea etiam non-  
 nunquam iacturam facit cum corporis tum bonorum. siqui-  
 dem hîc morbus non sanatur, nisi in primis per Christum, &  
 veram pœnitentiam. Inquieta conscientia ad tranquillita-  
 tem redire non potest ne Christo: nec te ab ira Dei tutum  
 reddere quisquam, potest, nisi in Christo. Christus autem  
 essentiale verbum Dei est. Et huc pertinet quod Sapiens dicit  
 Neque herba, neque malagma sanauit eos: sed tuus Domine  
 sermo. Et Dauid: Misit (inquit) verum suum Deus, & sana-  
 uit eos: & eripuit eos de interitionibus eorum. Sed iam porrò *Sap. 16.*  
 obserua, quomodo salus & sanitas animarum à Christo in *Psal. 106.*  
 nos deueniat. Cum mulier aliquandiu medicina vta esset, sine  
 tamen omni fructu & vtilitate, nec esset amplius quod daret  
 medicis, nihil spei residuum videbatur iam recuperandæ sa-  
 nitatis: sed sæpè accidit, vt certissima salus sit, nullam sperare  
 salutem. Nam cum mulier inciperet de medicis dubitare,  
 tantò propius veniebat ad salutem veram. Nam vbi huma-  
 num deest auxilium, ibi Deus omnium maximè auxiliari  
 gaudet vt Dauid dicit: Tibi Domine derelictus est pauper: *Psal. 9.*  
 rphanò tu eris adiutor. atque ideo etiam nominat se Pa-

etiam factum est, & ita adhuc sit. Iudaici Sacerdotes tacet. Pharisæi calumniantur, Scribæ derident, mûdus persequitur Christum: peccatores autem verè pœnitentes laudant Deum, quòd per gratiam eius redempti sunt à pristinis eorum vitijs, & tyrannide diaboli, &c. Paxit Deus vt similiter & nos, semperque faciamus, Amen.

TERTIVS SERMO  
de miraculo de egrota  
muliere.



N proximè præcedente sermone miraculum quod Christus in mortua filia Synagogæ præfecti fecit, breuibus verbis exposui: quòd miraculum cò spectat propriè & finaliter, ad indicandum, quòd Christus is est, qui in mortem & vitam Dominium habet, & frangere potest virtutem mortis, & suos ab illa eripere. Hoc abundè demonstravit in mortua filia, quam vnico verbo à morte suscitabat: & ob id

Ioan. 10.

Os. 13.

etiam tot Christus miracula fecit, quò verbis illius tantò maior haberi fides posset. Opera ( inquit ) quæ ego facio, testimonium perhibent de me: idque multò antè per Prophetas promissit, liberaturum se suos de manu & potestate mortis. Est autem hoc factum nobis ad mirificum gaudium: quia per suam mortem, nostram mortem ita occidit, vt quamlibet violenter nos aggreditur, tenere tamen nos inuitos non potest. quemadmodum nec Christum tenere potuit: siquidem impossibile erat mortem eum qui vita est, tenere potuisse. Et, ob id iam dicit Christus, qui in se efficaciter credat, victurum eum, etiamsi moritur: & qui adhuc viuat & in se credat, non moriturum eum in æternum. Qua etiam de re dicit Paulus 1. Thessal. 4. Si credimus quòd Iesus mortuus est & resurrexit ita & Deus eos qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo. Quapropter lati cum Isaiâ dicere possumus: Domine Deus noster es tu, exaltabimus te, & confitebimur nomini tuo: quoniam fecisti mirabilia, cogitationes antiquas fideles amen, & cuius illa sunt opera? Tu factus es ( inquit ) fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua, spes à turbine, vmbra ab æstu: tu præcipitasti mortem in sempiternū, atque ita abstulisti lachrymam ab omni facie, &c.

Act. 2.

Ioan. 32.

Isa. 25.

Similiter etiam dicit Paulus: Gratias Deo qui dedit nobis vi-

1. Corint. 15.

ctorem

storiam per Dominum nostrum Iesum Christū. At vbi mors aufertur, ibi vita succedit: vnde etiam Christus non solum mortem aboleuit: sed etiam vitam dedit, quemadmodum ipsemet dicit Ioan. 10. Ego veni vt vitam habeant, & abundantius habeant. Et Paulus 1. Corint. 15. Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriūtur: ita & in Christo omnes viuificabuntur. Huc respicit miraculum in mortua filia: nimirum, ne quis dubitet, quin Christus habeat potestatem mortis & vitæ, id quod nos meritò trahere ad Christum debet. Quid enim homo magis horret, quàm mortem? Quid magis expetit, quàm vitam? Videmus communi pestis malo regnante, quomodo ad medicos curratur, si vitæ incolumitas per tempus aliquod & annos fortè conseruari possit: imò si in extremo fine mundi medicus esset, qui à morte tueri non posset, certatim ad eum cursuri essent huius seculi filij, neque sumptuum neque laboris rationem habituri. Atqui verò talem medicum apud nos & inter nos habemus. Ecce (inquit) ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi. Talem medicum (inquam) proximè apud nos habemus, qui nobis vitam dat, & quidem veram ac æternam vitam: sic enim etiam Ioannes vidit fluuium aquæ viæ procedentem de sede Dei & agni. Ad hunc fluuium venire quilibet potest, pauper æquè atque diues. Sienti (inquit) dabo de fonte aquæ vitæ gratis. Quamobrem ad adipiscendam vitam quam dat Christus, haud alia re magis opus habes, quàm vt veram sitim habeas, & ardentè quæras eam. Sed satis de hoc superius dictum: nunc porrò etiam alterum miraculum de ægrota muliere audiemus. Et ecce (inquit Matthæus) mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, &c. Apud hoc miraculum primò allegoriam & spiritualem significationem indicabo: at tamen breuibus verbis, quò mihi deindè prolixius de historia dicendi detur locus. Est autem id sine singulari significatione non factum, quòd Christus Synagogæ magistrum sequebatur: ea mente, vt filiã eius ex morte resuscitaret, at verò prius quàm eò veniebat, in via mulierem videbat ægrota, sed tamen à tergo, & vestem suam contingentem, & per eum contactū restitutam sanitati. Fuit autem significatio hæc: Christus peculiariter & præcipuè missus fuit ad oues quæ perierant domus Israël. Eæ autem nondum omnes aggregatæ sunt: interea verò temporis Gentes se ingesserant, & Christum ad se attraxerunt:

Matth. 28.

Apoc. 22.

Apocal. 21.

Matth. 2.

Matth. 15.

plum nobis fidem nostram & charitatem in Deum confirmare deberet. Secundo, Christus per hoc voluit exemplum dare omnibus Pastoribus, vt omnibus hominibus, pauperibus & diuitibus, doctis & indoctis parati sint ad auxiliandum animabus eorum. Est enim hoc officium illorum, vt non tam dominantur, quam seruiant. Veluti Christus dicit, *Qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus.* Et Paulus: *Sapientibus & insipientibus debitor sum.* Tertio, Christus per hoc docuit, ne infirmi in fide & charitate reijcantur, sed confirmentur, donec crescant & adolescant in virum perfectum, sicut Paulus docet, *Rom. 14.* Contrarium illi faciunt qui nulli commiseratione tanguntur erga alios homines: tolerare non possunt imperfectiorem infirmorum, perinde ac si homo omnibus numeris esse absolutus possit in hac vita, cum tamen etiam iustus septies in die cadat, saltem venialiter. Sequitur in textu: *Et cum venisset Iesus in domum principis, & vidisset tibicines, &c. dicebat: Recedite; non est enim mortua puella, sed dormit.* Hominibus quidem mortua erat, sed Christo dormiebat. Hoc verbo docet nos Christus, ne vita defunctos immodicis lachrymis prosequamur, maxime Christiani si sint. Cur enim desles talem, tanquam mortuum, cum viuat adhuc, & post paululum resurrecturus sit? Mundus quidem existimat corpore collapsio, actum de homine esse. At nos Christiani scimus, mortem esse ianuam ad vitam. Vnde & Paulus docet, de dormientibus vt non contristemur, sicut & ceteri qui spem non habent, &c. Hic vides, quomodo scriptura de mortuis loquatur; Non dicit mortuos esse, sed dormire: quemadmodum Christus etiam hoc loco facit. Ea enim solum dicitur & est mors, vnde non est reditus ad vitam, veluti mors impiorum siue peccatorum: ij verè mortui sunt, atque etiam perniciofa mors est. Quocirca ij siue viuant siue moriantur, desleri debent, quemadmodum Paulus excæcatos deslet Iudæos, & eos qui ante peccauerant & non egerunt penitentiam, &c. Christianus verò piè defunctus immoderate ac importune plangendus non est. Siue enim viuimus siue morimur, semper Domini sumus. Hinc fit quòd in Ecclesia apud funera potissimum Scripturæ nobis præcinuntur, quæ de futura resurrectione dicunt. Vt ex Iob cap. 19. Scio quòd Redemptor meus, &c. Et ex Dauid Psal. 114. Conuertere anima mea in requiem tuam: quia Dominus benefecit tibi, &c. *Quamobrem*

Matth. 20.

Rom. 1.

Prouer. 24.

1. Thef. 4.

Psal. 33.

Rom. 9.

2. Cor. 12.

Rom. 14.

obrem immodicus & inordinatus super defunctos ploratus, longè a nobis Christianis esse debet. Nam qui Christianum, qui futuram resurrectionem credit, decere potest, si se tam male habeat, cum etiam Ethnicus quidam obitum suorum forti animo tulerint? Si tamen flere iuuat, tum potius flendum est, cum homo nascitur, quàm cum moritur. Nam nascendo incipit mori: moriendo autem, si pius est, desinit mori: incipit viuere, æternum uiuit. Secundo, docet nos etiam Christus hoc uerbo, Non est mortua puella, sed dormit, ne mortem timeamus, ut quæ ueris Christianis mors amplius non est, sed somnus. Etenim per Christum mors deuicta est, quemadmodum illi multò antè per Osèe interminatus fuerat. Euius in Euangelio quoque Ioan. 8. promisit, qui uerbum eius obtemperauerit, eum mortem non gustaturum, aut uisurum in æternum. Hoc autem mundus non credit, unde etiam additum est, quòd Dominum Iesum deridebant, cum dicebat, Puella dormit. Ea enim natura mundi est, deridere, & pro stultitia reputare, quæ spirituales & diuinæ res sunt. Paulus autem non pro risu habet, sed gratias agit Deo, qui nobis uictoriam dedit contra mortem. Addens, O mors, ubi nunc tua uictoria? ubi nunc tuus stimulus? Porro autem quòd Christus in Marco & Luca, parentibus defunctæ, puellæ prohibebat, ne quid de hoc miraculo dicerent, primò propterea factum est ad doctrinam, ut in bonis operibus humanam laudem fugiamus. Secundo, etiam docere per hoc uoluit, quòd in paruis defectibus & uitijs, & erga eos qui ex imbecillitate peccant, secreta correptio sufficit, ne si uitia eorum palàm fiant: aut pusillanimes nimium aut omnino impudentes fiant. Proinde erigit puellam suo uerbo, secreto in domo, paucos homines admittens. Difficile autem illi mederi est, cuius peccata iam in publicum prodierunt: id quòd significat excitatio adolescentis defuncti, & extra portam Naim elati. Porro difficilimè curari potest, is qui peccata sua in consuetudinem uertit. & hoc per Lazarum significatum est. Tertio, quòd Christus miraculum hoc per Synagogæ præfectum palàm fieri uolebat, præfiguratio erat, quòd Iudaica gens conatura esset gloriam & nomen Christi opprimere, fore autem ut tantò magis nomen eius per Gentes inclaresceret: id quòd etiam per hominem demoniacum præfiguratum fuit, quem Christus ad suos ire iubebat, & denunciare, quid in se Deus fecisset. Atque ita

*Mors non timenda.*

*Osè. 13.*

*1. Cor. 15.*

*Mar. 5.*

*Luc. 8.*

*Luc. 7.*

*Ioan. 11.*

*Psal. 67.* trem viduarum & orphanorum. Dicitq; ad vnumquemq; de-  
*Psal. 49.* solatū hominē: Inuoca me in die tribulationis, & eruam te, &  
 honorificabis me. Hoc modo initium salutis est, cum homo  
 de seipso desperat. Nam quoad nobis ipsis præfidimus, non su-  
 mus digni, quibus Deus auxilium ferat. Et hoc vnum est. Se-  
 cundo, cum hæc mulier in hunc modum, vti iam dictum, de  
 seipsa & medicorū ope desperabat, rumor ad eam defereba-  
 tur de Christo, quemadmodum tam potēter auxiliari posset  
 in omni necessitate: essetq; præterea tam benignus, vt nemi-  
 nem sua ope destitutum dimitteret à se: idque faceret gratui-  
 tō potius quā pro restituendo munere: & in hoc missus es-  
 set à Deo, vt opitularetur hominibus. Hic rumor cum ad mu-  
 lierē deferretur, reuiuiscēbat, spem talem & fiduciā in Chri-  
 stum concipiebat, vt nihil amplius cogitaret, quā quo pa-  
 cto venire ad eum posset: sic secum cogitans, si nunc vel so-  
 lam simbriam vestimenti eius daretur tāgendi copia, iam sal-  
 ua esses. Sic etiam facere nos oportet. Cum te conscientia tua  
 cruciat, per pœnitentiam curre ad Christum: id enim solum  
 te cōsolabitur: & animum tibi reddet: & ob id etiam summo-  
 perē eō hortatur Euangelium, hoc est, bonū nuntium. Dein  
 de quicquid de Christo audis, id cape & tene cum viua fide:  
 ne dubita quin Christus etiam tibi talis erit, qualis in Euange-  
 lio prædicatur annūciatūq; si verō corde ad illum accesseris.  
 Vti cum audis, factū eum esse hominem, passum esse & mor-  
 tuum, &c. firmiter crede, tua causa eum hominem esse fa-  
 ctum, & mortuum, vt sua natiuitate nostram mundificaret  
 natiuitatem: & sua morte nostram mortem depelleret, &c.  
 Atque hīc te grauitas peccatorum tuorum & morbi à Chri-  
 sto non abstrahat, sed quō maior & periculosior morbus est,  
 hoc velocius per veram pœnitentiā ad Christum contende.

*Humiliter* in Christum, in conspectum tamen illi venire non audebat:  
*ad Christum* sed retrō accedens, indignam se iudicabat, quam Deus intue-  
*accedendum.* retur, vt de quo malē merita fuerat. Ita & non quoque ad  
*Luc. 18.* Christum accedere debemus: nimirum in humilitate cordis.  
 Alioqui quidem inueniuntur qui Christo in conspectum ve-  
 nire audent, hoc est dignos se iudicant donis Dei, quemad-  
*Genes. 32.* modum superbus ille Phariseus in Euangelio faciebat: qui  
 in templo stans alios aspernabatur, se iustum iactitabat.  
 Cæterum Christianus accessurus ad Deū, cum sancto Iacō bo

indignum censere se debet omni gratia & beneficio Dei. Eff  
 enim hæc preparatio ad gratiam Dei, cum quis humiliter *Psal. 62.*  
 confitetur, si indignum gratia Dei, & tamen summopere o-  
 pus habere. Quapropter accessurus ad Deum effunde cor-  
 ruium; ut David dicit. Agnosce te vacuum, illum autem ple-  
 num omnium bonorum: te peccatorem, illum autem iu-  
 stum: te pauperem, illum autem diuitem: te peccatis plenum,  
 illum autem plenum gratiæ vel veritatis. Quarto, mulier  
 hæc non simpliciter contingit Christum, sed vestem eius, *Vestis Christi.*  
 imò extremam oram illius vestis: atque per hoc sanitati resti-  
 tuebatur. Vestis Christi est sacra Scriptura, in qua Christus  
 reclusus est & latet. Hanc vestem igitur, quin etiam extremam  
 oram illius qui contingit, hoc est, quisquis sacra Scriptu-  
 ram imò etiam minimum quod in ea de Christo indicatum  
 est, fide, spe, & charitate apprehendit, is vtrique conualefcit:  
 Alioquin nisi Christum hac ratione contingas: non sanaris  
 sed grauius etiam damnaris, etiam si scripturam quotidie le-  
 gas, & corpus Christi quotidie tangas & suscipias in sacra-  
 rissimo sacramento. Per vestem Christi intelligere etiam pos-  
 sumus humanitatem Christi. Quod si times ergo Deitatem *I. Ioan. 1.*  
 Christi, accede ad humanitatem eius. Fimbria huius vestis, *Eph. 1.*  
 sacra eius passio est: hanc qui viua fide contingit, saluus est.  
 Sanguis enim Christi mundat nos ab omnibus peccatis: &  
 Paulus in Christo (inquit) remissio: em peccatorum habemus  
 in sanguine ipsius. Et iterum Hebr. 9. Sanguis Christi  
 emundat conscientiam nostram ab operibus mortuis. Vnum adhuc  
 observa, quod hæc sola mulier Dominum contingit viua fi-  
 de & forti: reliqua multitudo non ita eum contingebat, sed  
 premebat. Ita & nos videmur Christum omnes tangere, dum  
 illius verbum omnes audimus, & sacrosissimum sacramen-  
 tum corporis illius suscipimus: at pauci sunt, qui eum vera  
 fide & charitate contingunt. Et hac quidem de causa mul-  
 ti ex nobis infirmantur & debiles sunt, ut Paulus dicit. Imò  
 non contingimus Christum, sed premimus: quia nos vo-  
 cauit ad laudem & honorem nominis sui, sicuti Isaias di-  
 cit: At ita viuimus, ut sæpè nomen eius nostra causa bla-  
 sphemetur apud Ethnicos. Atque hoc modo audiuimus iam,  
 quomodo mulier hæc ad Christum iuerit. Audi porro quid  
 Christus dicat. Iesus conuersus (inquit Matthæus) &  
 videns eam dixit: Confide filia, fides tua te saluam fecit.

Mulier clam eum tetigerat, & cōualuerat nullis sentientibus. Christus autem tale miraculum latere. nolebat. Imò fidem & deuotionem iustius mulieris omnibus hominibus in exemplū proponere uolebat. Secundò, ob id etiam Christus illud ignotū esse nolebat, ut hoc exemplo mulieris fidē Architynagogi confirmaret. Tertio, propterea id faciebat, ut mulierem ad confessionem prouocaret. Quicquid enim ad honorem Dei inferuit, suppressi non debet. Videns itaque mulier quod latere non posset, cum metu & tremore ueniebat ante Dominum Iesum. Semper enim homo timere debet, coram Deo compariturus. Quinimò homo timet, quando peccatum suum sacerdoti confiteri debet, ne pœna sibi irrogetur, aut ne peccatum sibi exprobetur. Quamquam hoc coram iudicio Dei in confessione sacramentali uerendum non est: si quidem istuc melius nihil & tutius est, quam peccatū simpliciter confiteri: quinimò uera & integra confessio peccati impetrat remissionem. Et per ueram confessionem sacramentalem teguntur peccata, uti Dauid dicit: Dixi, confitebor aduersum iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Sic etiam mulier hæc confitetur pristinum suum morbum, & nunc acceptam sanitatem. Vereri poterat, ne se Christus increparet, quòd eum tetigerat, & deinde primum etiam miraculum occultare uolebat: sed benignè & comiter eam alloquitur, Confide filia, &c. Hæc illius absolutio erat prorsus iucunda & consolatoria, postquam per omnia læta à Christo recedebat, quæ tristissima ad eum uenerat. Hoc inuenitur apud Christum in pœnitentiæ sacramento. Hoc quærere apud illum in catholica Ecclesia debemus: nimirum pacem & gaudium conscientie nostræ. Quærite & inuenietis: pulsate, & aperietur uobis: petite, & dabitur uobis. Det nobis Deus omnibus suam gratiam, Amen.

*Psalm. 31.*

*Luc. 11.*

## DOMINICA VICE

### SIMASEXTA POST PEN

TECO. EVANG. IO. VI.

**P**OST hæc abiit Iesus trans mare Galilee, quod est Tyberiadis, & sequebatur eum

turba mul

turba multa, quia videbant eius signa, quæ faciebat super his qui infirmabantur. Subiit autem in montem Iesus, & ibi sedebat cum discipulis suis. Instabat autem Pascha dies festus Iudæorum. Cùm sustulisset ergo oculos Iesus, & vidisset quòd multa turba veniret ad se, dicit ad Philippum: Vnde ememus panes vt edant isti? Hoc autem dicebat tentans eum: ipse enim sciebat quid esset facturus. Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, vt vnusquisque pusillum quippiam accipiat. Dicit ei vnus ex discipulis ipsius Andræas frater Simonis Petri: Est puer vnus hîc, qui habet quinque panes ordeaceos, & duos pisces: sed hæc quid sunt inter tam multos? Dixit autem Iesus, Facite vt homines discumbant. Erat autem gramen multum in eo loco. Discubuerunt ergo viri numero fermè quinquies mille. Accepit autem panes Iesus, cùmque gratias egisset, distribuit discipulis suis, discipuli verò discumbentibus: similiter & ex piscibus quantum volebat. Vt autē impleti sunt, dicit discipulis suis. Colligite quæ superfuerunt fragmenta, ne quid pereat. Collegerunt ergo. & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorū ex quinque panibus ordeaccis, & quæ superfuerant ijs qui comederant. Illi ergo homines

*Math. 14.*

*Marc. 6.*

*alijs volebat.*

cum vidissent quod Iesus fecerat signum, dicebant: Hic est verè Propheta ille, qui venturus est in mundum.

## E A D E M D O M I N I C A

### P R O P H E T I A H I E R E

M I A E X X I I I.

**E**CCE dies ueniunt, dicit Dominus, & fascitabo Dauid germen iustum, & regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet iudicium & iustitiam in terra. In diebus illis saluabitur Iuda, & Israel habitabit confidenter. Et hoc est nomen, quod uocabunt eum, Dominus Deus noster. Propter hoc ecce dies ueniunt, dicit Dominus. Et non dicent ultra, uiuit Dominus, qui eduxit filios Israel de terra Aegypti: sed, uiuit Dominus, qui eduxit & abduxit semen domus Israel de terra Aquilonis, & de cunctis terris, ad quas eiecerunt eos illuc. Et habitabunt in terra sua, dicit Dominus omnipotens.

## P R I M V S S E R M O D O C E T

quamobrem Euangelium istud hac

Dominica legatur.



**V**I NON omnino Ecclesiae ordinationi rudis est, non præterit eum, hanc ultimam Dominicam esse & vocari, iuxta Ecclesiae supputationem. Ea enim neque solis, neque lunæ rationem habet, neque dies, neque menses numerat, neque solares, neque lunares computat annos. Christus vnicus illius sol, lumen & sydus est, cuius ductum sequitur: cum illo annum orditur, cum illo finit. Cum hic sol oritur, hoc est, cum nobis Christianis iterum aduentus & incarnatio Christi proponitur, tum orditur Ecclesia suum annum, id quod proxima Dominica fiet. Si itaque illa prima Dominica erit iuxta Ecclesiae calculum, ultima hæc sic necesse est. Huic Euangelium istud peculiari consilio attributum est multis de causis, quarum nonnullas recensero

Vna cau

Vna causa est, quò plus occasionis habeamus hac vltima Domi-  
 nica, vltimū articulū Christianæ nostræ fidei cōsiderandi. Alte-  
 ra causa est, quando per totū annū audiuius, quid de Christo  
 credere atq; etiam secundum doctrinā eius facere debeamus,  
 vt simplicibus breuis Epilogus earū rerum hac vltima Domi-  
 nica proponatur, quò omnium eorū iterum cōmonefiat, quæ  
 per totius anni spatium audiuere. Tertia causa est, vt postea  
 quàm nos Deus ex Gentilitate ad gratiam suam vocauit, hac  
 etiam vltima Dominica consideremus videamúsque, quid de-  
 nique cum Iudaico populo facturus sit. Ad hæc omnia inserui-  
 re nobis Euāgelium istud potest, & omnium quidem optimè.  
 Potest in eo bonus Christianus considerare æternam vitam  
 & fœlicitatem: videre ex eo potest, quòd etiam Iudæis tandem  
 gratia continget: seseque admonere potest, omnium eorum,  
 quæ per totum annum audiuit. Id quod nemo inficias iuerit,  
 qui rem diligenter meditabitur, considerabitque. Ego paucis-  
 simis indicabo. Principiò, nemo est qui nec scit vltimum ar-  
 ticulam fidei nostræ esse, vbi dicimus: credo post hanc vitam,  
 æternam vitam. Hoc (inquam) vltimum est in fide nostra.  
 At quomodo illa futura æterna vita simplicibus meliùs & cla-  
 rius depingi posset, quàm in hoc adeò Euāgelio? Quid Chri-  
 stus suis imitatoribus hoc miraculo dare voluit aliud, quàm  
 gustum æternæ fœlicitatis? Nam si miraculosè eos pascere  
 potuit in deserto, & in hoc exilio: quid poterit & faciet  
 in cœlo? Si illis comem se præbuit, quorum aliqui post-  
 modum in eo crucifigendo socij fuerunt: quàm igitur co-  
 mem se in cœlo exhibebit erga eos, qui illi toto pectore  
 & perseueranter hâc in terris adherent? Hoc si fecit Iudæis,  
 qui eum postea abnegarunt: quid igitur credentibus in se  
 & sibi obtemperantibus faciet? Summa, Tum vita æterna  
 sumet exordium: imò ibi vita æterna erit, quando Chri-  
 stus, qui nobis cœlos scandens quasi tergum ostendit, ad-  
 uersum nos sese vertet, nos in montem, hoc est, in cœlum  
 ducet, & amicabili nos verbo affabitur. Venite benedicti

*Postremus sym-  
 boli articulus.*

*Matth. 25.*

*Esai. 64.*

*Peregrini sumus.* sumus, quàm peregrini: non habemus hîc manentem locum: non terræ sed cælo creati, ideòque in terris manere non possumus.

*Hebr. 13.* sumus: hoc nos Euangelium istud admonere potest. Proinde quanquàm hactenus multa egregia & consolatoria verba habuimus, omnium tamen iucundissimum in hanc vltimam Dominicam ordinatum est: ad iudicium, quòd, etsi Deus suos multipliciter in eorum peregrinatione, hîc in terris consolatur & recreat, in fine tamen, cùm peregrinatio nostra defierit, omnia in meliorem commutabuntur statum. Quippè nunc per fidem tatummodò ambulamus, & non per speciem: tum autem videbimus quod nunc credimus. Nunc gratiam habemus, tum gloriam quoque habebimus: Dauide dicente, Deum vtraque dare. Nunc ministrant nobis Apostoli, tum ministrabit nobis Christus ipse. Hîc semper ire & ambulare nos oportet: illic sedebimus, & æternum quiescemus. Hoc vltima ista Dominica admonemur per refectionem, quam Christus suis imitatoribus dedit. Est id nimirum brabium, pro quo currimus. Est fœlicitas quam quærimus. Tantò miris eius pigere nos debet, quod pro ea faciendum est. Tantò minùs grauari nos debet, quod pro ea patiendum est. Tantò alacrius sequi debemus, quòd nos Deus & verbum eius vocat: quemadmodum olim Abraham in veteri Testamento, & nostri Apostoli in nouo Testamento, quin etiam populus iste in Euangelio hodierno fecerunt. Abraham relicta patria sequebatur vocem Domini, licet quo duceretur ignoraret. Sancti Apostoli omnia relinquebant, sequebantur Christum, nescientes præmium. Populus in Euangelio Christum sequebatur in desertum vsque, præter spem illis accidit, quòd tale solatium tali in loco inuenerunt. Nos meliora omnia habemus: scimus quòd nos vocet Deus, quid apud nos fecerit & faciat, quid etiam dare nobis velit. Tantò ergò diligentius eum sequamur fratres. Dicamúsque cùm sancto Petro: Domine ad què ibimus? verba vitæ æternæ habes. Et cùm Dauide, Psal. 79. Domine nò discedimus à te: viuificabis nos, & nomen tuum inuocabimus. Quoniã apud te est fons vitæ: & in lumine tuo videbimus lumen. Imò beati qui habitant in domo tua. Quia melior est dies vna in atrijs tuis super millia. Ad hoc nos hodie primùm hortatur Euangelium istud: adhortatio nò inanis. Acgrè discedimus è mundo: habet enim is quod carni placet. Contra verò via qua nos Christus ducit, aspera videtur. Noë ceterum

annos in ædificanda arca extrahebat, quotidie prædicabat de futura ultione diuina: attamen se illi nemo committere volebat in arcam: malebant perire, quam in arcam cum illo ingredi. Sic nec Lot generis suis persuadere poterat, vt sequerentur se: malebant cum alijs pessum ire, quam prætermittere quod illis iucundum & delectabile erat. Summa: Via lata & patens est, quæ ad interitum ducit, & multi eam ambulant. Tantò magis hodie considerandum est, quò suos Christus ducat, & quomodò se erga eos gerat & gesturus sit. Tantum de prima causa dictum, quamobrem Euangelium istud hodierna & vltima Dominica, vt legatur, sit ordinatum. Est deinde nobis in hac historia aliud insuper Dei opus indicatũ, quod in fine mundi faciet, quod etiam hac vltima Dominica nobis proponitur: Nimirum quòd Deus tandem etiam ad Iudæos iterum sese conuertet, & quibus nunc auersus est, velamẽ ab oculis eorum auferet, vt dominum nostrum Iesum Christum pro suo quoque Messia agnoscant. Tum illis Christus eorum quinque panes, quos secũ ferunt, nec ijs tamen fruuntur, hoc est, quinque libros Moyse seu legis, quos apud se habent & quotidie legunt, & tamen non intelligũt: hos panes (inquã) franget illis, vt frui ijs possint: libros Legis & Prophetarum apperiet illis, vt intelligere possint. Tum errorẽ suum agnoscent, dicentque nobiscum: Hic est verè propheta, qui venturus est in mundum. Tum implebitur quod Paulus dicit, Cũ plenitudo Gentium intrauerit, omnis Israel saluus fiet. Huc quadrat quod hodie ex Hieremia canitur & legitur: Hæc dicit Dominus, Ego cogito cogitationes pacis & non afflictionis: inuocabitis me, & ego exaudiam vos, & reducam captiuitatem vestram de cunctis locis. Et deinde etiam ex Hieremia capi. 23. Eccẽ, dies veniunt, dicit Dominus: & suscitabo Dauid germen iustum: & regnabit Rex & sapiens erit, &c. Et postea: Non dicent vltra, viuit Dominus qui eduxit filios Israel de terra Aegypti: sed viuit Dominus qui eduxit & adduxit semen domus Israel de terra, ad quam eieceram eos illuc. En, hoc alterum erit, quod Deus in fine mundi faciet. Hoc iterum circa Euangelium istud considerare possumus, seruietque in hoc nobis, quò videre meliùs possimus infallibilem veritatem, & ineffabilem bonitatem Dei, etiam erga eos, qui illum non solum abnegauerunt sed etiam crucifixerunt. Hæc dux causæ suat, quamobrem Euageliũ istud vltima domini-

Gene. 19.

Matt. 7.

2. Cor. 3.

Ram. 11.

Hiere. 2.

*Duo anni tē-  
pora,  
Redēptionis.  
Peregrinatio  
24.*

ca legitur. Ad hæc bonus quisque Christianus commonefa-  
cere circa Euangelium istud se potest, omnia eorum quæ  
per totum annū hæctenus audiuit, siue ea fidē in Christum,  
siue Christianam vitam concernāt. Hæc enim duo Christia-  
na nostra complectitur doctrina, atque hæc duo nobis in  
Ecclesia proponuntur: quod ad fidē pertinet primū, deinde  
etiam quod Christiana vita postulat. Imò quo hæc duo ordi-  
ne & satis indicari possent, annus in duo diuisus est tempora.  
Primam vocatur tempus redēptionis, quod ab Aduentu ini-  
tium sumens, durat vsque ad festum sanctæ Trinitatis. Altera  
pars appellatur tempus peregrinationis, cuius initium est fe-  
stū S. Trinitatis, finis Aduentus. In prima anni parte potissi-  
mū considerandum nobis datur, quod ad fidem pertinet. Ni-  
mirū primò incarnatio Christi, deinde sancta eius natiui-  
tas, circumcisio eius, apparitio, declaratio, & purificatio. Ter-  
tio, doctrina eius & miracula. Quarrò, sacrosancta illius pas-  
sio cum præuia adhortatiōe ad pœnitentiam. Quintò, resur-  
rectio illius, ascēsis, & missio Spiritus sancti. Hæc præcipua  
capita sunt Christianæ nostræ fidei, & Euāgelicæ doctrinæ.  
Ea omnia nobis cōsideranda datur ordine, vnum post aliud,  
ab Aduentu vsq; ad Pentecosten. Totū hoc tempus (vbi nunc  
dixi) vocatur tempus redemptionis, eò quòd in illo nobis in-  
dicatur, quomodò nos Christus liberet, & quid pro nobis fe-  
cerit & passus sit. Verūm cum hisce nondum finis imponi-  
tur, sed vbi hæc benè sufficienterque prædicata sunt & indi-  
cata, porrò ampliùs considerandū nobis datur, quid etiam  
nos ad salutem nostram facere oporteat. Atque hoc reliquū  
anni tempus est, à Pentecoste vsque ad Aduentum: & voca-  
tur tempus peregrinationis, eò quòd toto illo tempore sin-  
gulis Dominicis monemur impellimurque: ne post agnitio-  
nem Christi consistamus, non exorbitemus, multò minus  
retrò cedamus, sed semper in virtutibus & omni pietate pro-  
grediamur, festinemusque ad veram nostram patriam, ad  
quā nos Christus vocauit, diemque dixit. Hæc duo, inquam,  
pertinent ad Christianam nostram doctrinam. Docemur  
principiò, quòd Christus propter nos homo factus est, &  
tamen Deus mansit, quòd pro nobis satisfecit, quòd passio il-  
lius nostra salus est & redemptio, quòd ille verus mediator  
est inter Deum & hominem, quin propiciatio pro peccatis  
nostris: quòd gratuito omnia propter nos fecit: & ille est  
de quo

*Nō sufficit cre-  
dere nisi Euā-  
gelio cōueniē-  
ter viuas.*

*Hebr. 9.*

*1. 10. 22.*

de quo omnis Scriptura loquitur. Hæc nobis per annum prædicantur de Christo, nunc hoc, nunc aliud. Apud hodiernum Euangelistam bonus quisque Christianus omnium istorum vno tempore sese commonefacere potest. Etenim primò, Christum esse verum hominem ex eo apparet, quòd ambulauerit, comederit, & locutus sit, atque etiam in omnibus alijs gestibus inuentus vt homo. Esse verò etiam Deum, ex eo perspicui potest, quòd quinque panibus quinque millia hominũ pascit. Ita quòd pro nobis satisfecit, ex eo intelligere est quòd licet Dei filius erat, & dominus rerum omnium, propter nos tamen egenus factus est, in desertum concessit, laborem & molestiam suscepit, &c. Sacram autem illius passionem nostram esse salutem & solatium, ex eo deprehenditur, quòd in deserto ad eòd populum pascebat. Eum nobis omnibus verum esse seruatorem, ex eo cognoscitur, quòd tantam hominum multitudinem pascit sine hominum ope & consilio. Ita esse nõ nisi merã gratiam quicquid fecit, ex eo intelligitur, quòd suapte sponte non rogatus populum pascit, & ex mera compassione. Videte, hunc in modum nos admonere potest Euangeliũ istud, quid de Christo credere oporteat. Non minùs pulchrè & clarè nos admonet etiam earum rerum quas Christus post fidem à nobis exigit. Nam quòd populus in hoc Euangelio fecit, id ipsum profectò nos quoque facere par est. Tum quòd Christus in illis probauit, id ipsum in nobis etiã probabit. Atqui multa laude digna de illis dicta sunt. Nam cupidè audiebant verbum Christi, cum admiratione videbãt eius miracula: quocunq; ibat, sequebantur, etiam in desertũ: perseuerabant apud illum etiam in necessitate: nec fame quidem pereclitantes, ab eo diuellebantur cum gratitudine acceptabant quòd illis dabat, etsi non plus & melius erat, quàm ordeacei panes. Et quantumuis numerosa confluxerat multitudo, nulla tamen audiebatur inquietudo & tumultus inter eos, sed omnes vnum cor habebant & animum. Et postremò incipiebant omnes vnanimiter Deum laudare & Christum confiteri. Annon autem hæc illa sunt, super quibus toto anno exhortationes fiunt? & in quibus bonus Christianus potissimum fidem suam exercere & declarare debet? Annon primum & præcipuum, in lege est quòd Moyses dicit Deuter. 6. Audi Israel, Deus tuus Deus vnus est. Annon Paulus dicit, Fidẽ esse ex auditu? p̄uocare nos per hoc volẽs ad diligẽ-

Philip. 2.

2. Cor. 9.

A nobis præter fidem quid exigatur.

Charitas, finis legis.

Roma. 12.

rem auscultationem verbi diuini. Nōne hortatur nos David frequenter in suis Psalmis, vt opera Dei meditemur? Venite (inquit) & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram, &c. Annon acclamat Christus Ioan. 12. omnibus credentibus, Si quis mihi ministrat, me sequatur: & vbi sum ego, illic & minister meus erit? Et iterū Matth. 16.

Matth. 24.

Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucē suā, & sequatur me. Annō dicit, Qui perseverauerit vsq; in finē, hic saluus erit? Et iterum Luc. 9. Nemo mittens manum suam ad aratrum & respiciēs retrō, aptus est regno Dei. Annon

Phili. 2.

Rom. 8.

omniū Patrū exēpla nos docēt, vt cū gratiā sine accipiamus: quod nobis dat Deus, minimēq; dubitemus, quin sufficit nobis quātumuis in speciem exile? Annō Paulus vbiq; hoc vrget vnanimis vt simus, nemo vt alteri sese præferat, vt quisq; aliū se maiore iudicet? &c. Annō etiā expressis verbis dicit vt oēs vno ore & corde laudemus prædicemūsq; Deum & patrē domini nostri Iesu Christi: En, hæc omnia nobis in isto Euangelio dei in iata sunt. Quomodo itaque melius & aptius super vltimā hęc dominicā ordinari potuisset? Si per totū annum nōdū rectē animaduertisti qd, de Christo credere & quomodo illū imitari debeas: si obliuioni tradidisti qd per annū hactenus de & fide Christiana cōuersatiōe seu bonis operib⁹ prædicarum sit, eorū te admonere omniū potest Euangelium istud.

Psal. 31.

Eccle. 31.

Sed diligentē requirit auditorem. Homo Christianus nō esse debet sicut equus aut mulus quibus non est intellectus. Tum Sapiens docet, vt ad mensam accumbens obserues: quid tibi apponatur. At quis ditior Deo? Quis conuiuis suis melius & magnificentius apponit quam ipse? Atqui etiā nos ad mēsam eius vocati sumus: Beati, qui hoc considerant. Aperiāmus oculos, fratres. Vtinam vitam nostrā omnes finire ita possemus, quēadmodū Ecclesia cū hodierno Euangelio annū superiōrē finit. Nostra proculdubio ea esset, vtilitas & æterna salus. Deus det nobis omnibus suam gratiam, Amen.

### Secundus Sermo de Euangelio in genere.



! Marc. 3.

**H**ODIERNVM istud Euangelium bis in anno legitur: & præter hoc legitur: etiam aliud de septem panibus, quod hodierno in sententia fermē respondet, cui peculiaris etiam attributa Dominica est. Quapropter dubium mihi

mihi nō est, quin vestrum aliqui cogitent secum, quorsum atti-  
 neat, vnius generis historiam toties prædicari, perindè ac si ni-  
 hil in Euāgelio amplius sit, quàm historia de quinque & septè  
 panibus. Eiusmodi interdum nobis cogitationes incidunt: hoc  
 deprauata nostra facit natura, quòd semper propensi & cupidi  
 sumus noui aliquid audire: ediuersò autem pigri & segnes, si  
 res eadem sæpius audienda sit. Et quid de auditu solum dico?  
 Hæc curiositas in alijs etiam rebus omnibus sese in nobis o-  
 stendit, atque ita vt in prouerbium abierit, soleátque dici, Om-  
 ne rarum charum: rerum quotidianarum tandem nos piger.  
 Est autem talis curiositas minimè bona, nihilque boni affert e-  
 tiam in externis rebus: multò minus adfert boni: in rebus spi-  
 ritualibus. Etenim qui solummodò student curiositati suæ sa-  
 tisfacere, ij facile in errorem prolabuntur, quemadmodùm  
 Christianitas magno cum suo damno experta est. Proindè si-  
 cut bonus pater filijs suis dat quod vtile illis est. licet non igno-  
 ret, eos aliquid aliud malle: quippè mauult bonos, quàm curio-  
 sos & petulantes filios: ita & sancta Christianitas veros & bo-  
 nos Christianos desiderat. Propterea frequenter ob oculos no-  
 bis ponitur quod nobis vtile est, non obitante, quòd tædium  
 eius quandoque nobis obrepit. Tali de causa etiam Euange-  
 lium istud sæpè nobis proponitur. Et quidem nihilominus  
 sapit pio homini: quin ex eo adeò, quod toties nobis propo-  
 nitur, exploratum habet, magni id esse momenti oportere.  
 Et ita planè res habet. Quo enim crebrius Euangelium istud  
 auditur, hoc iucundius sonat: & quò exquisitiùs indagatur,  
 hoc plura in eo inueniuntur. Quomodo igitur bono Chri-  
 stiano tædium afferat? Qui edunt me (inquit diuina Sapien-  
 tia Christus) adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitient.  
 Qui audit me, non confundetur: & qui operantur in me, non  
 peccabunt. Venite ergo ad me omnes qui concupiscitis me,  
 & à generationibus meis implemini. Et iterum: Beatus ho-  
 mo qui audit me. Qui me inuenerit, inueniet vitam & hau-  
 riet salutem à Domino. Quapropter Euangelium istud al-  
 tiùs disquiremus. Et primò audiuitis, idque cum admiratio-  
 ne, quòd Christum populus sequebatur cateruatim in loca vs-  
 que deserta, id quod argumento est, eos peculiare quiddam &  
 noui in illo conspicatos, atque ideo magna de illo sperasse. Nā  
 vbi videntur quæ rara sunt, audiuntur quæ iucunda, speran-  
 tur quæ bona, non inuitus trahitur homo & tenetur. Atqui

*In curiosita-  
tem.*

*Eccles. 24.*

*Prouerb. 8.*

*Phil. 2.* tria hæc nusquam inuenis melius, quam in Christo. Quid insolitum magis & admirabilius in terris visum, quam filius Dei in forma hominis & serui? Quid vnquam sanctius & iucundius in terris auditum, quam Euangelium Christi? Quid vnquam sperari melius & optari potuit, quam quod nobis attulit Christus? Quid itaque mirum, si innumera hominum multitudine eum secuta est? Nonne Prophetæ prædixerunt, omnes Gentes ad Christum accursuras? vti videre potes Isa. 2. 49. & 60. cap. & in Zacha. 8. cap. & in 71. Psal. Quin hoc magis mirum est, quod non omnes homines accurrunt, simul atque Christum audiunt nominari: id quod indubie futurum esset, si Dei dona agnosceremus, & sciremus quis Christus esset, de quo loquimur, eumque ex animo diligerem<sup>9</sup>. Accessurus ergo ad Christum, vide ne quid nimis humilis de illo sentias, sed mirifica omnia & bona de illo credas. Certus esto, quod terra simile nusquam habuit, nec vnquam sit habitura. Certus esto, quod ex ipso audies, quod alioquin nusquam audire potes. Imò ab ipso consequeris, quod totus tibi orbis per se non potest dare. Tali animo & æstimatione ad Christum & sanctum illius verbum accedendum. Hoc non temere dico. Video non alia de causa tam paucos Christo adherere & obtemperare homines, quam quod non possumus illum tanti facere, vti est. Hinc (inquam) fit, quod non ita properamus ad Christum. Ob id etiam beatus Paulus pro fidelibus orauit, iisque à Deo precatus est, vt per Spiritum sanctum possent cognoscere, quæ sit longitudo & latitudo, altitudo & profunditas, &c. Sic precabatur etiam coram Rege Agrippa, omnes homines in fide & agnitione Christi esse sicuti ipse esset. Nam qui Christum verè & perfecte cognoscit, is etiam proculdubio toto illi corde adheret, & ei per omnia obtemperabit. Videmus hoc in populo in hodierno Euangelio. ij non nisi rem vnã de Christo cognorant ex miraculis eius, nimirum quod ægrotis mederi posset, attamen relictis omnibus sequebantur eum. Quid facturi fuissent, si perfecte eum cognouissent? Etenim ex solis miraculis Christus cognosci perfecte non potest. Quinimo externa miracula & beneficia corporalia, quæ Christus hominibus extrinsecus exhibuit, minima sunt in illo visu digna. Ex verbis autem eius melius cognoscitur. Dicit enim. Ego sum lux mundi, &c. Ego sum resurrectio & vita, &c. Ex his *Iohan. 8.* & id genus verbis audimus, quod peccata dimittere possit, vitam & salutem dare, mortem & omnia mala pellere, &c. Hæc illi  
sunt.

sunt, ob quæ ad Christum currere debemus. Hanc ob causam  
 misera quondam ad eum currebat peccatrix, quin etiam latro  
 in cruce. Hoc illum de causa, sequebantur etiam S. Apostoli.  
 Domine (inquebant) verba vitæ æternæ habes: quomodo igitur  
 a te discederemus? Hæc ipsa de causa sequitur etiam eum  
 S. Christianitas. Sed hoc populus Iudæicus non sciebat id quod  
 ex eo intelligere est, quod quidem Christum frequenter inter  
 pellabant pro corporali sanitate: sed nullus eorum inuocabat  
 eum pro remissione peccatorum & gratia. Hoc modo indicat  
 etiam clarè Euangelista, populum hunc propterea solum secu-  
 tum esse Christum, quod miracula eius conspexerant, quæ in  
 ægrotis faciebat. Et paulò post dicebat Christus ipse: Amen.  
 amen dico vobis: quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia  
 manducaistis ex panibus, & saturati estis. Sed nõ est hæc iusta  
 causa, quam obrem dico vobis, operamini non cibum qui perit  
 sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis da-  
 bit vobis, &c. Est itaque primò & ante omnia obseruandum, vt  
 magnificè de Christo sentiatur, constanter eum in omnibus se-  
 quamur, & tamen potissimum apud eum quærat quod ad ani-  
 mæ pertinet salutem. Alioquin satis non est, si Christum sequa-  
 mur, nisi id fiat animo sincero. Quapropter ficti & limuati  
 probi Christum non verè sequuntur, quoniam in tali imitatio-  
 ne nihil quæruni aliud, quam tēporale lucram & laudem hu-  
 manam. Nec falsi Evangelici Christum verè sequuntur, quan-  
 do quidem carnalem tantummodo libertatem & quicquid li-  
 beat, in illo & in Verbo eius quæruni. Infideles Pastores & Ec-  
 clesiæ ministri nec ij Christum verè sequuntur, quippe nihil il-  
 lis in Christo placet, quam quod dicit, Edite quæ apponuntur  
 vobis: dignus est enim operarius mercede sua, & quod illis per-  
 misit, ab alijs hominibus corporalem victum accipere. Nec  
 Hæretici & Schismatici Christum verè sequuntur, vtpotè ex  
 verbis ipsius tantummodo desumentes, quod ipsis inseruit ad  
 errores suos excusandos & prætexendos. Reliqua omnia rei-  
 ciunt. Ex his facile videre est, per paucos esse qui Christum  
 vt conueniebat sequuntur, quantum ais magnus eorum nu-  
 merus est, qui de Christo gloriauntur. Sed satis hac de parte.  
 Secundò in hoc Euangelio indicatum est, quod Christus  
 cum suis discipulis & comitibus recta in desertum profi-  
 citur, in montem subit, & ibi sedet, omnibus post se relictis, Hiero-  
 solyma, templo, consortio & consuetudine hominum, &

Luc. 7.

Luc. 23.

Ioan. 6.

Infidos.

Pseudoevan-  
gelicos.Infides Eccle-  
siaministros.

Luc. 10.

Hæreticos.

*Christus docet mundi cō- omni gaudio, fastu, diuitijs, & honoribus istius mundi. Et quid sēnenda gaudia.* nos tali exemplo voluit docere aliud, quam quòd antè & post verbis docuit? Vti cùm dicit: Intrate per angustam portam. Et iterum: Si quis venit ad me, & non odit patrem suū

*Matth. 7.* & matrem, & vxorem & filios, & fratres & sorores, adhuc autè

*Luc. 14.* & animam suam, non potest meus esse discipulus, &c. Hoc &

id genus alia nos Christus in hac altera parte Euangelij docere voluit. Sed hoc vulgò ægrè & malè in animos intrat. Maior

pars inter nos Christianos obstruunt aures & oculos, simulat se non videre aut audire: imò malunt infœliciter cum mundo

perire, quàm cum Christo ad breue tempus pati. Sed de hoc etiam in proximo sermone non nihil dictum est. Tertio, in

hoc Euangelio audiuitis, quàm Christus comites suos benignè habuerit, verbis, factis & gestibus. Et hæc ex præcipuis

partibus in hoc Euangelio obseruandis vna est. Ex hoc enim discimus principio bonam haurire fiduciam erga Christum.

Nam quemadmodum se exhibuit erga sequentes se: ita etiam erga nos se exhibebit, quatenus illi, adhæserimus. Quocirca

*Psal. 10.* in omni afflictione oculos nostros ad eum vertere debemus, nec vnquam à spe amoueri, vt non humiliter cum Dauide di-

*Psal. 26.* camus: In Domino confido: quomodò dicitis animæ meæ,

*Psal. 117.* transmigra in montem sicut passer? Et rursum: Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus mihi adiutor: non timebo quid faciat mihi homo, & ego despiciam inimicos meos. Deindè etiam hæc pars veram nos docet cha-

ritatem. Nam in eo, quod Christus se tam comem præbuit dicere ad nos vult: Discite à me, quia mitis sum & humilis

*Matth. 23.* corde. Et iterum: Si hoc ego feci vobis, dominus & magi-

*Ioan. 13.* ster, quantò magis vos debetis alter alteri facere? Eandem etiam in sententiam loquitur Ioannes: Si sic Deus dilexit nos,

*Ioan. 4.* & nos debemus alterutrum diligere. Atqui Christus charitatè suam non solum verbis, sed etiam factis declarauit. Similiter

*1. Ioan. 3.* quoque nos facere oportet. Sic enim docet Ioannes: Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate. Sic docet

& sanctus Iacobus cap. 2. Non debemus ad pauperes nostros fratres dicere. Ite in pace, calefacimini & saturamini: sed dare

quæ necessaria sunt corpori, vt læti & animo hilari à nobis recedant. Perindè ac si dicat: Solarium quod solummodò verbis fit, ijs relinquit, qui alioqui nihil dare aut auxiliari possunt. In

vobis autem diuitibus hoc non sufficit: pauperem etiam ipso

facto consolari debetis. Etenim nudis verbis non illis fames eorum, & frigus sedatur. Date igitur cum bonis verbis, etiam quod eorum requirit necessitas. Nam sic & Deus consolatur gemino modo. Consolamini consolamini popule meus (inquit bis in Isaia.) Prima consolatio est in verbis. Ideo addit, Loquimini ad eor. Ierusalem. Altera consistit in opere. ideo statim subiicit. Ego ipse qui loquebar, ecce adsum. Eodem modo etiam nunc consolatur nos & verbis & factis. Vade igitur, fac & tu similiter. Christus dum progrediebatur, sequentibus se tergum vertebat: tandem consistebat, versus intuebatur eos, & pascebat eos. Fac & tu similiter. noli semper progredi, sed interdum respice, & pauperi tuo fratri auxiliare quoque deinceps. Hoc discite ex isto exemplo Christi. Quarta, audiuimus etiam in Euangelio, quam patenter Christus tot millia hominum pauerit: & tam exili comitatu, id quod certum argumentum est diuinæ in illo potentiae. Et ex hoc discite fidem tuam in deitatem Christi confirmare, contra blasphemiam Iudæorum, contra felicitatem Gentium, & contra rebellionem hæreticorum. Miracula Christi te non fallent. Christus vnico verbo ægros sanauit, mortuos suscitauit, famelicos pavit, malos spiritus profligauit, ventis & mari imperauit, &c. Ad hæc potestatem quoque illam suis dedit Apostolis, quin etiam omnibus credentibus. Ioan. 14. Et quod maximum omnium est, vltro animam suam & vitam deposuit, & in resurrectione recepit, & sic ascendit in cælum, &c. Quæ nemo potest alius, præter vnum Deum. Quare ne mouere quod Iudæi non desinunt Christum calumniari, & quod Turcæ tanto rerum successu potiuntur contra nos Christianos certum habe, quod Christus verus Deus est. non quemadmodum Gentes falsos habuere deos, sed verus Deus. Itaque viua si de consolare, & arma te ipsum in omni tribulatione, & dic cū sancto Dauide: Deus meus es tu, & confitebor tibi: Deus meus es tu, & exaltabo te. Et si ambulauero in medio vmbre mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es, &c. Quinto, indicat Euangelium etiam istud pusillanimitatem sanctorum Apostolorum, cū audirent, quod tam copiosam hominum multitudinem pascere debebat. tum primū omnium cogitabāt quod Christus verbis dicebat, Vnde ememus panes, &c. Deinde cū iam parati erant dare quicquid habebant, en alia pusillanimitas, Quid hæc inter tantos? Duplex hæc pusillanimitas

Esa. 40.

Matth. 10.

Psal. 117.

Psal. 22.

tas etiam nos infestat. Nam quando nos alicui statui addicimus, primū semper est quo in mentem nobis incidit, Vnde accipiemus panes? unde alemur? Hæc pusillanimitas nō raro facit, vt aliqui cōiugium fugiāt: malintq; in peccatis perire, quā sese cōcredere Deo. Sūt deinde alij, qui in ea ipsa de causa fugiūt, cū ad mun<sup>o</sup> aliqd̄ vocātur, inquiētes cū Mose: Quis sum ego, vt hoc efficiā? Porro etiāsi munus aut statū aliquem suscipiūt, alia succedit pusillanimitas, vt semper vereātur, ne eos necessaria deficiāt. Sic inueniuntur in cōiugio, qui etsi necessaria habeant & opus facere possunt, vsq; tamen cogitāt: Quid hæc inter tātos? Incipiūt itaq; furari, prædari, scenerare, & nihil non malū exercere. Sic faciūt & ij qui munera gerūt. Cū sibi vidētur ad eā rem necessaria nō habere, laborem in alios homines reijciūt, relinquētes hoc pacto vocationem suā. Discere hīc ergō debemus ex sanctis Apostolis, vt etiam si tales incidāt nobis cogitationes, omnia tamē Christo cōmitamus, vocationem eius & mandatū exequamur, nec dubitemus quin omnia possit, &c. Sexto videmus in hoc Euangelio quā benè piēq; cōiuiū hoc celebratū sit, nemo erat qui murmuraret, omnes grato animo accipiebāt quæ illis dabat Christus: & præter hoc colligebant fragmenta, vt ijs etiā alij refici & cōsolari possent. Per hoc ingratitude nostra & nō dicenda profusio taxatur. Nam aut murmuramus Deo non pro votis nostris dante: aut turpiter prodigimus ad redundantiam vsque dante. Interea verō nemo pauperū rationem, vel etiam futurae necessitatis habet. Sed quid hominē Christianū minus decet? Et quid Reipub. maius adfert danū, quā q̄ omnia tā immodicè & turpiter dilapidamus, vnde multi pauperes saturari possent, imò, quæ nobis ipsis in rerum omnium caritate esse vsui possent: Discamus igitur hīc, vt grati Deo simus & illo quod dat nobis ad necessitatem & non ad luxum utamur: & propterea etiam pauperibus impertiamus fragmenta, quæ reliqua fiunt. Vult enim Deus, vt etiam eorum ratio habeatur. Arque ideo etiam plura nobis largitur, quā pro sua quisque persona consumere potest, &c. Postremo, cum omnia expedita in Euangelio & omnes expleti essent, populus vna voce clamabat, verè hic Propheta est, quis vēturus est in mundū. Sic etiā nos hoc verbo sermonē concludere volumus: Deoque gratias agere, qui nobis talem prophetam imò Christū, vnicum suum filium ad salutem nostram dedit.

In Lucā &  
ingratitude  
nem.

## TERTIVS SERMO COMPONIT

Epistolam, Ecclesie orationem, &  
cantus cum Euangelio.



VID hodiernum istud Euangelium vnâ cum miraculo, quod in eo commemoratum est, in se habeat, alijs dictum temporibus abundè est. Hoc die propterea solum id nobis proponitur, vt animi nostri commoueant futuri & proxime secuturi. Aduentus in eum finem, vt accepta gratia non minus moueamur, quàm Patres veteris testamèti olim ad spirituale gaudium mouebantur, cum illis hæc gratia solum in futurum tempus promittebatur: & ne post aduentum Christi ingrari & indeuoti magis simus, quàm illi ante aduentum Christi fuere. Atqui ex hoc Euangelio facile videre est, quomodo optimi Patres affecti fuerint ante aduentum Christi, quid cediderint, quid sperauerint, quid cogitauerint, quid dixerint, quid concupierint, & expectarint, & quid precati sint, & postremò tandè quid illis prædicatum sit. Hæc omnia (inquam) ex hoc Euangelio obseruari possunt. Nam cū videret populus, quod Christus tale miraculum fecisset, protinus ad se inuicem dicebant: *Ioan. 6.* Hic est verè Propheta, qui venturus est in mundum. Hæc verba satis ostendunt, non solum doctos inter Iudæos, sed etiã vulgus sciuisse, Seruatorem venturum. Hoc (inquam) crediderunt, sperauerunt, desiderauerunt, & expectauerunt: alioqui non tam citò cum verbis istis de promisso Messia *Matt. 22.* prouissent. Sed de hoc illis potissimum agebatur. Ex abundantia igitur cordis os loquebatur: imò tanta apud illos fides *Luc. 3.* erat, spes, desiderium & expectatio venturi Messie, vt semper putarent adesse eum, si quando quid noui fiebat, aut celebris aliqua persona apparebat. Sic cùm Ioannes ex deserto *Luc. 7.* prodibat & pœnitentiam prædicare incipiebat, omnes illum esse Christum putabant. Sic cùm Christus viduæ filium à mortuis excitabat, statim huc veniebant, vt dicerent. Propheta magnus surrexit in nobis: & quia Deus visitauit plebem suam. Quinimò hæc persuasio erat etiam inter Samaritanos de venturo Messia & Seruatore: & ob id cùm Christus Samaritanæ mulieri de vero Dei cultu prædicaret, illa inquit *Ioan. 4.* bat: Scio, quia Messias venit, qui dicitur Christus. Cùm ergo venerit: ille nobis annuntiabit omnia. Et postea dicit ad

suos ciues: Venite, & videte hominem qui dixit mixi omnia quæcunque feci: nunquid ipse est Christus? Hæc omnia factis magno argumento sunt, quod Christus etiam veteribus prædicatus est & annuntiatus. Quomodo alioqui in eum credere, aduentum eius sperare, aut expectare potuissent? Quod autem videre quiuis possit, quomodo & qua ratione veteribus prædicatus sit, ex ijs concionibus hodiè vnà legitur loco

**Hier. 23.** Epistolæ. Dicit ergo Hieremias hunc in modum: Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo David germen iustum, & regnabit Rex, & sapiens erit, &c. Hæc verba hodiè lecta sunt ex Hieremia loco Epistolæ: noui aliquid est, quod toto anno vix solet fieri, præsertim diebus Dominicis. Alioqui quidem etiam Prophetiæ leguntur nonnunquam vice Epistolæ, præcipuè in diebus ieiunio nuncupatis, quod ipsum quoque non caret sua causa.

**In Christi natalitij scur pro phetica lectio- nes in Missa recitetur, &c.** In natalitij Christi ad singulas Missas Prophetia legitur, sed sub eam mox semper Epistola. Id autem eò fit, ad indicandum, quod in Christo vetus & nouum Testamentum conciliata sunt & concordata, quemadmodum aliàs prolixius indicauì.

Alioqui per totum annum singulis Dominicis diebus, Epistola plerunque & pro maiori parte ex Diuo Paulo, attamen nonnunquam etiã ex Diuo Petro, Ioanne, & Iacobo legitur. Pentecoste duntaxat & vltima hæc Dominica nullam habent Epistolã. In die Pentecostes legitur loco Epistolæ, ex Apostolorum Actibus historia de missione Spiritus sancti. Hodie legitur Prophetia ex veteri Testamento. In causa est Euangelium istud, & potissimum verbum quod vltimo loco habetur: Hic est verò Propheta, qui venturus est in mundum. Hoc verbo concluditur in Ecclesia quod nobis per totum annum in Dominicalibus Euangelijs propositum est, perindè ac si dicatur ad nos.

**Ast. 2.** Agite optimi Christiani, audiuiſtis per annum hætenus multa & varia de Christo, quæ miracula fecerit, quid docuerit, quàm nonnunquam malos duriter, bonos verò humaniter sit allocutus, & quid præter fidem etiã à nobis postulet, Christianam vitam concernens. Hæc omnia per annum hætenus audiuiſtis, nũc in fine est. Hodie vltima Dominica est, ea postulat Epilogũ, ad quid omnia quæ per totũ annum audiuiſtis ac vidimus, dirigi debeant. Audite nũc vno verbo vultis, ad quid ea spectauerint? Aduertite igitur, quomodo populus híc in isto Euãgelio clamet ac dicat: Hic est verè Propheta qui ventu-

qui venturus est in mundum. Hic Epilogus est, & finalis sententia omnium Dominicalium Euangeliorum. Eò nobis inservire debet, quicquid per totum annum audimus, ut Christum verè agnoscamus, diligamus, & toti orbi annuntiemus, tanquam eum qui humano generi in bonum iam inde ab initio & antiquitus promissus fuit. Et qui prædicationem suam in hunc finem non dirigit, ut vera fides, charitas & Dei laus consequatur, is haud dubie à vero scopo aberravit & frustra laboravit. Quocirca dictum hoc ultimum nobis proponitur, imò totum hodiernum Evangelium propter unicum hoc verbum, quo unusquisque occasionem nactus seipsum interroget & conscientiam suam exploret, num in seipso per omnia ita constitutus sit, necne. Etenim in viva fide & charitate concludere nos omnes oportet, quòd Christus Propheta sit, quem nobis Deus primò promissit, deinde etiam misit ad nostram salutem, ut in eum non credamus modò, sed etiam sequamur vestigia eius. Fides & charitas nos salvos faciat & servet necesse est, & qui in hac fide & charitate non concludit, ei nihil prodest, quicquid non solum hoc anno, sed per omnem etiam vitam audiuit ac fecit. Hinc opinor, intelligere prudens quilibet facile posset & videre, quòd Evangelium istud non sine magno consilio ultimæ huic Dominicæ assignatum est. Si quis autem sit, qui speciem & indicium petat, vbi nã talis Propheta, in quo omnibus hominibus tam magnum momentum situm est, in Scriptura promissus sit: en, ommissa cõmuni Epistolam recitandi consuetudine, legitur Prophetia in illius loco ex Hieremia ne quis dicere possit, se non sciuisse tantum momenti nobis in Christo esse situm. Quippè nisi Christo summoperè opus habuissemus & adhuc opus haberemus, non eum toties Deus tanquam magnificis verbis promissurus fuerat. An nõ autem verba excellentia sunt, quæ etiam priscis prædictum & prædicatum fuit, Christum fore regem, sapientem, facturum iudicium & iustitiam: forèque suo tempore, ut pij omnes pacem, salutem & securitatem sint habituri, & ut Deus ipse suo tempore pactum suum sit renouaturus? Et quid quæso clarius, expressius, magis egregie, & cõsolatorium magis adhuc hodie de Christo prædicari posset? Enimverò in hac perbreui Prophetia penè omnia cõprehensa sunt, quæ fides & Christiana doctrina continet. Siquidem primò fides nostra & Christiana doctrina habet, quòd Christus à Deo missus homo factus est, & tamen sine omni peccati labe.

*Fides nostra  
quamam tradat.*

*Ioan. x.*

*Hebr. 7.*

Idipsum autem Deus in Hieremia dixit, vbi ait, se suscitaturum David germen iustum, &c. Vocat Christum Davidis germen, hoc est, hominem. Vocat eum deinde germen iustum, hoc est, nullo inquinatum peccato. Addens seipsum suscitaturum.

**Matth. 28.** Secundò habet fides nostra, Christum esse regem, cui Deus omnem potestatem in cælo & in terra dedit, & qui suos

**Matth. 17.** sapienter ducere & potenter liberare possit. Illum audietis, inquit vox Dei. Indicauit hoc idem quoque Hieremias dicens: Et regnabit Rex, & sapiens erit, &c. Tertio habet fides nostra & Christiana doctrina, quòd Christus veram salutem & perfectam securitatem ipsi obtemperantibus dat. Ego (inquit Ioan. 10.) Veni vt vitam habeant, & abundantius habeant. Et iterum Ioan. 16. Confidite, ego vici mundum, in me habebitis

**I. Cor. 1.** pacem. Quarto habet fides nostra & Christiana doctrina, quòd Christus nostra etiam præcipua iustitia est, redemit nos sua gratia à peccatis, & impartit nobis ipsi obedientibus sua merita & iustitiã. Indicauit & hoc Hieremias in verbo quod

**Matth. 24.** dicit, Vocabunt eum Dominum iustum nostrum, seu iustitiã nostram, vt quidam legunt. Quintò, habet fides nostra quòd Christus congregabit electos suos à quatuor ventis, à summis cælorum vsque ad terminos eorum, nec sinet ex eis perire quenquam. Indicat etiam hoc Propheta, vbi inquit: Dicent, Viuit Dominus qui eduxit & abduxit semen domus Israël de cunctis terris, &c. En, ita clarè Christus etiã per Prophetas prædicatus est. Quæ omnia certè nobis ostèdunt, plurimum nobis in

*Fides mortua  
nihil prodest.  
Iacob. 2.*

Christo momenti situm esse. Tantò magis eniti debemus, vt in vera fide & charitate tandem inueniamur, ita vt fides non nuda, sine operibus & mortua sit. Ea quippè nihil ad rem facit.

Quapropter hodiè docemur ita orare: Excita Domine quæsumus tuorum fidelium voluntates, vt diuini operis fructum propensius exequentes, pietatis tuæ remedia maiora percipiant. Hæc oratio hodiè in Ecclesia recitatur, quæ quidem nihil dicit de fide (siquidè eam ex Euãgelio & Epistola abundè habere possumus) sed dicit solùm de bonis operibus, per quæ vera fides cognoscitur: quærirque talis oratio etiã bona opera apud Deum, *Excita Domine voluntates nostras.* Ad quid? vt diuini operis fructum propensius exequamur. In què vsum? vt pietatis Dei remedia maiora percipiamus. Ad hoc viua fides nobis utilis est.

*Viua f. d. s. cõ-  
mendatur.*

*Luc. 19.*

Mortua fides amittit etiã quæ bona accepit: sed viua fides plura & maiora vsq; accipit: habèti em̄ dabitur, & nō habèti etiã id quod

Id quod habet auferetur ab illo: Ann ò aut̃ annus iste, imò tota nostra vita bene conclusa esset, si in vera & viua fide dicere possemus: Hic est verè propheta, qui vèturus est in mūdū; & præterea etiã in externa exercitatione bonorū diuinorūq; operum inueniremur? Adhuc vnū restat nobis hac vltima Dñica considerandū, q̃ nobis etiã ad bonã cōclusionē istius anni inferuire pōt, Ea nimirū sunt verba, que ex Hieremia cātata sunt. Hæc dicit Dominus, Meæ cogitationes sunt pacis, & nō afflictionis, vt dem vobis finē & patientiã. Et inuocabitis me, ego exaudia vos, & reducã captiuitatē vestrã de cunctis locis. Hæc verba olim Hieremias locutus est seu scripsit ad eos, quos rex Nabuchodonosor captiuos in Babylonē duxerat. Hic opus cōsolatione habebāt, vt potè procul à suis disiecti, & inter medios hostes & Idolatras agentes. Quãobrem illis Hieremias Hierosolymis scribebat, vt captiuitatē suã patiētur ferrēt, esse enim iudiciū Dei & meritã pœnã: nō itaq; decere, vt in homines, sed in peccata & seipos accensī irascantur: nec conari eos debere, vt effugiant. frustra enim conaturos, quãdoquidem id Deo secus visum esset, Veruntamē hoc illis solatij dabat, captiuitatē nō fore perpetuã. Ad quod vtitur verbis quæ hodiè cantantur. Hæc dicit dominus, Cogitationes meæ cogitationes pacis, &c. Et quid etiã nobis melius cōmodiūque scribi posset hac vltima Dominica, quàm hæc adeò verba; imò quomodo Christiana nostra doctrina concludi melius potuisset, quã tali promissione futuræ liberationis? quãdoquidē certū est, q̃ Christianam nostrã doctrinam proximè sequēti Dominica à principio iterū auspicabimur. Atqui verò etiã nos captiuitate nostra nondū penitè liberati sumus, quãdoquidē vnusquisq; adhuc cum Paulo dicere cogitur, Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Secundo, sumus etiã adhuc tanquã peregrini in terra aliena. Quandiū enim in hoc corpore sumus, peregrinamur à Deo. Tertio, nondū quoque hostes nostros euasimus, quandoquidem Petrus docet: vt sobrii simus & vigilemus. Et Paulus, vt semper spirituali armatura parati stemus aduersus insidias diaboli, &c. Quarto, longè adhuc absumus à vera nostra patria, quandoquidē iterū Paulus dicit, domum hanc nostrã terrestre prius dissolui oportere, quàm ad æternam domū veniamus. Cuperemus quidem vtrunq; simul hanc domū retinere, & illam consequi: sed fieri non potest, renuntiandum tabernaculo est, si in atrium, imò in domum Dei

Hier. 29.

Rom. 7.

1. Cor. 4.

1. Pet. 5.

Eph. 6.

1. Cor. 5.

intrare volemus. Atque hoc pacto cōditio nōstra in terris semper adhuc similitudinem habet: cum eo quod Iudæi in Babylone senserūt, Proindē quod Hieremias captiuo suo populo ad doctrinā & solatiū scribebat in Babylone, id ipsum quoque nobis Christianis meritō scribitur, & in primis hac vltima Dominica, quæ quidē certō vltimi nostri finis nos admonet, quæ admodū sequēs Dominica iniriū nobis nostræ salutis proponit. Sed quid aptius quadrat ad finem & cōclusionē huius vitæ, quàm læta promissio futuræ liberationis; Et quomodō meliorē promissionē habere possemus, quàm q̄ Hieremias dicit: *Hæc dicit Dñs, Meæ cogitationes, cogitationēs pacis, & nō afflictionis: Israëlitis qui in Babylone degebāt, haud dubiè lætū hoc fuit nuntiū, cum ex Propheta audirēt, captiuitatē ipsorū nō duraturā perpetuò, sed Deū iam tēpus præfiniuisse, quando esset habitura finē, & tum secutura multa bona. Hoc illorum erat Euangeliū: hæ erāt bonæ cogitationes, quibus occupatus erat Deus. Maiora adhuc semper timebāt mala, & nullā liberationē. At eiusmodi cogitationes, illis Deus per Prophetam eximere volebat. Nō (inquit) ego posthac nō cogito vos amplius affligere, sed vobis benefacere. Meæ cogitationes nō spectāt ad vltiorē vestrā pœnā, sed ad pacē. Quāobré inuocate me, & exaudiam vos. Hoc captiuus in Babylone dictum erat.*

*Ioan. 6.* Considerantes Euangeliū hodiernū, simile inuenimus: in quo nobis Christus indicare voluit, q̄ cogitationes eius cogitationes sunt pacis erga nos. Montē quidē pro nobis conscendit, & tergum nobis vertit, in coelū ascendit, in gloriā suā intrauit, & sedet ad dextrā Patris, relinquit nos hīc inferiūs in varijs miserijs & afflictionibus. Sed dubiū hoc aliquē reddat, benēne an malē nobis voluerit, cogitationes eius ad pacēne an ad diffusionē spectēt. Sanè, si nihil aliud in hoc Euangelio scriptū esset, quàm quod Christus montem conscendit, & sedit illic cū suis discipulis: necessariò quis cogitaret illū nostri oblitum. At qui legit quod additū est, is nimirū videbit, quod (quatenus illū imitamur) nō aliter de nobis cogitat & sibi proponit, quā omnia bona. Quicquid enim huic populo exhibuit, id nobis promisit. Id tēporis etiā præcedebat, ducebat eos in desertum, famem illos pati ad tempus sinebat, tergum illis vertebat: faciebat perindē ac si nihil de illis sciret. Sed cū illius adesset tempus, cōsistit, conuersus ad illos cōpatiebatur eis, discūbere eos iubebat, procurabat eis cibū, omnes explebat, leuabat eos  
omni la-

omni labore, excitabat eos ad laudem Dei. En, hæ sunt cogitationes pacis, quas super nos cogitat Deus. Quantumuis suos nunc parū respicere videtur, tandem tamē conuersus ad illos, aspiciet eos oculis misericordiæ suæ, recipiet eos ad se, pascetq; panibus & piscibus, omnem eorū tristitiam æternæ obliuioni tradet, explebitque eos gaudio & laude Dei. Tum dicere verè poterimus: Benedixisti Domine terrā tuam: auertisti captiuitatem Iacob, &c. Hic erit finis noster. huius nos admonet Dominica ista. Et quomodò annum cōcludere melius possemus, quàm talibus cogitationibus? Reliquum erit, vt quoniam audimus, q̄ Deus tot tantāq; bona super nos cogitat, quæ in altero sæculo exhibere nobis velit: præsens hoc exilium, captiuitem, & vexationes hostium tantò patientiùs feramus, tantò fideiùs in omni pietate Deo seruiamus, & tantò ardentius ad Deum clamemus, vt eiusmodi suas bonas cogitationes in nobis perficiat, nos eripiat ex captiuitate, iuxta promissā quæ nobis fecit: Exaudiam vos, cū inuocaueritis me. Hoc nobis considerandum hodie datur pro Epilogo omniū eorum, quæ per annum hactenus audiuius. Nam, vt dixi, proxima Dominica, Christianā nostram doctrinam ab initio, iterū ordiemur: Deus Opt. Max. ita nos auspicari faciat, vt verū finem assequi queamus, sicque concludamus, vt tamen exilij nostri nūquam obliuiscamur. Illi laus: honor, gloria in sæcula: Amen.

Psal. 84.

Hiorc. 29.

SI QVAE PLVRA DE HOC EVANGELIO

*dicenda restant, inuenies ea, optime lector, in prima parte istius Postilla, Dominica Latere.*

SOLI DEO GLORIA.

EXCVDEBAT HECTOR

Penet impensis hæredum Iacobi Iuntæ.

Regestum.

abcdefghijklmnopqrstvxyz, ABCDE

FGHIKLMNOPQRSTVXYZ, aa bb cc

Omnia sunt integra, præter b & cc, quæ sunt semi folia.